


CONCILIA GERMANIÆ,

QUÆ

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU

CL. JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT

MAGNA EX PARTE PRIMUM COLLEGIT,

ad Canon. DEIN Neustifte

P. JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.

EJUSDEM CELSISSIMI IMPENSIS

PLURIMUM AUXIT, CONTINUAVIT,

NOTIS, DIGRESSIONIBUS CRITICIS, CHARTA, ET PRÆFATIONE CHOROGRAPHICIS

ILLUSTRAVIT.

Josephus Abbas

TOMUS II.

AB ANNO DCCCXVI. AD M. ÆRÆ CHRISTIANÆ.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLX.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

REVERENDISSIMO. CELSISSIMO. DOMINO. DOMINO.

JOANNI. MAURITIO. GUSTAVO.

DEI. GRATIA. ARCHI-EPISCOPO. PRAGENSI.

SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATO. NATO.

S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPI.

COMITI. DE. MANDERSCHEID-BLANCKENHEIM.

ET.

GEROLDSTEIN.

LIBERO. BARONI. IN. JUNCKERATH.

DOMINO. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.

UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ. HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.

CONSILIARIO. INTIMO. ACTUALI.

INCLYTI REGNI BOHEMIÆ PRIMATI

ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET. CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.

PRÆPOSITO. SENIORI. AC. THESAURARIO.


ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM. PARITER. PRÆPOSITO.

NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS. CANCELLARIO. PERPETUO. ET. PROTECTORI. &c. &c.

TOMUM SECUNDUM D. D. C.

Servus deditissimus


JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.



FACULTAS REV. P. PROVINCIALIS CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.



Um VIDUA JOANNIS WILHELMI KRAKAMP, & Hæredes CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolæ Colonienses, typis vulgare desiderent Tomum secundum *CONCILIORUM GERMANIÆ, à P. Josepho Hartzheim, Societatis nostræ Sacerdote, elucubratum:* Ego infrascriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Adm. Rev. P. N. LAURENTIO RICCI, universæ Societatis JESU Præposito Generali, Iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; simulque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis Bibliopolis atque Typographis prohibetur, ne dictum Librum citra consensum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. Imperii inferre præsumant. In cujus rei fidem has iis manu propria subscriptas, ac consueto officii Sigillo munitas dedi. Coloniæ 7. Januarii 1760.



HIERONYMUS DE WYMAR S. J.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS PRIMI MILLENARII CONCILIORUM GERMANIÆ,

CUM NUMERO CANONUM, ET EPITOME ACTORUM IN CONCILIIS.

CONCILIA TOMI I.

745.

780.

Digressio ad Sæculum VIII.

SÆCULUM IX.

803.

Finis Tomi I. editi 1758. mense Novembri.

CONCILIA TOMI II.

823.

Digressio ad Sæculum Nonum.

SÆCULUM X.

921.

970.

Digressio ad Sæculum X.



INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
TOMO II.

Item eorum extra Germaniam, quæ pro, aut de Ecclesiis, aut Presbyteris Germaniæ coacta fuerunt.



H

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

A SÆCULI IX. ANNO XVI. AD MILLESIMUM ÆRÆ CHRISTIANÆ,

Quorum anni in hoc II. Tomo Germaniæ Conciliis præfiguntur.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Paſchalis I. *Romanus.*	Papa C.	Anno Chriſti DCCCXVII. 25 Jan. Ind. 10.	Annos VII. Dies 17.	Anno Chriſti DCCCXXIV. 10. Feb. Ind. 2.
Eugenius II. *Romanus.*	CI.	DCCCXXIV. 14. Februar. Indict. 2.	Annos III.	DCCCXXVII. Menſe Auguſt. Indiɛ. 5.
Valentinus *Romanus.*	CII.	DCCCXXVII.	Menſem I. Dies 10.	DCCCXXVII.
Gregorius IV. *Romanus.*	CIII.	DCCCXXVII. extremo anno.	Annos XVII.	DCCCXLIV. 25. Januar. Indiɛ. 7.
Sergius II. *Romanus.*	CIV.	DCCCXLIV. 10. Februar. Indiɛ. 7.	Annos III. minus 18. diebus.	DCCCXLVII. 27. Januar. Indict. 10.
Leo IV. *Romanus.*	CV.	DCCCXLVII. 11. Aprilis. Indiɛ. 10.	Annos VIII. Menſes III. Dies 6.	DCCCLV. 17. Julii. Indiɛ. 3.
Benedictus III. *Romanus.*	CVI.	DCCCLV.	Annos II. Menſes VI. Dies 10.	DCCCLVIII. 8. Aprilis. Indiɛ. 6.
Anaſtaſius *Pſeudo-Pontifex.*				
Nicolaus I. *Romanus, Magnus dictus.*	CVII.	DCCCLVIII. 24. Aprilis. indiɛ. 6.	Annos IX. Menſes VI. Dies 2.	DCCCLXVII. 13. Novembr. Indiɛ. 15.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Hadrianus II. *Romanus.*	Papa CVIII.	Anno Christi DCCCLXVII. 14 Dec. Ind. 15	Annos V.	Anno Christi DCCCLXXII. Indict. 5.
Joannes VIII. *Romanus.*	CIX.	DCCCLXXII. 14. Decembr. Indict. 5.	Annos X. Dies 2.	DCCCLXXXII. 15. Decembr. indict. 15.
Marinus I. *Hetruscus.*	CX.	DCCCLXXXII. extremo Dec. Indict. 15.	Annum I. Menses V.	DCCCLXXXIV. in Majo. Indict. 2.
Hadrianus III. *Romanus.*	CXI.	DCCCLXXXIV. extremo Majo Indict. 2.	Annum I. Menses IV.	DCCCLXXXV. Mense Sept. Indict. 3.
Stephanus V. *Romanus.*	CXII.	DCCCLXXXV. extremo Septembri.	Annos VI.	DCCCXCI. extremo Septembri.
Formosus *Romanus.*	CXIII.	DCCCXCI. post Septembrem Ind. 9.	Annos IV. Menses VI.	DCCCXCVI. 4. Aprilis. Indict. 14.
Bonifacius VI. *Romanus.*	CXIV.	DCCCXCVI.	Dies 15.	DCCCXCVI.
Stephanus VI. *vulgo* VII. *Romanus.*	CXV.	DCCCXCVI. ante 20. Augusti Indict. 14.	Annum I. Mensem I.	DCCCXCVII.
Romanus *Gallesinus.*	CXVI.	DCCCXCVII. ante 15. Octobris.	Menses III. Dies 22.	DCCCXCVIII. extremo Jan. Indict. 1.
Theodorus II. *Romanus.*	CXVII.	DCCCXCVIII. Indict. 1.	Dies 20.	DCCCXCVIII. medio Martio. Indict. 1.
Joannes IX. *Tiburtinus.*	CXVIII.	DCCCXCVIII. medio Junio. Indict. 1.	Annos II. Dies 15.	CM. ineunte Aug. Indict. 3.
Benedictus IV. *Romanus.*	CXIX.	CM. pridie Kal. Septembr. Ind. 3.	Annos III. Menses II.	CMIII. initio Octobr.
Leo V. *Ardeatinus.*	CXX.	CMIII. initio Octob.	Mensem I. Dies 26.	CMIII. ante medium Nov. Indict. 6.

Christo-

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Christophorus *Romanus.*	CXXI.	Anno Christi CMIII. 13. Novembr.	Menses VI.	Anno Christi CMIV. dejectus & incarceratus.
Sergius III. *Sabinus.*	CXXII.	CMIV. 18. Maji. Indict. 7.	Annos VII. Menses tres.	CMXI. 23. Augusti. indict. 14.
Anastasius III. *Romanus.*	CXXIII.	CMXI. 25. Augusti. Indict. 14.	Annos II. Menses II.	CMXIII. medio Octob. indict. 1.
Landus *Sabinus.*	CXXIV.	CMXIII. 16. Octobris. Indict. 1.	Menses VI. Dies 10.	CMXIV. ante VI. Kal. Majas. ind. 2.
Joannes X. *Romanus.*	CXXV.	CMXIV. extremo Apr. indict. 2.	Annos XIV. Menses II. Dies 3.	CMXXVIII. 29. Junii dejectus.
Leo VI.	CXXVI.	CMXXVIII. indict. 1.	Menses VII. Dies 5.	CMXXIX. 3. Februarii. indict. 2.
Stephanus VII. *Romanus.*	CXXVII.	CMXXIX. initio Februar. indict. 2.	Annos II. Mensem I. Dies 12.	CMXXXI. 15. Martii.
Joannes XI.	CXXVIII.	CMXXXI. indict. 4.	Annos IV. Menses X.	CMXXXVI. initio Januarii. indict. 9.
Leo VII. *Romanus.*	CXXIX.	CMXXXVI. ante 9. Januar.	Annos III. Menses VI. Dies 10.	CMXXXIX. 18. Julii. indict. 12.
Stephanus VIII. *Germanus.* *Vulgo* IX.	CXXX.	CMXXXIX. indict. 12.	Annos III. Menses IV. Dies 15.	CMXLII. initio Decembris.
Marinus II. *Romanus.*	CXXXI.	CMXLII. indict. 1.	Annos III. Menses VI. Dies 13.	CMXLVI. mense Junio. indict. 4.
Agapitus II. *Romanus.*	CXXXII.	CMXLVI. ante 15. Junii.	Annos X. Menses II.	CMLVI. post 20. Augusti.
Joannes XII. *Romanus.*	CXXXIII.	CMLVI. indict. 14.	Annos VII. Menses IX.	CMLXIV. pridie nonas Majas.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Leo VII. *intrusus Antipapa,*				
Benedictus V. *Romanus.*	CXXXIV.	Anno Christi CMLXIV. in Majo.	Annum I.	Anno Christi CMLXV. Depulsus Hamburgum.
Joannes XIII. *Romanus.*	CXXXV.	CMLXV. Kal. Octobr. indict. 9.	Annos VI. Menses II. Dies 5.	CMLXXII. VIII. idus Septembri.
Benedictus VI. *Romanus.*	CXXXVI.	CMLXXII. post 28. Nov. indict. 1.		CMLXXIV. Dejectus & jugulatus.
Bonifacius VII. *Antipapa.*				
Donus II. *Romanus.*	CXXXVII.	CMLXXIV.		CMLXXV.
Benedictus VII. *Romanus.*	CXXXVIII.	CMLXXV. ante 25. Martii.	Annos IX.	CMXXCIV. VI. idus Julii.
Joannes XIV.	CXXXIX.	CMXXCIV.	Menses VIII.	CMLXXXV. incarceratus.
Joannes XV. *Romanus.*	CXL.	CMXXCV. Mense Decembri.	Annos XI.	CMXCVI. indict. 9.
Gregorius V. *Germanus.*	CXLI.	CMXCVI. ante 30. Maji.	Annos II. Menses VIII.	CMXCIX. XII. Kal. Mart.
Sylvester II. *Aquitanus.*	CXLII.	IM. IV. non. April.	Annos IV. Mens. I. Dies 9.	MIII. V. idus Majas.



SERIES

SERIES CHRONOLOGICA REGUM GERMANIÆ

Ab Anno DCCCXVI. ad Annum M.



I.

LUDOVICUS Caroli Magni Filius tertio genitus ex Hildegarda, anno 806. (quando Pater regna filiis suis distribuit in Theodonis Villa, & Testamentum Papæ Leoni subscribendum per Eginhardum misit) Rex Aquitaniæ constitutus fuit. Anno 813. in Comitiis Aquisgrani, duobus fratribus Carolo & Pippino præmortuis, Regni & Imperii collega adsciscitur, ac Imperiali diademate aureo de altari sumpto coronatur: omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, & exercitu acclamantibus. Hinc jam exordium Imperii nonnulla diplomata ducunt.

Anno 814. V. Kalend. Februarii, Patre Carolo sancte mortuo, ex Aquitania ad Aquisgranum advolat, & Imperium regundum suscipit: Hinc secunda, & ordinaria Epocha annorum Imperii Ludovici fluit.

Anno 817. tribus filiis, ex Ermengarda conjuge natis, Aquisgrani hæreditatem olim possidendam hoc pacto divisit.

Lotharium primogenitum Imperatorem esse & appellari voluit, corona aurea ei tradita: Pippinum Aquitaniæ, Ludovicum Bajoariæ Regem constituit, primoribus & populo acclamantibus. Hujus præcocis & præmaturæ divisionis ipse primus pœnam luit non semel.

Cum enim Ludovicus defuncta prima uxore Ermengarda, anno 818. secundam duxisset, Juditham, & ex ea filium Carolum, dictum *Calvum*, genuisset; voluit & huic portionem ex divisa jam hæreditate attribuere. Lotharius non tantum Italiæ Rex, sed a Papa jam Imperator coronatus, ardens odio novercæ, & Caroli Calvi, utcunque visus est novam divisionem, rogatu patris, ratam habere; at reapse solus Monarchiam ambiebat, & rebellionem contra patrem meditabatur. Anno 830. adjunctis Pippino, & aliis rebellibus, Compendium venit. Juditha Augusta capitur, & velum ei imponitur, & Pictavis Monasterio retruditur. Patrem suum custodia detinet Lotharius. Mense Autumno Ludovicus Noviomagi, diffidens Francis, indicit conventum inter Germanos; aliquot rebelles punit exilio: uxor Juditha ad eum redit: Lotharius filius jurat patri, nunquam se deinceps rebellaturum.

Anno 833. nova rebellio a Lothario instruitur: apud Basileam, in campo men-

mendacii, populi & milites, variis prætextibus, a Patre Imperatore ad filium Lotharium transſeunt. Pater ab omnibus deſertus in cuſtodiam Lothario datur ſecundò. Juditha noverca Dertonam in Italiam relegatur, Carolus Calvus ad Monaſterium Prumienſe. Inde Ludovicum Pium, Compendium abductum, pœnitentiam agere cogunt, veſtibus Regiis depoſitis; & Lotharius veluti Monarcham ſe gerit in Occidente.

Primo furentium rebellium æſtu præterito, duo alii fratres, Pippinus, & Ludovicus, de patre liberando, vel reſtituendo ſerio cogitant, & Epiſcopi adhærentes ſanæ parti, Ludovicum Imper. ad reaſſumendum Imperium excitant. Anno 834. Aquisgrani Paſcha celebrat, & iis, qui coacti eum reliquerant, veniam offert. Lotharius Patri ſe ſubmittit ſecundò: ac demum anno 835. in Comitiis Theodonis Villanis plene reſtitutus imperio, iterum coronatur: pœnitentia, injuſte impoſita judicio Epiſcoporum, reſcinditur. Ebbo Remenſis Epiſcopus, crimen confeſſus, Epiſcopatu ſe abdicat: Abogardus, & Jeſſe Epiſcopi puniuntur: demum nova diviſio regnorum inter filios inſtituitur, Lothario neglecto. . . Anno 837. Carolum Calvum Neuſtriæ ſeu Franciæ occidentalis Regem conſtituit. Anno 838. Lotharius Patri Wormatiæ reconciliatus ſcribitur, & nova fit diviſio regnorum inter Lotharium, Ludovicum & Carolum filios. Nam Pippinus Aquitaniæ Rex hoc anno obiit.

Demum anno 840. XII. Kal. Julii in Inſula Rheni prope Ingelheimium obiit piiſſimus Imperator, & Metis ſepultus, aſſiſtente Drogone Metenſi Epiſcopo fratre ſuo. PIUS non fuit nominatus, dum viveret, uti nec Carolus dictus MAGNUS: utrique poſt mortem poſteri hos titulos: *Pio*, *Magno*, dederunt.

Vides hinc, a quot annis, quam variæ Epochæ Regnorum Ludovici ductæ fuere in diplomatibus & in Conciliis - - ſimilis Epocharum varietas in regnis Lotharii, & Ludovici, & nepotum omnium Caroli Magni.

REGES GERMANIÆ

Secretæ a Gallia, ſeu Francia occidentali, & ab Italia.

LUDOVICUS, Ludovici PII dicti, Imperatoris filius, Caroli Magni nepos, jam a patre vivente anno 817. conſtitutus fuit Bajoariæ Dux: anno 825. in Bajoariam miſſus, novæ Epochæ anſam dedit. Anno 835. amplioribus provinciis intra Germaniam auctus fuit, quia contra Lotharii fratris natu majoris impiam perduellionem, patrem Imperio reſtituere allaboravit. Anno 840. patre defuncto cum Lotharius frater Imperator, ſolus monarchiam ſupra fratres & nepotes ambiret, prælio ad Fontanetum devictus, ſæpe cum duobus fratribus paciſci de regnis dividundis, coactus fuit: ſed ita, ut relictis Ludovico Alamannia, Bajoaria, Saxonia, Thuringia, Friſia Cisrhenana, & Belgio pæne toto, tranquille regundis Ludovicus vacaret. Anno 860. facta iterata diviſione regnorum

in procaſpide ſuper Moſam novis Provinciis auctum fuit Ludovici noſtri regnum, quas *Pithoeus & Baluzius* ac demum *Eckhartus.* Tom. II. *Franciæ Orientalis Hiſtoriæ pag.* 556. recenſent : obiit demum Rex vere Chriſtianiſſimus, uti in pluribus Conciliis vocatur, anno 876. V. Kal. Septembris: ſepultus in Monaſterio Laureshamenſi. Ex Hemma Regina uxore tres liberos ſuſcepit : Carolomannum, Ludovicum, & Carolum, poſt dictum *Craſſum.*

LUDOVICUS II. hoc nomine, Rex Germaniæ, aliàs inter Caroli Magni nepotes tertius, a morte patris adiit regnum : quem Patruus, Carolus Calvus, eo deturbare voluit. Sed (quia hic victus apud Andernacum menſe Octobri anni 876. Ludovici, & fratris exercitu fuit :) manſit quietus poſſeſſor Germanici regni. Obiit anno 882. XIII. Kal. Februarii Francofurti.

CAROLUS, dictus Craſſus, Ludovici II. prædeceſſoris frater, fuerat a Patre miſſus in Italiam, ut obſiſteret ambitioni Caroli Calvi, quod felici marte præſtitit : Hic anno 881. in Epiphania Domini a Joanne VIII. Pp. conſecratur Imperator : poſt mortem fratris (qui non reliquerat, niſi filium unicum, Ratisbonæ caſu e feneſtra deciduum & mortuum) a proceribus Germaniæ Wormatiæ menſe Majo adunatis, advocatur ex Italia, & eligitur ut heres & Rex Bajoariæ, Alemanniæ, Franconiæ, Saxoniæ, Thuringiæ. Anno 887. æger corpore, & mente, ab optimatibus deponitur in Comitiis Triburiæ, menſe Novembri, & initio anni 888. moritur, deſertus ab omnibus.

ARNULFUS, Filius naturalis Carolomanni, Rhætiæ, Bavariæ, & Italiæ Regis, anno 880. defuncti, a proceribus Germaniæ Francofurti congreſſis, accerſitur, & eligitur Rex. Anno 896. a Formoſo Pp. Romæ coronatur Imperator. Obiit Ratisbonæ 899. 29. Novembris.

LUDOVICUS III. Germanicus (aliis IV. dictus) Arnulfi prædeceſſoris filius ex legitimo thoro natus, ut hereditarius Rex eligitur in Comitiis Forchemenſibus. Obiit anno 911. Ratisbonæ X. Kal. Januarii, cælebs ſine prole. Hic ultimus Carolingici ſanguinis in Germania Rex fuit.

CONRADUS, Dux Franconiæ (recuſante Ottone Duce Saxoniæ ob ſenium, & Conradum proceribus commendante) eligitur Rex Germaniæ anno 911. poſt diem IX. Junii. Obiit 918. 23. Decembris, Fuldæ ſepultus.

HENRICUS Auceps, filius Ottonis Saxoniæ Ducis, ab optimatibus Germaniæ eligitur in Comitiis Fritzlariæ, anno 919. ante Novembrem. Obiit 936. menſe Julio Memlebii, Thuringiæ palatio Regio. Rexit Germaniam annis 16. & 8. menſibus.

OTTO I. *Magnus* dictus, filius Henrici Aucupis & Mathildis, inter tres Mathildis filios primus, eligitur anno 936. Rexit Germaniam annis 37. Obiit Memlebii 973. 7. Maji, Magdeburgi in Metropolitana ſua ſepultus.

OTTO II. Filius antecessoris, qua heres, sexennis eligitur, coronatur Aquisgrani 961. patre vivente. Obiit Romæ anno 983. 7. Decembris. Rexit Germaniam a morte patris annos undecim.

OTTO III. Filius antecessoris & Theophaniæ Augustæ. Anno 984. eligitur a patre, heres commendatur proceribus, & Aquisgrani in Natali Domini coronatur a Joanne Ravennatensi legato Apostolico annos natus undecim sub Warino Archiepiscopo Coloniens. tutore dato. Obiit 1003. 23. Januarii in Italia, Aquisgrani sepultus.

MONITIO.

Baronius, Bzovius, Pagius, & quotquot Annales universæ Catholicæ Ecclesiæ scribunt, post annos Pontificum Romanorum, præmiserunt annos Imperatoris, veluti sæcularis capitis Ecclesiæ, ut loquitur *Carolus IV. in bulla aurea*, post vero quam Imperium Romanum in Orientis & Occidentis Imperatores partitum fuit, adscripserunt annos Imperatorum Orientis & Occidentis. Quum subinde Carolus Magnus anno 800. Occidentis Imperator renuntiaretur, non obstante Imperio Nicephori in Oriente; adscripserunt denuo annos utriusque Imperatoris.

Verum, cum nos sola Ecclesiarum Germaniæ Concilia ad annos singulos retulerimus, adscripsimus annos Caroli & Carolingorum, utpote in Germania Imperantium ab anno 800. ad 911. Tertio, postquam anno 835. vel 840. Germania cœpit suum Regem, secretum a Regibus Franciæ occidentalis, habere; hujus Regis annos potissimum supputamus usque ad annum 911. Quo Carolingicus sanguis in Germania defecit, & soli Germani sanguinis Principes usque ad annum 1000, gubernandam patriam, & Ecclesias tutati sunt: scio Baronium, & universæ Ecclesiasticæ scriptores annos Imperatorum post mortem Caroli Crassi anno 888. a pontificibus coronatorum WIDONIS, LAMBERTI, BERENGARII interposuisse; iidem autem nihil in Germania, vel Germanicis Ecclesiis juris habuerunt unquam aut prætenderunt. Hinc eorum anni a nobis prætereuntur.

Principes Germanicos ex morte Arnulfi sive ab anno 899. ad coronationem Ottonis I. Anno 962. vocamus Reges, licet multi & valde antiqui scriptores eosdem Imperatores & Cæsares dixerint, & scripserint.

Series Imperatorum Occidentis.

I. Anno 800. CAROLUS Francorum Rex renuntiatur Romæ die Nativitatis Christi Imperator a Papa Leone Tertio ab omnibus principibus Germaniæ & Italiæ, & toto populo præsente. Anno 814. V. Kal. Februarii moritur.

II. Anno 813. LUDOVICUS PIUS a Patre Carolo Aquisgrani declaratur consors Imperii, & corona aurea Imperiali redimitur. Anno 840. 20. Junii obit.

III. Anno 817. LOTHARIUS Patris voluntate Aquisgrani Imperii consors declaratur, acclamantibus omnibus proceribus. Anno 820. Rex Longobardiæ a Patre renunciatur. Anno 821. in Italiam missus, Romæ die Paschatis anno 823. à Pa-

a Paſchali Papa Imperator proclamatur, & coronatur. Anno 834 impia perduellione patrem Imperio exuere attentat, ſed brevi poſt utcunque reconciliatur. Patre mortuo anno 840. Monarchiam Occidentis attentat, ſed victoria ad Fontanetum coactus, varias partitiones variis annis ab 841. ad annum 857. inivit: contentus demum Italiæ regno, titulo Imperii, & Provincia, & ſubin aliquot laciniis provinciarum fratribus ereptis, obiit anno 855. primo monachi habitu indutus, tumulatus Prumiæ.

III. LUDOVICUS II. Lotharii filius, & hoc nomine ſecundus Imp. Occidentis, a patre Lothario deligitur conſors Imperii anno a 849. coronatus à Papa anno 844. 25. Junii. Patre mortuo 855. contentus fuit titulo Imperii & Italia. Obiit 875. Mediolani ſepultus.

IV. CAROLUS CALVUS, Franciæ Occidentalis Rex, Ludovici Pii Imperat. filius quartus ex Juditha, anno 875. die Nativitatis Domini a Joanne VIII. Pp. coronatur Imperator. Anno 876. Papiæ in Comitiis Rex Longobardiæ agnoſcitur: anno 877. electio ejus in Imperatorem confirmatur in Romano Concilio. Obiit II. Nonas Octobris anno 877.

V. LUDOVICUS III. Caroli Calvi filius: fuit Imperator vix anno uno, nam anno 879. medio moritur.

VI. CAROLUS CRASSUS Ludovici I. Germanici Regis filius tertio genitus ex Hemma. Anno 881. die Epiphaniæ a Joanne VIII. Papa coronatur Imperator. Poſt mortem fratris Ludovici Germaniæ Regis anno 882. advocatur in Germaniam & ab omnibus proceribus Rex eligitur: deponitur a proceribus Imperii anno 887. Novembri menſe, anno 888. ineunte deceſſit.

VII. ARNULFUS filius naturalis Carolomanni Bajoariæ & Italiæ Regis 880. defuncti, in Comitiis Triburienſibus eligitur & advocatur Rex Germaniæ. Anno 896. Romæ a Formoſo Papa coronatur Imp. Obiit anno 899. Ratisbonæ.

VIII. LUDOVICUS IV. Arnulphi Imperat. ex legitima Uxore filius, patre mortuo 899. initio anni 900. Nonis Februarii in Comitiis Forchemenſibus Rex Germaniæ, & hereditario jure, & procerum conſenſu, conſtituitur. Obiit Ratisbonæ 911. cœlebs & ἄπαις X. Kalend. Januarii. Zuenteboldus rebellionem adornat, ſed Idibus Auguſti ad Moſam a Gerardo & Matfrido Comitibus interficitur. *Hic ceſſat in Germania ſtirps Carolingica.*

IX. CONRADUS Dux Franciæ Orientalis, recuſante Ottone Saxone ob ſenium, quem proceres eligere volebant; ejusdem Ottonis hortatu & indicio anno 911. eligitur poſt diem IX. Junii, Rex Franciæ, Bajoariæ, Alemanniæ, Saxoniæ, Friſiæ cisRhenanæ. Anno 918. X. Kal. Januarii obiit, ſepultus Fuldæ.

X. HENRICUS auceps in Comitiis Fritzlarienſibus a proceribus electus anno 919. ante Novembrem, oblatam unctionem recuſat ex modeſtia. Anno 936. 2. Julii Memlebii vitam clauſit.

Ab anno 899. ad 962. nullus Rex Germaniæ a Papa Coronam Imperialem ſuſcepit, ſed RR. Pontifices WIDONEM, LAMBERTUM, BERENGARIUM, Duces Italos, Co-

rona Imperiali donarunt, quos omittimus, quia nullum in Germania dominatum prætenderunt, aut uſurparunt.

XI. OTTO. I. Rex Germaniæ electus anno 936. Henrici aucupis & Mathildis Reginæ filius. Rogatus a Joanne XII. ſuppetias & tuitionem contra Berengarium, hoſtem Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiarum prædonem, in Italiam cum exercitu anno 961. tetendit. Mediolani Coronam ferream regni Longobardici imponi ſibi voluit. Romæ demum anno 962., a Joanne XII. menſe Februario in Vaticano S. Petri templo Corona Imperiali redimitus fuit, quem honorem Pontifici fidelitatem ſpondenti, ampliſſimis & largiſſimis privilegiis remuneratus eſt. Ab eo die Otto Auguſtus annos regni & Imperii in diplomatibus, & Synodicis donationibus diſtinxit, ita ut annus 962. eſſet regni 26. Imperii primus. Obiit anno 973. 7. Maji. Memlebii in Thuringia ad Unſtrutam fluvium regni anno 37. Imperii XI.

XII. OTTO II. Sexennis, a patre Rex Germaniæ deſignatus, & electus a proceribus, coronatur Aquisgrani anno 961. Anno 967. a Joanne XIII. in Natali Domini Imperator coronatur & acclamatur. Hic iterum diſtinxit annos regni & Imperii. Obiit Otto II. anno 983. 7. Decembris, Magdeburgi ſepultus.

XIII. OTTO III. Filius Ottonis ſecundi anno 983. feſto nati Domini, Aquisgrani a Joanne Ravennatenſi Archi-Epiſcopo legato Papæ coronatur Imperator. Vita functus eſt Paterni in Italia anno 1002. 25. Januarii, regni 19.

In his Eckbartum, Hiſtoriæ Franciæ Orientalis ſcriptorem, potiſſimum ſecuti fuimus.



CON-



CONCILIA GERMANIÆ.

SÆCULUM NONUM.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS.

Anno Chriſti DCCCXVII. VI. Idus Julias.
Paſchalis PP. I. Ludovici Pii Auguſti IV.
Indictione X.

ACTIO I. *Regulæ S. Benedicti Inſtauratio, & Explicatio. Uniformis obſervantia per omnia Germaniæ & Franciæ Monaſteria Præcepta.* (a)
Viſitatores & Executores Regulæ in omnibus Monaſteriis inſtituti, imperiali authoritate muniti.

ACTIO II. *In eodem placito Ludovicus Pius filium ſuum primogenitum Lotharium Imperatorem appellari & eſſe voluit.*

TITULI CAPITULORUM. (b)

1. *De Abbatibus, mox ut ad Monaſteria ſua remeaverint, ut regulam diſcutiant, & efficaciter legant, & quod legerint, & intellexerint, cum ſuis obſervent Monachis.*

A

2. *De*

(*a*) Primus hæc Capitula edidit *Pithoeus* in additiouibus ad Capitularia Anſegiſi. Antonius *Yepez* Benedictinus, Chronici Benedictini *Tomo III.* Severin. *Binius* Tomo III. Conciliorum. *Sirmondus* Tomo II. Concilior. Galliæ. *Harduinus* Tomo IV. Conciliorum. *Baluzius* Tom. I. Capitular. p. 579. qui contulit cum quinque Codicibus antiquis MSS. *Hæftenus in Diſquiſitionibus Monaſticis pag.* 1092. denuo edidit, & notis eruditis explanavit: adde Hugonis *Menardi* notas ad Concordiam Regularum. *Mabillonii* in Annalib. Benedictinorum Tomo II. de hac Synodo notæ extant.

Interfuêre Ludovicus Imp. & HLotarius Filius, conſors Imperii adlectus hoc anno: Epiſcopi & nobiliſſimus Eccleſiæ Clerus, teſte *Aimono L. V. de Geſtis Francor. Cap. IX.* Abbates, Benedictus Anianæ primùm, deinde ad Indam. Arnulphus. Joſue S. Vincentii prope Vulturnum, in Provincia Capuana. Apollinarius Flaviniacenſis. Agiulfus Abb. Solemniacenſis. Ando Stabulenſis *Abbates.*

(*b*) Capitula XXC. plerique Codices MSS. repræſentant. Leo Oſtenſis LXII. Capita: quæ diverſitas Librariorum negligentiâ facile intervenit.

2. *De Monachis, ut Regulam S. Benedicti, qui valuerint, memoriter discant.*
3. *De regulari officio, ut juxta præceptum Sancti Benedicti celebretur inter alia.*
4. *Ut tam in coquina, quamque & in cunctis Monasterii officinis, Monachi operentur, & ut ipsi vestimenta sua lavent.*
5. *De Monachis, ut post matutinalem expletionem, nisi ante constitutam surrexerint horam, denuo ad lectos suos non præsumant causa dormiendi redire.*
6. *Ut Monachi, nisi in Sabbato Sancto Paschæ, per totam Quadragesimam non radantur: alio tempore post finitos XV. dies licito radantur, tam in Sabbatis, quam & in octavis Paschæ.*
7. *De balnearum usu.*
8. *De non edendis volatilibus à Monachis intus forisve, nisi infirmitatis causa.*
9. *Ne Episcopi Monachis volatilia comedere præcipiant.*
10. *Ne à Monachis poma, & lactucæ, nisi quando alius cibus sumitur, manducentur.*
11. *De certo tempore phlebotomandi non observando: & ut Monachis tunc ibi cibus, potúsque magìs in supplementum largiatur.*
12. *Ut si necessitas postulaverit, Monachis post vespertinum cibum, ante lectionem completorum potus tribuatur: similiter Quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officium egerint.*
13. *De Monacho à Priore suo increpato.*
14. *Ne nudi coram aliis vapulent Monachi.*
15. *Ne soli in itinere dirigantur Monachi.*
16. *Ne sibi compatres vel commatres Monachi faciant.*
17. *Ne murmurent Monachi tempore legendi, & meridiano occupati ad colligendas fruges.*
18. *De Monachis quarta & sexta feria jejunantibus.*
19. *Ut in quadragesimali tempore Monachi libros accipiant.*
20. *De vestimento Monachis nec satis pretioso, nec satis vili dando.*
21. *De cucullæ mensura.*
22. *De potestate Abbatis, si extra mensuram infra positam aliquid addendum decreverit.*
23. *De pedibus Fratrum vicissim lavandis.*
24. *De Mandato post cœnam faciendo.*
25. *De mensura Monachorum, ut ea Abbates illorum sint contenti.*
26. *De villis Fratrum, ut eas non circumeant Monachi.*
27. *De Abbate, vel quolibet Monacho, ne ad portam Monasterii cum quocunque hospite manducare præsumat.*
28. *Ne servitores Fratrum post refectionem eorum ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.*
29. *De Lectore, ut nihil nisi quod regula decernit, accipiat.*
30. *De* Alleluja *in Septuagesima dimittendo.*
31. *De Præposito, ut majorem, quam cæteri, habeat potestatem.*
32. *De Præposito Monachis non constituendo, nisi & ipse Monachus sit.*
33. *De senioribus Fratribus Monasterium circumeuntibus.*
34. *De novitio Fratre, ut non facilis ei in Monasterium tribuatur ingressus.*
35. *De Monacho, quam professionem faciat.*
36. *De puero, ut Pater & Mater eum ad Altare offerant.*
37. *De infantibus oblatis, ut carnem non comedant.*
38. *De Fratribus post sextam dormientibus.*
39. *De Fratribus, ut usque nonam in Quadragesima operentur.*
40. *De his Fratribus, qui quolibet modo, tamen graviter delinquunt.*
41. *De eo, qui in refectorio negligenter coram Fratribus aliquid excesserit.*
42. *De plebeio non recipiendo in Monasterio, nisi priùs Monachus fieri voluerit.*
43. *Ne Monachus jurando sermonem proferat, nisi sicut Sancti Patres constituerunt loqui.*
44. *De Abbatibus cellulas Monachorum vel Canonicorum habentibus.*
45. *De Schola in Monasterio non habenda, nisi de his, qui oblati fuerint.*
46. *De præcipuis solemnitatibus Sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & bis Monachi edant.*
47. *De jejunio Parasceves.*
48. *De Benedictione post Completorium dicenda.*
49. *De decimis dandis tam Ecclesiæ, quàm pauperibus.*
50. *De specialiter Psalmis pro eleemosynariis & defunctis cantandis.*
51. *De Pentecoste, ut per hebdomadam non flectantur genua, neque jejunetur, nisi dies jejunii exstiterint.*
52. *De Laicis in refectorium Monachorum manducandi vel bibendi causa non ducendis.*
53. *De vestimentis & calciamentis, ut fratribus, quoties expedit, dentur.*
54. *De his, qui præponuntur, ut Nonni vocentur.*

55. De

55. *De seniore Decano.*
56. *De Præposito Decano, & Cellario.*
57. *De libra panis, ut triginta solidos penset, antequam coquatur.*
58. *De dormitorio hospitum.*
59. *De Abbatibus, ut secum Monachos in itinere, nonnisi ad Synodum ducant.*
60. *De duobus signis ad Tertiam, Sextam & Nonam pulsandis.*
61. *De Monachis, ut disconsutas cappas non habeant, nisi tantum villosas.*
62. *De Abbatibus, & Præpositis, atque Decanis, ut Benedictionem Lectoribus tribuant, licet Presbyteri non sint.*
63. *Ut è Fratribus docti eligantur, qui supervenientibus Monachis loquantur.*
64. *De incerto furto, ut oratio, & excommunicatio fiat, quousque qui culpabilis existit, manifestetur.*
65. *De Monacho, qui adversùs alium Monachum testimonium protulerit.*
66. *De Psalmo invitatorio, & Gloria pro defunctis non cantandis.*
67. *De Lectore, ut stans Benedictionem petat.*
68. *De eulogiis in refectorio Fratribus à Presbyteris dandis.*
69. *Quod ad Capitulum Primò Martyrologium legendum sit, & versus postea dicendus, inde Regula.*
70. *De Lectione in Capitulo exponenda.*
71. *De jejunio Fratrum æstivo tempore.*
72. *De eo, qui culpæ noxa tenetur, ut die Dominico remissius habeat.*
73. *De anniversaria die pro defuncto Abbate celebranda.*
74. *De eo, ut ad Missam inclinati* Sanctus *dicant, & ad* Pater noster *genu flectant.*
75. *Non debet aliquis pro munere in Monasterio recipi.*
76. *De mensura cibi ac potus, quæ Monachis separatim debet tribui.*
77. *De Fratrum pinguedine, quam accipere debeant in victu quotidiano.*
78. *In Domini Natali, & festivitate Paschæ Monachis volatilia sumere quatuor diebus concessum est.*
79. *De mussulis Monachis dandis.*
80. *De disciplinæ modo.*

PRÆFATIO.



ANno Incarnationis Domini nostri JEsu Christi DCCCXVII. Imperii verò Gloriosissimi Principis Ludovici IV, VI. Idus Julias, cum in domo Aquisgrani Palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures una cum suis resedissent Monachis, quæ subsequuntur Capitula, communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter à Regularibus conservari decreverunt.

CAPITULA.

I.

UT Abbates, mox ut ad Monasteria sua remeaverint, Regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis suis implere studeant.

II.

Ut Monachi omnes, qui possunt, regulam memoriter discant.

III.

Ut officium, juxta quod in regula Sancti Benedicti continetur, celebrent Monachi.

IV.

Ut in coquina, pistrino, & in cæteris officinis propriis operentur manibus, & vestimenta sua opportuno tempore lavent.

V.

Ut nullo umquam tempore post vigilias causâ dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

VI.

Ut in Quadragesima, nisi in Sabbato Sancto, non radantur, in alio autem tempore, semel per quindecim dies radantur, & in octavis Paschæ.

VII.

Ut balnearum usus in arbitrio Prioris consistat.

VIII.

Ut volatilia intus forísve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

IX.

Ut nullus Episcoporum Monachis volatilia comedere præcipiat.

X.

Ut poma & lactucæ, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur.

XI.

Ut certum phlebotomiæ tempus non observent, sed unicuique, secundùm quod necessitas expostulat, concedatur; & specialis in cibo, & potu tunc consolatio præbeatur.

XII.

Ut si necessitas poposcerit ob operis laborem, post refectionem vespertinam, etiam & in Quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.

XIII.

Ut cum à quocumque Priore suo increpatus quis eorum fuerit, *mea culpa* primò dicat: dehinc prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat, & tunc jubente Priore surgat, & unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat.

XIV.

Ut nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellentur.

XV.

Ut soli sine alio fratre in via non dirigantur.

XVI.

Ut sibi compatres, commatrésve non faciant, neque osculentur feminas.

XVII.

Ut si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi, & meridie pausandi tempus præmittatur, & operantes non murmurent.

XVIII.

Ut quarta & sexta feria jejunantes ante Nonam, & post Nonam, si necessitas fuerit, juxta Prioris arbitrium, levia opera exerceant.

XIX.

Ut in Quadragesima libris de Bibliotheca secundùm Prioris dispositionem acceptis, alios, nisi Prior decreverit expedire, non accipiant.

XX.

Ut eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

XXI.

Ut mensura cucullæ duobus consistat cubitis.

XXII.

Ut si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit Abbas causa necessitatis quidpiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camisas duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unusquisque Monachorum habeat. Quibus verò necesse est, addatur & tertia: & pedules quatuor paria, & femoralia duo paria, roccum unum, pellicia usque ad talos duo: fasciolas duas. Quibus autem necesse est itineris causa, alias duas: Wantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas: calciamenta diurna paria duo: subtulares per noctem in æstate duas, in hieme vero soccos, saponem, & uncturam sufficienter: pinguedinem ad esum excepto sexta feria, & viginti diebus ante Nativitatem Domini, & septimana illa, quæ ante Quadragesimam vocatur Quinquagesima. Ubi autem vinum non est, unde emina detur, duplicem mensuram de cervisia bona. Et quæcumque præter hæc regula jubet, singuli, cum necessitas postulaverit, absque dilatione accipiant.

XXIII.

Ut in Quadragesima, sicut & in alio tempore, vicissim sibi pedes lavent, & Antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna verò Domini pedes fratrum, si valeat, Abbas lavet, & osculetur, & demum propria manu poculum eis porrigat.

XXIV.

Ut mandatum, si tempus cœna est, tam fratrum, quàm peregrinorum post cœnam fiat.

XXV.

Ut ea, quam Monachi sui habent, mensura sint Abbates contenti in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non sint occupati.

XXVI.

XXVI.

Ut villas frequenter, & nisi necessitas coëgerit, non circumeant, neque suis illas Monachis custodiendas committant, & (c) eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio ad sua mox Monasteria redeant.

XXVII.

Ut Abbas, vel quispiam fratrum, ad portam Monasterii cum hospitibus non reficiantur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potúsque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si verò propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibíque augere aliquid, in sua maneat potestate.

XXVIII.

Ut servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis, post refectionem fratrum reficiantur, quibus eadem lectio, quæ fratribus, recitetur.

XXIX.

Ut Lectori nihil nisi, quod Regula jubet, detur.

XXX.

Ut *Alleluja* in septuagesima dimittatur.

XXXI.

Ut Præpositus intra, & extra Monasterium post Abbatem majorem reliquis Abbati subditis habeat potestatem.

XXXII.

Ut Monachis non nisi Monachus constituatur Præpositus.

XXXIII.

Ut de Senioribus Monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in Monasterio propter custodiam remaneant.

XXXIV.

Ut Novitio non facilis in Monasterium tribuatur ingressus, & ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus: res verò, quas habet, Parentibus commendet. Expleto autem probationis suæ anno, secundùm quod Regula præcipit, inde faciet. Ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.

XXXV.

Ut Monachus Professione facta tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

XXXVI.

Ut puerum Pater aut Mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam (d) tempore intelligibili ipse puer confirmet.

XXXVII.

Ut infantes oblati carnem non nisi causa infirmitatis manducent.

XXXVIII.

Ut quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in Ecclesia, aut in lecto suo legat.

XXXIX.

Ut in Quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus Missa celebrata congruo tempore reficiantur.

XL.

Ut domus semota his qui fugere, aut pugnis baculísve inter se voluerint confligere, aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinæ, habeatur hujusmodi, qua in hieme possit ignis accendi, & atrium juxta sit, in quo valeant, quod eis injungitur, operari.

XLI.

Ut si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox à priore veniam petat.

XLII.

Ut nullus plebeius, seu clericus sæcularis, in Monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus.

XLIII.

Ut nemini liceat sermonem juramenti, aut affirmationis proferre, nisi sicut Sancti Patres soliti fuerunt loqui.

XLIV.

(c) si. *Harduinus addit.*

(d) Hæc Regula moderatior est, & nostro Sæculo prorsus tenetur, à Parentum votis pueros oblatos ad Monasteria non teneri, nisi post annos pubertatis ratum habeant votum Parentum. Sed varia fuit hujus à Parentibus factæ oblationis variis Sæculis & locis observatio. *Vide Concilium Moguntinum hoc Tomo anno* 879. & Canonem 22. Concilii Wormatiensis anni 866. Vide Tomi I. pag. 34. Capitulare Gregorii II. ad Bonifacium, Can. VII. Ejusdem nostri Tom. I. pag. 546. Can. XX.

XLIV.

Ut Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut Monachi ſint, aut Canonici: & Abbas provideat, ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quam ſex.

XLV.

Ut Schola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum, qui oblati ſunt.

XLVI.

Ut in præcipuis Solemnitatibus, id eſt, in Natale, & in Octavis Domini, in Epiphania, in Paſcha quoque, & Aſcenſione Domini, in Pentecoſte, & in Sanctorum Feſtivitatibus, id eſt, Sancti Stephani, & Beati Joannis Evangeliſtæ, & in Natale Infantium, in Purificatione, & Aſſumptione Sanctæ Mariæ, ſimiliter & in Beatorum Apoſtolorum Feſtis, & in Sancti Joannis Baptiſtæ Nativitate, Sancti quoque Laurentii, atque Martini, ſeu in natalitiis cujuslibet Sancti, cujus honor in qualicumque Parochia ſpecialiter celebratur, plenarium officium agatur, & bis reficiatur.

XLVII.

Ut in Paraſceve non aliud, niſi panis & aqua ſumatur.

XLVIII.

Ut Benedictio poſt Completorium à Sacerdote dicatur.

XLIX.

Ut de omnibus in eleemoſynam datis, tam Eccleſiæ quam fratribus, decimæ pauperibus dentur.

L.

Ut prætermiſſis partitionibus Pſalterii, Pſalmi ſpeciales pro eleemoſynariis & defunctis cantentur.

LI.

Ut in hebdomada Pentecoſtes non flectantur genua, & non jejunetur, niſi ſtatuti fuerint dies jejunii.

LII.

Ut Laicus cauſa manducandi ac bibendi in refectorium non ducatur.

LIII.

Ut quoties expoſcit neceſſitas, veſtimenta & calciamenta, & omnia neceſſaria fratribus dentur.

LIV.

Ut qui præponuntur, Nonni vocentur.

LV.

Ut ſenior Decanus reliquis Decanis præponatur, & Abbate vel Præpoſito præſente locum proprium teneat.

LVI.

Ut Præpoſitus, Decanus, Cellarius, (e) de eorum miniſterio, niſi cauſa utilitatis aut neceſſitatis, non removeantur.

LVII.

Ut libra panis triginta ſolidis per duodecim denarios metiatur.

LVIII.

Ut dormitorium juxta oratorium conſtituatur, ubi ſupervenientes Monachi dormiant.

LIX.

Ut Abbates monachos ſecum in itinere, niſi ad generalem Synodum, non ducant.

LX.

Ut duo tantum ſigna ad Tertiam, Sextam, Nonámque pulſentur.

LXI.

Ut Monachi cappas diſconſultas præter villoſas non habeant.

LXII.

Ut Abbas, Præpoſitus vel Decanus, quamvis Presbyteri non ſint, lectoribus benedictionem tribuant.

LXIII.

Ut docti fratres eligantur, qui cum ſupervenientibus Monachis loquantur.

LXIV.

Ut de furto incerto oratio, & excommunicatio à corpore & ſanguine Chriſti fiat, quouſque culpabilis confiteatur.

LXV.

Ut ſi frater adversùs fratrem pro qualibet culpa teſtimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.

LXVI.

Ut Pſalmus invitatorius, & *Gloria* pro defunctis non cantetur.

LXVII.

Ut Lector ſtando Benedictionem poſtulet.

LXVIII.

Ut eulogiæ fratribus à Presbyteris in refectorio dentur.

LXIX.

(e) Cellararius *Harduinus*.

LXIX.

Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur versus: deinde Regula, aut homilia quælibet legatur; deinde: *Tu autem Domine* dicatur.

LXX.

Ut ad Capitulum lectio tradatur, similiter ad conlationem, si tempus fuerit opportunum.

LXXI.

Ut quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant.

LXXII.

Ut is, qui noxæ culpa tenetur, die Dominico remissius habeat, & veniam non petat.

LXXIII.

Ut pro Abbate defuncto anniversarium fiat officium.

LXXIV.

Ut ad Missam *Sanctus* stantes, & *Pater noster* genu flectentes dicant.

LXXV.

Ut nullus pro munere recipiatur in Monasterio, nisi quem bona voluntas, & merita commendant.

LXXVI.

Ut unicuique fratri in cibo & in potu sua mensura separatim detur, & de ipsa mensura sibi data alicui nihil tribuat.

LXXVII.

Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepto sexta feria, & diebus octo ante Natale Domini; & à Quinquagesima usque ad Pascha.

LXXVIII.

Ut volatilia in Natale Domini, & in Pascha, tantum quatuor diebus, si est unde, comedant; si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem Abbas & Monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.

LXXIX.

Ut mussulæ vervecinæ Monachis dentur.

XXC.

In doctrina sua Abbas Apostolicam debet illam semper formulam servare, in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa.* Id est, indisciplinatos & inquietos debet arguere; obedientes, & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare. Negligentes & contemnentes ut increpet, & corripiat admonemus, neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut cœperint oriri, radicitus, ut ea prævalet, amputet, memor periculi Eli Sacerdotis de Silo. Improbos autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: *Stultus verbis non corrigitur,* & iterum: *Percute* (f) *filium tuum virga, & liberabis animam ejus à morte.* In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur à quoquam. Nullus in Monasterio proprii cordis sequatur voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterve intra monasterium, aut foris contendere. Quodsi præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Si quis frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, verberum vindictæ in eum procedant. Similiter & qui præsumpserit claustra Monasterii egredi, vel quocunque ire, vel quidpiam quamvis parum sine jussione Abbatis facere, vindictæ regulari subjaceat. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.

Baluz. loc. citato.

(f) Proverbiorum XXIII.

Synodus publica congregata ad Frisinga,

SUB HITTONE EPISCOPO FRISINGENSI SEXTO.

Anno Christi DCCCXVII. Paschalis Papæ I. Ludovici Pii IV.

ACTIO. Donationem suæ hæreditatis in Adalhelmeshusir, factam à Reginharto Diacono, acceptat Episcopus in publica Synodo.

NOtum est cunctis in Episcopio Sanctæ Mariæ conversantibus, qualiter vir Venerabilis Hitto Episcopus, in beneficium præstabit Reginharto Diacono

cono rebus propriis Sanctæ Mariæ semper Virginis in loco Echinaha, quas Oadalpald Presbyter jam olim domui Sanctæ Mariæ traditum, & firmiter condonatum habuit; nunc autem convenientiam inter se fecerunt jam dictus Oadalpald Presbyter, & Reginhart Diaconus, ut ipse Reginhart propriam hæreditatem suam, quam habet in loco nuncupato (a) Adalhelmeshusir, domui Sanctæ Mariæ tradidisset. Hoc condictum inter se congregatis parentibus & propinquis pervenerunt ad Pium Pontificem Hittonem *in publico Synodo* congregato ad Frigisinga, ibique coram cunctis in S. Synodo congregatis ipse Reginhart Diaconus accessit ad altare S. Mariæ, & tradidit, quicquid jam dicto loco Adalhelmeshusir propriæ hæreditatis legibus habere videbatur, eo modo, ut post obitum illius nullus potestatem habeat, ullo modo domui S. Mariæ contradicere. Accepta traditione ab Episcopo Hittone statim in beneficium concessit ambas res Reginharto Diacono, eo modo si se ipse Reginhart contra domum S. Mariæ fideliter custodiisset, & omni anno ad censum sex denarios inde persolvisset. Hi sunt testes per aures tracti: Swarzolh, Heriperht, Ampricho, Toto, Sigur, Willihelm, Luitprant, Adalger, Putilo, Hartmoat, Wichart, Wigant, Wicco, Emicho, Sigideo, Tato, Ellanheri, Suto, Meginrat, Lantrih, Huno, Deotrih, Reginperht. Actum est, die Consule, quod facit XII. Kalendas Novembris, anno Gloriosi Imperatoris Hludowici IV. Indictione XI. Ego Tagibertus indignus Presbyter scripsi jussione Hittonis Episcopi.

EJUSDEM SYNODI ACTIO II.

Similis acceptatio HITTONIS Episcopi.

NOtum est cunctis in Episcopio Sanctæ Mariæ conversantibus qualiter Sindperht Presbyter tradidit propriam hæreditatem suam in loco (b) Hohinreini ad Domum Sanctæ Mariæ semper Virginis, seu ad Corpus Beati Corbiniani Confessoris Christi, hoc est, Ecclesiam cum domo, vel quicquid, ad ipsam Ecclesiam Legibus pertinere videbatur, ipséque jam dictus Sindperht Presbyter eo modo hanc traditionem peregit. Surrexit in publico Synodo ad Frigisinga congregato in præsentia Viri Venerabilis Hittonis Episcopi, pariterque in præsentia cunctorum, qui in eodem Concilio congregatim esse videbantur; & tradidit, quicquid justè & legitimè in jam dicto loco Hohinreini propriæ hæreditatis vel adquisitionis habuit; nihil enim ex cunctis prætermisit, sed totum ex integro Domui Sanctæ Mariæ tradidit, & firmiter condonavit. Hæc sunt testes per aures tracti; Swarzolh, Heriperht, Ampricho, Toto, Sigur, Willihelm, Luitprant, Adalker, Putilo, Hartmoat, Wichart, Wigant, Wicco, Sigideo, Tato, Ellanheri. Actum est hoc in XII. Kal. Novembris, anno Gloriosi Imperatoris Hludowici IV. Indictione X. (c) Ego quidem Tagibertus indignus Presbyter hanc traditionem scripsi jussione Episcopi.

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Libro I. Parte II. Instrumento CCCLIV. pag. 187. & CCCLX. pag. 190.

(a) Adalhelmeshusir. Almanshausen, Wolfratshusiani districtûs.

(b) Hohinreine. *Fortè* Hehenrein, aut vicus Wolfratshusiani, aut arx Hiblingensis districtûs.

(c) Anno 817. currebat Indictio X. usque ad Septembrem: licet nonnulli minus accuratè ea utantur usque ad Decembrem: cæterum post Septembrem anni 817. Stilo Romano Indictio XI. currebat, quam & charta præcedens adnotavit.

SYNO-

SYNODUS IN FRIGISINGA
SUB HITTONE EPISCOPO.
Anno Christi DCCCXVIII. Paschalis Papæ II. Ludovici Imperat. V.

Traditiones variorum factas Ecclesiæ Frisingensi acceptat Episcopus in Synodo coram testibus.

FUlciti Divinâ videlicet compunctione instincti quidam laici nobili homines nomine Cotescalch, & frater ejus Deotpald ceperunt cogitare, quomodo apud pium Dominum delictorum suorum indulgentiam adipiscere, & tramitem rectum ad regna cœlorum intrandi mereantur. Ob hoc venerunt ad Frigisingas, ubi Domnus pretiosus *Corbinianus* in corpore requiescit, vel ibidem præest Venerabilis *Hitto* Episcopus cum norma plurima Monachorum ad Laudes Christi canendas, & tradiderunt ad Domum Beatæ, & inviolabilis Mariæ, & pro remedium animarum suarum in loco nominato Mezinga, quicquid ibidem jure dominationis habere noscuntur, quod contra fratrem suum sibi propriæ alodis usurparent; hoc ipsud cum omni integritate seu stabilitate ad præfatam domum deligaverunt, nec non perpetualiter firmaverunt, ut deinceps prædictus Episcopus, quicquid placuisset, & potestatem haberet exhibendi; Hoc actum coram publico Synodo sub die consule, quod est in VIII. Idus Novembris, Indict. XI. anno Clarissimi, atque Piissimi Hludowici Augusti Principatum tenentis IV. Testibus illis: Luitpald Comes, Hato, Drudolt, Isker, Heriperht, Walgo, Eparheri, Rihpald, Tuato, Ampricho, Engilrih, Meginhart, Irminperht, Ellant.

Eodem quoque die Toato, & fratres sui Rihheri, & Aserch eorum adquisitionem contra placitabant, quam habuerunt pro Ecclesia in loco nominato Tân, in honore Sancti Pancratii dedicata ad Hittonem Episcopum, & semetipsos, & successores eorum adscitos fecerunt coram multis, & coram ipsis suprascriptis testibus hoc firmiter confirmaverunt.

Sacrum & memorabile Concilium Divino nutu in Frigisense congregatum tam Presbyterorum vel cunctorum scilicet Ecclesiasticorum sub ditione Hittonis Episcopi commorantium, præveniente, & subsequente Christi gratiâ tractare, atque instituere, quæ Deo placita sunt, & hominibus salubria. Contigit namque, Otkerum Presbyterum ibi interfuisse, tunc tamen surrexit sonando, & suggerendo omnibus ab hoc Synodo venientibus, qualiter suam hæreditatem, vel adquisitionem temporibus Tassiloni Ducis ad domum Beatæ & inviolabilis Mariæ tradidit, atque donavit, & coram his memoratis renovavit, nec non obnixe rursum tradidit, seu firmavit ad præfatam domum, ut nulla depravatio, aut fraudatio exinde non evenisset, postquam ipse, & frater ejus Willipald vitam finiissent, sed tamen præfatam alodem jacentem prope fluvio semita in loco, qui dicitur Hohinprugka cum omnibus ibidem commorantibus post obitum suum firmiter ad potestatem Beatæ Mariæ, & illorum, qui præessent illo domo, funditus haberent. Actum est hoc in præsentia, quorum nomina hic inseruntur: (a) Meginhart Abbas, (b) Sigimot, (c) Warmunt Abbas, Johann Archi-Presbyter, Heriperht Archi-Presbyter, Seacco Presbyter, Reginperht Presbyter, Altman, Hunolt Presbyter, Isaac, Ekkihart, Reginolf, & alii Presbyteri innumerabiles, testes: Heriperht Comes, Rumolt, Kaganhart, Sigideo, Emicho, Regino, Diudolf, Lanfrit, Wichart, Emicho, Asolt, Hericco. Anno Gloriosissimi Hludowici IV. & in Bajowaria, Hlodhario filio suo regnante anno II. Indictione XI.

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Lib. I. Part. II. Instrum. CCCLXV. CCCLXVII. pag. 192. 193.

B CON.

(a) Meginhart Abbas Tegernseensis. (b) Sigimot Abbas Mospurgensis.
(c) Warmunt Abbas Schlierseensis.

CONCILIUM AQUISGRANENSE.

Anno Christi DCCCXVIII. Paschalis Papæ II. Ludovici Imp. V.

ACTIO. Punitio decreta varia Rebellium anno superiore contra Ludovicum Imperatorem, Bernharti Regis Italiæ, Eggidei & Reginharti complicum, Episcoporum Anselmi Mediolanensis, Wolfoldi Cremonensis, Theodolphi Aurelianensis, (a) Depositorum & Monasterio mancipatorum.

DEtectâ fraude, & conjuratione patefactâ, ac seditiosis omnibus in potestatem suam Imperialem redactis, Imperator Aquisgranum (*b*) revertitur, transactóque quadragesimali jejunio, paucis post Pascha diebus conjurationis authores, qui superiùs nuncupati sunt, & Bernhartum Regem, Judicio Francorum capitali sententiâ condemnatos, luminibus tantum jussit orbari: Episcopos *Synodali* Decreto depositos Monasteriis mancipari; cæteros, prout quisque nocentior, vel innocentior apparebat, vel exilio præsenti, vel detondi, atque in Monasteriis conversari (jussit.)

(*a*) Theodulfus Aurelianensis in suis Carminibus non semel protestatur se insontem, nec potuisse ab Episcopis judicari, sed à solo Summo Pontifice, à quo Pallium accepisset. *Labbé pag.* 1866.

(*b*) *Author vitæ Ludovici Pii apud Pithoeum & Duchesne Tomo II. Scriptor. Franc.*
Annales Newenariani & Reuberiani & Bertiniani ad h. a.
Eginhardus in Chronico ad annum 817. 118.
Adelmus Benedictinus, & Strabo Fuldensis sed ad annum 819.

CONCILIUM ULMÆ.

Anno Christi DCCCXVIII. Paschalis Papæ II. Ludovici Pii V.

ACTIO. Monachis Sancti Galli confirmatur facultas eligendi Abbatis & Immunitates quædam contra Wolfoleon Constantiensem Episcopum.

TAnta causa necessitatis Hludovicum piissimum Imperatorem Fratres de Monasterio S. Galli adierunt, ejúsque Clementiam suæ miseriæ solamen esse poscebant. Episcopus quoque eodem tempore præsens aderat, *Coepiscoporum confisus solatio*, aliorúmque familiarium Regis, quos omnes suæ partis sciebat esse adminiculatores, Monachorúmque adversarios. Maximam tamen suæ pertinaciæ fiduciam habuit in quadam carta, quæ diabolicis machinationibus à quodam diaboli ministro conscripta, non solum idem Monasterium, sed & alia loca non pauca falsissimè cavebat ad Episcopi partes, quasi hæreditario jure pertinere. Monachi vero econtra nullam eo tempore suæ securitatis cartam habuerunt, una ut prædiximus concremata, alia vero, sicut etiam præfati sumus, quam suscipere ob aliquam causam Monachi noluerunt, ab Episcopo detenta.

Cùm vero altercatio inter Episcopum & Monachum orirètur coram Principe; Episcopus petiit, ut sua carta coram Imperatore legeretur, & secundùm eam res dijudicarentur. Ipsam autem, quam suprà memoravimus, mendis plenissimam præferre cogitavit: sed Divina pietas suis, quibus humana deerant solatia, superna dignata est, intercedente S. Gallo, conferre subsidia.

Denique Episcopus, cum de manibus proprii ministri suæ voluntatis se putaret accipere cartam, imo (ad) S. Galli famulos destruendos invidiosam deci-

decipulam; non eam, quam voluit, ſed proficuo nobis errore aliam cartam Imperatori, cunctiſque Principibus, cauſæ penitus ignarus coram deſignavit, quam ab Imperatore Carolo *ſub Johanne Epiſcopo* nobis factam, ſed à noſtris anteceſſoribus ob alicujus infandæ additionis maculam non receptam, ſupra memoravimus, quam cùm piiſſimus Imperator ſuſcepiſſet, ſigillúmque ſui Patris recognoſcendo intuitus eſſet, venerando deoſculatus eſt, circumque aſtantibus ſimiliter honoris cauſa deoſculandum contradidit: deinde traditur carta legenda. Cùm vero audiſſet Epiſcopus, contra ſuum decretum cartæ procedere textum, protinus recuſavit, iſtam aſſerens perverſam, aliámque cupiens ſuæ perverſitatis in præſentiam afferre ſcripturam. Quod benivolus Imperator non conſenſit, ſed tantæ auctoritatis firmitatem Monachis reſtituendo contradidit, ut liberi ad ſua redeundi poteſtatem deinceps eligendi ſibi Abbates haberent, nullámque poteſtatem Epiſcopi abſque Magiſterii cauſa ſpiritalis ſuper eos deinceps haberent: excepto quodam cenſu, quem de Monaſterio ad Epiſcopatum perſolvi debere ſingulis annis, hoc eſt, unum equum, & unam unciam auri ſupra memorata adulterata à *Joanne* carta aſſerebat. Inſuper etiam præfatus Princeps ad augmentum ſecuritatis eorum cartam emunitatis ſua auctoritate illis contradidit.

Ratpertus de caſibus Monaſterii S. Galli Cap. VI. Goldaſtus rerum Alemannicarum Tomo I. Parte I. pag. 5.

Wolfoleon fuit Epiſcopus Conſtantienſis annis XVIII. ab anno nimirum DCCCXV. ad DCCCXXXII. fuerat ante Monachus S. Galli; ſed ingratus, poſt obtentam mitram S. Galli Abbatiam ſuæ Cathedræ incorporare ardebat, juſſus quieſcere ab iniquo poſtulato Imperio Ludovici Pii Auguſti, circa annum DCCCXVII. *Pregizerus in Suevia & Wirtenbergia Sacra* Coepiſcoporum auditis ſententiis & Auguſti edicto circa 1717. editis poſt *Stumphium Chronologia Helvetiæ Lib. IX. Cap. 31.*

CONVENTUS PUBLICUS AQUISGRANI.

Anno Chriſti DCCCXIX. Ludovici Pii VI. Paſchalis Papæ III. poſt Natale Domini.

ACTIO I. Auditio & Confirmatio Miſſorum Domini coram, id eſt; Epiſcoporum & Comitum Miſſorum (a) *per omnes Germaniæ & Franciæ Comitatûs.*

ACTIO II. Capitula nova 29. ad Legationem Miſſorum Regiorum memoriæ cauſa pertinentia, de quibus videlicet cauſis agere debeant. (b)

ACTIO III. Epiſtola Hetti Treverenſis Archi-Epiſcopi, ad Frothariumum Tullenſem Epiſcopum, de obſervantia Capitulorum Regiorum pro Eccleſia & Regno.

Hieme anni DCCCXIX. Imperator Ludovicus in Palatio Aquiſgrani Conventum publicum populi ſui celebravit, & renuntiantes ſibi Miſſos de omni ſuo regno, quos pro ſtatu Sanctæ Eccleſiæ reſtaurando dejecto vel confirmando ſtante miſerat, audivit, & quidquid utile judicavit, ſancta impellente devotione ſuperaddidit, nihílque intactum reliquit, quidquid ad honorem Sanctæ Dei Eccleſiæ proficere poſſe viſum fuit.

Interea quædam Capita legibus superaddidit, in quibus causæ forenses claudicare videbantur, quæ hactenus veluti pernecessaria servantur.

Author vitæ Ludovici Pii.

In Conventu Aquisgranensi anni hujus multa de statu Ecclesiarum & Monasteriorum tractata atque ordinata sunt.

Annal. Francor. Newenariani & Reuberiani.

(*a*) Missi à Ludovico Pio per Episcopatus & Comitatus Regni sui Germanici, hi leguntur *Lib.* II. *Capitularium* Ansegisi, apud Baluzium Tomo I. pag. 743. Cap. XXV.

Missi Regii in Germania.

In *Vesontio*, quæ est Diœcesis Bernoini Archi-Episcopi, Hæiminus Episcopus, & Monogoldus Comes.

In *Mogontia*, quæ est Diœcesis Heistulphi Archi-Episcopi, idem Heistulphus Episcopus, & Rhuotbertus Comes.

In *Treviris* Hetti Archi-Episcopus, & Adalbertus Comes.

In *Colonia* Hadaboldus Archi-Episcopus, & Etmundus Comes.

(*b*) Capitula quinque ad hunc annum scripta refert Baluz. Lib. I. *Capitular.* pag. 597. & seqq. quatuor prima utpote potissimam partem ad forum civile spectantia prætermittimus. Solum quintum inserimus.

CAPITULA DE INSTRUCTIONE MISSORUM. (*)

INCIPIUNT.

1. *De Legatione omnium Missorum Dominicorum.*
2. *De illis libertatibus, & rebus reddendis, quæ in Dominica Vestitura sunt, qualiter inquirantur.*
3. *De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.*
4. *De injustis consuetudinibus noviter institutis.*
5. *De honore Ecclesiarum.*
6. *De nonis & decimis.*
7. *De locis dandis ad claustra Canonicorum facienda.*
8. *De observatione Præceptorum Dominicorum.*
9. *De his, qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt.*
10. *De locis jam dudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis.*
11. *De Beneficiis Dominicis destructis.*
12. *De falsa moneta, & de aliis diversis causis prohibendis.*
13. *De Missorum Dominicorum observatione.*
14. *De placitis à liberis hominibus observandis.*
15. *De debitis ad opus dominicum reuvadiato.*
16. *De his, qui ad Palatium vel in hostem pergunt, & inde redeunt.*
17. *De pontibus publicis.*
18. *De Clericis, Monachis, & servis fugitivis.*
19. *De Advocatis Episcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatissarum.*
20. *De Vicariis vel Centenariis, si latrones celaverint.*
21. *De Comitibus & Vicariis admonendis de constitutione legis.*
22. *De forestibus dominicis.*
23. *De Missis dominicis, & de his, qui justitiam facere renuunt.*
24. *De Missis dominicis, ubi diutiùs non debeant immorari.*
25. *De Missis dominicis, & de Comite in aliquod Missaticam directo.*
26. *De Missis dominicis, qualiter conjectum accipere debeant.*
27. *De Vassis Dominicis, & Episcoporum, vel reliquorum, qui in hoste non fuerunt.*
28. *De Episcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito Missorum dominicorum.*
29. *De dispensa Missorum dominicorum.*

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De Legatione omnium Missorum dominicorum.

I. (*a*) Legatio omnium Missorum nostrorum hæc est: primò, ut sicut jam aliis Missis injunctum fuit, justitiam faciant de rebus & libertatibus injustè ablatis, & si Episcopus, aut Abbas, aut Vicarius, aut Advocatus, aut quislibet de

(*) *Baluz. Tomo I. Capitularium à pag.* 613. ex tribus Codicibus MSS, uno Bibliothecæ Regiæ, altero Bigotianæ, tertio Remensis S. Remigii.

(*a*) Capitularium Ansegisi Libro IV, 44.

de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur. Si vero vel Comes, vel Actor dominicus, vel alter Missus Palatii nostri hoc perpetraverit, & in nostram potestatem redegerit, res diligenter investigata & descripta, ad nostrum judicium reservetur.

De illis libertatibus & rebus reddendis, quæ in dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur.

II. (*b*) Volumus autem, ut de his libertatibus & rebus reddendis, quæ in nostra vestitura sunt, primò per optimos quosque inquiratur. Et si per illos inveniri non possit, tunc per eos, qui post illos in illa vicinia meliores sunt. Et si nec per illos rei veritas inveniri potest, tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere. Et si discordaverint, secundùm institutionem, à nobis promulgatam examinentur.

De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.

III. (*c*) De pauperibus, viduis, & pupillis injustè oppressis, ut adjuventur, & releventur.

De injustis consuetudinibus noviter institutis.

IV. (*d*) De injustis occasionibus, & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa, & telonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde juste census exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obstaculum est, ut auferantur. Antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur.

De honore Ecclesiarum.

V. (*e*) De honore Ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper à nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est. Et ut hoc Missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant.

De nonis, & decimis.

VI. (*f*) De nonis & decimis, ut secundùm jussionem nostram dentur.

De locis dandis ad claustra Canonicorum facienda.

VII. (*g*) De locis dandis ad claustra Canonicorum facienda, si terra de ejusdem Ecclesiæ rebus fuerit, reddatur ibi. Si de alterius Ecclesiæ vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de Fisco nostro fuerit, nostra libertate concedatur.

De observatione Præceptorum dominicorum.

VIII. (*h*) De observatione Præceptorum nostrorum & immunitatum, ut ita observentur, sicut à nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est.

De his, qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt.

IX. (*i*) De his, qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt, ut hoc observetur, quod à nobis constitutum est.

De locis jam dudum sacris & nunc spurcitia fœdatis.

X. (*k*) De locis jam dudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis, ut juxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

De Beneficiis dominicis destructis.

XI. (*l*) De beneficiis nostris, quæ destructa inveniuntur, hoc impleatur, quod nuper à nobis constitutum est.

De falsa moneta, & de aliis diversis causis prohibendis.

XII. (*m*) De nova moneta, & de falsa moneta, & de dispectu literarum nostrarum, & de latronibus coërcendis, vel puniendis, & de faidis pacandis, de homicidiis prohibendis, de perjuriis & falsis testibus compescendis, de his omnibus, vel cæteris his similibus hoc, quod modo constituimus, omnibus adnuntietur, & in futurum observetur.

De Missorum dominicorum observatione.

XIII. (*n*) Hoc volumus, ut Missi nostri observent, ut quidquid de his causis vel simul, vel singillatim emendare potuerint, emendent; & ea, quæ emendaverint, diligenter scriptis notent. Et hoc si peragere curent, quatenus justè reprehendi à quopiam nullatenus possint. Et quæ facere debent, aut possunt, nullatenus prætermittant; immo caveant, ne, quod absit, aut gratia alicujus,

(*b*) Capitularium Ansegisi Libro IV, 45.
(*c*) Ibid. 46.
(*d*) Ibid. 47.
(*e*) Ibid. 48.
(*f*) Ibid. 49.
(*g*) Ibid. 50.
(*h*) Ibid. 51.
(*i*) Ibid. 52.
(*k*) Ibid. 53.
(*l*) Ibid. 54.
(*m*) Ibid. 55.
(*n*) Ibid. 56.

cujus, aut honoris, aut timoris, ſive odii cauſa illud, quod agere debent, omittant. Et ſummopere ſtudeant, ut hoc, quod per ſe efficere non poſſunt, nobis notum faciant. Et omnimodis prævideant, ut per ſingula Capitula tam verbis, quàm ſcriptis, de omnibus, quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant.

De placitis à liberis hominibus obſervandis.

XIV. (*o*) De placitis, ſi quidem quos liberi homines obſervare debent conſtitutio genitoris noſtri penitus obſervanda, atque tenenda eſt, ut videlicet in anno tria ſolummodò generalia placita obſervent, & nullus eos amplius placita obſervare compellat, niſi forte quilibet, aut accuſatus fuerit, aut alium accuſaverit, aut ad teſtimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cætera vero, quæ centenarii tenent, non alius venire jubeatur, niſi, qui aut litigat, aut judicat, aut teſtificatur.

De debito ad opus dominicum reuvadiato.

XV. (*p*) Ut de debito, quod ad opus noſtrum fuerit reuvadiatum, talis conſideratio fiat, ut is, qui ignoranter peccavit, non totum ſecundùm legem componere cogatur, ſed juxta quod poſſibile viſum fuerit. Is verò, qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compoſitionem cogatur exſolvere.

De his, qui ad Palatium, vel in hoſtem pergunt, vel inde redeunt.

XVI. (*q*) Ut nullus ad Palatium, vel in hoſtem pergens, vel de Palatio, vel de hoſte rediens, tributum, quod traſturas vocant, ſolvere cogatur.

De pontibus publicis.

XVII. (*r*) Ut pontes publici, qui per bannum fieri ſolebant, anno præſente in omni loco reſtaurentur.

De Clericis, Monachis, & Servis fugitivis.

XVIII. (*s*) Ut Clerici, Monachi, & ſervi fugitivi ad ſua loca redire cogantur.

De Advocatis Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatiſſarum.

XIX. (*t*) Ut nullus Epiſcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatiſſa Centenarium Comitis Advocatum habeat.

De Vicariis vel Centenariis, ſi latrones celaverint.

XX. (*u*) Ut Vicarii vel Centenarii, qui fures & latrones vel celaverint, vel defenderint, ſecundùm ſibi datam ſententiam dijudicentur.

De Comitibus & Vicariis admonendis de conſtitutione legis.

XXI. (*w*) Ut Comites, & Vicarii, & Centenarii de conſtitutione legis admoneantur, qua jubetur, ut propter juſtitiam pervertendam munera non accipiant.

De foreſtibus dominicis.

XXII. (*x*) De foreſtibus noſtris, ut ubicunque fuerint diligentiſſimè inquirant, quomodo ſalvæ ſint & defenſæ, & ut Comitibus denuntient, ne ullam foreſtem noviter inſtituant; & ubi noviter inſtitutas, ſine noſtra juſſione invenerint, dimittere præcipiant.

De Miſſis dominicis, & de his, qui juſtitiam facere renuunt.

XXIII. (*y*) Ut ubicunque ipſi Miſſi, aut Epiſcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit, vel prohibuit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eo loco juſtitias facere debent.

De Miſſis dominicis, ubi diutius non debeant immorari.

XXIV. (*z*) Ut in illius Comitis miniſterio, qui bene juſtitias factas habet, iidem miſſi diutius non morentur, neque illuc multitudinem convenire faciant, ſed ibi moras faciant, ubi juſtitia vel minus, vel negligenter facta eſt.

De Miſſis dominicis, & de Comite in aliquod Miſſaticum directo.

XXV. (*a*) Ut in illius Comitis miniſterio iidem Miſſi noſtri placitum non teneant,

(*o*) Capitularium Anſegiſi Libro IV, 57.
(*p*) Ibid. 58.
(*q*) Ibid. 59.
(*r*) Ibid. 60.
(*s*) Ibid. 61.
(*t*) Ibid. 62.
(*u*) Ibid. 63.
(*w*) Ibid. 64.
(*x*) Ibid. 65.
[*y*] Ibid. 66.
[*z*] Ibid. 67.
[*a*] Ibid. 68.

teneant, qui in aliquod Miſſaticum directus eſt: donec ipſe reverſus fuerit, ut cauſa, quæ adhuc coram Comite non fuit, & is, qui ſe reclamat propter ſuam ſtultitiam, aut contumaciam comitem inde appellare noluit, iterum comiti commendetur.

De Miſſis dominicis, qualiter conjectum accipere debeant.

XXVI. (*b*) Ut Miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi, vel Abbates, vel Comites ſunt, quamdiu prope ſuum beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant. Poſtquam verò inde longè receſſerint, tunc accipiant ſecundùm quod in ſua tractoria continetur. Vaſſi verò noſtri & miniſteriales, qui miſſi ſunt, ubicunque venerint, conjectum accipiant.

De Vaſſis dominicis, & Epiſcoporum vel reliquorum, qui in hoſte non fuerunt.

XXVII. (*c*) Ut Vaſſi noſtri, & Vaſſi Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & Comitum, qui anno præſente in hoſte non fuerunt, heribannum reuvadient, exceptis his, qui propter neceſſarias cauſas & à Domino ac Genitore noſtro Carolo conſtitutas domi dimiſſi fuerunt, id eſt, qui à Comite propter pacem conſervandam, & propter conjugem ac domum ejus cuſtodiendam, & ab Epiſcopo, vel Abbate, vel Abbatiſſa ſimiliter propter pacem conſervandam, & propter fruges colligendas, & familiam conſtringendam, & Miſſos recipiendos dimiſſi fuerunt.

De Epiſcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito Miſſorum dominicorum.

XXVIII. (*d*) Ut omnis Epiſcopus, Abbas, & Comes excepta infirmitate, vel noſtra juſſione nullam excuſationem habeant, quin ad placitum Miſſorum noſtrorum veniat, aut talem Vicarium ſuum mittat, qui in omni cauſa pro illo reddere rationem poſſit.

De diſpenſa Miſſorum dominicorum.

XXIX. (*e*) De diſpenſa Miſſorum noſtrorum, qualiter unicuique juxta ſuam qualitatem dandum vel accipiendum ſit, videlicet Epiſcopo panes quadraginta, friſcingæ tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii quatuor. Abbati, Comiti, atque miniſteriali noſtro unicuique dentur cotidie panes triginta, friſcingæ duæ, de potu modii duo, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii tres. Vaſſallo noſtro panes decem & ſeptem, friſcinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modii duo.

(*b*) Capitularium Anſegiſi Libro IV, 69.
(*c*) Ibid. 70. (*d*) Ibid. 71.
(*e*) Ibid. 73.

EPISTOLA
HETTI (a) ARCHIEPISCOPI.

Hetti gratia Dei Archi-Epiſcopus Venerabili in Chriſto, & cum ſumma reverentia nominando Frothario Epiſcopo Tullenſi ſaluberrimam implorat in Domino Salutem.

MEminiſſe volumus ſagacitatem veſtram, monitionis, quam inſtanti anno ſimillimis opicibus ſuſcepiſtis expreſſam. Non neſcitis enim, cum qua cautela hoc mandatum (*b*) ſuſcepimus, Domni Imperatoris, nos in Diœceſi noſtra,

(*a*) Hetti Archi-Epiſcopus Treverenſis electus fuit anno 814. intervenit Conciliis Aquisgranenſi anno 819. Theodonis Villano 821. Moguntino 834. Obiit anno 847. *Illmus Hontbemius Tomo I. Hiſtoriæ Diplomaticæ Trevericæ pag. 64. & pag. 171.*

(*b*) Mandatum hoc intelligo exemplar ab Archi-Epiſcopi Hetti ad Frotharium Tullenſem Epiſcopum Suffraganeum ſuum de exequenda Regula Canonicorum in Concilio Aquisgranenſi anno 816. promulgata. *Tomo I. pag.* 430. Ubi & ſimilis formæ Epiſtola Caroli Magni pag. 540, Scripta ad Arnonem Salisburgenſem pro executione mandati ſeu Regulæ Canonicorum.

ſtra, & Epiſcopi ſinguli in Parochiis ſuis, id eſt de regula augendæ Religionis, & de miniſtratoriis Canonicorum officinis: ut ſi quibus in locis bene comptæ eſſent, deinceps cum ſumma diligentia ornarentur. Nunc autem in proximo eſt placitum, (c) quo ſine dubio ſciſcitabitur de obtemperatione mandati ſui, Dominus mandati; quapropter ſcrutemini diligenter in Parochia veſtra, in veſtris aliorúmque Monaſteriis, ſi præfata regula digne per omnia conſervetur. Et ſi officinæ juxta ipſius decreta, conſtructæ atque innovatæ contineantur: ut cum imperiali ſolertiæ præſentabimur, dejecta procul molimenta aliorum una nobiſcum ex omnibus illi à nobis veritas nuntietur, (d) per Triennium enim hæc monitio facta eſt. Idcirco nulla poteſt inveniri occaſio. Ideóque quanto cuique fuerit imperfectior, tanto & fragilior. Valete in Domino, & parvitatis noſtræ nolite oblivíſci. Deus Pacis & Dilectionis ſit nobiſcum. Amen. (e)

(c) Placitum hoc eſſe Aquisgranenſe anni 819. autumat *Illmus Hontbemius.*

(d) Nam ab 816. ad 819. triennium intercurrit, quo durante hæc monitio per Legatos ſeu Miſſos Regios in toto regno facta fuit, & hoc anno 819. novis inſtructionibus aucta. Teſtis *Author vitæ Ludovici Pii pag.* mihi 368. " Quem librum [Regularum] per omnes Civita- " tes & Monaſteria Canonici Ordinis ſui Imperii miſit (*Ludovicus Pius Auguſtus*) per manus " Miſſorum prudentium, qui illum in omnibus ſupradictis locis tranſcribi facerent.

[e] Epiſtolam hanc primus edidit *Ducheſne Tomo II. Scriptor. Franciæ* ex antiquis membranis Carnotenſibus inter Epiſtolas Frotharii N. XXVIII.

MAGNA ET UNIVERSALIS

SYNODUS AD FRIGISINGA,

SUB HITTONE EPISCOPO.

Anno Chriſti DCCCXIX. Paſchalis Papæ III. Ludovici Imperat. VI.

Pernwini Presbyteri Donationes factas Domui Sanctæ Mariæ in Friſingen, acceptat & ratificat Hitto Epiſcopus in magna & univerſali ſuæ Diœceſeos Synodo.

FIdeles namque Fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi ob animarum ſuarum remedium, & cæleſtis Patriæ deſiderium ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam. Quapropter quidem Presbyter nomine Pernwin, vir bonus, quam etiam & in ſua converſatione honeſtus: die, ſiquidem contigit, eum, congregatione Presbyterorum, Diaconorum, cæterorúmque Clericorum intereſſe ad Frigiſinga, *ubi magnus & univerſalis Synodus* habebatur, ibíque pro arbitrio, & ſpontanea voluntate in medio erupit, & omnibus conſiſtentibus publicâ voce indicavit, quòd tunc votum vovit, quando Atto Epiſcopus Eccleſiam dedicavit ſuam, ad domum deligare Sanctæ Mariæ propriam rem, nam etiam ſtatímque coram ſupra memorata multitudine jam fatus Presbyter pro (a) manice beverino in altarem Beatæ Mariæ, ubi electus, & glorioſus Domnus *Corbinianus* in corpore requieſcit, tradidit, nec non jure perpetuo firmiter ſtabilivit, quantumcunque hæreditatis, ſeu adquiſitionis in pago (b) Uparacha in loco, nuncupante Pere, habere viſus fuerat, hoc totum, penitùs omnia ex omnibus tam de alode, quàm & de comparato, ſeu per qualibet artem ad eum perveniſſe dinoſcitur, donavit, atque transfundavit ad prædicto Domo Mariæ Genitricis Dei in caſtro poſito Figiſinga cum domibus, ædificiis curtiferis, wadris, capis, terris, ſylvis, campis, pratis, paſcuis, farinariis, aquis, aquarúmque decurſibus, cultis, & incultis, greges cum pecoribus tradidit, atque

(a) Manice beverino. *Fortè*: Manica fibrina ſeu caſtorina.

(b) In Pago Uparacha: Uberacker ad fluv. Maiſacham Dachavienſis Territorii.

atque funditus ad memoratum domum perpetualiter munivit, ut in evum inconvulsum omnino firmum, & stabulis permaneret, eo utique tenore factum fuisse constat, ut ille ipse tam diu in hac fragili, & misera vita degeretur, ad suum usum & utilitatem frueret, & pro hoc annis singulis dimidium solidum ad tributum persolveret. Deinde omnino humiliter postulavit, si suæ scilicet neptis necessitas evenisset, & si eum superstis fuisset, quatenus annonam ad præbenda ibi teneret, cum tali censu, sicut illi imponere decrevissent. Post illorum quoque discessum ad supra notatum Domum cum omni integritate, vel soliditate uteretur, stipulatione interpositâ, quorum nomina hic recitantur in præsentia *Hittonis* Episcopi, Sigimot, Hahart, Sabulo Abbas, Heriperht Archi-Presbyter, Oadalpald Presbyter & Monachus, Hiltolf, Alprat, Heriolt, Rubo, Undeo, Sigihart, Uuldarih, Erchanperht. Testibus illis: Sigur, testes, Situli, Corcperht, Oadalhart, Cundhart, Altfrid, Ellanhart, Heipo, Willihelm, Reginpald, Eparheri, Emicho, Kerperht, Weriant, Sigideo, Kaganhart, Engilhart, Adalperht, alius Kerperht, Leidrat, Arbeo, Reginhelm, Ratkis, Tato, Reginperht, Engilhart, Wichart, Walho, cæterique innumerabiles aderant. Hoc actum sub die Consule, quod est in XIV. Kal. Novembris, Anno Incarnationis Domini DCCCXVIIII. Indictione XII. Regnum gubernante Hludovico Imperatore V. (c)

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Libro I. Parte II. Instrumento CCCXC. pag. 207.

(c) Reapse VI.

AHYTONIS
EPISCOPI BASILEENSIS
CAPITULARE.

Hæc Capitula, quæ sequuntur, Ahyto (a) *Basileensis Ecclesiæ Antistes, & Abbas Cœnobii,* (b) *quod Augia dicitur, Presbyteris suæ Diœcesis ordinavit: quibus monstrentur, qualiter se ipsos, ac plebem sibi commissam caste & juste regere, atque in Religione confirmare debeant.*

I.

PRimò omnium discutienda est fides Sacerdotum, qualiter credant, & alios credere doceant; ubi & exempla proponenda sunt, quatenus à creatura Creator, quantulumcunque possit intelligi.

II.

Secundò jubendum, ut Oratio Dominica, in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur, & Symbolum Apostolorum, in quo fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam latinè, quàm barbaricè: (c) ut quod ore profitentur, corde credatur & intelligatur.

III.

Tertiò, intimandum est, ut ad salutationes Sacerdotales congruæ responsiones discantur, ubi non solùm Clerici, & Deo dicatæ, Sacerdotali responsionem offerant, sed omnis plebs devota consona voce respondere debet.

IV.

Quartò, ut fides Athanasii à Sacerdotibus discatur; & ex corde (d) die Dominico ad horam recitetur.

(a) Ahyto, seu Hatto. Vide *Præfationem Tomi I.* §. *VIII.* Obiit anno 836. 17. Martii.
(b) Augia dives, Cœnobium est Ord. S. Benedicti ad Rhenum in Diœcesi Constantiensi.
(c) Id est, Germanicè, quâ lingua loquebantur Franci, & ideo Latinis barbari dicti.
(d) *pro* memoriter.

V.

Quintò, ut ſciant, quid ſit Sacramentum Baptiſmatis, & Confirmationis, & quale ſit myſterium Corporis & Sanguinis Domini: quomodo in eisdem myſteriis viſibilis creatura videtur, & tamen inviſibilis ſalus ad æternitatem animæ ſubminiſtratur, quæ in ſola fide continetur.

VI.

Sextò, quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, id eſt Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, computus, Canon pœnitentialis, Pſalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, & ſingulis Feſtivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit: quia valde periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur: *Si cæcus* (e) *cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*

VII.

Septimò, ut ſciant tempora legitima ad baptizandum in anno; id eſt Sabbato Sancto Paſchæ: ut illa trina merſio in Baptiſmate imitetur triduanam mortem Domini, clarificatam reſurrectione. Et idcirco uſque ad octavum diem ipſa regeneratio ſacra ab omni Populo Chriſtiano celebrabitur. Aliud verò tempus Baptiſmatis Sabbato Sancto Pentecoſtes celebrandum eſt. Si verò neceſſitas contigerit, omni tempore ſubveniendum eſt, quia neceſſitas vix habet legem: & ut vas ad fontem Baptiſmatis, quod ad reliquos uſus nullatenus, aſſumatur.

VIII.

Octavò, Pronuntiandum eſt, ut ſciant tempora feriandi per annum; id eſt, omnem Dominicam à mane uſque ad veſperam, ne judaiſmo capiantur. Feriandi verò per annum iſti ſunt dies, ut ſupra orſi ſumus: Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, Octava Domini, Theophania, Purificatio Sanctæ Mariæ, Sanctum Paſcha, ſicut ſuperiori Capitulo comprehenſum eſt: Rogationes tribus diebus, Aſcenſio Domini, Sabbatum Sanctum Pentecoſtes, Sancti Joannis Baptiſtæ, Duodecim Apoſtolorum, maximè tamen Sanctorum Petri & Pauli, qui Europam ſuâ prædicatione illuminaverunt: Aſſumptio Sanctæ Mariæ, Dedicatio Baſilicæ Sancti Michaëlis Archangeli, Dedicatio cujuscunque Oratorii, ſeu cujuslibet Sancti, in cujus honore eadem Eccleſia fundata eſt, quod vicinis tantum circummorantibus indicendum eſt, non generaliter omnibus. Indictum verò jejunium, quando à Palatio, (*f*) vel à domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter obſervetur. Reliquæ verò feſtivitates per annum, Sancti Remedii, (*g*) Sancti Mauricii, Sancti Martini, non ſunt cogendæ ad feriandum, nec tamen prohibendum, ſi plebes hoc caſte & zelo Dei cupiunt exercere.

IX.

Nonò jubendum eſt iiſdem Sacerdotibus, ut non permittant ſecum mulieres habitare extraneas juxta Nicænum Concilium (*h*) niſi eas tantum, in quibus ſuſpicio nulla malæ famæ oboriri poteſt.

X.

Decimò, ut tabernas non ingrediantur, nec ſedendo domi, nec in itinere occupati. Si verò neceſſe habent ibidem aliquid emendi, miſſos ſuos dirigant, & oblata in aliam domum conferant, & cum gratiarum actione fideliter percipiant.

XI.

Undecimò, ut placita ſæcularia non obſervent, nec fidejuſſores exſiſtant: nec canes ad venandum, nec accipitres, vel falcones, nec ſparvarios, nec ullius ludi, aut ſpectaculi licentiam habeant: ſufficit enim eis, quod in Pſalmo legitur: *In lege* (i) *Domini eſſe eorum voluntatem, & in lege ejus meditari die ac nocte*; & quod in Apoſtolo præcipitur: *Nemo* (k) *militans Deo, implicet ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.*

XII.

Duodecimò ut ſciant, quia nemo per pecunias ordinandus eſt, nec per munera Eccleſiam debet occupare: quia ſi fa-

(*e*) Matth. XV.

(*f*) à Regibus Francorum indicta fuiſſe ſubditis jejunia, leges apud Gregor. Turonenſem L. XIX. Cap. 2.

(*g*) *Fortè* S. Remigii.

(*h*) Nicænum Concil. Canon. III. Tomo I. pag. 137.

(*i*) Pſalmo I.

(*k*) II. Timoth. II. 4.

si factum fuerit, & ipse, & ordinator ejus deponendi sunt; quia manifestum est, eos, qui talia agunt, Simoniaca hærese ægrotare: Et talem non per ostium in ovile ovium juxta Evangelii verba, sed ascendentem aliunde furem esse & latronem. Et non solùm ipsi, qui hoc faciunt, sed &, qui consentiunt facientibus, excommunicandi sunt.

XIII.

Tertiò decimo, ut nullus vagantem ex alia parochia audeat recipere, aut secum commorandi, aut Missam celebrandi, nisi permissione nostra: nec ullius Ecclesiæ aut plebis gubernacula suscipiendi, nisi præveniente conscientia nostra, (*l*) qui secus fecerit, excommunicabitur.

XIV.

Quartò decimo, ut in tuguriis, Ecclesiis non consecratis, vel in domibus, nisi fortè visitandi gratia in infirmitate detentis, Missarum mysteria non celebrent. Quod si fecerint, propter inobedientiam degradandos se sciant.

XV.

Quintò decimo, quod decima, quæ à fidelibus datur, Dei censo (*m*) nuncupanda est, & Deo ex integro reddenda. Cujus tertia pars secundum Canonem Toletanum, (*n*) Episcoporum debet esse. Nos verò hac potestate uti nolumus, sed tantum quartam partem, juxta constituta Romanorum Pontificum, & observantiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de eadem habere volumus; quod si quis contentiosus inde repertus fuerit, sive ille Clericus, sive Diaconus sit, communione privabitur, & synodali censura judicabitur.

XVI.

Sextò decimo, ut unusquisque hoc provideat, ut mulieres ad altare non accedant, nec ipsæ Deo dicatæ in nullo ministerio Altaris intermisceantur. Quod si pallæ Altaris lavandæ sunt, à Clericis abstrahantur, (*o*) & ad cancellos fœminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter & (*p*) presbyteri, cum oblata ab eisdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, & ad Altare deferantur.

XVII.

Septimò decimo, ut ipsi Sacerdotes verbo & exemplo prædicent, ut nullus usuras accipiat, nec sesculpa, nec speciem pro specie. Quia valde infidelis & rebellis Dei jussionibus est, qui hoc agit: quod omnibus Christianis æquè interdictum esse dignoscitur, maximè tamen Sacerdotibus, qui forma & exemplum fidei omnibus esse debent.

XVIII.

Decimò octavo, ut nullus ordinatus, sive ordinandus migret de sua parochia ad aliam, (*) nec ad limina Apostolorum causa orationis, Ecclesiæ suæ cura delicta, (*q*) nec ad palatium causâ interpellandi: nec à communione suspensus ab alio communionem recipiendi, sine permissione & præscientia Episcopi sui: quod si fecerit, nihil valet hujusmodi communio, aut ordinatio, aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum: ut, qui causa orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua & sic proficiscantur: quia à proprio Episcopo suo, aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo.

XIX.

Nonò decimo, ut aliud in Ecclesiâ non legatur (*r*) aut cantetur, nisi ea, quæ authoritatis Divinæ sunt, & Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa (*s*) Angelorum nomina colant, sed ea tantum, quæ Prophetica, & Evangelica docet Scriptura: id est, Michaël, Raphaël.

Nec diversa sentiant in judiciis pœnitentium, cum unus minus, alter verò majus, alteri adulando, alteri detrahendo placere velit: sed considerata qualitate personæ juxta modum culpæ agatur censura vindictæ.

XX.

Vigesimò admonendi sunt, ut perpendant, quidquid à fidelibus datur, redemp-

C 2

(*l*) Desunt alia verba: nempe *det facultatem*, vel *faciat potestatem*.
(*m*) Census *fortè* legendum.
(*n*) Concilium Toletanum nonum.
(*o*) *ab Altari* nempe.
(*p*) pro *à Presbyteris*.
(*) Vide Tomi I. pag. 177.
(*q*) pro *derelicta*.
(*r*) Burchardus Lib. V. Cap. 198.
(*s*) Vide Tomi I. Concilii Romani decreta de Angelorum nominibus pag. 65.

redemptio peccatorum est: ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magis emineant, quod in veteri testamento Sacerdotibus dictum est; (t) *Iniquitatem populi eos debere portare.* Et ideo cum magno timore solliciti sint, quorum donis participantur: quia magnum periculum est fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

XXI.

Vigesimò primo, ut sciant & intelligant, quid sit incesti crimen: & hoc unusquisque in sua Parochia provideat, ne fiat; & si factum fuerit, quantum celerrimè potuerit, emendetur; id est, nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quinto genu. (u) Quod si ignoranter factum fuerit, non facile credatur, sed judicio Dei examinetur: & non separentur in quarto genu, sed in pœnitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent. Similiter & vir duas uxores inter se simili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter se eodem modo conjunctos, aut cumpater, aut commater, filiolus, aut filiola spiritualis de fonte, aut de confirmatione, aut Deo dicata, aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore. His talibus nulla ratione in matrimonium licitum est conjungi. In primo verò genu, vel secundo, si inventi fuerint scelus perpetrasse fornicationis, matrimonii jura ulterius se sciant funditus perdidisse. In tertio verò genu si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna pœnitentia eos subsequatur, & tamen matrimonii jura eis non vicissim, (x) sed ad alios non negentur. Ubi verò mancipia non unius, sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utrisque Dominis, hujusmodi copulatio rata non erit. Quidquid verò negligendo sentitur, & virtute, qua potuerit, non emendetur; nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo consentit. Plura sunt, quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre & filia, & noverca, & pœne innumera, quæ menti ad scribendum non occurrunt. Hujusmodi tamen & his similibus personis copula maritalis in sempiternum subtrahitur.

XXII.

Vigesimò secundo ammonendi sunt, ut sciant populis denuntiare, quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis, quæ Evangelica & Apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam: quæve opera iniquitatis cum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omnimodo devitent: quia non solum in Evangelio vel reliquiis Sanctorum crimen perjurii, sed in veritate, quæ Deus est (si mentitur) perpetrare dignoscitur.

XXIII.

Vigesimò tertio ammonendi sunt, ut sciant, quia in Ecclesiis, quibus præsunt, Sponsi facti sunt: & ideo omni vigilantia qualiter eas decorent, & eis incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.

XXIV.

Vigesimò quarto, ut horas canonicas tam nocturnas, quàm diurnas nullatenus prætermittant. Quia sicut Romana Ecclesia psallit, ità omnibus ejusdem propositi viam tendentibus (y) faciendum est. Et non solùm novi Testamenti documenta sunt eandem formulam observandi, sed etiam veteris testamenti, patet ratio: quia Propheta Spiritu Sancto instinctus profert: *Septies in die* (z) *laudem dixi tibi*: & , *media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

XXV.

Vigesimò quinto, ut plebibus denuntient, qui filios, & filias spirituales quos in Baptismate suscipiunt, & eis fidejussores, & sponsores existunt, & pro eis diabolo, cui antea mancipati fuerant, abrenuntiant, & ideo, usque cum adulti fuerint, & eis fidei suæ sponsionem, & abrenuntiationis exposuerint, & reddiderint, in sua providentia habeant. Et quod illi pro eis spoponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant.

Finiunt Canones Ahytonis Episcopi Basileensis.

Ex Tomo VI. Specilegii D'acheriani. Harduin. Concilior. Tomo IV. p. 1241. *à* 1244.

CON-

[t] Numeror. XVIII, 1, 23.
[u] *pro* gradu *vel* generatione quinta.
[x] pro, non inter se in eodem gradu conjungantur.
[y] *Fortè* tenentibus.
[z] Psalmo CXVIII, 164, 62.

CONGREGATIO PRESBYTERORUM ET ECCLESIASTICORUM.

SUB HITTONE EPISCOPO FRISIGENSI AD LOCUM EHINGA DICTUM.

Anno Christi DCCCXX. Paschalis Papæ IV. Ludovici Imp. VII.

Altwart Presbyter Ecclesiam olim Sanctæ Mariæ Frisinga donatam postea alienatam restituit coram Episcopo in Sancta Synodo Ehingæ coacta.

CONvenit itaque Sancta Synodus in loco, qui vulgò dicitur Ehinga, in quo sederunt *Hitto* Episcopus, Meginhart, Sigimot, Sindihho Abbates, ibique quidam laicus nomine Wergant, in præsentia processit, & reclamavit se ad hanc congregationem, dicens: quod Altwart Presbyter injustè suam igitur partem in Ecclesiastica causa, quæ est constructa in loco nominato (a) Luttinwanc de Episcopatu Sanctæ Mariæ tradidisset, quam traditionem prædictus Presbyter minimè potuit denegare. Tunc suprà memoratus Episcopus jussit ipsum Presbyterum referre, sicut circa illam causam rectissimè meminisset; Ille verò ait, quod Josep Episcopus hanc Ecclesiam dedicàsset, & postea ipsam Ecclesiam sibi in proprium ab Episcopo datam usque ad obitum vitæ suæ. Interea igitur surrexit Keidrih Presbyter, referens, quod ipse Altwart, temporibus Attonis Episcopi eandem Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus sibi reddidisset ad Episcopatum, & potestatem Sanctæ Mariæ, quod ibi in præsente verum esse repertum est, quam ob causam quæsivit prædictus Episcopus vestituram ipsius Ecclesiæ, quæ ab antiquis temporibus tradita, ac deligata fuerat ad Domum Beatæ, & iterum in beneficiarium eam sibi inde accepit. Tunc videbat, quod nequaquam contradicere, vel defendere poterat, sed suis licet sermonibus convictus nullam potestatem tradere habendi, & reddidit ipsam Ecclesiam cum omni vestitura ad prædictum domum in manus *Hittonis* Episcopi. Fidejussores: Keidrih, Alprih. Præsentibus istis: Samuel, Sigiperht, Situli, Spulit, Luitpald, Wergant, Haholf, Cozolf, Eparachar, Wichart, insuper autem cuncta congregatio Presbyterorum, cæterorúmque Ecclesiasticorum. Actum sub die consule, quod est VIIII. Kalendas Julias, anno siquidem Hloduwico Serenissimo Imperatore Augusto VII. Indictione XIII. Ego ac si indignus Subdiaconus Pirthilo jussu Hittonis Episcopi scripsi, & subscripsi.

Meichelbeck Histor. Frisingens. Lib. I. Part. II. Instrumento CDXIII.

(a) *Luttinwanc, hod. Lutewang, in districtu Landspergensi, ac Diœcesi Frisingensi.*

PUBLICA SYNODUS FRIGISINGA

Anno Christi DCCCXXI. Paschalis Papæ V. Ludovici Imp. VIII.

Traditionem Hartpaldi Presbyteri, & Majoli Clerici nepotis, ad Domum Sanctæ Mariæ acceptat Episcopus HITTO in publica Synodo Frisigensi.

DUm & omnibus non habetur incognitum, sed multis est in Episcopio Sanctæ Mariæ bene notum, qualiter vir Venerabilis Hartpald Presbyter pro-

propriam hæreditatem ſuam in loco Filuſa Sanctæ Mariæ Domui Sanctæ Mariæ traditum jam olim habebat cum omnibus, quod propriam habere in loco eodem videbatur. Defuncto verò jam dicto Hartpaldo cæpit Mejol nepus ejus ipſam rem in beneficium à *Hittone* Dei Sacerdote magnopere deprecare. Tunc congregatâ multitudine propinquorum, ſeu amicorum ſuorum, venerunt ad virum Venerabilem *Hittonem* Epiſcopum, & narraverunt ei omnia, qualem conſilium jam dictus Mejol Clericus cum Parentibus ſuis habuit, & quia omnem hæreditatem ſuam *Domui Sanctæ Mariæ tradere* diſpoſitum habuit in hoc, quod jam dictam rem Hartpaldi Presbyteri, in beneficium habere mereretur. Conplacuit hoc Epiſcopo, & omnibus ſimul audientibus *in publico Synodo Frigiſinga congregato*, ibique coram cuncta congregatione acceſſerunt ad altare Sanctæ Mariæ ipſe Mejol cum Parentibus ſuis, & tradidit domui Sanctæ Mariæ omnia, quæ de propriâ hæreditate habere videbatur, ita, ut ſit ſtabilis in perpetuum domui Sanctæ Mariæ. Hæc ſunt teſtes: Sigiperht, Einhart, qui hanc cauſam magìs apud Domnum Epiſcopum impetraverunt, atque fieri petierunt; deinde Alpolf, Haholf, Heipo, Reginperht, Walho, Hartnid, Emihho, Durinc, Eparheri, Crimuni, Suto, Adalunc, Crimheri, Reginperht, Hunolt, Cundhart, Erchanfrid, Marcheo, Rihperht, Helmuni, Sigihart, Alprich, Nothart. Actum eſt hæc anno Glorioſi Imperatoris Hluduwici VI. (*a*) die Conſule, quod facit VI. Idus Majas, indictione XIIII. Ego quidem Tagopertus indignus Presbyter conſcripſit. Fidejuſſores: Sigiperht, Alpolf, Cozolt, ad veſtituram, ſeu firmitatem hujus traditionis perficiendam.

Meichelbeck Hiſtoriæ Friſingenſis Libro I. Parte II. Inſtrumento CCCXCV. pag. 210.

(*a*) Corrige VIII.

IN THEODONIS VILLA CONVENTUS.

Anno Chriſti DCCCXXI. medio Octobri. Paſchalis Papæ V. Ludovici Imp. VIII. Indict. XIV.

ACTIO. Reſtitutio perduellium.

MEdio menſe Octobri Conventus generalis apud Theodonis villam magnâ populi Francorum frequentiâ celebratur. Illuc Legati Romani Pontificis Theodorus Primicerius ac Florus cum magnis venêre muneribus.

Eminuit in hoc placito Piiſſimi Imperatoris miſericordia ſingularis, quam oſtendit ſuper eos, qui cum Bernharto nepote ſuo in Italia contra caput ac regnum ſuum conjuraverunt; quibus ſibi in præſentiam venire juſſis, non ſolum vitam & membra conceſſit, verum etiam poſſeſſiones Judicio legis in fiſcum redactas, magnâ liberalitate reſtituit. Adelhardum quoque (*Abbatem Corbeienſem*) de Aquitania, ubi exulabat, evocatum Corbeiæ Monaſterio, ut prius fuerat, Abbatem ac Rectorem eſſe juſſit, & Bernarium fratrem ejus reconciliatum, eidem Monaſterio reddidit.

Annales rerum Franciæ Newenariani & Reuberiani ad h. a.

Autor vitæ Ludovici Pii apud Ducheſne Tomo II. Scriptor. Franc.

Eginhardus in Chronico ad annum 821.

CA-

CAPITULARE TRIBURIENSE

DATUM ANNO CHRISTI DCCCXXII. AD PETITIONEM EPISCOPORUM IN THEODONIS VILLA (a) CONGREGATORUM ANNO SUPERIORE.

Anno Chriſti DCCCXXII. Paſchalis Papæ VI. Ludovici Imp. IX. Indictione XV.

PETITIO EPISCOPORUM.

IN Concilio apud *Theodonis Villam*, (b) ubi interfuerunt XXXII. Epiſcopi Aiſtolſus Magontienſis Archi-Epiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Hadabaldus Colonienſis Archi-Epiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Hetto Trevirenſis Archi-Epiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Ebbo Remenſis Archi-Epiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, cum nuntiis reliquorum Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ, ob nimiam præſumptionem quorundam tyrannorum in Sacerdotes Domini bacchantium, & propter factum, quod in Waſconia noviter acciderat de Epiſcopo Johanne inhoneſtè & inauditè mordridato, decretum eſt, ut communi conſenſu & humili devotione ſupplicaretur auribus Principis, ſi ſuæ pietati complaceret, ut calumnia in Chriſti Sacerdotes peracta juxta ſynodica determinaretur pleniter Statuta, hoc idem Epiſcoporum judicio placeret, ſi ex toto ſecundum poteſtatem ipſorum poſſet definiri, id eſt, ut canonica ferirentur ſententia, hi videlicet, qui timorem Domini poſtponentes, in miniſtros ſuos graſſare præſumerent. Quodſi verò pietati illius complaceret, juxta capitula (c) Regum præcedentium, ubi eorum prævifio miſericorditer in offenſis pecuniæ quantitatem interpoſuit, pro conſolatione Sanctæ Eccleſiæ, ut præfatæ res per pecuniam ab Imperatoribus Sacerdotibus ad defenſionem conceſſam, & per pœnitentiam determinarentur Epiſcoporum judicio, ſi pietas illius conlaudare voluerit, ſic definiri eis complaceret.

CAP. I.

Si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, quinque quadragefimas ſine ſubditis annis pœniteat, & trecentos ſolidos cum ſua compoſitione & Epiſcopalibus bannis Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas quadrageſimas cum ſequentibus annis pœniteat, & quadringentos ſolidos cum tripla ſua compoſitione, & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.

II.

Si Diaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, ſex quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, & quadringentos ſolidos cum compoſitione ſua, & Epiſcopalibus bannis Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas ſex quadrageſimas cum ſequentibus annis pœniteat, & ſexcentos ſolidos, cum tripla ſua compoſitione, & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.

III.

Si quis presbyterum calumniaverit & ſpaſſaverit, ſex quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, & ſexcentos ſolidos cum triplici ſua compoſitione & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, duodecim annorum pœnitentia ſecundum canones ei imponatur, nongentos ſolidos cum triplici compoſitione ſua &

(a) *Burchardus L. VI. Cap. 5: Ivo. Parte X. C. 134.*

(b) Hoc Concilium Theodonis Villanum anno ſuperiore 821. celebratum fuiſſe judicamus cum Pagio in Crit. ad h. annum, *Eckhart Tomo II. Franciæ Orient.* Lib. XXVIII. N. CLXXI.

(c) *Capitulare ſecundum anni 803. Capite I. Baluz. pag. 626. Tomo I.*

& Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.

VI.

Si quis Epiſcopo inſidias poſuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehoneſtaverit, decem quadrageſimas cum ſubditis annis pœniteat, & presbyteri occiſi triplicem compoſitionem componat. Si autem caſu & non ſponte occiditur, cum comprovincialium Epiſcoporum conſilio homicida pœniteat. Si quis autem ſponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat omnibus diebus vitæ ſuæ, cingulum militare deponat, abſque ſpe conjugii in perpetuo maneat.

Aiſtolphus Magontienſis Archi-Epiſcopus dixit: ſi Principibus placuerit aliiſque ſuis fidelibus, rogemus ut conconlaudetur & ſubſcribatur. Et conlaudatum eſt & ſubſcriptum eſt tam à Principe, quam à cæteris omnibus.

Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 625.

DECRETUM IMPERATORIUM. (a)

POST PETITIONEM EPISCOPORUM IN SYNODO TRIBURIENSI ANNI DCCCXXII.

PLacuit nobis & Fidelibus noſtris, ut ſicut ab Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus ac Dei Servis alio anno apud Theodonis villam admoniti fuimus & rogati, ut Epiſcopi & eorum miniſtri, quos Deus ſuo, non humano judicio reſervavit, juxta Sanctorum Canonum Sanctorumque Patrum, ac Capitularium præcedentium Regum coram poſitorum ſtatuta, & Dei Sacerdotes, eorumque cooperatores, quorum interceſſionibus ſupplicationibus Sancta Dei Eccleſia conſtare videtur, intacti permaneant.

I. Conſtituimus ut ſi quis ſubdiaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœnitentia canonica pœniteat, & trecentos ſolidos Epiſcopo componat. Et ſi mortuus fuerit, juxta id, quod canones præcipiunt, pœniteat, & quadringentos ſolidos Epiſcopo componat.

II. Si Diaconum quis calumniatus, & convaluerit, pœniteat ſecundùm canones, & quadringentos ſolidos Epiſcopo componat. Si non convaluerit juxta præcepta ſynodalia pœniteat, & ſexcentos ſolidos Epiſcopo componat.

III. Si presbyterum quis malè tractaverit & ſpaſſaverit, ſecundùm ejus Epiſcopi ſententiam pœniteat, & nongentos ſolidos Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ut Synodus dijudicaverit, pœniteat, & mille ducentos ſolidos Epiſcopo componat.

IV. Et ſi quis Epiſcopo inſidias poſuerit, comprehenderit vel in aliquo dehoneſtaverit, pœniteat ſecundum canonum ſtatuta, & presbyteri occiſi triplicem compoſitionem cum juſtitiis, quæ in ſuperiori Capitulo ſcriptæ & confirmatæ eſſe videntur, componat.

V. Si quis per induſtriam Epiſcopum occiderit, juxta id, quod apud (*b*) Theodonis Villam à XXXII. Epiſcopis decretum eſt, & quod ibi à nobis & à primatibus totius Galliæ & Germaniæ benigna conlaudatione conlaudatum eſt, & ſubſcriptum, pœniteat, & pecuniam à nobis conceſſam Eccleſiæ viduatæ perſolvat.

VI. Et hoc de noſtro adjecimus, ut, ſi quis in his ſupradictis Sanctorum Canonum noſtriq; decreti Sanctionibus Epiſcopis inobediens & contumax extiterit, primum Canonica ſententia feriatur, deinde in noſtro regno beneficium non habeat, & alodis ejus in bannum mittatur, & ſi annum & diem in noſtro banno permanſerit, ad fiiſcum noſtrum redigatur, & captus in exilium (*c*) religetur, & ibi tamdiu cuſtodiatur, & conſtringatur, donec coactus Deo & Sanctæ Eccleſiæ ſatisfaciat, quod prius gratis facere noluerat.

(*A*) Et ſi omnibus vobis iſta (*d*) complacuerint, dicite. Et *tertio* ab omnibus (*e*) conclamatum eſt: placet. (*B*) Et Im-

(*a*) *Burchardus L. VI. Cap. VI. Ivo Parte X. Cap.* 135.
(*b*) Apud Triburiam. Legit *Goldaſtus Tomo II. Conſtitutionum Imperialium.*
(*c*) relegetur. *Goldaſtus.* (*d*) placuerint, *idem.* (*e*) acclamatum eſt, *idem Goldaſtus.*
Modus (A. B. C. D.) claudendi & ratificandi Synodos complectitur quatuor Actiones finales.

Imperatores & penes omnes Galliæ, & Germaniæ Principes subscripserunt, (*C*) & singuli singulas facientes cruces (*D*) & Ecclesiasticus ordo Deo & Principibus laudes referentes hymnum: *Te Deum laudamus.* decantabant, & sic soluta est Synodus.

Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 627.

PUBLICA

SYNODUS AD FRIGISINGA

SUB HITTONE EPISCOPO.

Oadalpald & Minigo Presbyteri, Ecclesias olim traditas Domui Sanctæ Mariæ denuo offerunt, tradunt, & Domum S. Mariæ vestiunt.

Dum & omnibus non habetur incognitum, sed multis est in Episcopio Beatissimæ Virginis Mariæ bene notum, qualiter Viri Venerabiles Oadalpald Presbyter, & Minigo Presbyter in illorum hæreditate in loco Etchinaha uterque suam construit Ecclesiam, & propter familiarem fraternitatem, quam cum *Attone* fidele Episcopo semper habuerunt, cum licentia *Sindberti Episcopi* Attonem Episcopum conduxerunt, ut ipse illorum consecrâsset Ecclesias. Ita & actum est cum consensu illorum Episcopi, & omnium convicinorum in eodem loco bonorum virorum ibidem commanentium, ita convenit omnes, ut unâ die ambas illas consecrâsset Ecclesias, ipsique jam dicti viri Deo devoti Oadalpald Presbyter, & Minigo Presbyter devotâ voluntate eodem die utrasque illas Ecclesias Domui Sanctæ Mariæ in manus Attonis Episcopi firmiter condonaverunt, & tradiderunt in præsentia omnium, tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium immensa multitudine ad dedicationem harum Ecclesiarum convenientium, ibique coram cunctis utraque Ecclesia Domui Sanctæ Mariæ firmiter tradita, & condonata omnibus in hac Provincia notum esse dinoscitur. Nunc verò senescente Minigone Presbytero, veniens ad Virum Venerabilem Hittonem Episcopum in publica Synodo ad Frigisinga renovare, & confirmare olim actam traditionem suam, quem ipsius Pontifex blandè suscepit, & omnia, quod ipse suggessit, libenter accepit; suppliciter enim Domnum Episcopum coram cuncta Congregatione Synodali petiit, ut nepoti suo, suo vocabulo nomen dato Minigo, in beneficium ipsam Ecclesiam de manu Dei Sacerdotis accipere ad suam vitam in servitio prædicti Episcopi meruisset cum tale censu, quale Domno Episcopo & omnibus bene suis placuisset. Et sic valde confirmatum est inter eos, ita ut nullus hoc contradicere vel evertere valeat, sed firmam habeat stabilitatem in perpetuum. In his sermonibus confirmatis ipse Minigo Presbyter in præsenti Synodali congregatione accessit ad altare Sanctæ Mariæ, ipsam Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus reddidit, pariterque & tradidit, nihil enim prætermisit, sed cum omni integritate tradidit, & domum Sanctæ Mariæ vestivit. Hæc sunt testes per aures tracti: Hrodolt, Heriperht, Kerhart, Memmo, Wichart, Reginhoh, Wigant, Crimuni, Hiltiprant, Cozolt. Actum est hæc in XVI. Kal. Octobris, anno Gloriosi Hluduwici Imperatoris VIIII. Indictione XIII. (*a*) Ego Tagibertus indignus Presbyter scripsi jussione Domni Hittonis Episcopi.

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Libro I. Parte II. Instrumento CDXXIX.

D CON-

(*a*) Anno 822. currebat Indictio XV.: imò ab Septembri Indictio I. Hæc autem Synodus Mense Septembri habita fuit. Noluimus tamen corrigere instrumentum, nisi fuerit error Librum describentis.

CONVENTUS ATTINIACENSIS.

Anno Chriſti DCCCXXII. Menſe Auguſto. (a) Paſchalis Papæ VI. Ludov. Imp. IX. Indict. XV.

ACTIO I. Pœnitentia publica Ludovici Imp. ex conſilio Epiſcoporum præſentium: Ob mortem Bernardi filii fratris ſui Pippini: Ob Drogonem, Hugonem & Theodoricum fratres ſuos invitos attonſos, & in Monaſterium detruſos: Ob Uualam virum innocentem relegatum iu exilium: Ob Uualæ fratres Adelhardum Abbatem, Bernarium Monachum, & Gundradam horum ſororem ſanctam Fœminam exilii ſimili calamitate affectos.

ACTIO II. Reconciliatio Imperatoris cum Agnatis; & reſtitutio eorum tum hoc, tum anno ſequenti. Interfuit Ludovicus Imp. Epiſcopi Germaniæ & Franciæ: Legati (b) *Romanæ Sedis, Epiſcopi & Optimates, Adalhardus Corbejenſis Abb. & Wala, Heliſachar, Abb. S. Maximini. Teſte* AGOBARDO L. de Diſpenſatione.

ACTIO III. Northildis & Agamberti conjugum lis coram Concilio.

IMperator Ludovicus conſilio cum Epiſcopis & Optimatibus ſuis habito, fratribus ſuis, quos invitos tonderi juſſit, reconciliatus eſt & tam de hoc facto, quàm & de iis, quæ erga Bernhartum filium fratris ſui (*Pippini*) nec non & iis, quæ circa Adelhartem Abbatem (*Corbeienſem*) & fratrem ejus Walachum geſta ſunt, publicam confeſſionem fecit & pœnitentiam egit, quod tamen in Conventu, quem eodem anno menſe Auguſto Attiniaci habuit, in præſentia totius populi ſui peregit: in quo quidquid ſimilium rerum vel à ſe, vel à Patre factum invenire potuit, ſumma devotione emendare curavit.

Annales Newenaariani & Reuberiani ad h. a. & Eckhart. T. II. L. 28. *N.* 178. *ad h. a. refert.*

Biographus Ludovici Pii. In Conventu generali in loco, cujus vocabulum eſt Attiniacus, convocatis ad Concilium Epiſcopis, Abbatibus, Spiritualibúsque Viris, nec non & regni ſui Proceribus, primò quidem fratribus reconciliari ſtuduit, quos invitos attonderi fecerat, deinde omnibus, quibus aliquid læſuræ intuliſſe videbatur. Poſt hæc autem palàm ſe erràſſe confeſſus, & imitatus Theodoſii Imperatoris exemplum pœnitentiam ſpontaneam ſuſcepit, tam de his, quam, quæ in Bernardum nepotem proprium geſſerat, & corrigens ſi quid talium vel à ſe, vel à Patre ſuo geſtum reperire alicubi potuit, etiam plurimarum eleemoſynarum elargitione, ſed & ſervorum Chriſti orationum inſtantiâ, nec non propriâ ſatisfactione à Deo divinitatem ſibi placare curabat, quaſi hæc, quæ legaliter ſuper unumquemque decurrerant, ſuâ geſta fuerint crudelitate.

Biographus ex editione Pithoei pag. 377. *mihi.*

Fœmina non ignobilis genere, nomine Northildis de quibuſdam inhoneſtis inter ſe & virum ſuum vocabulo Agembertum

(a) *Eginhartus in Chronico.*

(b) *Hincmarus* L. de Divortio Lotharii & Theutbergæ. *Theganus addit* Drogoni Epiſcopatum Metenſem à Ludovico Pio datum fuiſſe, (ſed anno 823.) Hugoni Cœnobialia Monaſteria; Theodoricus tertius frater obiiſſe videtur, cum ejus reconciliati nulla mentio fiat. *Cointii conjectura eſt.*

bertum ad Imperatorem publicè proclamavit: quam Imperator ad Synodum destinavit, ut inde Episcopalis autoritas, quid agendum esset, decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad laicorum & conjuratorum eam remisit judicium, ut illi inter illam & suum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissimè præditi, eorúmque legalibus judiciis eadem fœmina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret. Si vero crimen aliquod esset, inde pœnitentiæ modum post illorum judicium ab Apostolica autoritate deposceret, secundùm quod sacri Canones præfixerunt, & imponere non negarent.

Nobilibus autem laicis sacerdotalis discretio placuit, quia de suis conjugibus eis non tollebatur judicium, nec à sacerdotali ordine legibus civilibus inferebatur præjudicium, & legem proclamationi fœminæ protulerunt, ac legali judicio quæstioni terminum contulerunt.

Hincmarus L. de Divortio Regis Lotharii & Theutbergæ, qui hanc Synodum magnam & universalem totius Imperii vocat.

CAPITULARE
ANNI DCCCXXIII.

Admonitionem generalem continens ad utriusque ordinis homines cum instructione Missorum Dominicorum, quos Imperator in diversas Regni Provincias destinabat.

Anno Christi DCCCXXIII. Paschalis Papæ VII. Ludovici Imperat. X.

INCIPIUNT CAPITULA.

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

PRÆFATIO.

I.

OMnibus vobis aut visu aut auditu notum esse non dubitamus, quia genitor noster & progenitores, postquam à Deo ad hoc electi sunt, in hoc præcipuè studuerunt, ut honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & status regni decens maneret. Nos autem juxta modum nostrum eorum sequentes exemplum, sæpe vestram devotionem de his admonere curavimus; & Deo miserente multa jam & emendata & correcta videmus, unde & Deo justas laudes persolvere, & vestræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre.

De Divina providentia in constitutione Domini Imperatoris, & de conservatione trium Capitulorum.

II. Sed quoniam complacuit Divinæ providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, ut Sanctæ suæ Ecclesiæ & regni curam gereremus, ad hoc certare & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus, ut tria specialiter Capitula & à nobis & à vobis, Deo opem ferente, in hujus regni administratione specialiter conserventur, id est, ut defensio & exaltatio, vel honor Sanctæ Dei Ecclesiæ & servorum illius congruus maneat, & pax, & justitia in omni generalitate populi nostri conservetur. In his quippe maximè studere, & de his in omnibus placitis, quæ vobiscum, Deo auxiliante, habituri sumus, vos admonere optamus, sicut debitores sumus.

De hoc, quod admonitor fidelium Dominus Imperator sit, & omnes fideles adjutores ipsius.

III. Sed quamquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur; tamen & Divina authoritate, & humana ordinatione ità per partes divisum esse, cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet, quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri esse debetis. Nec enim ignoramus, quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat. Et ideo prætermittere non possumus, quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.

De Sacro Ministerio Episcoporum, & de admonitione Domini Imperatoris ad Episcopos.

IV. Sed quoniam scimus, quod specialiter pertineat ad Episcopos ut primum ad Sacrum Ministerium suscipiendum justè accedant, & in eodem ministerio religiosè vivant, & tam bene vivendo quam rectè prædicando populis sibi commissis iter vitæ præbeant, & ut in Monasteriis in suis parochiis constitutis sancta religio observata fiat, & ut unusquisque juxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant, omnes vos in hoc sacro ordine constitutos & officio pastorali functos monemus atque rogamus, ut in hoc maximè elaborare studeatis, & per vosmetipsos, & per vobis subjectos; quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerii nobis commissi existatis, ut in judicio non condemnari pro nostra & vestra negligentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur, & ubicunque per negligentiam Abbatis aut Abbatissæ vel Comitis sive vassi nostri, aut alicujus cujuslibet personæ aliquod vobis difficultatis in hoc apparuerit

rit obſtaculum, noſtræ dinoſcentiæ id ad tempus inſinuare non differatis; ut noſtro auxilio ſuffulti, quod veſtra authoritas expoſcit, famulante, ut decet, poteſtate noſtra perficere valeatis.

De admonitione Domini Imperatoris ad Epiſcopos, de Sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus, & de ſcholis.

V. De Sacerdotibus verò ad veſtram curam pertinentibus magnum adhibete ſtudium, ut qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad ſuam portionis curam pertinentibus exemplo & verbo proſint, à vobis cum magna curâ edoceantur, & admoneantur, & id ut facere ſtudeant, veſtra pontificali authoritate conſtringantur. Quidquid autem in illis à populis juſtè reprehenditur in exemplo propriæ converſationis, veſtra providentia corrigere non negligat. Ne verò Eccleſiæ illis commiſſæ in reſtauratione, aut in luminaribus juxta poſſibilitatem rerum ab illis negligantur, veſtra nihilominus invigilare debet ſolertia. Et ſicut alios prohibetis, ne de manſis ad Eccleſiæ luminaria datis aliquid accipiant, ſic vel vos & veſtri Archi-Diaconi de eiſdem manſis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis; ſed potiùs ad id, ad quod data ſunt, ſervire concedantur; ut totum, ſicut dictum eſt, in reſtauratione Eccleſiarum & luminaribus veſtra auctoritate & ſtudio cedere poſſit. Scholæ ſanè ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.

De admonitione ad Comites pro utilitate Sanctæ Dei Eccleſiæ.

VI. Vobis vero Comitibus dicimus, voſque commonemus, quia ad veſtrum miniſterium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem Sanctæ Dei Eccleſiæ exhibeatis, & cum Epiſcopis veſtris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad ſuum miniſterium peragendum præbeatis, & ut vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & juſtitiam faciatis, & quæ noſtra auctoritas publicè fieri decernit, ut in veſtris miniſteriis ſtudioſè perficiantur, ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem, ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterii noſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſticia facienda, voſmet ipſos coram Deo, & coram hominibus tales exhibeatis ut & noſtri veri adjutores, & populi conſervatores juſtè dici & vocari poſſitis; & nulla quælibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium aut timor, vel gratia ab ſtatu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum & proximum ſemper juſtè judicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adjutores & defenſores & Sanctæ Eccleſiæ vel ſervorum illius honoratores juxta veſtram poſſibilitatem ſitis. Illos quoque, qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis ſive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compeſcite. Et ſi aliqua perſona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat, ut noſtra auctoritate adjuti miniſterium veſtrum dignè adimplere poſſitis.

De admonitionm ad laicos pro honore Eccleſiaſtico conſervando.

VII. Omnes verò laicos monemus, ut honorem Eccleſiaſticum conſervent, & dignam venerationem Epiſcopis, & Dei Sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum ſuis devotè occurrant, & jejunia ab illis communiter indicta reverenter obſervent, & ſuos obſervare doceant, & compellant. Et ut etiam dies Dominicus, ſicut decet, & honoretur & colatur, omnes ſtudeant. Et ut liberius fieri poſſit, mercata & placita à Comitibus, ſicut ſæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur.

De admonitione ad Abbates & laicos pro Monaſteriis ex regali largitate ſibi commiſſis.

VIII. Abbatibus quoque & laicis ſpecialiter jubemus, ut in Monaſteriis quæ ex noſtra largitate habent, Epiſcoporum conſilio & documento ea, quæ ad religionem canonicorum, monachorum, ſanctimonialium pertinent, peragant, & eorum ſalubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant.

De admonitione ad Episcopos, Abbates, & ad omnes fideles pro Comitum adjutoriis.

IX. Episcopis iterum, Abbatibus, & vassis nostris & omnibus fidelibus laicis dicimus, ut Comitibus ad justitias faciendas adjutores sitis.

De admonitione ad Episcopos, vel omnes pro concordia ad invicem, & cum ceteris fidelibus.

X. Episcopi verò vel Comites & ad invicem, & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adjutorium ferant.

De admonitione ad omnes generaliter pro caritate & pace ad invicem.

XI. Omnibus etiam generaliter dicimus, ut caritatem & pacem ad invicem habeatis, & generalem jussionem nostram observare decertetis, & Missis nostris pro qualicunque scilicet aut Ecclesiastica, aut publica utilitate, vel opportunitate à nobis directis nostri honoris causa honorem exhibeatis, & nostræ propter auctoritatis venerationem ea, quæ per illos injungimus, agere non negligatis.

De hoc, quod unusquisque Episcoporum, vel Comitum partem ministerii regalis habeat, & de testimonio ipsorum ad invicem.

XII. Et quoniam sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partem habere dignoscitur, volumus studere, & per clamatores, & per alia quælibet certa indicia, & per Missos nostros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis, comperire, qualiter scilicet Comites justitiam diligant & faciant, & quam religiosè Episcopì conversentur, & prædicent, & amborum relatu de aliorum fidelium in suis ministeriis consistentium æquitate & pace atque concordia cognoscere. Similiter etiam volumus ut omnes illis & illi omnibus de communi societate & statu à nobis interrogati verum testimonium sibi mutuo perhibere possint.

De causa orta ad inhonorationem regni pertinente.

XIII. Et si talis causa in qualibet Provincia aut in aliquo Comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis; qui omnia corrigere debemus: quia quidquid hactenus in his, quæ ad pacem & justitiam totius populi pertinent, & ad honorem regni & communem utilitatem aut à nobis, aut à vobis neglectum est, debemus, Deo auxiliante, certare, qualiter ab hinc nostro & vestro studio emendatum fiat.

De pace in itinere exercitali custodienda.

XIV. De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi præterito anno inlati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat, & accipiat.

De denuntiatione, ut qui in hostem pergunt, suos, qui in suo obsequio sunt, unusquisque cognoscat.

XV. Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, ut cognoscat unusquisque omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum; & quidquid ipsi in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere; ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem sive coram nobis, sive coram Misso nostro, dignas pœnas persolvat; & senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in nostro regno prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si antè eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur; ut scilicet neuter eorum sine justa vindicta remaneat.

De inhonoratione Regis propter negligentiam eorum, qui legationes malè recipiunt.

XVI. De inhonoratione quoque Regis & Regni, & mala fama in exteras natio-

nationes dispersa, propter negligentiam eorum, qui legationes ad nos directas in suis mansionibus aut malè recipiunt, aut constitutam à nobis expensam non tribuunt, aut paravereda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut, quod perpessimum est, apertas violentias eos cædendo, & res eorum diripiendo, in ipsis exercere non pertimescunt, hoc omnibus notum esse volumus, quod quicunque ex his, qui honores nostros habent, abhinc negligentiam hanc emendare non certaverit, & suos homines, qui ejus vice hoc agere debent, ut id bene perficiant, non instruxerit aut constrinxerit, ut ulteriùs illud negligere non præsumant, & honorem nostrum, & regnum nobis commissum custodire contempserit, nec nostrum, nec regni nostri honorem ulterius volumus ut habeat; sed volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum procuratores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocunque & undecunque legatio advenerit, & aut litteras, aut Missum viderint, honorificè illam in omni loco Imperii nostri, propter nostrum & totius regni honorem, omnes suscipere valeant.

De locis, in quibus legationes recipiendæ sunt.

XVII. In illis verò locis, ubi modo via, & mansionatici à genitore nostro, & à nobis per Capitulare ordinati sunt, Missos ad hoc specialiter constitutos, qui hoc jugiter prævideant, habeant, ut omnia, quæ ad easdem legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti, ad tempus præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longe quærere, vel adducere, quando tempus est illa dare, vel persolvere. In cæteris verò locis per totum Imperium nostrum unusquisque fidelium nostrorum, & per se, & per ministros suos, sicut diximus, sedulam vigilantiam adhibeat.

De admonitione unius monetæ.

XVIII. De moneta verò, unde jam per tres annos, & admonitionem fecimus, & tempus quando una teneretur, & aliæ omnes cessarent, constituimus, hoc omnibus notum esse volumus, quoniam, ut absque ulla excusatione cito possit emendari, spatium usque ad Missam Sancti Martini dare decrevimus, ut unusquisque Comitum in suis ministeriis de hoc jussionem nostram tunc possit habere adimpletam; quatenus ab illa die non alia, sed illa sola per totum regnum nostrum ab omnibus habeatur, juxta illam constitutionem, sicut in Capitulis, quæ de hac re illis Comitibus dedimus, in quorum ministeriis moneta percutitur, constitutum est. Quia tunc volumus Missos nostros regni hujus rei gratia dirigere per singulos comitatus, qui diligenter inquirant, qualiter Comites in hoc nostram jussionem adimplere certaverint. Et quicunque negligens inde inventus fuerit, volumus, ut ante nostram præsentiam quantocius venire jubeatur, & rationem reddat, utrum hoc, quod jussimus, facere noluerit, aut non potuerit; aut si aliqua re præpediente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non adnuntiavit. Quia si ipse aut non voluit, aut suæ negligentiæ causa non potuit, nos talem invenire volumus, qui hoc, quod jubemus, servare velit & possit. Ut autem jussio nostra in hac re citius impleatur, volumus, ut quicunque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, à Comite & Ministris ejus auferatur ab eo.

De injustis teloneis.

XIX. Similiter quoque de injustis teloneis, de quibus qualiter ab omnibus observandum esset, & capitulis constituimus, & creberrimas admonitiones fecimus, prædicti Missi nostri volumus, ut inquisitionem faciant, à quibus nostra jussio in hoc adimpleta, à quibus quoque sit neglecta, & eum, qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat jussus præsentiam, ut cito rationem de his, sicut superius diximus, reddat, & si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut ceteris negligentibus exemplum terroris præbeat.

De pontibus, ubi antiquitus fuerunt, renovandis.

XX. Ut ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis, ubi tempore genitoris nostri ipso jubente diversarum necessitatum causa facti sunt, omnino absque ulla dilatione ab his, qui eos

tunc fecerunt, reſtituantur & renoventur, ità ut ad miſſam ſancti Andreæ reſtaurati fiant; niſi fortè aut ipſa operis magnitudo aut aquarum in quolibet mundatio hoc prohibeat. Aliter verò nullus qualibet occaſione hoc negligere aut differre præſumat, quin ad prædictum tempus completum fiat. Et Miſſi noſtri, quorum ſuperius mentionem fecimus, volumus ut renuntient, in quibus locis noſtra juſſio impleta, in quibus neglecta eſt, aut aliqua impoſſibilitate vel certa ratione delata.

De nonis & decimis.

XXI. De nonis quidem & decimis, unde & genitor noſter & nos frequenter, & in diverſis placitis admonitionem fecimus, & per capitularia noſtra, qualiter hæc obſerventur, ordinavimus, volumus atque jubemus ut de omni conlaborato & de vino & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima perſolvatur. De nutrimine vero prodecima, ſicut hactenus conſuetudo fuit, ab omnibus obſervetur. Si quis tamen Epiſcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in ſua maneat poteſtate, juxta quod ei & illi, qui hoc perſolvere debet, convenerit.

De operibus in reſtaurationem Eccleſiarum adimplendis

XXII. Similiter quidem de operibus in reſtaurationem Eccleſiarum, ſive in faciendo, ſive in redimendo Epiſcopalis potius ſequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat, quin, ſicut à nobis ſæpè juſſum eſt, hoc aut illud partibus Eccleſiarum perſolvatur. Et hoc omnbus notum ſit, quia quicunque negligenter exinde egerit, & coram nobis exinde negligens repertus fuerit, illud volumus omnino, ut ſubeat, quod in noſtro capitulari de hac re communi conſultu fidelium noſtrorum ordinavimus.

De Comitibus ut Miniſtris Eccleſiæ in ſuis miniſteriis adjutores ſint.

XXIII. Comites vero miniſtris Eccleſiæ in eorum miniſteriis, ut hoc pleniùs & de noſtris, & de ſe, & de ſuis hominibus obtinere poſſint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque prima & ſecunda vice de his à Comite admonitus non ſe ſe correxit, volumus, ut per eundem Comitem ejus negligentia ad noſtram notitiam perferatur, ut noſtra auctoritate, quod in noſtro capitulari continetur, ſubire cogatur.

De Capitulis à Concellario palatii ab Archi-Epiſcopis & Comitibus accipiendis.

XXIV. Volumus etiam, ut Capitula, quæ nunc & alio tempore conſultu noſtrorum fidelium à nobis conſtituta ſunt à Cancellario noſtro Archi-Epiſcopi (*a*) & Comites eorum de propriis civitatibus modo aut per ſe aut per ſuos Miſſos accipiant, & unusquiſque per ſuam diœceſim ceteris Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & aliis fidelibus noſtris ea tranſcribi faciant, & in ſuis Comitatibus coram omnibus relegant; ut cunctis noſtra ordinatio & voluntas nota fieri poſſit. Cancellarius tamen noſter nomina Epiſcoporum & Comitum, qui ea accipere curaverint, notet, & ea ad noſtram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præſumat. Vaſſi quoque & vaſſalli noſtri nobis famulantes volumus, ut condignum apud omnes habeant honorem, ſicut à genitore noſtro & à nobis ſæpe admonitum eſt.

De nominibus locorum, in quibus Miſſi Dominici legatione funguntur.

XXV. In Veſontio, quæ eſt Diœceſis Bernoini Archi-Epiſcopi, Heiminus Epiſcopus & Monogoldus Comes. In Mogontina, quæ eſt diœceſis Heiſtulfi Archi-Epiſcopi, idem Heiſtulfus Epiſcopus & Ruotbertus Comes. In Treviris Hetti Archi-Epiſcopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archi-Epiſcopus & Eemundus Comes. In Remis Ebbo Archi-Epiſcopus, quando potuerit; & quando ei non licuerit, Ruotadus Epiſcopus (*b*) ejus vice & Ruotfridus Comes ſint ſuper ſex videlicet

(*a*) Vide laudatiſſimam vigilantiam Ludovici Auguſti tam pro Executione Capitulorum Regiorum, quàm Canonum Eccleſiaſticorum, aliorúmque, quorum cuſtodia apud Cancellarium, qui ordinariè Archi-Capellanus Regis erat, ſanctiſſima fuit: ab his per Archi-Epiſcopos ad Epiſcopos, ab Epiſcopis ad omnes Clericos & populum notitia Capitularium Regiorum & Eccleſiaſticorum derivabatur, conſervabatur, & perpetuabatur.

(*b*) Sueſſionenſis, quia Ebba eo anno Converſione Danorum occupabatur.

cet Comitatus, id eſt, Remos, Catalaunem, Sueſſionem, Silvanectem, Belvacum, & Laudunum. Super quatuor vero Epiſcopatus, qui ad eandem Dioceſim pertinent, id eſt, Noviomacenſem, Ambianenſem, Tarvanenſem, & Camaracenſem, Ragenarius Epiſcopus, (c) & Berengarius Comes. Senones Hieremias Archi-Epiſcopus & Donatus Comes. Rotomagum Willebertus Archi-Epiſcopus & Ingobertus Comes. Turonem Landrannus Archi-Epiſcopus & Ruotbertus Comes. Lugdunum, Tarentaſia, & Vienna Albericus Epiſcopus (d) & Richardus Comes.

De commemoratione ad legationem prædictorum Miſſorum pertinente.

XXVI. Commemoratio quid ad prædictorum Miſſorum legationem pertineat. Primò, ut conventum in duobus aut tribus locis congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire poſſint; & omnibus generaliter notum faciant; qualis ſit eorum legatio; ſcilicet ad hoc ſe eſſe à nobis Miſſos conſtitutos; ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat. Et ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur. Et ſi fortè Epiſcopus aut Comes aliquid negligentius in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur. Et omnis populus ſciat ad hoc eos eſſe conſtitutos, ut quicunque per negligentiam, aut incuriam, vel impoſſibilitatem Comitis juſtitiam ſuam adquirere non poterit, ad eos primum querelam ſuam poſſit deferre, & per eorum auxilium juſtitiam adquirere, & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipſi verò Miſſi non ſine certiſſima cauſa vel neceſſitate huc illucque diſcurrant; niſi fortè quando tale aliquid in cujuslibet miniſterio ad legationem ſuam pertinente ortum eſſe cognoverint, quod eorum præſentiâ indigeat, & ſine illorum conſilio vel adjutorio emendari non poſſit. Inde tamen debent eſſe ſolliciti, ut propter illorum negligentiam nihil in ſua legatione incorrectum remaneat, ſed ubi certam & veram neceſſitatem cognoverint, noſtram juſſionem adimplere non negligant.

De hoc, quod per Miſſos Dominicos ea, quæ per Capitula ſtatuta ſunt, omnibus nota fieri debeant.

XXVII. Volumus etiam, ut omnibus notum ſit, quia ad hoc conſtituti ſunt, ut ea, quæ per capitula noſtra generaliter de quibuscunque cauſis ſtatuimus, per Miſſos nota fiant omnibus, & in eorum procuratione conſiſtant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi fortè aliquo tali impedimento, quod per eos emendari non poſſit, aliquid de his, quæ conſtituimus ac juſſimus, remanſerit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur, quod per eos corrigi non potuit.

Admonitio ad eos, qui legatione funguntur.

XXVIII. Noſſe vos credimus, quanti ſit ponderis legatio, quam vobis commiſimus, & quam ſit periculoſum tantæ rei curam negligere, quantam vos pro noſtra omnium communi ſalute ex noſtra obligatione ſuſcepiſſe non ignoratis. De qua re, cùm vos interrogaſſemus, non ſic nobis reſponſum eſt, ut in eo reſponſo ſufficere potuiſſet ad eam diſpoſitionem, quam rerum neceſſitas ad communem utilitatem pertinentium poſcere videbatur, vel quæ nobis aliquod ſecuritatis ſolatium afferre potuiſſet. Et hoc ideo veniſſe perſpeximus, quia anno præterito, quando Capitula legationis veſtræ vobis dedimus, cautè vos obſervare juſſimus, ne ſine cauſa his, quos honoratos eſſe volumus, aliqua fieret injuria. Quapropter volumus vobis notum facere, qualiter nunc Domino adjuvante eandem juſſionem noſtram debeatis adimplere. Volumus, ut Miſſi noſtri, quos ad hoc conſtitutos habemus, ut curam & ſollicitudinem habeant, quatenus unusquisque, qui rector à nobis populi noſtri conſtitutus eſt, in ſuo ordine officium ſibi commiſſum juſtè ac Deo placitè ad honorem noſtrum, ac populi noſtri

E

(c) Ambianenſis. (d) Lingonenſis.

ſtri utilitatem adminiſtret, in hunc modum cognoſcendi diligentiam adhibeant, ſi ea, quæ Capitulari noſtro, quod eis anno præterito dedimus, continentur, ſecundum voluntatem Dei ac juſſionem noſtram fiant adimpleta. Itaque volumus, ut medio menſe Majo conveniant iidem Miſſi unuſquiſque in ſua legatione, cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ac Vaſſis noſtris, Advocatis noſtris ac Vicedominis Abbatiſſarum, nec non & eorum, qui propter aliquam inevitabilem neceſſitatem ipſi venire non poſſunt ad locum unum. Et ſi neceſſe fuerit, propter opportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maximè propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat. Et habeat unusquisque Comes Vicarios, & centenarios ſuos, nec non & de primis Scabineis ſuis tres aut quatuor. Et in eo conventu primum Chriſtianæ religionis & Eccleſiaſtici ordinis collatio fiat. Deinde inquirant Miſſi noſtri ab univerſis, qualiter unusquisque illorum, qui ad hoc à nobis conſtituti ſunt, officium ſibi commiſſum ſecundum Dei voluntatem ac juſſionem noſtram adminiſtret in populo, & quam concordes atque unanimes ad hoc ſint, vel qualiter viciſſim ſibi auxilium ferant ad miniſteria ſua peragenda. Et tam diligenter ac ſtudioſè hanc inveſtigationem faciant, ut omnem rei veritatem per eos cognoſcere valeamus. Et ſi aliqua talis cauſa ad eorum notitiam perlata fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, ſecundum qualitates cauſarum, quæ in noſtro Capitulari continentur, tunc volumus, utilluc pergant, & ex noſtra auctoritate illud corrigere ſtudeant.

Baluz. Tomo I. Capitular. pag. 631. *& ſeqq.*

Aquisgrani hoc Capitulare editum cenſet *Eckhartus Hiſtor. rerum Franc. L. XXVIII.* §. 222. Non Attiniaci, uti Sirmondus putabat. Rationem dat eam, quæ Cap. V. hujus Capitularis dicitur: " Scholæ ſane ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos & edocendos, ſicut nobis in præ- " terito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis injunximus . . . non negligantur. " Annus ergo ſaltem ab Attiniacenſi Synodo effluxerat, antequam hoc Capitulare conderetur. Idem Cointius judicat.

CONCILIUM EPISCOPORUM AQUISGRANI.

Anno Chriſti DCCCXXV. Eugenii II. Papæ II. Ludovici Imp. XII.

ACTIO. Decretum de transferendo Corpore S. Huberti Leodio Andainum.

POſtquam WALCANDUS Leodienſis Epiſcopus Andagium reſtituiſſet, & Canonicis ſublatis Monachos inſtituiſſet, & vitam regularem in eo in tantum promoviſſet; ut plures etiam ex ſuo Lamberti collegio illuc convolarent ad meliorem vitam: à quibus requiſitus, ut corpus S. Huberti illis ad devotionem & cultum concederet, "tribus annis eorum petitionem diſtulit. " Sed cùm ab ipſis Venerandis Viris " magnopere, ut id eis concederet, exigeretur; prudenti conſilio cuncta " peragens, ADEBALDUM (a) Venerabilem Virum Metropolitem ſuum " ſuper hac re conſuluit, qui & ipſe in " tanta re conſilium ſuum, ut decebat " ſummæ humilitatis virum, reputans " minimum, ratum duxit, ut una Chri- " ſtianiſſimum atque orthodoxum Prin- " cipem *Ludovicum* Imperatorem adi- " rent, &, quæ eos pulſaret fratrum " peti-

(a) Hadabaldum, Metropolitam Colonienſem, interfuiſſe & præſediſſe huic Concilio Provinciali Authores teſtantur *Jonas Ep. Aurelianenſis de Translatione S. Huberti.* *Ducheſne Tomo III. Scriptor. Franciæ pag.* 394.

" petitio, pariter edicerent. Qui & " ipſe glorioſus atque invictus Auguſtus " conſiderans rem pergrandem, atque " paucorum vires magnitudine ſui tran- " ſcendentem, ad *Concilium* Venerabile " Epiſcoporum, quod tunc temporis " apud Aquasgrani congregatum erat, " ſtatuit conferendum, & quid de his " eſſet agendum, à ſententia Sancti " Conventûs magnopere flagitandum. " Isdem autem venerabilis, ac prorſus " Deo amabilis Conventus, conſidera- " tis undique partibus, ſcilicet, qui, & " quam rem peterent, ſed & reverentia " Domini Confeſſoris, ſanxerunt, tot " religioſorum virorum voto, ſancti viri " oſſa committi, & in Monaſterio ſu- " pradicto, ubi religioſius honorarentur, " collocari.

" Quorum ſententiæ ſæpedictus " Pontifex obedientiam præbuit, conſi- " lio aſſenſit, & petentibus jam dictis " Viris Venerandis, Sanctiſſimi Viri " Huberti corpus attribuit. Nam anno " Ordinationis ipſius XVI: qui eſt In- " carnationis Dominicæ DCCCXXV. " XI. Kalend. Octobris ad beatiſſimi " Confeſſoris ventum eſt urnam, atque " à Sacerdotibus cum maxima reveren- " tia à loco ſepulturæ ejus effoſſa, indi- " démque cùm religioſi populi, gra- " dúsque Eccleſiaſtici frequentia in B. " Lamberti Eccleſiam Sancti Viri oſſa " ſunt transvecta, ubi triduo orationi- " bus & vigiliis proſecuta, pridie Ka- " lendas Octobris ad memoratum Mo- " naſterium cum loculo ſuo ſunt perlata, " ibidémque Chriſto annuente, ut tanto " Confeſſori competebat, ſunt decenter " condita.

Duchesne Tomo III. Scriptorum Franciæ. pag. 394.

Sanctus Hubertus poſt S. Lambertum Epiſcopus anno 709., ad ſuperos migravit anno 728, & in Sancti Petri tumulatus. Corpus ejus levatur à Karlomanno Rege anno 744, multiſque honoribus afficitur. Tum Walcandus Epiſcopus de conſenſu Regis Ludovici, & Metropolitani, & SYNODI, corpus idem in Andaginenſe Monaſterium tranſtulit, unde illi nomen remanſit. *Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, Autor coævus de Translatione S. Huberti Tungrenſis.*

PUBLICUS CONVENTUS OPTIMATUM ET SACERDOTUM CORAM AUGUSTO LUDOVICO PIO IN INGELHEIM CIRCA KAL. JUNII.

Anno Chriſti DCCCXXVI. Eugenii II. Papæ III. Ludovici Pii XIII.

Leo Centumcellenſis Epiſcopus, & Theophilactus Nomenclator ab Eugenio Papa directi ad Imperatorem, Ingelheimii excepti fuerunt.

ACTIO I. Baptiſmus Herioldi, Daniæ Regis & Familiæ.
II. Miſſio prima S. Anſgarii in Daniam ad prædicandum Evangelium.
III. Varia Capitularia de & pro Eccleſia.

HErioldus quidam Rex, qui partem Danorum tenebat, ab aliis ipſius Provinciæ Regibus, odio & inimicitiâ conventus, Regno ſuo expulſus eſt. Qui Sereniſſimum adiit Imperatorem LHudowicum (*circa Calendas Junii in Ingelheim*) poſtulans, ut ejus auxilio uti mereretur, quo Regnum ſuum denuo evindicare valeret. Qui eum ſecum detentum, tam per ſe, quàm per alios ad ſuſcipiendam Chriſtianitatem cohortatus, quod ſcilicet inter eos ità major familiaritas eſſe poſſet, Populúsque Chriſtianus ipſi ac ſuis promptiori voluntate in adjutorium ſic veniret, ſi uterque unum Dominum coleret: tandem gratia Divi-

Divina tribuente ad fidem convertit, & ſacro Baptiſmate perfuſum ipſe de ſacro fonte ſuſcepit, (a) ſibíque in filium adoptavit. Quem cùm iterum ad ſua remittere vellet, ut ejus auxilio munitus Regni ſui fines repeteret; cœpit diligentius quærere, ſi quem invenerit ſanctæ devotionis virum, qui cum eo ire poſſet, eíque continuò adhæreret, fierétque illi & ſuis ad corroborandam, ſuſcipiendámque fidem Domini Magiſter doctrinæ ſalutaris. De hoc itaque prædictus Auguſtus in publico Conventu (*in Saltz vel Ingelheim*) Optimatum ſuorum cum Sacerdotibus, cæteríſque fidelibus ſuis tractare cœpit, & ut ſibi aliquem ad tale opus & voluntarium & condignum invenirent, ſollicitius omnes rogare. Quod cùm univerſi abnuerent, nullatenus ſe quemquam ſcire dicentes tantæ devotionis virum, qui peregrinationem tam periculoſam pro Chriſti nomine ſuſcipere vellet. Extitit tunc temporis Venerabilis Abbas Monaſterii veſtri Walo, (b) qui memorato Imperatori dixit: unum ſe ſcire Monachum in Monaſterio ſuo, qui multo ardore circa Divinam Religionem ferveret, ac pro Dei nomine multa pati deſideraret, cujus quoque pariter inſtitutionem ac mores laudavit, & quod ad hoc opus eſſet ſatis idoneus, indicavit. Sed tamen ſe neſcire teſtatus eſt, utrum ad hanc peregrinationem tolerandam voluntarius eſſet. Quid plura? jubente Rege evocatur ad Palatium: cui Abbas cuncta, quæ acta & dicta ſunt, retulit, &, ad quid vocaretur, aperuit. Qui ſe ad ſervitium Dei in omnibus, quæ ei causâ obedientiæ injungerentur, paratum eſſe reſpondit. Deductus itaque ad præſentiam Auguſti, cùm ab ipſo interrogaretur, utrum pro Dei nomine ad prædicandum in gentibus Danorum comes fieri vellet Herioldi? omninò ſe velle conſtanter reſpondit.

Philippus Cæſar in Triapoſtolatu Septentrionis, in vita S. Anſgarii pag. 57. 58.

(a) *Biographus Ludovici Pii ad hunc annum.* Juditha Matrina Reginæ Danorum. Carolus Puer Regius, Patrinus Filii Herioldi Regis Danorum: Palatini Cæſarei Patrini Palatinorum Regis Daniæ. *Theganus de geſtis Ludovici Pii*, & *Eginhardus in Annalibus. Ermoldus Nigellus* fuſiſſimè & accuratiſſimè hoc factum exponit.

Ingelheimii baptizatum Herioldum, & quidem ab Epiſcopo Wurceburgenſi Wolfgario, credidit *Eckhartus Tomo II. Hiſtor. Franc. L.* 28. §. 23. etſi Annales Laureshamenſes, & Biographus Ludovici Pii Moguntiæ ad S. Albanum baptizatum Herioldum cum ſuis narrent; ſed *Ermoldus Nigellus*, & *Theganus* præferendi videntur, qui Ingelheimii factum indicant.

(b) Wala ſcribunt alii, Gallicæ Corbeiæ Abbas, & Autgarius Monachus ejuſdem Comes.

Comitia in Ingelheim alia menſe Octobri habuit Imperator, ſeu Conventum populi generalem hoc anno 826, diverſum ab eo, quem menſibus Majo & Junio in eodem Palatio Ingelheimenſi celebravit.

CAPITULA
DOMINI HLUDOVICI
IN INGILENHEIM
APOSTOLICA AUCTORITATE ET SYNODALI SANCTIONE, OMNIUM CLERICORUM AC LAICORUM GENERALITER CONSENSU ATQUE HORTATU DECRETA.

De his, qui rapinas infra regnum faciunt.

I.

SI quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli ejusque homini aliquod vi abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulerit legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos nobis perſolvat. Poſtmodum vero ante nos à Comite adducatur; ut in baſtonico retruſus, uſque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam ſi publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta Sanctorum Canonum Sanctionem. Si vero occultè, Sacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam:

tiam: quoniam raptores: ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui verò de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius judicetur: quia Sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ.

De Sacerdotibus & Levitis, atque Monachis interfectis, vel debilitatis.

II. Si quis Sacerdotem vel Levitam aut Monachum interfecit vel debilitaverit, juxta statuta priorum Capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos nobis persolvat, & arma relinquat, atque in Monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat, nusquam postmodum sæculo vel sæcularibus militaturus neque uxori copulaturus.

De his, qui Episcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerint.

III. Si quis Episcopo aliquam injuriam aut injustam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia, quæ habere visus fuerit, Ecclesiæ, cui præesse dinoscitur, integerrimè socientur, & nobis in triplo bannus noster, id est, sexaginta solidi persolvantur, aut ipse in servitio fisco nostro servitурus semper societur usque se redimere in triplo juxta Wirigildum suum potuerit. Sancta vero Ecclesia in Sacerdotibus constat. Idcirco magna pœna plectendi sunt, qui Episcopis vel reliquis Sacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractatio Sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice legatione in Ecclesia funguntur.

De religiosa muliere decepta, id est, veste mutata, vel religionem professa.

IV. Si quis rapuerit, aut sollicitaverit, vel corruperit religiosam feminam, bona amborum Ecclesia vindicet, in qua talis mulier habitavit. Ipsi tamen capitali periculo subjiciantur. Quod si hoc mulier non consensit, cum suis rebus Monasterii ditionibus tradatur. Si vero Comes ipsius pagi, unà cum consilio sui Episcopi, in cujus parochia tale scelus commissum est, hoc vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, atque publica pœnitentia multetur, & insuper Wirgildum suum fisci viribus dare compellatur.

De blasphemia in Deum.

V. Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab Episcopo vel Comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur, ut publica pœnitentia multetur, donec precibus proprii Episcopi publicè reconcilietur, Ecclesiæque gremio Canonicè reddatur.

De his, qui in domo sua oratorium fecerint.

VI. Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibidem potest. Missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, sinè permissu, vel dedicatione Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes vero, qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia multetur.

De privilegiis Ecclesiarum, & Clericorum non corrumpendis.

VII. Ut privilegia, quæ Ecclesiis, & Clericis ab antecessoribus nostris, vel nobis concessa sunt, semper maneant incorrupta.

Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 647. & Lib. VI. Capitularium Benedicti Levitæ Cap. XCVII.

Kalendis Junii Mensis ad Ingelheim venit, ibidémque illi Conventus populi sui, secundùm quod præceperat, occurrit in eodem Placito secundùm morem suum, multa, quæ Ecclesiæ essent, utilia admonuit, statuit ac definivit, Legationésque tam à Sancta Sede Romana, quàm à monte Oliveti per Dominicam Abbatem perlatas suscepit, audivit, absolvit Hludovicus Pius Imp. *Biographus Ludovici Pii,* unde *Sirmondus ad hunc annum* refert.

SYNODUS IN WALACRIA (*a*)

SUB S. FRIDERICO EPISCOPO ULTRAJECTINO. (*b*)

SUMMARIUM. S. Fridericus ipſus navigat in Walachriam, evangelizat Chriſtianæ Legis conjugium, damnat illicitas nuptias, mittit præcones per Inſulam: Convertuntur Walachri; abjiciunt perperam nuptas; agunt impoſitam ab Epiſcopo pœnitentiam.

N. 22. FRidericus, Ultrajectenſis Epiſcopus, ſalutatis ex ordine fratribus Domus Ultrajectinæ, navem conſcendit & vento proſpero, ut libuit, Walachram applicuit, ingrediénsque Inſulam perrexit ad Eccleſiam, & interim vir dictus in pratis ſuum juſſit figi tentorium, quem, dum incolæ illius viderent adeſſe Patriæ, multi, quibus ſana fuerat mens, undeque confluxerunt ad eum, & cum honore condigno ſuſceperunt: plurimique vero ſupradictis *inceſtorum conjugiorum* polluti criminibus adverſus eum jam arma parabant velut ad prælium, dicentes illum interimi, ſi ipſis aliquid faceret incommodi. Hoc dum ad Præſulis perveniſſet auditum, ſanctam cunctis juſſit annuntiari Synodum, & quicunque non veniret, ſe ſciret excommunicandum, & poſt vitæ tranſitum, æternum ſupplicium minabatur. At illi, cùm iſta pro nihilo ducerent, & in perverſitate ſua permanerent, ſoli Seniores ad ſanctam venerunt Synodum, & in omnibus, ut juſtum fuerat, extiterunt obedientes.

N. 23. Beatus autem Pontifex, ut vidit indurata corda eorum, & ſe fruſtra in acquiſitione eorum laborare, flendo omnes, qui aderant, ſuppliciter rogabat ſenes, ut in deſtruendis tam inviſis conjugiis, quam melius poſſent, adjutores exiſterent, & Domino talentum duplicatum offerrent. Quod illi complentes ubique perrexerunt, ſupradictos admonentes & poſtulantes, ut ita non facerent, ſed veniam Epiſcopi, cui ad regendum erant commendati, quærerent, & culpabiles ſe in omnibus redderent, ne, ſi forte hæc negligerent, Dominus plagis aut in barbaris, aut aliis in peſtibus, vel in fame totam illam conſumeret terram, eo quod illum ſuperpoſitum illis deſpicerent Paſtorem. Ipſe enim cum Clericis in Sancta remanſit Eccleſia, gemitibus inenarrabilibus orans & deprecans Dominum, ut aperiret corda illorum, & daret eis ſenſum agendi pœnitentiam, ac bono in opere permanendi conſtantiam, ne poſt emendationem ſcelerum, veluti canes, redirent ad vomitum.

N. 24. Tunc ejus oratio exaudita eſt pro certo: nam die ſequenti illo cum Clericis de Divinis ſermocinanti Scriptura, ex Villis per gyrum fit ad eum populi concurſio maxima, quærens ex eodem veniam, & promittit dignam de omnibus agere pœnitentiam. Præſul de talibus continuo mirum in modum lætus effectus, Sanctam intravit Synodum, & dixit eis, nullam poſſe agere dignam pœnitentiam niſi priùs relinquerent, & execrarent conjugia, & juramine firmarent, ne ea poſt hæc repeterent. Quod dum cuncti devotè peregiſſent, & jam pœnitentiam (*nempe ab Epiſcopo impoſitam*) ſuſciperent ſecundum conſilium, Vir Dei per aliquos inibi manſit dies, docens eos illa, quæ ſunt Dei. Ut autem inde abiit, magnæ ſanctitatis ad cuſtodiendam plebem illic reliquit Presbyteros, valedicénſque omnibus ordinatim, ſuos in redeundo luſtravit Parochias, cunctíſque bene diſpoſitis Trajectum venit.

Ex Codice MS. triplici ediderut Hagiographi Antwerpiani hanc vitam S. Friderici ad diem 18. *Julii pag.* 464. *Tomo IV. Julii.*

SYNO-

(*a*) Walacria Walkeren, Inſula eſt Zeelandiæ Provinciæ, cujus urbs præcipua Middelburgum, diſtat Ultrajecto minimum viginti quatuor milliaribus Gallicis communibus.

(*b*) Fridericus Ultrajectinus circa annum 826. fuit donatus Epiſcopatu Ultrajectino à Ludovico Pio Auguſto, & circa annum 838. martyrium ſubiiſſe creditur ab Hagiographis Antwerpienſibus *ad diem* 18. *Julii in actis Sanctorum pag.* 463.

SYNODUS IN EHINGEN.

Anno Chriſti DCCCXXVII. Gregorii IV. Papæ I. Ludovici Pii Imp. XIV.

Hitto, Friſingenſis Antiſtes, Synodum publicam celebravit in loco Ehingas nuncupato, & traditionem ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Cathedralem factam per Wicharium Presbyterum nomine Epuchonis acceptat X. Kal. Junias, Indict. V.

DUm veniſſet Hitto venerabilis Antiſtes ad illo loco, nominato Ehingas, Synodum habere, cum ſuis Parrochianis, eisque viam vitæ ſalutis æternæ oſtendere, ut duces eſſe poſſint earum ovium, qui regimine illorum ſubjecti conſiſtunt, ibique quidam homo veniens nomine Epucho, in præſentia Hittonis Epiſcopi, & Ellanti judicis, ſeu Oadalſcalhi Comitis, & tradidit in illo loco, qui dicitur Alhmuntingas, pro Wicharium Venerabilem Presbyterum, quod illi Pater ejus, & ſui Anteceſſores dimiſerunt in proprium, ſeu quidquid ibi habere videretur in ipſo Vico, in Capſa Sanctæ Mariæ ad Frigiſienſe ad illo Sede, ut ſtatim de iſto die præſente ibidem firmiter permaneret in poteſtate, & in ſervitio Sanctæ Mariæ, ut nulla perſona poſt iſta traditione poteſtatui Sanctæ Mariæ, & ipſe Eupucho contraplacitabat cum ſuo Wadio omnem queſtionem, quam habuit ad illo Vico contra Irminfridum Advocatum Hittonis Epiſcopi, ut deinceps alius nullus homo prælocutionem haberet de illa cauſa ad ipſa Caſa Dei. Iſti ſunt teſtes illius placiti per aures tracti: Ellanperht Judex, Oadalſchalh Comis, Irminfrid, Odolt, Eigil, Kepahoh, Heriperht, Adalker, Tuto, Willihelm, Cotafrid, Regino, Einheri, Heipo, Kerhart, Reginpald, Cozolt, Sigiwart, Tetti, Maho, Oadalker, Managolt, Iſaac, Treſo, Wolfperht, Wicco, Fridarich, Wichelm, Frumolt, Rihperht, Liuto, alius Rihperht, Adalpert, Reginolt, Rihdeo, Mootheri, Ratolf, Cotadeo, Manno, Ampricho, Liuthart, Chuniperht, Paldachar, Tozi, Iſanpert, Iſancrim, Erchanolf, Sulman, Cundpald, Alawih, Cundhart, Egino, Adalcrim, Sigilo, Tetti, Engilrih. Actum hoc ad Ehingas in X. Kal. Junias, anno Hloduwici Imperatoris ſui XIV. Indict. V. Ego quidem Undeo indignus Diaconus ſcripſi hanc Cartulam ex juſſu Hittonis Epiſcopi. Illius traditionis Fidejuſſor fuit Cotaperht.

Meichelbeck Hiſtor. Friſing. Tom. I. Part. II. Inſtrum. DIII. pag. 265.

ACTIO II.

SYNODI FRISINGENSIS AD EHINGAS.

Hitto, Epiſcopus Friſingenſis, in Synodo publica acceptat cenſum ſibi ſolutum ex hæreditate donata ab Fritilone Presbytero. III. Idus Majas.

NOtitia de traditione, quam jam olim Fritilo Presbyter fecit, quicquic habuit ad Priſingas propriæ hereditatis, vel adquiſitonis jam priſcis temporibus firmiter tradidit ad Frigiſingas, & annis ſingulis cenſum perſolvit ad domum Sanctæ Mariæ, hoc ſunt denarios XX. & iſti ſunt, qui viderunt, quod ad Chingas in publico Synodo in manus Hittonis Epiſcopi ipſum cenſum perſolvit. Anzo Comes, Rumolt, Reginperht, Willipato, Pilligrim, Paldachar,

dachar, Willihelm, Einheri, Hitto, Liutperht, Hrodperht, Kepahoh, Eigil, Wicco, Rihperht, Pezi, Sigilo, Waltheri, Tozi, Sigimot, Lantperht, Heimo, Reginhart, Friduperht, Irminfrid, Oadalker, Aroadilo, Rotefcalc, Wichelm, Otperht, Choanrat. Hoc factum eft in IV. Idus Majas.

Meichelbeck Hiftoriæ Frifingenf. Tom. I. Part. II. Inftrum. DLXVI. p. 296.

SYNODUS FRISINGENSIS AD EHINGAS.

Anno Chrifti DCCCXXVIII. Gregorii IV. Papæ II. Ludovici Imp. XV. Indict. V.

Ellanpurc & Engilpurc, Sanctimoniales fœminæ, traditionem hæreditatis fuæ ad Frifingas coram advocato Epifcopi confirmant in Congregatione publica Synodi.

IN nomine Domini. Notum fit omnibus fidelibus, quia congregatio publico Synodo ad Ehingas, ibique in prefentiam venit quædam Sanctimonialis femina nomine Engilbur fe reclamans dicendo pro traditionem, quam Mater ejus Ellanpurc, & ipfa Engilpurc de propria hereditate ad Frigifingas fecerunt, in loco, quæ dicitur ad Lauppah, quia nepos eorum nomine Wicheri Presbyter eas abicere voluiffet, fed benignus Pontifex Hitto perdonabat illis, quamdiu vixiffent. Et contra dicebat Wichario Presbytero, ut nec in ipfa Ecclefia non orâffet nifi per licentiam eorum. Et ipfa Engilpurc mox cenfum reddidit in manus Advocati Epifcopi cui nomen Spulit, tres denarios, & ità annis fingulis fpopondit reddere. Ifti funt, qui viderunt, & audierunt: Paldachar Chuniperht, Oadalfcalch, Irminfrid, Engilperht Liutperht, Oadalperht, Hegilo, Cotefrid, Heriperht, Oadalrih, Ambricho, Kernod, Hroadleoz, Cozolt, Sigiprant, Otperht, Deotrih, Sigilo, Hunperht, Mahho, Liutprant. Actum eft hoc in XIV. Kal. Junias indictione V. (a) anno Hludowici Imperatoris XV. Et ego Cozroh indignus Presbyter confcripfi.

Meichelbeck Hiftoriæ Frifingenf. Tom. I. Part. II. Inftrum. DXXXVI. p. 281.

(a) Anno 828. & Ludovici Imp. XV. currebat Indictio VI. ufque ad Septembrem, quo inchoabatur Indictio VII; fed noluimus Inftrumentum corrigere: idem obferva in duabus aliis chartis anni Imperii Ludovici XV.

ACTIO II. EJUSDEM

SYNODI FRISINGENSIS AD EHINGAS.

Hitto, Frifingenfis Epifcopus, hæreditatem Denchilonis, quæ eft in loco Dornakindorf, domui Cathedrali Sanctæ Mariæ donatam acceptat VI. Kalendas Julias.

PAteat cunctis agminibus Chriftianis in Provincia Bajowarie, fidelibúfque viris in ea manentibus, quòd ego quidem Denchilo jam olim tradidi propriam hereditatem meam cum omni conqueftu meo in loco, quæ dicitur Dornakindorf, ad Domino Sanctæ Mariæ Frigifienfis, ut ibidem finmiter permaneat. Nunc quoque ego ipfe talem proprium, quod ibi habere videor, die præfente illud dimitto in manus Hittoni venerabilis Epifcopi, ad ipfa caufa Dei, ut deinceps ibidem in fervitio, & in poteftate Sanctæ Mariæ permaneat.

Actum

Actum est hoc ad Ehingas, quando Sancta Synodus ibi fuerat congregatus, in XVI. Kalendas Julias anno Hludowici Imperatoris XV. Indictione V. Isti sunt, qui hoc viderunt, & traditionem istam testimonio confirmare debent: Reginperht, Piligrim, Hercwart, Alawih, Uro, Wicco, Marcho, Mahtuni, Heriperht, Rihperht, Hatto, Cundhart, Adalhart, Heimperht, Raganhart, alius Adalhart, Altrih, Altolf, Oadalker, Wicperht, Isker, Urolf, alius Reginperht.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Tom. I. Part. II. Instrum. DXVIII. p. 273.

ACTIO III.
SYNODI FRISINGENSIS AD EHINGAS.

Hitto, Episcopus Frisingensis, Synodo congregata in loco Ehingas, acceptat traditionem factam à Tutone pro Ecclesia sua Frisingensi Cathedrali, quæ est Domus Sanctæ Mariæ, XVI. Kal. Julias. Indict. VI.

DUm & omnibus non habetur incognitum, sed multis in hac Provincia nobilibus viris commorantibus bene cognitum est, quòd Tuto tradidit curtiferam unam, & talem proprium, quicquid ibidem habuit in eo lolo, quæ dicitur Heriperhteshusir in capsa Sanctæ Mariæ ad Frigisingas Hittone Venerabili Episcopo presente, & statim dimisit ad servitio Sanctæ Mariæ, quod ibidem habere videretur. Hæc sunt testes: Reginperht, Piligrim, Heriwart, Alawih, Uro, Wicco, Marcho, Hatto, Mahtuni, Heriperht, Cundhart, Adalhart, Heimperht, Kaganhart, alius Adalhart, Altrih, Altolf, Oadalker, Wicperht, Isker, Urolf, alius Reginperht. Actum est hoc ad Ehingas, quando Sancta Synodus ibidem congregata fuerat; in XVI. Kalendas Julias anno Hludowici Imperatoris XV. Indictione V.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Tomo I. Part. II. Instrum. DXIX. pag. 273.

ACTIO IV.
SYNODI FRISINGENSIS.

Hitto ratam habet traditionem hæreditatis in locis Crazzun & Erlapach, factam à Rihpaldo Presbytero XII. Kal. Octobris, anno quo filius ejus Hludovicus, Germaniæ & Bavariæ Rex, cum conjuge in Bajowaria rediit. Indict. VII. à 1. 7bris inchoata.

COgitans enim cogitavi pro remedium animæ meæ ego Rihpald Presbyter firmiter tradidi ad domum Sanctæ Mariæ, quicquid propriæ hereditatis, vel adquisitionis habui in duobus locis nominatis ad Crazzun, & ad Erlapach, hoc totum & integrum cum mancipiis & pecoribus, & cum omnibus ad ipsis locis pertinentibus, preter mancipium I. condonavi, & firmiter tradidi. Hoc factum est in publico Synodo ad Frigisingas, anno Incarnationis Domini DCCCXXVIII. Hludowici Imperatoris anno XV. anno, quo Filius ejus Hldowicus Rex cum conjuge (a) in Bajowaria rediit, Indictione VI. Et isti testes per aurestracti: Jusip, Eginolf, Deothart, Pilgrim, Reginperht, Reginpald, Hahkis, alius Reginpald, Mahho, Reginperht, Karuheri, Juto, Reginolf, Amalrih, Reginhart, Williheri, Amalo, Lanto, Hroadperht, Arbeo, Sigiwart, Engilrih, Heriwic, Sigilo, Snelhart, Mejol, Kerhart, Cundheri, Starcholf, Pezzi, Wogo, die mensis factum XII. Kal. Octobris, Et ego Cozroh indignus Presbyter jussione Hittonis Episcopi conscribsi.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Tom. I. Parte. II. Instrumento DXXIX. pag. 277.

(a) Hemma.

LUDOVICI PII
IMPERATORIS
CAPITULARE. (a)

Anno Christi DCCCXXVIII. Gregorii IV. Papæ II. Ludovici Pii XV.

De iis, quæ Aquisgrani privato in placito sub finem anni DCCCXXVIII. constituit, quando & Concilia Episcoporum quatuor in locis fieri jussit, & Missos Dominicos per universum Regnum delegavit.

INDEX CAPITUM.

VIII. Ca-

(a) Civilia seu politica negotia multa & gravia in Conciliis Aquisgranensibus actitata fuisse non ignoramus; uti punitos perduelles, vitâ condonatâ, nimiâ & post noxiâ indulgentiâ: Missos Legatos Constantinopolim Halitgarium Cameracensem Episc., & Ansfridem Abbatem Nonantulanum novimus: nos sola Ecclesiastica Synodos & Clerum spectantia edimus. Dici potest idem Conventus *Comitialis & Conciliaris.*

VIII. Capitula, quæ pro lege habenda ſunt.

I. De honore Eccleſiarum, de homicidiis in Eccleſiis, vel in earum atriis commiſſis.
II. De eo, qui propter cupiditatem rerum quemcunque propinquorum ſuorum interfecerit.
III. De cujuslibet propria uxore dimiſſa, vel ſine culpa interfecta.
IV. De eó, qui res alienas, cuilibet homini vendiderit.
V. De placitis à liberis hominibus obſervandis.
VI. De liberis hominibus ad teſtimonium recipiendis.
VII. Ut inquiratur de iis, qui in exercitalem ire poſſunt expeditionem, vel qui fidelitatem necdum promiſerunt.
VIII. De faidis coërcendis.

IX. Capitula ad generalia Capitula reſervata.

X. Alia Capitula ad inſtructionem Miſſorum.

I.

Qualiter Conventus Epiſcoporum fieri debeat.

ANno ſexto decimo (*a*) regnante Domno noſtro Hludouvico, Conventus Epiſcoporum debet fieri in quatuor locis, id eſt, in *Mogontiaco*, in quo iſti Archi-Epiſcopi cum eorum Suffraganeis convenire debent, Autgarius, (*b*) Hadebaldus, Hetti, Bernuinus. In Pariſio Ebbo, Ragnoardus, Latramnus, Archi-Epiſcopus Senonis qui fuerit, cum eorum Suffraganeis. In Lugduno Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum eorum Suffraganeis. In Toloſa Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Aiulfus, cum eorum Suffraganeis. In quibus Conventibus tractare, quærere, & cum Dei adjutorio invenire debent, de cauſis ad Religionem Chriſtianam, & eorum curam pertinentibus: & quid à Principibus & reliquo populo, vel ità, ut Divina auctoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte, vel ex toto dimiſſum ſit, ut non teneatur. Deinde quid in ipſorum, qui paſtores populi conſtituti ſunt moribus, converſatione, & actibus, inveniri poſſit, quod Divinæ Regulæ atque auctoritati non concordet: ſimúlque invenire, quæ occaſiones in utroque ordine id effecerint, ut à recto tramite deviaſſent. Et quidquid ab eis de his cauſis inventum fuerit, tam ſolerti cura cuſtodiatur, ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus conſtitutum. Et ideo unus Notarius inter omnes eligatur, qui quod ipſi invenerint, ſubtiliter deſcribat, &. ſub juramento conſtrictus fideliter conſervet. (*c*)

II.

Hæc Capitula ab Epiſcopis in eiſdem Conciliis tractanda ſunt.

I. DE decimis, quæ ad Capellas Dominicas dantur, & hominibus, qui eas habent, & in ſuos uſus convertunt.

II. De fœminis, quæ in quibuſdam locis irrationabiliter velamen ſanctum ſibi imponunt.

III. Similiter de monaſteriolis puellarum in Legatione Autgarii, in quibus nullus ordo bonæ converſationis tenetur.

IV. De monaſteriolis etiam diverſis in Miſſatico Alberici.

V. De judicio aquæ frigidæ.

VI. De his, qui uſuris inſerviunt.

VII. Volumus, atque jubemus, ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, quanti homines liberi in ſingulis Comitatibus maneant, qui per ſe poſſunt expeditionem facere, vel quanti de his, quibus unus alium adjuvet; quanti etiam de his, qui à duobus tertius adjuvetur, & præpa-

(*a*) Annus XVI. Ludovici eſt Chriſti XXIX, & Indict. VII, igitur anno 828. eſt ſtatutum, ut anno 829. fiant Concilia.

(*b*) Autgarius, Moguntinus. Hadebaldus, Colonienſis. Hetti, Trevetenſis. Bernuinus, Veſontionis Archi-Epiſcopi.

(*c*) In Codice Sancti Remigii adduntur hac: *Volumus etiam ipſorum Conventum fieri octabas Pentecoſten; Miſſi vero noſtri ſuam incipiant Legationem peragere octabas Paſcha.*

præparetur: nec non de his, qui à tribus quartus adjuvetur & præparetur, sive de his, qui à quatuor quintus adjuvetur & præparetur: ut eandem expeditionem exercitalem facere possint: & eorum summam ad nostram notitiam deferant.

III.

EPISTOLA

QUÆ GENERALITER POPULO EST LEGENDA.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JEsu Christi, Hludouvicus & Hlotharius Divina ordinante providentia Imperatores Augusti, omnibus Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris.

RÉcordari vos credimus, qualiter *hoc anno* consilio Sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum generale jejunium per totum Regnum nostrum celebrare jussimus, Deúmque tota devotione deposcere, ut nobis propitiaret, in quibus illum maximè offensum haberemus, nobis manifestare, & ut ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, & in eodem de communi correctione agere: & ità Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere; & in eo de his, quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram, quod in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus, ut primò omnium Archi-Episcopi cum suis Suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua, quàm de omnium nostrum correctione & emendatione secundùm Divinam auctoritatem quærendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundùm ministerium sibi commissum annuntiarent. Item consideravimus, ut Missos nostros per universum Regnum nostrum mitteremus, qui de omnibus causis, quæ ad correctionem pertinere viderentur, quanto potuissent studio, decertarent; & quidquid possibile invenirent, per semetipsos nostra auctoritate corrigerent, & si aliqua difficultas in aliqua re eis obsisteret, ad nostram notitiam deferre curarent. Quapropter volumus, ut vos omnes propter communem salutem & regni honorem, ac populi utilitatem, obedientes & adjutores Missis nostris in omnibus pro viribus esse non negligatis, simúlque sciatis ob hanc causam nos velle per singulas hebdomadas uno die in Palatio nostro ad causas audiendas sedere: ut per hunc aut illum Comitem, & providentia Missorum, & obedientia populi manifestiùs appareat. Et ut hæc omnia successum habeant, volumus, ut generale triduanum jejunium secunda feria post Octabas Pentecostes celebrandum indicetur, & generaliter ab omnibus cum summâ devotione observetur; Et quia undique inimicos Sanctæ Dei Ecclesiæ commoveri, & Regnum à Deo nobis commissum infestare velle cognoscimus; præcipimus, atque jubemus, ut omnes homines per totum Regnum nostrum, qui exercitalis itineris debitores sunt, benè sint præparati cum equis, armis, instrumentis, carris, & victualibus, ut quocunque tempore eis à nobis denuntiatum fuerit, sine ulla mora exire, & in quamcunque partem necessitas postulaverit, pergere possint, & tamdiu ibi esse, quamdiu necessitas postulaverit.

IV.

Hæc sunt Capitula ad instructionem Missorum.

DIcendum est illis, quia necesse est, ut intelligamus omnes communiter, quale periculum nobis immineat, in eo maxime, quod in nostra negligen-

tia

tia tanta & talia, per quæ Deus offendi potuit, & honor & honeſtas regni decreſcere, adhuc autem etiam aliam intellectam habemus negligentiam ex priori occaſione natam: id eſt, quod ipſa legatio non ita peracta fuit, ſicut ipſa neceſſitas depoſcebat; quanquam ex parte vos dicatis nos materiam in eo dediſſe, quod non per omnia ad hanc neceſſitatem inquirendam plenam vobis dediſſemus juſſionem. Ideo ſummopere tractandum eſt, quomodo Domino adjuvante, & in præſenti de his, quæ per negligentiam & incuriam depravata ſunt, corrigantur, & ne ultra talia fiant, ſollicitè caveatur: poſthæc ſocii denominandi ſunt, & tunc, qualis debeat eſſe legatio, injungenda eſt.

I. Primo injungendum eſt Miſſis, ut hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum profectione oneri ſint, ne forte, quibus ſubvenire debuerint, afflictionem inferant.

II. Ut primo noſtram populo voluntatem & ſtudium, & qua intentione à nobis ſint directi, per noſtrum ſcriptum nuntient; inſtruendi ſunt etiam, quid inquirant.

III. In primis hoc maximè inquirant, quomodo hi, qui populum regere debent, unusquiſque in ſuo miniſterio ſe cuſtoditum habeat, ut qui bene faciendo gratiarum actione digni ſunt, cognoſcamus: qui verò correctionem pro eorum negligentiis merentur, omnimodis nobis manifeſti fiant. Inquiſitio autem hoc modo fiat. Eligantur per ſingulos Comitatus, qui meliores & veraciores ſunt: & ſi aliquis inventus fuerit de ipſis, qui fidelitatem promiſſam adhuc nobis non habeat, promittat. Et tunc inſtruendi ſunt, qualiter ipſam fidem erga nos ſalvare debeant. Id eſt, ut quicunque ex his talem cauſam ſcit in illis rectonibus & diverſis miniſtris, qui populum regere & ſalvare debent, de quibus interrogati fuerint, quæ ad populi damnum & detrimentum pertinent, & propter hoc nobis periculum animæ evenire poſſit, & inhonoratio; omnino ſi ſalvam voluerit ſuam fidem & promiſſionem habere, manifeſtum faciat: & ſi poſt talem admonitionem, & conteſtationem, aliter quam ſe veritas habeat, dixiſſe aliquis deprehenſus fuerit, ſciat ſe inter infideles eſſe reputandum.

V.

Hæc ſunt Capitula, quæ volumus, ut diligenter inquirant.

PRimò de Epiſcopis, quomodo ſuum miniſterium expleant, & qualis ſit illorum converſatio, vel quomodo Eccleſias, & Clerum ſibi commiſſum ordinatum habeant, atque diſpoſitum; vel quibus rebus maximè ſtudeant; in ſpiritualibus videlicet, aut ſæcularibus negotiis? Deinde quales ſint adjutores miniſterii eorum, id eſt, Chorepiſcopi, Archi-Presbyteri, & Vicedomini, & Presbyteri per Parrochias eorum: quale ſcilicet ſtudium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant ſecundum veritatem in populo. Similiter de omnibus Monaſteriis inquirant juxta uniuscujusque qualitatem & profeſſionem. Similiter & de cæteris Eccleſiis noſtra authoritate in beneficio datis. Utrum Epiſcopi in circumeundo Parrochias ſuas cæteras Eccleſias minores gravent, aut populo oneri ſint, & ſi ab ipſis, aut à miniſtris eorum indebita exenia à Presbyteris exigantur. Simili modo de Comitibus inquirant, quale ſtudium de ſuo habeant miniſterio, ut, qui bene exinde facit, cognoſcamus. Si aliter facit, & hoc noſſe omnino volumus. Id eſt, ſi populus per ſuam negligentiam & deſidiam juſtitia & pace careat, aut ſi ipſe ſciens, aliquid injuſte factum habeat. Deinde ergo quales miniſtros habeat ad regendum populum miſſos: utrum juſtè an injuſtè in ipſis miniſteriis agant, aut conſentiente vel negligente Comite à veritate & juſtitia declinent. Quæ perſonæ vel de quibus, cauſis culpabiles ad præſentiam noſtram venire debeant, diſcernendum eſt. Exceptis Epiſcopis Abbatibus, Comitibus, qui ad placita noſtra ſemper venire debent, iſti venient, ſi in talibus culpis & criminibus deprehenſi fuerint, quales inferiùs annotatæ ſunt.

Hactenus Baluzius Tomo I. Capitularium à pag. 653. ad 658. Sequentia rejicit Baluzius ad annum 829. ad Wormatienſe placitum.

VI.

Hæc ſunt Capitula, quæ propter interrogationem aliquorum Miſſorum conſiderata & ſcripta, vel ordinata ſunt, ſive de Eccleſiaſticis cauſis, ſive de cæteris, quæ ad correctionem majorum hominum, & quæ ad publicum honorem pertinent, quæ ſub tribus diſtinctionibus ordinata ſunt.

I.

DE his, qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteros in Eccleſiis ſuis conſtituunt, vel de Eccleſiis ejiciunt, & ab Epiſcopo, vel à quolibet Miſſo admoniti obedire noluerint, ut bannum noſtrum rewadiare cogantur, & per fidejuſſores ad palatium noſtrum venire jubeantur: & tunc nos decernemus utrum nobis placeat, ut aut illum bannum perſolvant, aut aliam harmiscaram ſuſtineant.

II.

De Eccleſiis, quæ inter cohæredes diviſæ ſunt, conſideratum eſt, quatenus ſi ſecundum providentiam & admonitionem Epiſcopi ſui cohæredes eas voluerint tenere & honorare, faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Epiſcopi maneat poteſtate, utrum eas ità conſiſtere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad beneficium noſtrum Eccleſiæ pertinentes ita inventæ diviſæ fuerint, ut deſcribantur, & nobis renuntietur.

III.

De Eccleſiis deſtructis, ut Epiſcopi & Miſſi inquiſitionem faciant, utrum per negligentiam aut impoſſibilitatem deſtructæ ſint: & ubi negligentia inventa fuerit, Epiſcopali authoritate emendare cogantur hi, qui eas reſtaurare debuerant. Si verò per impoſſibilitatem contigit, ut aut plures ſint, quam neceſſe ſit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eas pertinentibus reſtaurari poſſint, Epiſcopus modum inveniat, qualiter congruè emendari & conſiſtere poſſint.

IV.

De uno manſo ad Eccleſiam dato, de quo aliqui homines contra ſtatuta ſibi ſervitium exigunt, quicunque pro hac cauſa accuſatus fuerit, Comes vel Miſſi hoc, quod inde ſubtractum eſt, Presbyteris cum ſua lege reſtituere faciant.

V.

De his, qui nonas & decimas jam per multos annos, aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus, ut per Miſſos noſtros conſtringantur, ut ſecundum capitularem priorem ſolvant unius anni nonam & decimam cum ſuâ Lege, & inſuper bannum noſtrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc negligentiam iteraverit, beneficium, unde hæc nona & decimâ perſolvi debuit, amiſſurum ſe ſciat. Ità enim continetur in Capitulare bonæ memoriæ genitoris noſtri in in libro 1. capite CLVII. (a) "Ut qui Eccleſiarum beneficia " habent, nonam & decimam ex eis Ec- " cleſiæ, cujus res ſunt, donent, & " qui tale beneficium habent, ut ad me- " dietatem laborent, ut de eorum portio- " ne proprio Presbytero decimas donent. Item in Capitulare noſtro, libro ſecundo, cap. XXI. de eadem re: "De nonis " quidem, & decimis, unde & genitor " noſter, & nos frequenter in diverſis " placitis admonitionem fecimus, & per " Capitularia noſtra, qualiter hæc obſer- " ventur, ordinavimus; volumus atque " jubemus, ut de omni conlaborato, & " de vino, & de fœno, fideliter & ple- " niter ab omnibus nona & decima per- " ſolvatur. De nutrimine verò pro deci- " ma, ſicut hactenus conſuetudo fuit " ab omnibus obſervetur. Si quis tamen " Epiſcoporum fuerit, qui argentum pro " hoc accipere velit, in ſua maneat po- " teſtate, juxta quod ei, & illi, qui hoc " perſolvere debet, convenerit."

VI.

Quicumque decimam abſtrahit de Eccleſia, ad quam per juſtitiam dari

(a) Vide Tomi primi noſtri pag. 239. & 240. & ibidem Capitulare Carolinum anni 779. Capitulo VII. & XIII, eodem anno pag. 424. Capitulum IX. pag. 427. Capit. XXIV. pag. 428. Cap. XXXI.

ri debet ; & eam præſumptiosè , vel propter munera , aut amicitiam , vel aliam quamlibet occaſionem ad alteram Eccleſiam dederit ; à Comite vel à miſſo noſtro diſtringatur , ut ejuſdem decimæ quantitatem cum ſua lege reſtituat.

VII.

De decimis , quas populus dare non vult , niſi quolibet modo ab eo redimantur, ab Epiſcopis prohibendum eſt, ne fiat. Et ſi quis contemptor fuerit inventus , & nec Epiſcopum nec Comitem audire velit , ſi noſter homo fuerit, ad præſentiam noſtram venire compellatur : cæteri verò diſtringantur : ut inviti Eccleſiæ reſtituant , quæ voluntariè dare neglexerunt.

VIII.

Ut de rebus Eccleſiarum , quæ ab eis per triginta annorum ſpatium ſine ulla interpellatione poſſeſſæ ſunt, teſtimonia non recipiantur ; ſed eo modo contineantur, ſicut res ad fiſcum Dominicum pertinentes contineri ſolent.

IX.

Quicunque de rebus Eccleſiarum, quas in beneficium habent, reſtaurationes earum facere neglexerint, juxta capitularem anteriorem , in quo de operibus ac nonis & decimis conſtitutum , ſic de illis adimpleatur. Id eſt, in libro IV. cap. XXXVIII. (*b*) de opere & reſtauratione Eccleſiarum conſideratum eſt, ut de frugibus terræ & animalium nutrimine perſolvantur. "De opere verò & reſtauratione Eccleſiarum, Epiſcopus & " Abba, atque Comes una cum Miſſo no" ſtro, quem ipſi ſibi ad hoc elegerint con" ſiderationem faciant , ut unusquiſque " eorum tantum inde accipiant ad ope" randum & reſtaurandum , quantum ip" ſe de rebus Eccleſiarum habere cognoſ" citur. Similiter & Vaſſi noſtri, aut in " commune tantum operis accipiant, " quantum rerum Eccleſiarum habent; vel " unusquisque per ſe juxta quantitatem, " quam ipſe tenet: aut ſi inter eos conve" nerit , ut pro opere faciendo argen" tum donent, juxta æſtimationem operis " in argento perſolvant. Cum quo pre" tio rator Eccleſiæ ad prædictam reſtau" rationem operarios conducere, & ma" teriamen emere poſſit. Et qui nonas & " decimas dare neglexerit, primùm qui" dem illas cum lege ſua reſtituat, inſu" per & bannum noſtrum ſolvat : ut ità " caſtigatus caveat, ne ſæpius iterando be" neficium amittat. "

X.

De illo , qui agros dominicatos propterea neglexit excolere , ut nonas & decimas exinde non perſolvat , & alienas terras ad excolendum propter hoc accipit , volumus , ut de tribus annis ipſam nonam cum ſua lege perſolvat. Et ſi quis contemptor aut Comitis , aut Miſſorum noſtrorum propter hoc exſtiterit , per fidejuſſiores ad palatium venire compellatur.

Hæc X. Capitula Baluzius refert ad annum 829. & Wormatienſe Placitum ejúsq; Partem primam.

VII.

Item alia Capitula.

I.

De beneficiis deſtructis hoc obſervetur, quod in capitulare priori continetur , id eſt libro IV. cap. XXXVI. " Quicunque beneficium ſuum occaſione " proprii deſertum habuerit, & intra an" num poſtquam ei à Comite vel Miſſo " noſtro notum factum fuerit , illud " emendatum non habuerit, ipſum bene" ficium amittat. "

II.

Ut miſſi noſtri ubicunque malos ſcabinos inveniunt , ejiciant ; & totius populi conſenſu in loco eorum bonos eligant : & cum electi fuerint jurare faciant , ut ſcienter injuſtè judicare non debeant.

III.

Ut in omni comitatu hi qui meliores & veraciores inveniri poſſunt , eligantur

(*b*) Synodorum editores rectè adnotârunt hoc Caput XXXVIII. Libri IV. Capitularium eo numero non extare, neque apud Lindenbrogium nec apud Baluzium, ſed numero 40. unde hæc diverſitas numerandorum Capitulorum oriatur , neſcimus. Verum illud anno Chriſti 829. inter Capitularia ſua Ludovici Pii N. IX. Titulo primo legi: igitur hoc Capitulare poſt 829. ſcriptum fuit vel inſtauratum potius.

gantur à missis nostris ad inquisitionem faciendam, & rei veritatem dicendam: & ut adjutores Comitum sint ad justitias faciendas.

IV.

Volumus ut quicunque de scabinis deprehensus fuerit propter munera, aut propter amicitiam injustè judicasse, ut per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cætero omnibus scabinis denuntietur, nequis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat.

V.

Ubicunque commutationes tam tempore nostro, quàm genitoris nostri, legitimæ & rationales, atque utiles, Ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant: ubicumque verò inutiles & incommodæ, atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque, quod dedit. Ubi verò mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur.

VI.

Quicunque comprobatus fuerit de eo, quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

VII.

De his, qui discordiis & contentionibus studere solent, & in pace vivere nolunt, & inde convicti fuerint, similiter volumus, ut sub fidejussoribus ad nostrum placitum veniant, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de talibus faciendum sit.

VIII.

De bonis denariis, quos populus recipere non vult, volumus, ut hoc observetur & teneatur, quod in priori captulare nostro constitutum est, id est in libro IV. cap. XXX. " Quicumque " liber homo vel in emptione, vel in de- " biti solutione, denarium merum & benè " pensantem recipere noluerit, bannum " nostrum, id est, sexaginta solidos com- " ponat. Si verò servi Ecclesiastici aut fis- " calini nostri, aut Comitum aut Vassallo- " rum nostrorum, hoc facere præsumpse- " rint, sexaginta ictibus vapulent. Et si " actores nostri aut aliorum vel advocati, " eos Missis nostris & Comitibus jussi præ- " sentare noluerint, prædictum bannum, " id est sexaginta solidos componant." Et ad hanc constitutionem nostram adimplendam Episcopi & Abbates, sive reliqui, qui beneficia nostra habent, adjuvent Comites in suis hominibus distringendis. Et si Comites hanc nostram constitutionem neglexerint hoc per missos nostros ad nostram notitiam perferatur.

IX.

De homicidiis vel aliis injustitiis, quæ à fiscalinis nostris fiunt, quia impune se ea committere posse existimant, nos actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne ultra impune fiant, ità ut ubicunque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiemus.

X.

Collectæ ad maleficiendum fieri omnimodis prohibeantur: & ubicunque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis vel factæ sunt vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctor verò facti si fuerit præpositus, vel advocatus, sive Centenarius vel qualibet alia dignitate prædita libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat. Multitudo verò sive de servis, sive de libris sit, legitima emendatione multetur.

XI.

De pontibus publicis destructis placuit nobis, ut hi, qui jussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac jubemus, ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam, rationes reddere, cur nostram jussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos, non constrinxerint, ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerint. Similiter & de injustis teloneis, ubicunque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.

XII.

XII.

Ut examen (c) aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Miſſis noſtris omnibus interdicatur, ne ulteriùs fiat.

XIII.

Poſtquam Comes & pagenſes de qualibet expeditione hoſtili reverſi fuerint, ex eo die ſuper quadraginta noctes ſit bannus reciſus, quod lingua Theodiſca ſcaſtlegi (d), id eſt, armorum depoſitio vocatur.

XIV.

Hoc Miſſi noſtri notum faciant Comitibus, quod nos in omni hebdomada unum diem ad cauſas audiendas & judicandas ſedere volumus. Comites autem & miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne fortè propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, ſi noſtram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri, aut Comites eis juſtitias facere noluerint.

XV.

Quicunque Vicarii vel alii Miniſtri Comitum, tributum quod inferenda vocatur majoris pretii à populo exigere præſumpſit, quàm à miſſis bonæ memoriæ Genitoris noſtri conſtitutum fuit, hoc eſt, duos ſolidos pro una vacca, hoc, quod injuſtè ſuperpoſuit, atque abſtulit, ſibique retinuit, his quibus hoc tulit, cum ſuâ lege reſtituat, & inſuper fredum noſtrum componat, & miniſterium amittat.

Baluzio ſunt Pars tertia Capitularis Wormatienſis anno 829. *Tomi I. Capitularium.*

VIII.

Hæc ſunt Capitula, quæ pro Lege habenda ſunt.

I.

DE homicidiis in Eccleſiis vel in atriis eorum commiſſis hoc obſervetur & teneatur, quod in capitulare priori conſtitutum eſt, id eſt, in libro IV. cap. XVII. Si quis ex levi cauſa, aut ſine cauſa, hominem in Eccleſia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus alterum in Eccleſia fugerit, & ibi ſe defendendo eum interfecerit, etſi hujus facti teſtes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per Sacramentum affirmet ſe defendendo eum interfeciſſe: & ſi ipſe Author commotæ inter eos rixæ exſtiterit, Leudem interfecti, & inſuper bannum noſtrum ſolvere cogatur, & publicam agat pœnitentiam. Sin autem non ille, qui alterum interfecit, ſed is, qui interfectus eſt eamdem rixam commovit, abſque compoſitione jaceat: & is, qui eum interfecit ſecundum judicium canonicum publicam habeat pœnitentitentiam. Si cujuslibet proprius ſervus hoc commiſerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte, an ſe defendendo, feciſſet: & ſi manus ejus exuſta fuerit; interficiatur: ſin autem non fuerit, publica pœnitentia multetur, niſi forte & ipſe Author commotæ inter eos rixæ fuerit inventus. Tunc Dominus ejus, juxta quod Widrigildus illius eſt ad Eccleſiam perſolvat; aut eum ſi voluerit eidem Eccleſiæ tradat. De Eccleſiaſtico & Fiſcalino, & beneficiario ſervo, volumus ut pro unâ vice Widrigildus ejus pro eo componatur: alterâ vice ipſe ſervus ad ſupplicium tradatur: hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si in atrio Eccleſiæ, cujus porta reliquiis Sanctorum conſecrata eſt, hujuſcemodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo emendetur & componatur. Si verò porta Eccleſiæ non eſt conſecrata, eo modo componatur, quod in atrio committitur, ſicut componi debet, quod immunitate violata committitur.

II.

Quicunque propter cupiditatem rerum patrem aut matrem, aut fratrem, aut ſororem, vel nepotem, vel alium propinquum ſuum interfecerit, hæreditas interfecti ad alios ſuos legitimos hæredes

(c) Examen Sagarum per aquam frigidam Sæculo XVI. in noſtra Archi-Diœceſi defendit Jacobus Ryckius & Oſtermannus JCtus Coloniæ, utrumque impugnavit Jordanæus Canonicus Bonnenſis.

(d) pro ſcaſtlegi Eckhartus legendum putat ſcaftlegi, id eſt *haſtæ* depoſitio Tomo II. Franc, p. 242.

redes perveniat: interfectoris verò hæreditas in fiscum redigatur. Ipse verò ordinante Episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur.

III.

Quicumque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.

IV.

Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit, sive vendiderit, & ipse, qui tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus, atque firmiter præcipimus, ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse Pater mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui justè ei tutor ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hæreditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitimè venire debuit. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit vel neglexerit, sicut de cæteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is verò, qui easdem res primus invasit & injustè vendidit, nec non & emptores, excepta sola persona parvuli hoc, quod fraudulenter admiserunt, infra patriam emendare cogantur: & postea sicut contemptores jussionis nostræ sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

V.

De Vicariis, & Centenariis, qui magis propter cupiditatem quam propter justitiam faciendam, sæpissimè placita tenent, & exinde populum nimis affligunt, ita teneatur, sicut in Capitulare Domni Caroli Imperatoris continetur in Libro III. capite XL. ut nullus ad placitum manniatur, nisi qui causam suam quærit: ut si alter ei conquerere debet, exceptis scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent. Item de eadem re in Capitulare nostro Libro IV. cap. LV. De placitis siquidem, quæ liberi homines observare debent, constitutio Genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodò generalia placita observent, & nullus eos ampliùs placita observare compellat: nisi fortè quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cætera verò, quæ Centenarii tenent, non alius venire jubeatur, nisi qui litigat aut judicat, aut testificatur. Et quicumque hujus constitutionis transgressor à Missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum persolvat.

VI.

De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ut propter res alterius ad testimonium non recipiantur. Conjuratores tamen aliorum liberorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi verò, qui proprium habent, & tamen in terra dominica resident, propter hoc non abjiciantur, quia in terra dominica resident, sed propter hoc ad testimonium recipiantur, quia proprium habent.

VII.

Volumus atque jubemus, ut Missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis Comitatibus maneant. Hinc verò ea diligentia, & hæc ratio examinetur per singulas centenas, ut veraciter sciant illos, atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem: ac deinde videlicet secundus ordo, de his, qui per se ire non possunt, ut duo tertio adjutorium præparent. Et qui necdum fidelitatem nobis promiserunt, cum Sacramento nobis fidelitatem promittere faciatis.

VIII.

De faidis coërcendis hoc observetur & teneatur, quod in Capitulare nostro in Libro IV. capite XXV. continetur. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, Comes, in cujus ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere, & faidam per Sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille, qui homicidium commisit, aut is, qui compositionem recipere debet,

bet, faciat illum, qui ei contumax fuerit, ad præſentiam noſtram venire: ut eum ad tempus, quod nobis placuerit in exſilio mittamus, donec ibi caſtigetur: ut Comiti ſuo inobediens eſſe ulterius non audeat, & majus damnum inde non acreſcat.

IX.

Hæc ſunt Capitula, quæ ad plurimorum notitiam ad generalia placita ſunt reſervata. (d)

I.

DE Sacerdotibus à Laicis vinctis & flagellatis.

II. De homine, qui ad ſervitium quæſitus & ereptus eſt ab uno hærede, & cæteri hæredes eum interpellare, & acquirere conantur.

III. De Comitibus & Vicariis eorum, qui in aliquibus locis tantum accipiunt de conjectu populi ad minorem legationem, quantum ad majorem.

X.

Item alia Capitula.

I.

Volumus, ut talem conjectum Miſſi noſtri accipiant, quando per Miſſaticum ſuum perrexerint: hoc eſt, unusquiſque accipiat panes quadraginta, friskingas duas, porcellum, aut agnum unum, pullos quatuor, ova viginti, de vino ſextarios novem, de cerviſa modios duos, de annona modios duos. Et quando prope ſunt de illorum domibus, nullum accipiant conjectum.

II. Volumus etiam, ut octavas Paſchæ incipiant ſuam agere legationem: Epiſcopi verò ſuum habere debent Conventum octavas Pentecoſtes.

III. Volumus, atque jubemus, ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, quanti liberi homines in ſingulis comitatibus maneant, qui poſſint expeditionem exercitalem facere, nobíſque perbrevem eorum ſummam deferant: & qui nondum fidelitatem nobis promiſerunt, cum Sacramento nobis fidelitatem promittere faciant.

IV. Volumus, ut Miſſi noſtri per totam legationem ſuam primò omnium inquirant, qui ſint de liberis hominibus, qui fidelitatem nobis nondum promiſſam habeant, & faciant illos eam promittere, ſicut conſuetudo ſemper fuit: & poſtea incipiant legationem ſuam per cætera Capitula peragere.

V. Volumus, ut omnes res Eccleſiaſticæ eo modo contineantur, ſicut res ad fiſcum noſtrum contineri ſolent, uſque dum nos ad generale placitum noſtrum cum fidelibus noſtris invenerimus, & conſtituerimus, qualiter in futurum de his fieri debeat.

VI. Volumus, ut omnis inquiſitio, quæ de rebus ad jus fiſci noſtri pertinentibus facienda eſt, non per teſtes, qui producti fuerint, ſed per illos, qui in eo comitatu meliores, & veraciores eſſe cognoſcuntur, per illorum teſtimonium inquiſitio fiat: & juxta quod illi teſtificati fuerint, vel contineantur vel reddantur.

VII. Volumus, ut de rebus, quas Matfredus per diverſa loca, & per diverſos homines acquiſivit, ipſi, qui easdem res ei dederunt, interrogentur, ſi aliquis eorum eas repetere velit, & quicumque hoc ſe velle pronuntiaverit, ad generale placitum noſtrum venire jubeatur, ut inde cum eodem Matfredo rationem habere poſſit.

(*d*) Baluzius ea refert ad Capitulare Wormatienſe anni 829. quia in ſuo codice MS. ea ſubjuncta erant Capitulari Wormatienſi anni 829. Tom. I. *Capitularium* pag. 671. 674.

Ex variis MS. ſed potiſſimum ex Schedis Pithoeanis P. Jacobus Sirmondus edidit.
Harduinus Conciliorum Tomo IV. à pag. 1277. *ad* 1288. eadem deſcripſit: ſed Harduinus ea ad diverſos Conventus refert, uti jam adnotavimus, nempe priora ad Aquisgranenſem Conventum anni 829.: poſteriora ad Wormatienſem anni 829. menſe Auguſto celebratum.

EX PLACITO AQUISGRANENSI

Hludovici Pii et Hlotharii Filii Augustorum Epiſtola Encyclica, miſſa de Conciliis Epiſcoporum in quatuor Imperii partibus congregandis.

Incipit Epiſtola Cæſarea, quæ generaliter Populo Dei eſt legenda.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus & Hlotharius Divina ordinante providentia Imperatores Auguſti omnibus fidelibus Sanctæ Eccleſiæ Dei & noſtris. Recordari vos credimus qualiter hoc anno conſilio ſacerdotum & aliorum fidelium noſtrorum generale jejunium per totum regnum noſtrum celebrare juſſimus, Deumque tota devotione depoſcere, ut nobis propitiari, & in quibus illum maximè offenderimus, nobis manifeſtare, & ad correctionem noſtram neceſſariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus ſiquidem tempore congruo placitum noſtrum generale habere, & in eo de communi correctione agere, & ità Deo miſerante fieret, niſi commotio inimicorum, ſicut noſtis præpediſſet, ſed quia tunc fieri non potuit, juxta voluntatem noſtram viſum nobis fuit præſens placitum cum aliquibus ex fidelibus noſtris habere, & in eo die his, quæ propter prædictum impedimentum remanſerunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante conſiderare. Quapropter noſſe volums ſollertiam veſtram, quod in iſto præſenti placito cum fidelibus noſtris conſideravimus, ut primo omnium Archi-Epiſcopi cum ſuis ſuffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de ſua quam de omnium noſtrum correctione, & emendatione ſecundum Divinam auctoritatem quærendo invenirent, & nobis atque fidelibus noſtris ſecundum miniſterium ſibi commiſſum adnuntiarent. Quis enim non ſentiat Deum noſtris praviſſimis actibus eſſe offenſum & ad iram provocatum, cum videat tot annis multifariis flagellis iram illius in regno nobis ab eo commiſſo deſævire? Videlicet in fame continua, in mortalitate animalium, in peſtilentia hominum, in ſterilitate pene omnium frugum, &, ut ità dixerim, diverſiſſimis morborum cladibus, atque ingentibus penuriis populum iſtius regni miſerabiliter vexatum & afflictum, atque omni abundantia rerum quodam modo exinanitum. Nec illud etiam dubitamus ex juſta vindictà illius evenire, quod ſæpe ſcandala per tyrannos in hoc regno exſurgunt, qui pacem populi Chriſtiani & unitatem imperii ſua pravitate nituntur ſcindere. Nam & illud nihilominus peccatis noſtris deputandum eſt, quod inimici Chriſti nominis præterito anno in hoc regnum ingreſſi deprædationes, incendia Eccleſiarum, & captivationes Chriſtianorum, & interfectiones ſervorum Dei audenter & impune immo crudeliter fecerunt. Agitur ſiquidem juſto judicio Dei, ut quia in cunctis delinquimus, interius ſimul & exterius flagellemur. Beneficiis quippe Dei evidenter exiſtimus ingrati, quoniam his non ad voluntatem Dei ſed ad libitum noſtrum carnalem uti invenimur, & idcirco merito creaturæ Dei nobis divinitus conceſſæ, pro Deo contra nos ingratos pugnant, juxta illud: *pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos*: Verum quia tot modis vexamur atque percutimur, ad eum, à quo percutimur, toto corde dignum neceſſariumque eſt, ut revertamur, quatenus illud propheticum in nobis impleeatur, quo dicitur: *ſola vexatio intellectum dabit auditui.* Sed quia Pius & Clemens Dominus, ſic ipſum flagellum moderatur, ut non ad interitum

tum, ſed potius ad correctionem noſtram inferre videatur, debemus in conſpectu ejus veraciter humiliari, & faciem illius in confeſſione prævenire, ejusque pietatem pronis mentibus exorare, ut qui fecit nos juſtiſſima diſpenſatione flagella ſentire, faciat nobis peccata noſtra, pro quibus juſtè ab eo flagellamur cognoſcere, & in quibus maxime illum offendimus, & iram ilius provocavimus, manifeſtius intelligere, ut poſt eo commiſerante, prava deſerendo & corrigendo, bona etiam ſectando & tota cum devotione exſequendo, valeamus per Spiritum humilitatis, & animam contritam, ſacrificium Deo debitum offerre, iramque illius indignationis evadere, & per dignam congruamque correctionem, & bonorum operum exhibitionem, gratiam ejus propitiationis, licet indigni, promereri. At, quia nos magis in hoc peccaſſe cognoſcimus, qui forma ſalutis omnibus eſſe debuimus, & omnium curam gerere, & per auctoritatem imperialem pravorum acta, ne tantum accreſcerent, corrigere cupimus, Domino nobis propitio, in conſpectu pietatis illius per dignam ſatisfactionem veniam adipiſci; & per ſaluberrimam correctionem, vel per bonum ſtudium, quod noſtra deſidia & ignorantia hactenus neglectum eſt, conſultu fidelium tempore opportuno, quantum in nobis eſt ſtudioſiſſimè emendare, & noſtram in hoc voluntatem omnibus manifeſtam facere. Quapropter ſtatuimus & decrevimus, cum conſultu Sacerdotum ceterorumque fidelium noſtrorum, hujus rei gratia ob placandum ſcilicet contra nos nobiſque ſubjectos Domini furorem, conventus eorundem Epiſcoporum in quatuor imperii noſtri locis congruentiſſimè fieri. primo ſcilicet in Moguncìacenſi urbe, ubi conveniant Archi-Epiſcopi Autgarius, Hadabaldus, Hethi, Bernuinus cum ſuffraganeis ſuis. Secundo quoque Pariſiorum urbe, ubi futurus Antiſtes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landramnus cum ſuffraganeis ſuis conveniant. Tertio vero apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum ſuffraganeis ſuis ſimiliter conveniant. Quarto etiam apud Toloſam urbem, quo ſimul conveniant, Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulfus cum ſuffraganeis ſuis. In quibus conventibus tractare, quærere & cum Dei adjutorio invenire debent de cauſis ad religionem Chriſtianam & eorum curam pertinentibus quid à Principibus & reliquo populo vel ità, ut Divina aucthoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel ex toto dimiſſum ſit, ut non teneatur. Deinde quid in ipſorum qui paſtores populi conſtituti ſunt, moribus, converſatione, & actibus invenire poſſit, quod Divinæ regulæ atque aucthoritati non concordet ſimulque inveniant, quæ occaſiones in utroque ordine id effecerint, ut à recto tramite deviatum ſit. Et quicquid de his cauſis inventum fuerit, tam ſollerti cura cuſtodiatur, ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus conſtitutum. Et ideo unus *Notarius* inter omnes eligatur, qui, quod ipſi invenerint, deſcribat, & ipſe ſub juramento conſtrictus ea quæ inventa & digeſta fuerint, diligenter fideliterque conſervet.

Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 657. 662.

Ex his quatuor Synodis ſolius Pariſinæ Acta & Canones ſuperſunt apud Synodographos Binium & Sirmondum.

Moguntinæ Synodi anno 829. celebratæ Canones XXXII. in membrana MSS. vidit & habuit Grothauſius Bibliothecarius Collegii Colonienſis circa 1640; ſed quo ii devenerint, neſcitur.

SYNODUS MOGUNTINA.

Anno Chriſti DCCCXXIX. Gregorii IV. Papæ III. Ludovici Imperat. XVI.

Summarium Actionis unitis, Vota Parentum offerentium Pueros Monaſteriis an ab his ratificanda?

INterpellavit Rabanum, Abbatem Fuldenſem Gotteſcalcus ejuſdem Monaſterii (oblatus & devotus à Parentibus Monachus, filius Berni Comitis Saxonis ab Eigile, Abbate Fuldenſi I. prædeceſſore Rabani) acceptatus & tonſus, aſſeferens, ſe invitum fuiſſe attonſum, & violenter ab eodem monaſticæ vitæ mancipatum. Habitâ ratione, cùm in Conventu Sacerdotum ſecundum divina humanaque jura diligenti ſtudio cauſa diſcuteretur, inventus eſt Gotteſcalcus interpellans auctoritate canonica eſſe ſolvendus; ac per hoc eorum judicio paternæ reſtitutus eſt libertati: eâ tamen ratione, ut, ſi Abbati placeret, controverſiæ eorum finis inter eos iſtius ac propinquorum ſuorum eſſet juramentum. Quod quidem, ſi Abbas ſuſcipere vellet, omnem ei injuriam, quam perpeſſus eſt, ſecundum legem componeret. Si autem ille juramentum nollet exigere, iſte compoſitionem ſuæ quæreret injuriæ, ſed tantum legitima frueretur libertate.

Epiſtola Rabani & Epiſtola Hattonis ad Otgarium, ſed Rabanus cum Otgarii licentia appellavit ad Synodum, in qua præſto eſſet Imperator.

Hactenus Centuriatores Magdeburgenſes.

Eckhartus Franciæ L. 28. Tomo II. §. 273. aliter paulo factum refert, ac ſi Gotteſcalcus immediatè ad Concilium Moguntinum provocarit, & ab Otgario à voto abſolutus fuerit. Deinde Rabanus à ſententia Otgarii & Concilii provocarit ad Ludovicum Pium, eidemque obtulit libellum *de oblatione puerorum* à ſe ſcriptum. Quid Ludovicus ſtatuerit, nos latet, *inquit Eckhartus.* Suſpiceris tamen ejus mandato Otgarium ſententiam permutaſſe, & Gotteſcalco monaſticum habitum ut retineret, ſed Fulda in Orbacenſe Monaſterium Diœceſis Remenſis commigraret, imperâſſe.

Serarius rerum Moguntiacarum L. IV. de Otgarii Synodis agens ne verbo quidem hujus meminit. *Schmidius in Diſſert. de Conc. Mogunt.* narrat in Labbeana collectione hoc Concilium legi: utrum autem Moguntinum idem ſit Wormatienſi hoc anno coacto, ſe neſcire anno 1710. ſcribit idem *Schmidius anno* 1718. *in Tomo II. introductionis Sagittarii ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam* omnino Synodum *hoc anno Moguntiæ habitam,* ſed acta non ſupereſſe, jam quoad Schmidii cauſam, hæc admitti nequit, quia Conventus Moguntinus Menſe Junio, Wormatienſis poſt menſem Julium medio menſe Auguſto anni 829. habiti fuerunt.

Nomina Epiſcoporum, qui Concilio Moguntino anni 829. juxta Centuriatores Centuria IX. Cap. IX. pag. 228.

Otgarius Moguntiacenſis.
Hatto Archiep. Trevir.
Hadubaldus Archiep. Colonienſis.
Bernwinus Archiep. Veſontionis.
Adalramnus Archiep. Salisburgenſis.
Crogo Ep. *Corrigo* Drogo Metenſis.
Bernoldus Ep. Strasburgenſis.
Benedictus Ep.
Nidgarius Ep.
Folcuinus Ep.
Wolfleoz Ep. Conſtantienſis.
Adalingus Ep.
Baduratus Ep. Paderborn.
Wolffgarius Ep.
Harud Ep. Ferdenſis *fortè* Haruch.
Theutgrinus Ep.
Hildi Ep. Virdunenſis.
Frotharius Ep. Tullenſis.
Waldgoz Ep.
Willericus Ep. Bremenſis.
Fridericus Ep.
Gerfridus Ep. Monaſterienſis.
Geboinus Ep.
David Ep.

Udal-

Udalricus Ep.
Hitto Ep. Frifingenfis.
Baturicus Ep.
Reginher Ep. *fors* Ragunarius.
Epifcopus Am[illegible]nenfis.
Erbeo Ep.
Hubertus Chorep.
Ebvraccar Chorep.
Wolfgrinius Chorep.
Manno Chorep.
Rabanus Abbas Fuldenfis.
Sigimarus Abbas.
Winibertus Abbas.
Sindoltus Abbas.
Albuinus Abbas.
Theotgerus Abbas.

Ex quo libro autem Centuriatores ifta nomina Epifcoporum & aliorum haufernt, non indicant. Sanè Gottefcalci caufa difcutienda tantæ molis opus non erat. Et ex Epiftola Ludovici anni 828. publicata noti funt fines Conciliorum in quatuor Imperii locis indictorum: nempe, Placatio offenfi numinis per feriam emendationem delictorum, officia Chriftianæ juftitiæ à Principibus & populo implenda: fed, ut jam fupra dixi, hæc acta circa mores & difciplinam in hoc Concilio Moguntino ad nos non pervenerunt.

CONVENTUS WORMATIENSIS.

Anno Chrifti DCCCXXIX. Gregorii IV. Papæ III. Ludovici Imp. XVI. medio Menfe Augufto.

SUMMARIUM.

Apoftolicæ Sedis & Papæ Gregorii Legato præfente, ea, quæ Epifcopi in Synodis per quatuor loca Imperii traditis, neceffariò & utiliter nuper invenerunt, lecta fuere.

NOftri etiam ævi Auguftus piæ memoriæ HLudovicus in Synodo ac Placito generali apud Wormatiam, Apoftolicæ Sedis & Papæ Gregorii commeante Legato cum aliis plurimis, de his, quæ Epifcopi in Synodis per quatuor loca fui Imperii habitis, neceffario & utiliter nuper invenerunt, de hac unde agatur caufa, omnium tam Epifcoporum, quam fidelium laicorum votis convenientibus ità difcernens: Quicunque propria uxore derelicta, vel fine culpa interfecta aliam duxerit uxorem, armis depofitis publicam agat pœnitentiam, & fi contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in cuftodiam mittatur, donec res ad noftram notitiam deducatur.

Hincmarus L. de Divortio Hlotharii & Theutbergæ.

Baluz. Tomo I. Capitularium: fed Harduinus ea ad annum 828. *retulit.*

Annales Reuberiani ad h. a. 829. ADDUNT JUDITHÆ REGINÆ AFFICTUM CRIMEN. Primores quidam Pippinum Aquitaniæ Regem adeunt; Bernardum (*Septimaniæ Ducem & Limitum Hifpanicæ marcæ Comitem, quem hoc anno Ludovicus Cameræ fuæ præfecerat*) thori paterni inceftatorem fuiffe queruntur. Iidem hoftes Bernardi, & reginæ Judithæ per Werinum & Lambertum Reginam ex civitate Lauduno & Monafterii S. Mariæ Bafilica eductam compendium ufque perduei fecerunt, quam poft diverfi generis pœnas morte propofita adegerunt, ut promitteret, fe, fi copia fibi daretur cum Imperatore (*Ludovico Pio conjuge*) loquendi, perfuafuram, ut abjectis armis comifque recifis Monafterio fefe inferret, fe etiam impofito velo capiti idem facturam.

SYNO-

SYNODUS FRISINGENSIS,

IN DOMO SANCTÆ MARIÆ SEU CATHEDRALI.

Anno Christi DCCCXXX. Gregorii IV. Papæ IV. Ludovici Imp. XVII.

Hitto Episcopus acceptat Traditionem de Zornkeltinga factam ab Imichone Presbytero, VII. Idus Decembris. Indict. VI.

IN nomine Domini. Notum sit cunctis fidelibus, veracísque Viris, quia ego Imicho indignus Presbyter renovavi pristinam traditionem de Zornkeltinga, quicquid ibidem habui, iterum totum, & integrum tradidi, & adjunxi, quod ante promisi, curtem in domo, & cum omnibus ædificiis, & cum omni adquisitione, quod in antea adquirere, vel elaborare potuissem, mancipiis, terris cultis, & incultis, mobilibus, & immobilibus, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, omnia in omnibus firmiter tradidi ad domum Sanctæ Mariæ. Hoc factum est, ad Frigisingas in domo Sanctæ Mariæ in publico Synodo, in VII. Idus Decembris, anno Incarnationis Domini DCCCXXVIIII. indictione VI. Hludowici Imperatoris XVII. Et isti testes, qui hoc viderunt & audierunt more Bajowariorum per aures tracti: Spulit, Piligrim, Odolt, Hroadperht, Wilihelm, Adalker, Adalhart, Waltheri, Frumolt, Liutpald, Tetti, Wichelm, Otilo, Snelhart, Kaganhart, Engilrich, Altolf, Toato, Snelhart, & omni familia presente: Rubo Archipresbyter, Sigihart Archipresbyter, Altman Presbyter, Adalmunt Presbyter, Eliuni Presbyter, Oadalpald Presbyter, & alii quamplurimi ipsius familiæ. Et ego indignus Presbyter Cozroh hoc videns, jubente Domino Hittone Episcopo conscripsi.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Tom. I. Parte II. Instrumento DXLII. pag. 285.

CONVENTUS NOVIOMAGI.

Anno Christi DCCCXXX. Gregorii IV. Papæ IV. Ludovici Imp. XVII.

Decretum de reducenda Imperatrice ad Imperatorem. Depositio Ambianensis Episcopi.

IN eo ab omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac cæteris Francis judicatum est, ut conjux Imperatoris Juditha, quæ injustò & sine lege & judicio ei ablata fuerat, ad memoratum condictum Aquisgrani Placitum reduceretur: etsi quislibet aliquod crimen illi objicere vellet, aut se legibus defenderet, aut judicium Francorum subiret.

Annal. Bertiniani. Biographus Ludovici ad annum 829. impositam stropham Reginæ referunt, quam Pagi in Critica ad hunc annum refert.

In eodem Noviomagensi Placito per auctoritatem Apostolicam, & per consensum Episcoporum consideratum, & canonicè definitum est, ut Imperator suam reciperet conjugem. Qui statim per eam (*fortè post eam*) Optimates Regni sui misit, qui eam honorificè ad eum adducerent. Postea vero Karolum filium suum, & Drogonem Episcopum, fratrem videlicet suum cum aliis Optimatibus obviam ei misit, qui eam ad Aquisgrani Palatium cum magno honore deducerent.

Hactenus Annales Metenses.

Ibi

Ibi (Noviomagi) Jeſſe juſto judicio Epiſcoporum depoſitus eſt à Cathedra Ambianenſi.

Theganus de his Comitiis agens pag. mihi 312.

Hæ Actiones Eccleſiaſticæ in Conventu Noviomagenſi : cæteræ politicæ de Filiis, Ducibúsve ſe ficté aut veré ſubmittentibus HLudovico Patri, & de cuſtodia arcta conſpirationis Principum omittuntur.

GENERALE PLACITUM AQUISGRANI.

Anno Chriſti DCCCXXXI. Gregorii IV. Papæ V. Ludovici Auguſti XVIII.

Judithæ Imperatricis Purgatio & Abſolutio canonica.

JUditham Reginam licet nullo Canonico Judicio damnatam ad pœnitentiam, ſed ſola vi coactam Imperator non ante in thalamum reduxit, quàm ſe judicio Francorum & Epiſcoporum imo & Papæ purgâſſet ab impacta calumnia inceſtûs cum Bernardo, filio ſpirituali Ludovici ejus Patrini.

Annales Bertiniani ſcripſerant Juditham ſine lege ac judicio ablatam fuiſſe Imperatori & velatam. Si cauſa vera fuiſſet, judicio mundano inquirenda fuiſſet, & veritate patefacta pœna canonica ſeu divortii per Epiſcopos ferenda fuiſſet, & pœnitentia determinanda: ſed nec audita, nec confeſſa velum ſumere coacta fuit, & bis in Monaſterium Lauduni & Pictavis retruſa fuerat.

Imperator nihilominus recuſabat pœnitentiæ addictam recipere in thorum, niſi judicio Eccleſiaſtico abſoluta eſſet. Cùm Auguſta parata eſſet ad objecta confutanda, nemo autem ex calumniatoribus compareret, qui crimen imputatum probaret: purificavit ſe Regina ſecundùm judicium Francorum de omnibus, quibus accuſata fuerat, hoc eſt, juramentum præſtitit, & habuit, qui una cum ea jurarent, falſa eſſe, quæ inimici contra ejus honorem & pudicitiam ſparſerant. Hæc judicio Epiſcoporum Franciæ juncta ſufficiebant. Sed addebatur Pontificis auctoritas, Imperatoris, & Auguſtæ reſpectu, quorum eminens dignitas cauſam iſtam majorem faciebat, de majoribus autem cauſis Sedem Apoſtolicam conſulendam Innocentius I. olim docuit.

Eckhartus Tom. II. Hiſtor. Franc. Orient. Lib. XXVIII. pag. 252. §. 293. *ex Annalibus Francorum Bertinianis.*

CONVENTUS APUD AQUISGRANUM,

ACTIO II. (a)

Anſgarii Conſecratio in Archi-Epiſcopum Hammaburgenſem.

HAbito generali Sacerdotum Conſilio Pius Cæſar *Ludovicus* votum Parentis *Caroli Magni* cupiens implere Hammaburg, Transalbianorum civitatem

H

(a) Anno 831. Hamburgenſem Archi-Epiſcopum ordinatum fuiſſe, & conſecratum S. Ansgarium, Corbeiæ novæ ad Viſurgim Monachum, qui anno 826. jam fuerat in Daniam miſſus ab Ludovico Pio, uti diximus, eo anno judicat *Baluzius:* probat autem hanc Epocham *Pagius* ex anno obitûs, nempe 865. ab inſtituto Epiſcopatu anno XXXIV. III. Nonas Februarii, Indict. XIII. Igitur initium Archi-Epiſcopatûs ad 831. ſpectat: quo anno tres Conventus Imperator celebravit, unum Aquisgrani, alterum Ingelheimii, tertium in Theodonis Villa. *Pagi in Critica Annal. Baron. ad annum* 832. Fallitur Dupinius Tom. VII. *Bibliotheca nova Autorum Eccleſ. pag.* 197. dum ait S. Ansgarium anno 836. incepiſſe Miſſionem Danicam, & anno 842. creatum Epiſcopum Hammaburgenſem. Certum enim oſtendimus anno 826. primò miſſum fuiſſe in Daniam, anno 831. conſecratum fuiſſe.

tem in Metropolim omnibus barbaris ſtatuit nationibus Danorum, Sueonum, itemque Slavorum, & aliis conjacentibus in circuitu populis, eique Cathedræ primum Archi-Epiſcopum ordinari fecit Ansgarium. Hoc factum eſt anno Domini DCCCXXXIII, qui eſt Luthewici Imperatoris XVIII. (*b*) Willerici Bremenſis Epiſcopi XLIII. Conſecratus eſt autem à Drogone Metenſi Epiſcopo, (*c*) Cæſaris fratre germano, aſtantibus atque faventibus Otgario Moguntienſi, Ebone Remenſi, Hetti Treverenſi, & aliis: Conſentientibus etiam Willerico Bremenſi, & Helingaudo Ferdenſi Epiſcopis, (*d*) quibus antea Diœceſis illa commendata eſt: roborante à Papa Gregorio IV. Apoſtolica auctoritate & Pallii donatione.

Adamus Bremenſis Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. XVII.

Philippus Cæſar in vita S. Anſgarii Cap. XI.

(*b*) Ex anno Imperii Ludovici XVIII. colligitur error in antecedente anno Chriſti anno 833. cum enim annus Imperii Ludovici Pii primus ſit annus Chriſti 814, ſequitur annum Imperii 18. coincidere in annum Chriſti 831. & annum XXI. Ludovici, quo datum fuit Diploma confirmatorium erecti Epiſcopatûs Hamburgenſis, triennio poſteriorem eſſe, adeòque referendum ad annum Chriſti 834, ubi nos id referemus, cùm Clariſſimis Viris *Lambecio & Schannato* Adamum Bremenſem, aut ejus Librarium corrigentibus.

(*c*) Summæ Sanctæ Palatinæ dignitatis Præſule, ſeu Archi-Capellano, & ideo præcedente reliquos Archi-& Epiſcopos Regnorum Germaniæ & Franciæ: Idem Drogo anno 844. à Gregorio IV. Papa fuit creatus Vicarius Sedis Apoſtolicæ Transalpes cum poteſtate cogendi Concilia, dijudicandi cauſas appellantium ad Sedem Apoſtolicam, & inſtruendi cauſas Epiſcoporum & Abbatum. *Lege Epiſtolam Gregorii IV. ad omnes Epiſcopos Transalpinos.*

(*d*) Ex horum territoriis decerpta eſt nova Diœceſis Hammaburgenſis, hinc illorum conſenſus neceſſarius erat, & Papæ pro erectione novæ Diœceſeos.

SYNODUS FRISINGENSIS.

Anno Chriſti DCCCXXXI. Gregorii IV. Papæ V. Hludowici Imp. XVIII. Hludovici Reg. Bavariæ V.

Sigifuns Presbyter hæreditatem ſuam in loco Puppininga donat ad Domum Sanctæ Mariæ ad Frigiſingas.

IN nomine Domini noſtri Jheſu Chriſti. Notum ſit cunctis fidelibus: quia quidam Presbyter, nomine Sigifuns, cogitans pro remedio animæ ſuæ quicquid habuit propriæ hereditatis, vel adquiſitionis in loco Puppininga preter unum mancipium, quod ei animo conplacuiſſet, aliud, quicquid habuit in mancipiis, pecoribus, pecuniis, terris cultis, & incultis nihil pretermiſit, ſed omnia in omnibus firmiter tradidit ad domum Sanctæ Mariæ ad Frigiſingas. Hoc factum eſt in *publico Synodo* ad Frigiſingas in V. Idus Octobris, Indictione VIIII. Anno Incarnationis Domini DCCCXXXI. Hludowici Imperatoris ſui XVII. Hludowici Regis noſtri V. Iſti ſunt, qui hoc viderunt & teſtes extiterunt: Timo Palacii Comes, Luitpald Comes, Heipo, Einheri, Wicco, Mahtuni, Arahad, Wilhelm, Erchanolt, Ambricho, Arhart, Sigihart, Tutti, Cundheri, Rihperht, Heriperht, Hiltipald, Iſanhart, Piligrim, Einhart, Friduperht, Ato, alius Friduperht, Pezzi, Willahelm, Luithart, Jacob, Ato, Poapo, Adaluni, Et ego Cozroh hoc videns, & audiens conſcribſi.

Meichelbeck Hiſtoriæ Friſingenſ. Tomo I. Part. II. Inſtrum. DLIX. pag. 293.

SYNO-

SYNODI EJUSDEM
ACTIO II.

Hitto, Episcopus Frisingæ, Traditionem Jacobi suæ proprietatis in loco Alpicha ad Domum Cathedralem Sanctæ Mariæ ratam habet.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Ego itaque Jacob cogitans pro remedium animæ meæ tradidi ad domum Sanctæ Mariæ, quicquid proprietatis, vel adquisitionis habui in loco Alpicha, hoc totum, & integrum firmiter tradidi in altarem Sanctæ Mariæ ad Frigisingas, ut in perpetuum ibidem cum omni integritate firmiter permaneat. Hoc factum est ad Frigisingas *in publico Synodo* in VI. Idus Octobris. Indictione VIIII. Anno Incarnationis Domini DCCCXXXI. Hludowici Imperatoris sui XVII. Hludowici Regis nostri V. Isti testes Herilant Comes, Liuthart, Nidhart, Jacob, Petto, Heito, Sigiwin, Oadalrih, Irminfrid, Arahad, Kejo, Tuti, Ato, Cundheri. Et ego Cozroh Presbyter hoc videns conscribsi.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Tom. I. Part. II. Instrum. DLX. p. 293.

LUDOVICI PII
PRÆCEPTUM

De Paganis ad Christianitatem invitandis, & de Institutione Episcopatus Hammaburgensis, & Ansgario Archi-Episcopo in Conventu generali totius Imperii, & Archi- & Episcoporum consensu consecrato.

Anno Christi DCCCXXXIV. Gregorii IV. PP. VIII. Ludovici Imp. XXI. Indict. XII.

IN nomine Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Divina propitiante Clementia Imperator Augustus. Si specialibus cujusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis subveniendum esse imperialis authoritas monstrat, quantò magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignúmque pertinet, ut Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eámque nobis regendam, tuendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oportet gerere curam, & ut in ejus provectu vel exaltatione congruam exhibeamus diligentiam, novis ad ejus necessitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus nova imo necessaria & utilia provideamus constituta. Idcirco Sanctæ Dei Ecclesiæ filiis præsentibus scilicet & futuris certum esse volumus, qualiter Divina ordinante gratia nostris in diebus Aquilonaribus in partibus ingentibus scilicet Danorum sive (*a*) Sweonum magnum cælestis gratiæ prædicationis sive adquisitionis patefecit ostium, ità ut multitudo hinc inde ad Christi fidem conversa mysteria Ecclesiasticaque subsidia desiderabilitet expeteret. Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes exsolvimus, qui nostris temporibus & studiis Sanctam Ecclesiam Sponsam videlicet suam in locis ignotis sinit dilatari atque proficere. Quamobrem unà cum Sacerdotibus, cæterisque imperii nostri fidelibus hanc Deo dignam cernentes causam valde necessariam, atque futuræ Ecclesiæ digni-

(*a*) Sueonum: *Philipp. Cæsar.*

tati proficuam dignum duximus, ut locum aptum noſtris in finibus evidentius eligeremus, ubi ſedem Epiſcopalem per hoc noſtræ Authoritatis præceptum ſtatueremus, unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum faciliùs uberiúsque capere valerent, ſitientes ſalutis gratiam præ manibus vel oculis haberent, inſuper & magnorum progenitorum noſtrorum ſacra lucrandi ſtudia noſtris in diebus nunquam deficerent. Genitor etenim noſter glorioſæ memoriæ Carolus omnem Saxoniam Eccleſiaſticæ religioni ſubdidit, jugumque Chriſti aduſque terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit: ubi inter has utrasque gentes, Danorum videlicet ſive Winedorum, ultimam Saxoniæ partem ſitam, & diverſis periculis, temporalibus videlicet & ſpiritualibus interjacentem proſpiciens, pontificalem ibidem Sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde poſtquam terram Nordalbingorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, (b) *Ekeberto* Comiti reſtituere præceperat, non jam vicinis Epiſcopis locum illum committere voluit, ſed ne quiſquam eorum hanc ſibi deinceps parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quendam Epiſcopum (c) *Amalarium* nomine direxit, qui primitivam Eccleſiam ibidem conſecraret. Sed & eidem Eccleſiæ Sacras Reliquias ac plura Eccleſiaſtica munera pia largitate ſpecialiter deſtinare curavit. Poſtmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem parrochiam cuidam (d) *Heridac* nomine ſpecialiter commendavit, quem univerſæ Nordalbingorum Eccleſiæ, ne ad ritum relaberentur gentilium, vel quia lucrandis adhuc gentibus locus ille videbatur aptiſſimus, diſpoſuerat conſecrari Archi-Epiſcopum, ut ipſa occaſione vel authoritate ſumma in ipſis terminis gentium ſedulitate prædicandi Sancta multiplicaretur Eccleſia, dum Vicinorum ipſius novitatis Epiſcoporum multa latitudinis cura ſufficiebat diſcurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero qandam cellam (e) *Hrodnace* vocatam, quatenus eidem loco undique periculis circumdato fieret ſupplementum. Sed quia conſecrationem jam dicti viri velox ex hac luce tranſitus pii Genitoris noſtri in diebus ejus fieri prohibuit; ego autem, quem Divina Clementia in ſedem regni ejus aſciverat, cùm in multis regni diſponendis negotiis inſiſterem, hoc quoque prædicti patris mei ſtudium, velut regni in finibus peractum, minus cautè adtenderem, ſuadentibus quibusdam jam dictam cellam: *Ad Indam Monaſterium* contuli, prædictam verò parrochiam vicinis Epiſcopis interim commendavi. Nunc autem tam propter ſupraſcripta Eccleſiaſtia lucra in gentibus demonſtrata, quam & propter votum pii Genitoris noſtri, ne quid ejus ſtudii imperfectum remaneat, ſtatuimus una cum conſenſu Eccleſiaſtico præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato *Hammaburg*, cum univerſa Nordalbingorum Provincia Eccleſiæ proprii vigoris conſtituere ſedem, cui & primum præeſſe atque ſolemniter conſecrari per manus *Drogonis Metenſis*, *& ſummæ Sanctæ Palatinæ dignitatis præſulis Ansgarium fecimus Archi-Epiſcopum adſtantibus Archi-Epiſcopis Ebbone Remenſi*, *Hetti Treverenſi*, *& Otgaro Moguntiacenſi*, *cum plurimis aliis generali in Conventu totius Imperii noſtri præſulibus congregatis aſſiſtentibus quoque ſpecialiter conſentientibus*, *atque conſecrantibus Helingaudo* (f) *ſive Willerico Epiſcopis* (g) à quibus jam dictæ parochiæ partes à nobis ſibi olim commendatas recepimus. Cui videlicet Ansgario, quia præfatis in gentibus hæc noſtris in diebus digniſſima in convocatione gentilium vel redemptione captivorum monſtrata ſunt lucra, tam noſtræ, quam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ authori-

(b) Egbertus Comes, Eſſesfelt ad fluvium ſturiam occupatum munivit Anno 809. paci inter Carolum Magnum & Hemmingum Regem Danorum anno 811. ſancitæ interfuit.
(c) Amalarius alius ab Amalario Treverenſi anno 813. à Carolo M. Conſtantinopolim miſſo.
(d) Heridac, Carolo Magno Nordalbingis convertendis Presbyter datus Epiſcopus fuiſſet ordinatus, niſi mors interveniſſet.
(e) Rodtnacum Villa eſt in Brabantia.
(f) Helingaudus, Ferdenſis Epiſcopus.
(g) Willericus, Bremenſis Epiſcopus, Succeſſor Willebaldi primi Bremenſium Apoſtoli, obiit Willericus DCCCXXXVIII. Sufficitur Leudericus in Bremenſi Cathedra.

thoritate hancDeo dignam in præfatis gentibus commisimus legationem, ac proprii vigoris ascribere decrevimus dignitatem. Et quia casus præteritorum cautos nos facit in futurum, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi trans Albiam vel alicubi in prædictâ parrochiâ vindicet potestatem, certo limite circumscriptum esse volumus, *videlicet ab Albia flumine deorsum usque ad mare Oceanum & rursum pro omnem Slavorum Provinciam usque ad mare, quod Orientale vocant*, & per omnes prædictas nationes septentrionis. Omnes quoque paludes infra, sive juxta Albiam positas, cultas & incultas, infra terminos ejusdem parrochiæ ponimus, ut Transalbiani se & sua ab incursu paganorum, qui sæpe timendus est, securiùs in locis occultare queant. Et ut hæc nova constructio periculosis in his locis cœpta subsistere valeat, quandam *Cellam Thurolt* (h) vocatam tam huic novæ constructioni, quàm Archi-Episcopi successorumque suorum in gentibus legationi perrenniter servituram ad nostram nostræque sobolis perpetuam mercedem Divinæ offerimus Majestati. Homines quoque, qui ejusdem cellæ beneficia habere videntur, ab omni expeditione vel militia sive qualibet occupatione absolvimus, ut idem venerabilis Episcopus ad hanc Deo dignam peragendam in provisis temporibus legationem nullum in hoc patiatur impedimentum. Dona verò, quæ ex eadem cella nostris partibus dare solebant, & nobis, successoribusque nostris similiter dari volumus. His exceptis majus minusve in convocatione paganorum vel redemptione captivorum, sive ejusdem sedis supplemento multimodis periculis circumdata, vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei & beati Sixti (*i*) confessoris ejus perpetuò delegamus. Res itaque præfatæ sedis & jam dicti Monasterii sub plenissima defensione & immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur, ità ut nullus judex publicus aut alia quælibet potestate publica prædita persona de eorum rebus freda, tributa, mansionaticos vel paratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere; aut homines ipsorum tam litos, quàm & ingenuos super terram eorum manentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occasiones requirere, vel exigere præsumat. Sed liceat prædicto venerabili Episcopo, suisque successoribus ac omni Clero sub eorundem regimine constituto quietè in Dei servitio degere, & pro nobis proleque nostra atque statu totius imperii divinam misericordiam exorare. Et ut hæc authoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signare jussimus.

SIGNUM HLODEUVICI PIISSIMI IMPERATORIS.

Hirminmarus Notarius, ad vicem Theodonis recognovit.

Data Idus Maji, anno Christi propitio, XXI. Imperii Domni HLODEUVICI Piissimi Augusti, Indictione duodecima.

Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Baluz. Tomo I. Capitularium Regum Francorum pag. 681. *& seqq.*

Philippus Cæsar in Triapostolatu Septentrionis anno 1642. *Coloniæ pag.* 175. minùs plenè & correctè editus.

Henschenius Tomo III. in Actis Sanctorum ad diem 3. *Februarii idem refert cum Notis.*

[*h*] Tornholtum, Comitatus Flandriæ contiguus, in quo Monasterium Sæculo VII. sub Dagoberto creditur fundatum: nunc à Ludovico Pio donatur S. Anschario, id eripuit S. Anschario Reginarius Comes pag. 396. *Acta SS.* Februarii Tomo I.

(*i*) Sixtus, Remensis Archi-Episcopus, etiam in antiquis Martyrologiis Confessor dicitur: in Martyrologiis quibusdam Martyr.

NARRATIO HISTORICA FACTORUM,

CIRCA DEPOSITIONEM LUDOVICI PII AUGUSTI, PROPE BASILEAM, COMPENDII, ET SUESSIONE ANNIS 833. 834. 835.

Anno 833. Wormatiâ digréssus Ludovicus Pius venit in Festivitate S. Joannis Baptistæ VIII. Kalendas Julii ad locum Basileæ urbi vicinum, qui post hunc diem *Campus mentitus, vel mendacii* (a) appellatus fuit, eo quod ii, qui fidem Imperatori promittebant (*Milites, Duces, Abbates*) mentiti sunt, & ad Lotharium filium transierunt. Stabant hinc acies Ludovici Patris Augusti Pii, inde Lotharii Regis Italiæ, & Ludovici filiorum, Regis Germaniæ, & Pippini Regis Aquitaniæ. Gregorius IV. Papa Româ eo venerat, quasi mediator conciliaturus Patrem Filiis; ad Ludovicum accessit: Interea milites, & populus ex castris Patris ad filios transeunt. Juditha Augusta in Ludovici filii tabernaculum introducitur, in Italiam, Dertonam usque transvehenda. Sic Imperator penè solus cum filiolo Carolo relatus ab omnibus ducitur à Lothario, jam veluti solo supremo Domino COMPENDIUM usque, ubi Episcopi Lothario adulantes Ebo Remensis; (b) Agobardus Lugdunensis, Bernardus Viennensis, Bartholomæus Narbonensis, Jesse Ambianensis, Helias Tricassinus, Goswinus Osnabrugensis, Hereboldus Antisiodorensis, Wala Abbas Corbeiæ veteres accusationes jam anno 822. productas reproduxerunt: *Libellum delictorum* Ludovico Pio imputatorum porrigunt, & suadere nituntur, ut de præteritis delictis iterum publicam pœnitentiam agat, armis depositis irrevocabiliter, & hoc modo Ecclesiæ satisfaciat.

Sic adjudicatum absentem à conventiculo, & inauditum, nec confitentem, neque convictum *Compendio* Suessionem ducunt, & ante corpus S. Medardi Confessoris, & S. Stephani Martyris arma deponere, baltheum, & gladium ante altare ponere cogunt, pulláque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam in Monasterio S. Medardi retrudunt.

Hoc ipso autem, quod publicæ pœnitentiæ subjectus esset, opinio Vulgi erat, quod Imperium administrare non posset: Filius Carolus ad Monasterium Prumiense custodiendus deducitur, sed non tondetur.

In eo statu pœnitentiæ publicæ permansit Imperator Ludovicus Pius usque ad Kalendas Octobris anni hujus 833. Indict. XII. Dum interea Ludovicus Bavariæ Rex, ac Germaniæ Comites, & nonnulli Franci indignè ferentes nefariam, & contra omnes leges attentatam exauctorationem Lothario Imperatori denunciant, & postulant, reddi sibi Ludovicum Imperatorem custodiæ vinculis absolutum: Ipsummet verò hortantur ad recipiendas Infulas Imperatorias. Lotharius postulantibus, & arma minantibus respondit, " *Se paternæ calamitati compati, nec* " *sibi imputandam culpam, sed suamet accusa-* " *tioni; & Episcopali judicio imputent*, Imperator verò Ludovicus Pius nequaquam voluit præproperæ suorum fidelium acquiescere sententiæ, sed in Ecclesiâ S. Dionysii prope Parisios Dominica die Quinquagesimæ anni 834. Episcopali Ministerio voluit reconciliari.

Lotharium Filium, Regem Italiæ, per Burgundiam Viennam fugientem, licet multis hortantibus, persequi noluit, post venientes ad se filios, & serius omnium Hlotharium ad se venientem benignè accepit, culpam condonavit.

Demum hoc anno festum S. Martini Attiniaci celebravit, receptâ jam Judithâ Augusta ex Italiâ reducta, & filio Carolo Prumiâ egresso. Ineunte anno 835. Natalem Domini Metis: inde Theodonis Villam cum Drogone suo Archi-Capellano ad Palatium processit, ubi quæ Acta sunt, circa *Purificationem B. Mariæ* verbis Flodoardi referemus.

Hæc in coævis vel supparibus Annalistis Francorum.

ACTIONES CONVENTUS GENERALIS à DIE PURIFICATÆ VIRGINIS 835.

I. Inter cætera Ecclesiasticæ instituta Disciplinæ ventilata est Depositio Imperatoris Compendii facta anno 834. Eadem rescissa, nulla, &

(a) Colmariam hodiernam vel Rothfeld fuisse eum locum, qui Campus Mendacii dictus fuit, conjicit Eckhartus Histor. Franc. Tomo II. pag. 264.

(b) Ebo Remensis Episcopus à *Thegano* Chorepiscopo Treverensi vocatur impudicus & crudelissimus ex originalium servorum stirpe, Lotharianæ perduellionis præcipuus Dux.

& nefaria declarata libellis, scriptis, & subsignatis à XLII. Archi- & Episcopis.

II. è Palatio Theodonis Villæ ad proximam Cathedralem Metensem Ecclesiam processum, & hæc rescissio Actorum Conventiculi Compendiensis, & nova instauratio Imperii, restitutio insignium publicè in Ecclesiâ Cathedrali facta.

III. Reditum dein ad Theodonis Villam.

IV. Ebbonis, Agobardi, & Hildemanni, qui rebellioni à Lothario excitatæ contra Patrem faverant, causa dijudicata. Primi duo depositi. Ebbo etiam sua confessione, Agobardus absens depositus. Hildemannus (c) *regulariter satisfacit accusationibus suis, Goswinus* (d) *Ep. Osnabrugæ se Corbeiæ novæ inclusit.*

Iterum reditum fuit Metas ad Cathedralem Ecclesiam, & gaudium instauratum. Dimissi Episcopi, & Proceres.

SYNODUS IN THEODONIS VILLA

A DIE PURIFICATÆ VIRGINIS AD DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ H. A. KAL. MARTII.

Anno Christi DCCCXXXV. Gregorii IV. Papæ IX. Ludovici Imp. XXII.

DCCCXXXV. Ludovicus Imperator ab æquivoco filio suo Ludovico Bavariæ, & Germaniæ Rege restitutus in regnum, & honorem suum in Ecclesiâ S. Dionisii anno 834. Dominicâ quinquagesimæ, Ebonem Remensem Episcopum in Normanniam, seu Daniam fugam parantem per Episcopos, Rothadum Suessionensem, & Erchenradum Parisiorum revocari fecit, & in Monasterio Sancti Bonifacii (*Fuldæ*) ei, Clericis ac Laicis, qui cum eo erant, necessaria ministrari, & Synodum expectare præcepit. Ad quem anno incarnationis Dominicæ 835. ineunte venientes omnes Episcopi, qui convenerant, sigillatim libellos de restitutione Imperatoris communi consilio, atque consensu ediderunt, & propriis manibus subscripserunt. Cum quibus & Ebo, ut revera in statu suo adhuc manens, libellum manu suâ cum additamento *Archi-Episcopi* scriptum edidit: in libello professus est, quidquid in ipsius Imperatoris dehonoratione gestum fuerat, injustè factum fuisse.

Item post pauca.

Et post datos libellos venientes Episcopi cum Imperatore, & quàm plurimis ejus fidelibus, & regni primoribus in urbem Metensium, in Basilica Sancti Stephani, publicè à Drogone Episcopo relecta sunt, quæ de restitutione Imperatoris omnium unanimitate inventa fuére.

Posthanc annuntiationem Ebo Remorum Episcopus, qui ejusdem factionis veluti signifer fuerat (*in conventu Compendiensi anni* 834.) conscendens eundem locum, ubi Drogo steterat, coram omnibus professus est, eundem Augustum injustè depositum, & omnia, quæ adversus eum patrata fuerant, iniquè & contra totius auctoritatis tramitem fuisse machinata: meritò, justéque proprio Imperii solio reformatum, & sic omnibus laudes Deo canenti-

(c) Episcopus Belvacensis.
(d) Ob perjurium ab Episcoporum consortio semotus fuit.

nentibus, & quæ tunc ibidem agenda fuerant, peractis, ad Theodonis villæ Palatium regressi sunt.

Ibique Hildemannus in Synodo præsens se à calumniâ illi impacta regulariter exuens satisfecit Synodo & per eam Imperatori.

Ebo verò in eadem Synodo præsens ab Imperatore præsente est accusatus, quod eum falso fuerat criminatus, & iisdem falsis criminibus appetitum à regno dejecerat, armisque ab eo ablatis nec confessum, nec invictum *contra Regulas Ecclesiasticas* ab Ecclesiæ aditu, ac Christianorum societate eliminaverat: sicut & idem scripto, subscriptione suâ roborato, & verbis coram omnibus professus fuerat.

Et cum essent alia etiam crimina, de quibus post hanc accusationem accusandus erat, & de quibus apud Imperatorem jam antea fuerat accusatus, & non Canonicè (e) purgatus, sicut & *Epistola Episcoporum ad Sergium Papam* demonstrat, & pro quibusdam eorum exstiterat à consilio Imperatoris ejectus, quæ patefacta veritate negare non valebat, petiit secessum, ut sine præsentiâ Imperatoris liceret ei in Synodo Episcoporum (*solorum*) suam agere causam.

Quod obtinens convocavit ad se quosdam Episcopos, (f) & nullo cogente, sed propriâ sponte secundùm eorum consilium, sequentium Concilium *Africanum*, ut parceretur ipsius verecundiæ, ac propter Ecclesiæ obprobrium, ac insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas Sacerdotalis pollueretur, si publicè de his, de quibus impetitus, & adhuc impetendus erat, confessus, aut convictus foret, libellum suæ depositionis dictavit, & scribi coram se fecit, & propriâ manu subscripsit *secundum traditionem Ecclesiasticam*, eundémque libellum propriæ, ac vivæ vocis confessione attestatum in abdicationem sui, nullo ab eo quærente vel exigente, Synodo ultro porrexit, & sicut videri tunc ab his, qui interfuerunt, potuit, Sacerdotio se sponte submovit, quærens remedium pænitendi, sicut in eodem professionis, ac subscriptionis suæ libello continetur, hoc modo:

„ Ego Ebo indignus Episcopus recognoscens fragilitatem meam, & peccatorum meorum testes confessores meos Ajulfum (g) videlicet Archi-Episcopum, & Badaradum Episcopum, (h) nec non & Modoinum Episcopum (i) constitui mihi judices delictorum meorum, & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio, & ministerio Pontificali, quo me recognosco indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secreto ipsis confessus sum, eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alii succedendi, & consecrandi in loco meo, qui dignè præesse, & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignè præfui. Et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem authoritate canonica facere valeam, manu propriâ meâ subscribens firmavi. Ebo quondam Episcopus subscripsi.

Et ut omnia secundum leges, quibus moderatur Ecclesia, in Synodo legaliter adimpleret, simul cum eis, quos secundum *Africæ Provinciæ Canones* elegerat sibi Judices; dicente Apostolo: *Adversus* (k) *Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus: ut* (l) *in ore duorum vel trium testium constaret etiam suæ accusationis*, & ut alius, se Sacerdotio defuncto, ei succederet, testificationis verbum, ascivit & alios tres Episcopos veritatis de suâ accusatione, & testificatione conscios in testimonium suæ professionis: Theodoricum scilicet Episcopum Cameracensem, & Achardum Episcopum Noviomensem Diœceseos suæ, & Nothonem Archi-Episcopum (*Arelatensem*) & sic ipse professus, & sex Episcopis suæ professioni attestantibus, ut prædiximus, Libellum Synodo por-

(e) Canonica purgatio delicti Clericorum fiebat per juramenta & testes: Laicorum vero Ducum & militum purgatio fiebat per oblatum accusatori duellum.

(f) Ab Judicibus, quos Episcopus accusatus sibi purgando elegerat, provocare non licebat; juxta Canonem LXIII. Concilii Africani, quem lege sis *Tomo I. nostro pag.* 223. Alii sunt Judices à Synodo, vel ab Imperatore constituti criminis examinandi & dijudicandi causa.

(g) Agiulfum, Bituricensem Archiep.

(h) Paderbornensem.

(i) Augustodunensem.

(k) Primæ ad Timotheum V, 19.

(l) Matth. XVIII, 16.

porrexit: cunctique Episcopi, qui Synodo interfuerunt, sigillatim, ac viritim dixerunt illi: *Secundùm tuam professionem, & subscriptionem cessa à Ministerio.* Et coram omnibus hanc notitiam cum præscripto libello futuris temporibus consecrandam, Jonas Episcopus Heliæ Notario tradidit, qui libellum Ebonis scripserat, cui idem Ebo subscripsit secundum *LIX.* (m) *Capitulum*, & idem secundum *Capitulum LXXIV.* (n) *Concilii* Africani pro omnibus dictavit, & idem Helias, (o) hæc, quæ sequuntur, subscripsit.

Acta est hæc Ebonis Professio, ejusque propriæ manus subscriptione roborata in Conventu Synodali; generaliter habito apud Theodonis Villam, Anno Incarnationis Domini nostri JEsu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno etiam Imperii Gloriosi Cæsaris Ludovici XXIII.

Item post aliquanta. . . Libellum uti ab Ebone porrectum post damnationem ejus Synodus Fulconi (p) Presbytero, qui eidem Eboni in Episcopatûs Remensis susceptione successerat, cum synodali notitiâ dedit; quique in Remensi Ecclesia conservatur: cujus exemplar Sanctæ memoriæ Papæ Leoni directum didicimus.

Flodoardus Historiæ Ecclesiæ Remensis Libro II. Cap. XX.

Acta post Synodum Theodonis Villæ.

Dominica proximâ post Synodum, quæ fuit forte prima Quadragesimæ Dominica, Imperator Theodonis Villa in Metas civitatem redux, ubi Drogo Metensis frater Ludovici Pii ante mensam prælegit actum restitutionis Augusti Ludovici; septem Archi-Episcopi, septem reconciliationis Ecclesiasticæ Orationes super eum cecinerunt, & coronam ex altari sumptam capiti Ludovici imposuerunt. Ebo ex Ambone conscenso prælegit Acta Synodi Theodonis Villæ: & omnes populi hoc viso pro plenariâ restitutione Imperatoris multas Deo gratias reddiderunt.

Biographus Ludovici Pii à Pithoeo editus pag. mihi 408. & Calmetus Historiæ Lotharingiæ Tom. I. Lib. XIII.

Interfuerunt Synodo Theodonis Villanæ ex Eckharti mente.

Drogo, Archi-Episcopus Metensis.
Hetti, Archi-Episc. Treverensis.
Ragnoardus, Archi-Episc. Rotomagensis.
Landranus, Archi-Episc. Turonensis.
Aldricus, Archi-Ep. Senonensis.
Notho, Archi-Ep. Arelatensis.
Ajulfus, Archi-Ep. Bituricensis.
Rotoldus, Episcopus Suessionensis.
Jonas, Episc. Aurelianensis.
Frotarius, Ep. Tullensis.
Erchanradus, Ep. Parisiensis.
Raganarius, Ep. Venetensis.
Vulfinus, Ep. Pictaviensis.
Theodoricus, Ep. Camaracensis.
Achardus, sive Eccardus, Ep. Noviomensis.
Rothaldus, Ep. Veronensis, qui Juditham ex Italia reduxerat, aliàs Rothadus dictus.
Badaradus, Ep. Paderbornensis.
Modoinus, Ep. Aeduensis.
Theodoricus, Ep. loc. incerti.
Walocharius, Ep.
Goldoricus, Ep.
Godofridus, Ep. Senlitensis.
Teutmundus, Ep.
Ermbertus, seu Halenbertus, Ep. Bajocensis.
Hubertus, seu Humbertus, Ep. Wirceburgensis.
Erardus, vel Heiradus, Ep. Tungrensis.
Albericus, Ep.
Freculphus, Ep. Lexoviensis.
Joannes, Ep.
Hildemannus, Ep. Bellovacensis.
Hildi, Ep. Virdunensis.
Christianus, Ep. Autisiodorensis.

I Sisa-

(m) Editionis Dionysianæ meæ Cap. XXVI. pag. 213. Tomo I. sed apud Harduinum Cap. LIX. Conciliorum Tomo I. pag. 898. in codice Canonum Ecclesiæ Africanæ.
(n) Vide Tomum I. nostrum pag. 225.
(o) Helias post Carnotensis Episcopus fuit.
(p) Fulco, Abbas S. Remigii Remis, jam ab anno 834. erat Administrator Ecclesiæ Remensis nominatus à Ludovico Pio, & à Synodo suffectus Eboni.

Siſagutus, EP. fortè Siſabutus. Siſebotus enim EP. Urgellitanus fuit.
Raganarius, EP. Ambianenſis.
Iſpio, loci ignoti EP.
Teutgandus, fortè Teganus, Chorep. Treverenſis.
Bonus, EP.
Flavo, EP. Cabillonenſis.
Ado, EP.
Teutbertus, EP.
Wiladus, EP.
Morbertus, fortè pro Gozberto, Sueonum EP.

Hactenus Eckhartus rerum Francicarum Tomo IV. Lib. XXIX.

F L O R I,
DIACONI ECCLESIÆ LUGDUNENSIS, (a)
De Libris AMALARII (b) *Chor-Epiſcopi Lugdunenſis, ad Theodonis Villæ Concilium, Epiſtola.*

Sancto & Venerabili Concilio apud Theodonis Villam habito.

AUdite Patres Beatiſſimi, & Reverendiſſimi; à Deo convocati, & in Deum uniti, propter Deum, auxiliante ipſo, laborantes & laboraturi, atque in illo, & cum illo poſt beatum laborem requieturi; audite ità, ut audiat vos Deus, ac mementote Apoſtoli, rectores Eccleſiæ exhortantis, & dicentis: *Attendite* (c) *vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit, Epiſcopos regere Eccleſiam Domini, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Sermo de fide agitur, & Catholica veritate, quam Prælatus Eccleſiæ Lugdunenſis, depravare, & ſubvertere lingua & calamo non deſiit, errorisque ac mendaciorum ſuorum vos ipſos, venerabiles Eccleſiæ Chriſti oculos, in tantum ſocios, & complices eſſe confirmat, ut in publico Eccleſiæ noſtræ conventu jactare auſus ſit, ad hoc vos ſuis perſuaſionibus in generali Synodo fuiſſe perductos, ut omnes manu propria ſuis ineptiſſimis libris ſubſcribere, & ſic unanimiter ſentire & obſervare velletis. Cui ego per majores natu reſpondi, non ſolum me de tantis viris id credere nullatenus poſſe; ſed etiam mihi indigno, qui ſum canis mortuus, & pulex exiguus, tres prius digitos, quibus ſcribimus, radicitus amputari vellem, quam errores hujusmodi manus propriæ ſubſcriptione firmarem. Addidi etiam, quod, ſi libri illi in bono Concilio fuerint diſcuſſi, & dijudicati, erunt procul dubio anathematizati: quos etiam Corepiſcopo Eccleſiæ noſtræ velut valde utiles omnibus, juſſit tranſcribere: quos, cum ego ex parte aliqua relegiſſem, & mendaciis plenos deliramentisque vidiſſem, dehortatus ſum, ne hoc penitus fieret, librosque ſuo quantocius auctori reſtituendos admonui, metuens videlicet, ne oves Chriſti, id eſt ſimplices quosque, ex eorum lectione quædam vaniſſima curioſitatis ſcabies aſpergeret, & ardentes papulæ diri erroris exurerent. Collegi autem ipſe ac digeſſi in ordinem, propriisque ſermonibus explicavi nonnulla, quæ in generali Presbyterorum Concilio propoſuit, diſſeruit, commendavit, ex quibus ejus vanitas contemptui, immo execrationi pateat; ſed ne quis me falſa putet aſſerere, veniat liber

(a) Ejuſdem Flori ſcriptoris permulta opera recenſet *Dupinius Bibliotheca nova Autorum Eccleſiaſticorum Tomo VII.* paginis 17. 177. 200: at harum duarum Epiſtolarum ſcriptarum ad PP. Concilii Theodonis Villani anni 835. vel ad PP. Concilii Cariſiaci anno 838. non meminit: in hoc ultima cenſura Librorum Amalarii Delatorum prodiit.

(b) Amalarium hunc Chorepiſcopum Lugdunenſem eundem eſſe cum Amalario Diacono Metenſi ſuſpicatur & opinatur Cl. Manſi *Tomo I. Supplementi Conciliorum pag.* 866. quia uterque ſcripſit *de Officiis Eccleſiæ*: ſed Autores, qui de Amalario, Lugdunenſi Diacono, meminerunt, ſtatuunt eum ſub Carolo Calvo vitam egiſſe: fortè quia plurima ſcripta ſub eo Rege edidit: quod non obſtat, quin & ſub Ludovico Pio antea fuerit Diaconus Eccleſiæ Metenſis.

(c) Actuum XX, 28.

ber illius in medium, & fœditatem sui publicè legentibus, atque audientibus denudabit; ex quo & ista, quæ sincerissimo examini vestro dijudicanda offero, verissima ab illo prolata probabitis, cùm illic multa insaniora legeretis: testes sunt horum Corepiscopi, testes Archi-Diaconi, testes omnes, qui aderant presbyteri Lugdunenses, à quibus hæc continuò irrisa, ac repudiata, immò plancta & plorata cognovi; cùm Divinis assueti fluentis, de lacuna lutulenta bibere cogerentur, murmurantes in nequissimo pane doctrinæ, de quo Ecclesiasticus loquitur liber: *In* (d) *nequissimo pane murmurabit civitas.* Et testimonium nequitiæ illius verum est; nec vero ille Divina docet, sed sua concinnat, & fabricat, & juxta Salomonem: *In* (e) *similitudinem arioli, & conjectoris æstimat, quod ignorat.* Succurrite igitur Patres piissimi, succurrite animabus nostris. *Modicum* (f) *enim fermentum totam massam corrumpit*, & juxta quendam patrem antiquum, si quid in fide falsi admittitur, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes corruptionis, & nihil remanebit integrum. Testis est mihi omnipotens Deus, quia hæc non impulsu iracundiæ tanquam læsus exaggero, quæ ab ipso statim exordio, dum adhuc se mihi utcumque blandulum exhiberet; dolere, & detestari cœpi, nec Divinæ ordinationi seu imperiali piæ provisioni, quod ille forsan jactitat, velut rebellis existens; cùm id mea exiguitas, nec cogitare unquam poterit; sed erroris odio, & amore veritatis, Ecclesiæ quoque matris meæ vulneribus condolens, cujus uberibus ab infantia alitus sum, in qua, & administrationis locum & doctrinæ, ac prædicationis officium indignus exercui. Certè vivam ego egentissimus, vel etiam moriar; si placet, tantum pateat vulnus putridum, pateat sanies putrida; & omnes, qui hoc tabescunt contagio, vobis, opitulante Christo, medicantibus, gravi veterno depulso, optata gaudeant sanitate.

Martene veterum Monumentorum Collectionis. Tom. IX. pag. 666.

Ex eo Mansi Tomo I. Supplementor. Concilior. pag. 867.

INCIPIT EPISTOLA FLORI,

TOTIUS VERITATIS PLENA, CONTRA FALSILOQUAS ADINVENTIONES AMALARII, QUONDAM LUGDUNENSIS COREPISCOPI, DE CORPORE DOMINI TRIPARTITO.

Dominis Beatissimis, Reverentissimis & Piissimis Pastoribus, gregis Christi, Rectoribus Ecclesiæ Dei, Prædicatoribus, ac Propugnatoribus Catholicæ Fidei, Drogoni Sacri Consilii Magistro, & Pontifici Clarissimo, Heti Trevirorum Antistiti, Aldrico Reverentissimo Cenomannorum Episcopo, Rabban Abbati Venerabili, & ex Provincia Lugdunensi prima, Albarico Lingonum Reverentissimis Episcopis, Ecclesiæ Catholicæ indignus Filius, & Pietatis ac Paternitatis vestræ exiguus servus, Florus.

OBsecro, mansuetissimi, & benignissimi Servi Christi, ut extremitatem meam periculis Ecclesiæ Dei condolentem, ac compatientem, & pro hoc necessitates ejus humiliter, & fidenter ad vos referentem, in ipsius Christi, & Dei Ecclesiæ, piæ Matris amore, pio ac benigno suscipiatis affectu. Exigua quidem, & indigna est persona, quæ loquitur, sed Domini est res, Domini est causa, quam loquitur, digna certe, quæ à melioribus suggereretur, & idonea, quæ ad vestrum jam olim judicium examinanda per-

I 2

(d) Eccles. XXXI, 29. (e) Proverb. XXIII, 7. (f) I. Corinth, V, 6.

perferretur : ſed quoniam fortius clamare ſolent , qui atrocius vapulant , & qui maxima cogente indigentia importunius poſtulant , miſeratione potius , quam indignatione digni habentur : ſit & mihi minimo ſub veſtra pietate tutum ac liberum inter flagella vapulantis Eccleſiæ triſtius vociferari , de cladibus ejus ac miſeriis conqueri & à vobis paternæ opis auxilium deprecari.

Idcirco enim ad vos , Domini , & Patres Beatiſſimi, qui & dignitatis culmine, & fidei ſinceritate , & Dei timore & ſcientiæ probitate præcellitis , & Lugdunenſi Eccleſiæ quidem familiarius obſtricti eſtis , querelam hanc potiſſimum credidi deferendam : ut quanto plures Divini muneris largitate præitis , tanto inſtantius , & religioſius pro Divinæ fidei & veritatis tuitione certetis ; memores Spiritus Sancti per Salomonem talibus , quales Chriſti eſtis gratia, proclamantis : *Erue* (a) *eos* , *qui ducuntur ad mortem* , *& qui trahuntur ad interitum, liberare neceſſe eſt.* Si dixeris , vires non ſuppetunt ; qui inſpector eſt cordis , ipſe intelligit , & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit , reddetque homini juxta opera ſua. Præceſſit enim in præfata nuper Eccleſia per Prælatum ejus Amalarium error inſanus & vanus, fidei, & veritatis inimicus, religioni & ſaluti contrarius , quem primum quidem aggregata Presbyterorum Synodo , circumſedentibus omnibus , & velut præceptorem audientibus , viva voce conatus eſt ſerere , imo tota intentione, & ſtudio per totum triduum proponendo , & exponendo , exigendo , omnibus inculcavit , & tradidit, quaſi novi teſtamenti miniſter , tabulis cordis carnalibus cuncta , quæ aſſerebat , indelebiliter vellet imprimere. Deinde etiam magnum quendam codicem quatuor voluminibus diffuſum , à ſe compoſitum atque digeſtum legendum , tranſcribendumque tradidit ; aſſerenseum *Officialem* nuncupari, tanquam de Sacris officiis prudentiſſime & ſufficientiſſime diſputantem. Qui tantis veſaniis, & erroribus confertus , ut quibuslibet etiam imperitis , palam ridendus conſpuenduſque videatur. Protulit quoque *Antiphonarium*, (*b*) velut à ſe digeſtum atque correptum : cui talia ex ſuo ſenſu inſeruit, ut pro ejus impudenti audacia frons legentis pudore ac rubore feriatur. Noviſſime vero novum digeſſit volumen , & apud Lugdunum ornate indui , ac vittis ſericeis diſtingui fecit : quod ad palatium ferens vel principi , vel Magiſtro conſilii dicitur oblaturus. In quo vere tam inepto eloquio , tam abſurdis ſenſibus , tam exquiſitis , & inauditis fantaſiis involvitur, ut putes eum limphatico more bacchari. Vocat hujus inſulſiſſimæ garrulitatis librum , *Embolim opuſculorum ſuorum.* Et rectiſſimè omninò. Eſt enim multiplicium errorum ejus , velut Cameli gibbus, procreſcens ac redundans argumentum.

De ſingulis autem pauca proponere & veſtræ gravitati faſtidioſum , & meæ ſupplicationis ſermoni videtur incongruum , quem metuo rebus frivolis facere prolixiorem , ne in ſeriis , ac neceſſariis oneroſior videatur. Certè libri ipſi fere ubique diſperſi , ferè omnibus noti ſunt, neque ullatenus ambigo, quin gravium ac prudentium virorum judicio ſeverius reprehendantur, quam exiguitatis meæ comprehendi ingenio , aut exaggerari poſſit eloquio. Attamen ne fruſtra opem ſanitatis videar implorare, ſi diſſimulo , aut formido vulnus detegere; nonnulla vel breviter replicabo. Vos ut cœleſtis cooperatores medici, ſive antidoto fidei, ſive ſcapello, aut cauterio ſinceriſſimæ veritatis curate languida, reſecate putrida, urite vitioſa, & ſaluti Corporis Chriſti in commune proſpicite. Abſit, abſit à veſtræ gravitatis cenſura , ut in ejuſmodi erroribus, & ineptiis confutandis , aut perſonæ reſpectu , aut adulationis fuco , aut humanæ offenſionis ſeu diſcriminis metu cujusquam pii & fidelis animus retardetur : cùm res fidei, cùm cauſa Eccleſiæ, cum negotium Chriſti agitur, ſola fides, ſola mater Eccleſia , ſolus amator veritatis , immo veritas Chriſtus præ oculis habeatur.

Docet Præceptor ipſe Amalarius egregius ita corpus Chriſti eſſe triforme, & tripartitum , ut tria Chriſti corpora: primum quod ipſe ſuſcepit ; ſecundum in nobis , qui ſuper terram ambulamus; tertium in illis , qui ſepulti jacent. Aſſerit in myſterio ſacrificii hac de cauſa tres debere fieri partes ; unam calicis pro

(*a*) Proverb. XXIV, 11. (*b*) Antiphonarium Agobardus Lugdun. Archiep. confutavit.

pro Christo; alteram in patena pro vivis, tertiam in altari pro mortuis. Dicit panem illum esse carnem Christi, sanguinem animam, ut sit totus Christus. Hæsitandum dicit, utrum corpus Christi de altari sumtum in corpore nostro maneat usque in diem sepulturæ, an recipiatur invisibiliter in cœlum, an quando venam incidimus, cum sanguine profluat, an cum cæteris, quæ in os intrant, in secessum labatur. Epistola ejus est in suo officiali libro, ad juvenem nescio quem Episcopum, scripta, quæ hoc continet. Ubi etiam de sputis & flegmatibus spurcissimè disputat, & cùm sit tam sordidæ mentis, putidæque doctrinæ, se spiritalem jactat, qui omnia dijudicet, & alios carnales & animales vocat. Calicem Domini vocat sepulcrum, Presbyterum Joseph ab Arimathia, Archi-Diaconum Nicodemum, tamquam sepultores Christi; Diaconos retro acclines Apostolos, se in Passione Domini velut contrahentes, & occultare volentes; Subdiaconos ad faciem erectos, mulieres libere adstantes. Aliam partem mysticæ orationis, qua Corpus Domini consecratur, Christo tribuit oranti in monte Oliveti; aliam in cruce pendenti, & post nescio quas fatuas divisiones, aliam morienti. Cum vero Presbyter inclinatur, hoc esse: *Et inclinato* (b) *capite tradidit spiritum.*

In anno legitima jejunia ad quatuor humores refert, quibus corpus vegetatur humanum, & pro his fieri asserit in eisdem jejuniis. Duas lectiones quarta feria ad Missam legi, propter duo sydera ipso die condita, ut paganis ejus verbis utar, Phœbum, & sororem ejus Phœbam. Nam & sanctum David semper in Domino fortem, & bellicosum, more ethnico arsisse dicit in marte, quem dœmonem esse pessimum, inventorem tumultuum atque bellorum proclamat etiam Poëta gentilis dicens: *Sævit toto Mars impius orbe.* In Evangelio majoris litaniæ, per panem intelligit fruges terræ: in pisce genita ex aquis: in ovo animalia, quæ ex utroque sexu gignuntur in terris: talemque fantasiam sensus sui, Evangelico præferens sensui, asserit, pro talium rerum conservatione tunc à fidelibus celebrari litanias. Nam & messes tunc in profectum sunt, inquit, & pisces tunc veniunt, & pulli campos tundunt. Addit insuper & quasdam significationes monstruosas, & instar Antipodarum capite deorsum, pedibus sursum versis, ita ut in his præcedat res ipsa, & sequatur figura: cùm è contrario umbræ legis, juxta Apostolum, res designent futurorum bonorum. Cùm ab altari sumitur Evangelium, ipsum altare significat Jerusalem, unde Evangelium processit. Locus altaris, locum illum significat, ubi Jacob dormiens Angelos vidit. Romanus Pontifex, cum sabbato ante Palmas eleemosynam dat, mulierem significat, quæ Dominum unxit.

Jam de Sacerdotum & Ministrorum sacris vestibus, de vasis Divini ministerii, de cantorum tabulis, de signis æreis, de ipsis etiam indumentorum & calceamentorum fimbriis; coloribus & speciebus, de officiis quoque sacris, & psalmorum distributionibus, quam inepta & fatua, & omni risu digna confingit? quasi ei soli licuerit post Legem & Prophetas, post Evangelia & Apostolos, res typicas & mysticas in Ecclesia statuere, ita ut mysteriorum ejus prævaricator habeatur, qui usu & consuetudine simplici aliud quid celebrare præsumpserit. Dicit se in talium fantasiarum adinventionibus S. Augustini auctoritatem sequi, eo quod obscura quæque & ambigua tamdiu ille tractari jubeat atque versari, donec ad dilectionem Dei vel proximi intelligentia perducatur: in quibus duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Nec considerat nimia novitatum cupiditate cæcatus, hæc illum de Sacrarum Scripturarum indagandis sensibus tradidisse, nempe libri, in quibus hæc loquitur, *de doctrina Christiana* titulantur, de sola in his Scripturæ Sacræ intelligentia regulæ traduntur; multa ibi de rebus, multa de signis disseruntur; & tamen de hujusmodi significationibus, quas iste perquirit, nihil penitus dicitur: immo in libris ad Januarium, omnem Ecclesiasticarum observationum varietatem triplici genere distinguit: universas videlicet aut ex Scripturæ Sacræ auctoritate, aut ex generali Ecclesiæ traditione, aut ex diversorum locorum multiformi consuetudine eas asserens propagatas. Et primas

(b) Joann. XIX, 30.

primas quidem oſtendit numero eſſe pauciſſimas, ſed obſervatione facillimas, ſignificatione præſtantiſſimas: ſecundas quoque pari religione aſſerit venerandas: in tertiis vero nullam omnino ſignificationem, nullum requirens myſterium, ſinceriſſimam atque graviſſimam beati Ambroſii ſententiam ſequitur, ac velut cœleſte oraculum ſequendam proponit, quam eidem reſpondit de talibus conſulenti: *Ad quamcunque*, inquiens, *Eccleſiam deveneris, ejus morem ſerva, ſi non vis alteri eſſe ſcandalum, nec quemquam tibi.* In eisdem ad Januarium libris: quidquid humana auctoritate ſtatuitur, ac veluti Sacramentum & myſterium tenetur, nullatenus approbandum, immò & indubiè aſſerit reſecandum.

Quid igitur novellus iſte præceptor de myſteriis ſuis faciet; qua ratione tot vanitatum ſuarum commenta defendet; Scripturæ Sanctæ auctoritas deeſt, Eccleſiæ in talibus generalis traditio & regula nulla eſt, doctrina Patrum repugnat, libellum *Romani ordinis* tantæ auctoritatis habet, ut eum pene ad verbum nitatur exponere; & tamen, ſtatim ſibi contrarius, aſſerit, hunc Romano Archidiacono, cujus traditionibus gloriatur, ignotum. Quod ſi ſcripturarum ſenſus ad ſuas fabulas trahit, & commenta erroris ſui ex his fulcire conatur; quis hanc neſciat hæreticorum propriam eſſe inſaniam, ut ſua ſemper mendacia veritatis ſpecie pallient, vertentes juxta Iſaiam, argentum in ſcoriam, & cœleſtis vigorem vini terrenæ fatuitatis aquæ miſcentes? ignoſcat mihi indigno & exiguo veſtra paternitas, ſi rem neceſſariam fidei & ſalubrem Eccleſiæ devota ſupplicatione ſuggeſſero. Claudendus eſt plane juxta legis præceptum bos cornipeta, & os ejus ſempiterni fræno ſilentii conſtringendum; imo quia jam aut virum aut mulierem fortaſſis invaſit, id eſt, vel qui ſibi fortis videtur, vel qui verè infirmus in fide eſt, ſcandalizavit, Divinarum ſententiarum lapidibus obruendus, nec carnes ejus, id eſt, doctrina & ſenſus, ullatenus comedendæ. Nam quoties de his arguitur vel monetur, nequaquam, ut piorum moris eſt, libenter, & humiliter adquieſcit; ſed tunc jactantius & inſolentius cornua erigens multiplicat veſaniam ſuam ſic ſentire clamans omnem Germaniam, ſic totam Italiam, ſic ipſam Romam: ſe fuiſſe Conſtantinopoli, ſe apud Hiſtriam ſive Lucaniam, & idcirco in talibus ſingularis auctoritatis exiſtere. Nec ei ſat eſt, quod ipſe tantis implicatur erroribus atque fantaſiis, niſi & totum pene orbem ſui complicem infamet. Perſiſtit namq; ſub multorum Pontificum ficta auctoritate, ſuum de Sacro-Sanctæ Euchariſtiæ diviſione ineptiſſimum, immò blaſphemum confirmare ſenſum. Neque enim nos cujusquam morem Eccleſiæ reprehendimus, nec alteram alteri ſuperbe præferimus, quas omnes in Chriſto conſtat vinculo pacis unitas, & Sancti Spiritûs diſtributione diſtinctas; ſed ſenſum profanum redarguimus; quem manifeſtiſſimè, & Scripturæ Sanctæ, & fidei Catholicæ, & unitati Eccleſiæ inimiciſſimum conſtat. Verè nulli unquam licuit corpus Chriſti dicere triforme vel tripartitum, quod Apoſtolus unum ſemper & unicum proclamat dicens: *Unus* (c) *panis, unum corpus, multi ſumus.* Et iterum: *Multi unum* (d) *corpus ſumus in Chriſto.* Et alibi: *Unum corpus* (e) *& unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Verè unius capitis Chriſti unum eſt omnium electorum corpus; uno Spiritu vegetatum, ſuo capiti inſeparabiliter unitum, ſuorum membrorum indiſſolubili connexione ſolidatum, atque compactum, ſola gratiarum varietate diſtinctum nec mortalitate diviſum, nec ipſa morte ſolvendum. Neque enim, quia talium figmentorum Doctor cùm adhuc mortaliter vivit, pater autem forſan mortuus, & pulveri redditus eſt, idcirco vel à Chriſto, ſi ejus membra meruerunt, vel à ſe invicem, quantum ad gratiam unitatis corporis Chriſti attinet, mortalitatis aut mortis obſtaculo diviſi ſunt, quoniam conditio mortalitatis & mortis ad pœnam pertinet prævaricationis antiquæ, non ad Spiritualis invocationis ineffabilem unitatem. Unitatem iſtam ſola caritas compaginat, ſola iniquitas diſſecat, teſtante Apoſtolo: *Qui adhæret* (f) *Domino, unus Spiritus eſt*; & Propheta è contrario inclamante: *Iniquitates*

(c) I. Corinth. X, 17. (d) Roman. XII, 5. (e) Philipp. IV, 14.
(f) I. Corinth. VI, 17.

tates (g) *vestræ diviserunt inter vos*, & *Deum vestrum.*

Reprehendit Sanctus Augustinus Tichonium quod in libro regularum, unam de septem de corpore Domini bipartito nominaverit, mutatoque nomine inreligioso potius eam de corpore Domini vero atque simulato, vel de corpore Domini permixto asserit nuncupandam, ità Sanctus Pater edocuit esse nunc propter unam bonorum & malorum piscium captionem in Christi corpore permixtionem.

Divisionem vero repudiavit, quoniam indissolubilis Sacramenti unitas nullam penitus recipit sectionem. Quam misera autem anxietate ventilatur, & coarctatur, cùm corpus Christi humanæ corruptionis sordibus inquinari formidat; & idcirco vel in cœlum recipi invisibiliter, vel in corporis nostri velut conditorio reponi mira vanitate delirat: addit quoque usque in diem sepulturæ, metuens videlicet, ne vel tunc, nisi nescio quo invisibili modo, à nobis discretum fuerit corporis Christi, nostri corporis conditione in pulverem dissolvatur. Quid autem honoris ei confert, si ex venæ incisione, mirum cur non, & narium fluxu simul fluere opinatur; an non videmus quibus & quam sordidis animalibus, sive locis fusus pateat sanguis humanus? absint ab animo fideli de mysterio salutari, atque cœlesti tam ineptæ & sordidæ cogitationes. Prorsus panis ille Sacrosanctæ oblationis corpus est Christi, non materie vel specie visibili, sed virtute & potentia spirituali. Neque enim in agro nobis corpus Christi gignitur, aut in vinea sanguis ejus exoritur, vel torculari exprimitur. Simplex è frugibus panis conficitur, simplex è botris vinum liquatur, accedit ad hæc offerentis Ecclesiæ fides, accedit mysticæ precis consecratio, accedit Divinæ virtutis infusio, sicque miro & ineffabili modo, quod est naturaliter ex germine terreno panis, & vinum efficitur spiritualiter corpus Christi, id est, vitæ & salutis nostræ mysterium, in quo aliud oculis corporis, aliud fidei videmus obtentu, nec id tantum, quod ore percipimus, sed quod mente credimus, libamus. Unde & fideliter petimus, ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Mentis ergo est cibus iste, non ventris; non corrumpitur, sed permanet in vitam æternam, quoniam pie sumentibus confert vitam æternam, pie autem sumit, qui Spiritu fidei illuminatus, in illo cibo & potu visibili, virtutem intelligibilis gratiæ esurit ac sitit: & minus indulgentiæ, & salutis spiritaliter percipit.... nullatenus cogitanda vel metuenda est in hoc mysterio ulla pollutio. Christus enim Dei virtus, & Dei sapientia in eo sumitur; quæ sapientia ut scriptura testatur, candorem (*h*) lucis æternæ, & emendatio (*i*) quædam claritatis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in illam incurrit: attingit autem ubique suam munditiam. Corpus igitur Christi, ut prædictum est, non est in specie visibili, sed in virtute spiritali, nec inquinari potest fece corporea, quod & animarum, & corporum vitia mundare consuevit.

Obsecro Patres beatissimi, ut reminiscantur piissima corda vestra, & cum omni timore ac tremore cogitent, quanta exstiterit in antiquis Patribus cautela fidei, & cura veritatis, & quanto zelo perfidiæ semina & impietatis scandala extirpaverint, quatenus Ecclesia Christi Sponsa, Agni Sponsi ac Domini sui sanguine redemta & ornata sine macula inveniretur & ruga. Taceo Sabellium & Arium, qui in summæ ac individuæ & coeternæ Trinitatis fide peccaverunt. Prætermitto Nestorium, & Euticem, quos in fide Incarnationis Unigeniti impia sensisse vulgatum est. Nec illos contingo, qui licet eandem fidem Trinitatis tenentes, schismate obstinationis spiritu ab Ecclesia recesserunt. Ad eos venio, quos in cultu, & celebratione Sacrorum Sanctorum, seu in superstitiosis quibusdam observantiis evanescentes, antiqua sinceritas foras misit. Sunt Catafriges funesta, & Manichæi spurca celebrantes mysteria, jure damnati. Habeantur etiam Adamitæ ob impudentiam jure ab Ecclesia pulsi; nudi enim viri, & fœminæ ad imitationem Adæ, mysteria exercebant, Ecclesiamque suam Paradisum vocabant, & tamen à superstitiosi cultus observantia, quantum differt superstitio nuditatis. Artonitæ, qui græco eloquio ex pane nuncupantur & caseo, meritò judicentur extra-

(*g*) Isaiæ LIX, 2. (*h*) *corrigo* candor est (*i*) *corrigo* emanatio

extranei, quoniam pro pane & vino Evangelico in myſteriis ſuis, velut Cain & Abel imitatores, panem & caſeum offerebant. Aquarii quoque ſimiliter, utpote aquam ſolam contra præceptum Evangelicum offerebant; & tamen pie conſiderandum, quod & hi, & illi ob hoc ſolummodo abjecti ſunt, quia in myſterio Sacrificii contra Evangelicum, & Apoſtolicum conſtitutum, vel mutare quippiam vel addere, aut ſubtrahere præſumſerunt. Hæc igitur in ſacris rite improbata jure videntur eſſe punita, utpote quibus tantum myſterium impiè violatur. Oro, quid commeruerunt Euchitæ græco vocabulo ab orando nuncupati? Quid Dactilici à digito; quid Aſchitæ ab utre vocitati deliquerunt, ut Eccleſia excluderentur? Bona eſt oratio, & tamen primi ob nimium orationis exceſſum repulſi; bonum eſt & ſilentium, ſed ob nimiam ſilendi ſuperſtitionem, ita ut digitum labiis opponerent, ſecundi abjecti ſunt. Jam vero Askitæ quid agebant, quam leve nunc, quam non curandum, quam etiam ludicrum putaretur? utrem inflatum, & opertum ebrii circumvenientes (*i*) ſe utres novos Evangelico vino repletos dicebant. Cavendum ergo Patres Beatiſſimi! & paterna vigilantia providendum, ne forte & nunc hoſtis antiquus, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, qui magnum de modico ſæpe malum excitat, & de ſcintillis conflat incendia nova, per has novas fantaſias in ſimplicium & ignorantium cordibus errorum ſemina nutriat. Curandum etiam, ne per earum imperitiſſimum actorem divina volumina violentur: confert enim ea aſſidue cum Hebræis; & quia nullam linguæ eorum, nullam litterarum familiaritatem habet, frequenter, ut audio, quæ ſunt recta, pervertit. Nam & in hac parte tantam Patres adhibuere cautelam, ut Evangelia, quæ Beatus Hieronymus ab Eſitio, ſive Luciano falſata eſſe commemorat, inter libros non recipiendos abjecerunt. Quanto enim magis iſtius emendatio debet eſſe ſuſpecta, qui in tantis, ut res ipſæ demonſtrant, præceptum calcat Scripturæ dicentis: *Ne transgrediaris* (k) *terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.*

Hæc ſunt, ô Sanctiſſimi Patres, quæ pro timore Dei, pro honore Fidei, pro amore veſtro, immò totius Eccleſiæ, manſuetudini veſtræ credidi intimanda. Nunc precor indignus, & obſecro per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, qui dilexit Eccleſiam ſuam, & ſe ipſum credidit (*l*) pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ut inflammemini veritatis zelo, & una cum Sancto Concilio expugnetis errorem inſulſiſſimum, neque de hac ſolum noſtra, quæ prædæ & direptioni, & conculcationi patet, ſed & ex aliis Chriſti Eccleſiis hujus ſuperſtitionis peſtilentiam exterminetis. Credite enim, Domini omni mihi veneratione digniſſimi, quia nihil ita hæc miſera & miſerabilis plangit Eccleſia, ſicut veritatis, quam non audit, diſpendium & multiplicium errorum, quos tolerare compellitur, incrementum. Videtis, Sanctiſſimi, pro qua & adverſus quem ſupplicem pro Eccleſia videlicet Chriſti, cui fidem & caritatem uſque ad mortem debeo, adverſus fabricatorem mendacii, & cultorem perverſorum dogmatum, qui temporibus prudentiſſimorum Antiſtitum, temporibus religioſiſſimi Principis, contra veritatem Scripturarum, contra auctoritatem Eccleſiaſticorum Patrum, contra omnem rationis ordinem, Eccleſiæ Dei vivi, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, auſu temerario, atque ſacrilego, tanta errorum & ſuperſtitionum ſcandala inferre conatus eſt; quæ procul dubio habent initium truncum, & medium putridum, & finem ruinoſum. Nam aut humiliter confitebitur errorem, ut poſſit dignam præbere ſatisfactionem, aut ſi inſaniarum ſuarum commenta pertinaciter atque impudenter aſſerere maluerit, quod ei non expedit, nec optamus, habet præcedentium in talibus rebus, ut ſupra oſtendimus, exempla, quorum exitus pertimeſcat.

Martene Tom. IX. veterum Monumentorum Collectionis. pag. 641.

Ex quo Manſi Supplement. Tom. I. p. 869. *& ſeqq. & veroſimiliter refert ad Concilii Patres in Theodonis Villa hoc anno congregatos.*

CON-

(*i*) *aliàs* circumeuntes. (*k*) Proverb. XXIX, 28. (*l*) *aliàs* tradidit.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS.

Anno Christi DCCCXXXVI. Gregorii IV. Papæ X. Ludovici Pii Imp. XXIII.

Summarium Actorum in hoc Concilio.

IN ipsis diebus, in quibus Purificatio Beatissimæ semper Virginis Mariæ celebratur, Conventus quidam magnus sed præcipuè Episcoporum Aquisgrani convenit, in quo quum de aliis utilitatibus Ecclesiæ necessariis, tum præcipuè de rebus quæstum est, quas Pippinus, & sui multis Ecclesiis abstulerunt. Ob quam rem Imperialis auctoritatis & communis consilii commonitorium ordinatur: quibus commoneretur Pipinus & sui, cum quanto periculo res Ecclesiasticas pervaserint. Quæ res prosperum suscepit exitum. Nam Pipinus monita pii Patris, Sanctorumque virorum libenter suscipiens omnia invasa etiam per annuli sui impressionem obedienter restituit.

Vita Ludovici Pii ab Anonimo scripta, edente Pitheo pag. mihi 415.

Annales Regum Francorum referunt hunc Conventum ad annum 837. breviori Phras. & addunt:

Et omnia invasa etiam per annuli sui impressionem restitui jussit Pipinus Aquitaniæ Rex.

Quod Annales Bertiniani & Reuberiani referunt hunc Conventum ad annum 837. perperam faciunt, refelluntur enim ex Præfationibus, quas jam una cum actis expansis referemus. *Eckhartus Tomo II. rerum Francicarum Lib. 29. §. 46.*

S. Agobardus prima vice citatus fuit ad Conventum in Theodonis Villa anno superiori 835. Secundò in Conventu Stremiacensi anni ejusdem, tertium hoc anno in Concilio Aquisgranensi, cum esset citatus, ab Ecclesiæ præsulatu semotus est: ità Annales Fuldenses à du Chesnio descripti; ast mox restitutus. *Eckhartus ibidem.*

CONCILIUM AQUISGRANENSE II. (*a*)

LUDOVICI PII AUGUSTI JUSSU, ET EVOCATIONE,

AQUISGRANI IN SECRETARIO BASILICÆ SANCTÆ MARIÆ, QUOD LATERANIS DICITUR, CELEBRATUM VIII. IDUS FEBRUARIAS, INDICTIONE XIV. ANNO CHRISTI DCCCXXXVI. LUDOVICI EJUSDEM IMPERATORIS XXIII.

TITULI CANONUM.

CAPUT I.

De Vita Episcoporum.

I. Ut Episcopatum nemo ambiat muneribus: & quales esse oporteat eos, qui ad Episcopatum assumuntur.

(*a*) Cur Harduinus hoc Concilium Aquisgranense secundum inscribat: nescio, non enim est secundum respectu civitatis Aquensis, in qua multa Concilia celebrata fuere & sub Ludovico Pio, & sub Carolo Magno: nec est secundum respectu hujus anni 836., in quo bis fuit in hac civitate, nempe mensibus Februario & Decembri; nam Februario mense hoc Concilium actitatum fuit, non Decembri.

II. *Ut Episcopus ministerio suo juxta Regulam Apostoli fungatur.*

III. *Quod hospitalitas ubique sectanda sit Episcopo.*

IV. *Ut Episcopus litigiosis non se immisceat contentionibus, nec irreligiosis locutionibus indulgeat.*

V. *Ut nullus Episcoporum, Ministrorúmque ipsorum, pro sacris Ministeriis quidquam exigere præsumat.*

VI. *Ut Episcopus ebrietati deditus, nisi se correxerit, deponatur.*

VII. *Quod in Vita Sacerdotum pensandum sit qualiter quisque doceat.*

VIII. *Quod cum doctrina Sacerdotis convenire ipsius vita debeat.*

IX. *Quod actio Episcopi populi actionem transcendere debeat.*

X. *Quod cavendum sit Episcopo, ne hominibus placere cupiat.*

XI. *Ut Episcopi Congregationes Canonicorum Monachorúmque sibi subjectas diligentiùs gubernent.*

XII. *Ut Episcopi extra necessitatem remotiora loca relictis sedibus non frequentent.*

CAPUT II.

De Doctrina Episcoporum.

I. *Quod Episcopus ante omnia rectam fidem scire, ac docere debeat.*

II. *Quod veteris, novíque Testamenti scripta nosse debeat.*

III. *Quod spiritualem animarum medicinam ignorare non debeat.*

IV. *Quod Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, Canonésque cum Pastorali Sancti Gregorii scire debeat.*

V. *Quod Episcopum Sacræ Legis meditationi intentum esse oporteat:*

VI. *Quod nosse, qua personarum discretione prædicandum sit.*

VII. *Quomodo res Ecclesiasticas dispensare debeat.*

VIII. *Ut semel in anno in cœna Domini Sancti Olei unctionem non negligat.*

IX. *De Vespertinalibus in Vigilia Paschæ celebrandis.*

X. *Ut Litania major more Romano celebretur.*

XI. *Ut singuli Episcopi Ministros suos rectè instruant.*

XII. *Ut, qui deinceps ab Imperatore defecerit, aut fidelitatem violaverit, si Clericus est, gradum amittat, si Laicus, anathematizetur.*

De Vita, & Doctrina inferiorum Ordinum.

I. *De Abbatibus Canonicorum, ut Congregationes suas verbo atque exemplo regant, & Episcopis subditi sint.*

II. *De Abbatibus Monachorum, ut gregis sibi commissi curam gerant, & de Monachis, ut sæcularibus negotiis non implicentur.*

III. *Ut Monachi Episcopos, in quorum sunt Parochia, non parvipendant.*

IV. *De Ministris Episcoporum, Chorepiscopis, Archi-Presbyteris, & Archi-Diaconis, ne avari constituantur.*

V. *De officio Presbyterorum erga eos, qui ad ipsorum Ecclesias pertinent.*

VI. *De quadruplici negligentia Presbyterorum, &, ut, quæ Ecclesiis concessa sunt, à Presbyteris, vel ab Episcopi Ministris non diripiantur.*

VII. *Ut Presbyteri, qui feminas domi vetitas habent, ab Episcopo corrigantur.*

VIII. *Ut ab Episcopis coerceantur Presbyteri, qui contra Canones aliquid indecenter agunt.*

IX. *Ut Clerici ad majorem disciplinam revocentur, stipendiisque amplioribus foveantur.*

X. *De Clericis, qui ridiculo habentur, ut ad debitum statum reducantur, & laici congruum illis honorem impendant.*

XI. *Ut cum Presbyteris nulla cohabitet femina: qui contra fecit, gradum amittat.*

XII. *Ut monasteria puellarum, in quibus disciplina est collapsa, per religiosos viros emendentur.*

XIII. *Ut Prælatæ Monasteriorum sibi subditas probis moribus præcedant, & necessarium illis victum vestitúmque suppeditent.*

XIV. *Ut Prælatæ provideant, ne in Monasteriis suis sint loca, in quibus Deus offendi possit.*

XV. *Ut in omnibus congregationibus claustra & congrua habitacula fiant, atque ut singulæ secundum præscriptam sibi regulam vitam constituant.*

XVI. *Ut unicuique Ecclesiæ, si fieri potest, suus imponatur Presbyter.*

CA-

CAPUT III.

De Persona Regis, Filiorúmque ejus, & Ministrorum.

I. Quod Regis nomen ei, qui rectè Regis conveniat.

II. Quod Imperator tuendæ Ecclesiæ causâ sit constitutus.

III. Quod Regale Ministerium sit populum Dei cum justitia & pace regere.

IV. Quibus verbis Regis officium à Job, & Salomone describatur.

V. Ut Imperator filiis suis, & proceribus, dignitatem sacerdotalem notam faciat.

VI. Ut moneat fideles suos, ne de Ecclesiasticis sinistras opiniones sine causa sumant.

VII. Ut accusationes Episcoporum sine causa non admittantur, & ut secundùm veritatem examinentur.

VIII. De facultatibus Ecclesiæ per laicos non distrahendis, sed ab Episcopo dispensandis.

IX. X. Ut in constituendis Pastoribus Ecclesiarum, & Rectoribus Monasteriorum curam adhibeat.

XI. De Reipublicæ Ministris, & Adjutoribus Regis, quales eligendi sint.

XII. Ut Regis Confessarii & Ministri pacem & concordiam inter se habeant.

XIII. Ut filios suos in Dei timore diligenter erudiat.

XIV. Quòd in his Capitulis multa, quæ corrigi debent, contineantur.

XV. Quòd contra divinam auctoritatem Principes in causas Ecclesiasticas prosilierint, & Sacerdotes sæcularibus negotiis se occupârint.

XVI. De Episcopali libertate concedenda.

XVII. Ut Ecclesiasticis Quadragesimæ tempus sub quiete agere liceat.

XVIII. Ut placita, & nuptiæ diebus Dominicis non fiant.

XIX. De Monasteriis, quæ propter Reipublicæ necessitatem sæcularibus dantur.

XX. Ut laici Sacerdotes contemptui non habeant.

XXI. Ut familiæ Ecclesiasticæ injustè non graventur.

XXII. Ut communicatio Corporis Domini omni die Dominicâ celebretur.

XXIII. Ut Presbyteri aliarum Parochiarum sine Episcopi sui consensu in Palatio non recipiantur.

XXIV. Ut Monachi in publicis locis sine causa discurrere prohibeantur.

XXV. Ut raptores Viduarum aut Virginum investigentur, & Imperiali auctoritate castigentur.

PRÆFATIO.

IN Nomine Sanctæ Trinitatis. Cum convenissimus Episcopi, quorum nomina subter adnectentur, Synodali evocatione convocante Gloriosissimo, & Orthodoxo Imperatore Ludovico, invictissimo Augusto, gratia inspirante Divinâ, Aquisgrani Palatii in Secretario (*a*) Basilicæ Sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quod dicitur Lateranis, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXXXVI. Indictione XIV. anno verò Imperii prædicti Cæsaris XXIII. octavo scilicet Iduum Mensis Februarii, & ibi de statu Sanctæ Dei Ecclesiæ, admonente Serenissimo, atque totius Religionis devotissimo præfato Imperatore, tractare cæpissimus pari consensu: Primò visum est, normam universæ Religionis atque Ecclesiasticæ disciplinæ in duabus consistere personis, Pontificali videlicet, atque Imperiali: de qua re Gelasius (*) Romanæ Sedis Venerabilis Episcopus ad Anastasium scripserit ità Imperatorem: " Duo sunt, inquit, " Imperator Auguste, quibus principaliter " mundus hic regitur, auctoritas " scilicet sacrata Pontificum, & Regalis " potestas. In quibus tanto gravius " est pondus Sacerdotum, quanto " etiam pro ipsis Regibus hominum in " Di-

K 2

(*a*) Secretarium & vestiarium loca sunt contigua Ecclesiis primi millenarii: vestiarium, vel Diaconia erat locus vestibus & vasis ad Sacrificium & Officium Divinum necessariis asservandis. Secretaria est locus pro libris necessariis ad liturgiam & pro consultationibus Episcopi cum Presbyteris, unde Synodi in Secretario habitæ leguntur. Vide *Catalogum nostrum Bibliothecæ Metropolitanæ pag.* 117.

(*) Epistola 10. *Famuli vestræ.*

" Divino reddituri ſunt examine ratio-" nem." Unde etiam Fulgentius in Libro (*b*) de Veritate Prædeſtinationis, & gratiæ ità ſcribit: " Quantum perti-" net, inquit, ad hujus temporis vi-" tam, in Eccleſia nemo Pontifice po-" tior, & in Sæculo Chriſtiano Impe-" ratore nemo celſior invenitur." Cùm hæc quippe ità ſe habeant. Primo, ô Venerande Cæſar, omnipotenti Domino, veſtræque Benigniſſimæ Excellentiæ exſultantibus præcordiis immenſas referimus gratias, qui nos inſtinctu Divino per devotiſſimum, à ſe electum, atque conſtitutum admonitorem tam miſericorditer, atque clementer admonere dignatus eſt, juxta conſuetudinem Beatiſſimæ Memoriæ Genitoris Veſtri; ut memores Miniſterii noſtri, divinitus nobis, licet indignis collati, pro modulo poſſibilitatis, officio Sacerdotali ſecundum omnipotentis Dei voluntatem operam dare ſtuderemus. Revolutis igitur à veſtra nobis benigniſſima devotione collatis tribus Capitulis, id eſt, ut ventilentur, ſine quo Epiſcopi Epiſcopale Miniſterium abſque offenſione Divina ullo modo perficere non poſſunt; aut quid unumquemque Epiſcoporum ſcire oporteat, atque implere, nec omnino ignorare abſque periculo liceat; vel etiam quid ad ornatum Sanctæ Dei Eccleſiæ, & Miniſterium Sacerdotale pertineat, ſine quo nec Sacerdotis vita probabilis eſſe poteſt, nec competens honor illi à ceteris devotè impendi; quidque hoc, ſine quo communis omnium ſalus ac ſalvatio eſſe non poteſt, Sacerdotum videlicet, totiúſque populi, quibus perfacilè ſuccinctim ac debitè per ſingula reſpondere non poſſumus. Sed quia juxta aſſertionem veſtram primo reperimus temporum varietate, & ordinum confuſione perplura, quæ ad Sanctæ Dei Eccleſiæ ornatum erigi debeant, quoquomodo neglectu elapſa: quæcùmque in nobis noſtríſque in his neglecta videntur officiis, omni devotione, omníque exoptatione, prout omnipotens poſſe annuerit, erigenda, atque, ut in perfectiorem ſtatum vertantur, omnino Divinâ ſuffragante gratiâ operam dare deſideramus. Veſtram ſiquidem nihilo minus ſupplici admonitione, & affectu caritatis Excellentiam admonentes, ſi quæ ſunt Eccleſiaſtici juris veſtra piiſſima gubernatione erigenda, ut per vos, veſtróſque Chriſtianæ religionis commilitones ſubleventur. De cetero noverit Serenitas veſtra, (*c*) jam ut prædictum eſt, quæ in Eccleſiaſtico ordine confuſa videntur, ea nos pro modulo uniuscujusque capacitatis perquirere, & inſpecta, quantum ad nos pertinet, Domini opitulante gratia reſtaurare cupimus, & ut fiat, magno deſiderio optamus. Perſpicientes ergo devotionem veſtram Sanctam & Deo, ut credimus, amabilem, non mediocri laude magnificentiam Dei noſtri magnificandam, eamdemque devotionem valde neceſſariam Sanctæ Dei Eccleſiæ duximus. Atque benigno affectu commiſſa conſideranda ſuſcepimus, non aliquid novum quærentes, nec contra veritatis Religionem quid ſtatuentes, ſed ſtatuta antiquorum Patrum innovantes, quæ per deſidiam quorundam labefactata viſa ſunt in quocumque ordine, ac propter inuſitatum vel inveteratum uſum oblivioni tradita, ut ad priſtinum, Domino adjuvante, gradum releventur, Capitulis ſtrictim annectendum cenſuimus. De duabus ſiquidem perſonis, quas principales in hoc mundo eſſe non dubium eſt, (*d*) Sacerdotalem, prout ſub tanto temporis ſpatio poſſe non denegat, nonnulla, quæ ad hoc pertinere viſa ſunt, ſub brevitate annexuimus.

CANONES.

CAPUT I.

DE VITA EPISCOPORUM.

I.

INitium enim Epiſcopalis culminis poſt Divinam Prædeſtinationem eſſe videtur, quomodo quiſque ad culmen hujus honoris pervenerit. Ideóque Placitum

(*b*) Lib. II. (*c*) *ut*, fortè tranſpoſitum videtur. (*d*) *fortè* Regalem & Sacerdotalem.

citum Conventui humilitatis nostræ, ut sicut sæpe auctoritate Divinarum Scripturarum, scilicet Beati Petri Apostoli in Simonem magum damnatione, nec non & Canonum Sanctione, sed & Beati Gregorii adhortatione sancitum, nullus Episcopale Ministerium per ambitionem munerum attentare præsumat, sed is ad Episcopale officium perveniat, si secundum Apostolum vivat, id est, (e) *Irreprehensibiliter*, *sobriè*, *prudenter*, *pudicè*, *ornatè*, *cum hospitalitate*, *cum doctrina*, non vinolenter, non injuriosè, modestè; non litigiosè, non cupidè. Oportet etiam Pontificem propriæ domui esse bene præpositum, & testimonium habere bonum, ab his, qui foris sunt, ut doctrina Dei nostri exornetur in omnibus. Nos autem etiam adjungentes, & ab his, qui intus sunt conversantes cum Episcopo, habere testimonium omnem Episcopum oportere.

II.

Post verò, ut Episcopus juxta Regulam à Beato Paulo Apostolo decretam Ministerium peragat Episcopale, & qui secùs gesserit, canonum coerceatur auctoritate.

III.

Decernit etiam Apostolus hospitalitatem (f) esse sectandam ab Episcopo, quam in pluribus reperimus locis neglectam. Ideóque placet, ut deinceps in singulis civitatibus & Monasteriis, juxta modum rerum, hospitalitas ordinetur advenientium. Et placuit omnibus Episcopis, ut quocumque sit loco Episcopus, coram se aggreget pauperes semper ad refectionem.

IV.

Interdicit præterea Apostolica auctoritas litigium (g) omni Episcopo; quam & nos auctoritatem benigno amplectentes animo constituimus, ut nullus Episcoporum se litigiosis immisceat contentionibus; sed neque irreligiosis vel indisciplinatis locutionibus tam in domibus, quàm in forinsecis conventiculis, omnino indulgeat.

V.

Cupiditatem porro, tamquam radicem omnium malorum (h) & Apostolica damnat sententia, & ab omni ordine Ecclesiastico Canonica proturbat interdictio, ità ut statuerit nullum Clericorum de qualibet re fenus accipere. Quorum (i) auctoritatem, & nos secuti decrevimus, immò illorum auctoritati assensum præbuimus: ut nullus Episcoporum, vel Ministrorum ipsorum, deinceps pro distributione Sacrorum Ordinum, pro dedicatione Sanctæ Ecclesiæ, seu pro acceptione Sacri Chrismatis, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præsumat, & qui fecerit, convictus Canonicæ subjaceat disciplinæ.

VI.

Sobrietatem verò, quam Apostolus Episcopo habendam docet, adeo nos eam nobis sectandam statuimus, ut nullus Sacerdotum ebrietatis depravatione se, aut ministerium suum vilescere faciat. Quo merito reprehensibilis videatur; quia legimus ebrietatem dedecus esse cuique Christiano sectari, quanto magis Sacerdotibus? Unde Apostolus inquit: nolite inebriari vino, (k) in quo est luxuria. Legitur & alibi, sic oportere Episcopum bibere, ut quasi non bibisse videatur. Quapropter deinceps quicumque hujus ordinis huic noxio vitio inserviens deprehensus fuerit, censuimus, ut secundum statutum Canonicum, quicumque ebrietati deservit, aut desinat, aut deponatur.

VII.

In ipsa autem vita Sacerdotum, pensandum est, qualiter quisque doceat, sicut ait egregius Doctor Beatus Gregorius: (l) ut rectè docens infirmitatem suam quotidie omni consideratione cognoscat; ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet, post autem Magisterium, quod suscipitur (m) vitam commendet; ac deinde necesse est, ut pastoralis vitæ bonum, quod vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur.

VIII.

Doctrina autem Sacerdotalis secundum cujusque qualitatem omnibus sufficiens

(e) I. Timoth. III. Ad Titum I. (f) I. Timoth. III. (g) Ibidem.
(h) I. Timoth. VI. (i) Concilium Nicænum Can. 17. *Tomo I. nostro pag.* 140.
(k) Ephes. V. (l) In Præfatione Lib. I. Pastoralis. (m) *fortè* vita.

ficiens esse debet, modesta, prudens, discreta, honesta, atque utilis: nec minùs Exemplum boni operis doctrinæ conveniens in Sacerdotibus esse debet, ut quod ore doctrina profert, vitæ meritum justæ operationis, verba Sacerdotis omnibus delectabilia faciat exequenda, vitámque probabilem commendet.

IX.

In libro pastorali (*n*) Beatus Gregorius inquit: " Tantum debet actionem populi transcendere actio præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se solicitè studeat, quantâ tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub ejus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compositione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus: internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam internorum solicitudine non relinquens.

X.

Ejusdem Papæ ex eodem libro: (*o*) " Inter hæc necesse est, ut rector soler- ter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulset, ne cum studiosè interiora penetrat, cum providè exteriora subministrat, se magis à subditis diligi, quam veritatem quærat: cum bonis actibus fultus à mundo videtur alienus, hunc auctori reddat extraneum amor suus.

XI.

Didicimus sane (*p*) nonnullos Episcopos in gubernandis congregationibus sibi subjectis, canonicis videlicet, & Monachis & Sanctimonialibus, hactenus valde negligentes exstitisse, & ob id multos in sui detractionem, & contemptum provocâsse, ità ut nonnulli alii Prælati in eorum Parochiis constituti eorum prava Exempla secuti, suas similiter congregationes neglexerint. Quos & fraterno, & Synodali conventu admonendos esse necessario duximus, ut ab hac negligentia, deinceps se cohibeant, & ceteris se imitabiles præbeant; ne forte propter illorum incuriam, & Divinæ servitutis contemptus, & pericula promoveantur animarum, & auribus Excellentiæ vestræ molestia ingeratur, & nostræ mediocritati in sacris conventibus tædium & opprobrium inferatur.

XII.

Comperimus etiam (*q*) quosdam socios ordinis nostri, non causa necessitatis aut utilitatis, sed potiùs avaritiæ, & propriæ delectationis, sæpissimè propriâ Civitatis suæ sede relictâ, Cleróque neglecto remotiora loca frequentare, de qua re, & destitutio Divini cultûs, & prædicatio in plebibus, & cura subjectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius à quoquam sine inevitabili necessitate, & certâ utilitate fiat, pari cosensu inhibuimus.

CAPUT II.

DE DOCTRINA EPISCOPORUM.

Consultum etiam est in propositione secundi Capituli, commissúmque ventilandum, quid unumquemque Episcoporum scire oporteret, atque implere, nec omnino ignorare absque periculo liceret.

I.

Primò visum est in omnibus, unumquemque Pontificum scire oportere fidem sinceram, ut à principio sumamus exordium, omnium bonorum ponentes fundamentum, id est, qualiter illum fidem ac credulitatem Sanctæ Trinitatis in unitate Deitatis sibi tenere, atque credere conveniat, ac ceteros perfectè instruere, qualiter & ipsi credendo salvi fieri possint.

II.

Summos itaque Sacerdotes inexcusabiliter nosse oportet, ut ex veteris, novíque testamenti scriptis, quæ vera sunt, salutíque omnium proficua proferre doctè

(*n*) Lib. II. Cap. I. (*o*) Ibidem. (*p*) Lib. V. Cap. 176.
(*q*) Lib. V. Cap. 177.

ctè sciant, videlicet, quantum Divina gratia cœlitùs aspirare cuique dignatur, quia neminem in hac incertitudine positum assequi omnia posse certum est, quousque illo perveniatur, ubi erit Deus omnia in omnibus.

III.

Nec minus medicinam spiritualem, consiliúmque salubre animarum Pastores populi scire oportet, uti Medicos spirituales, asserente Sanctissimo Pontifice Gregorio, atque dicente: Quia (r) artium ars est regimen animarum. Quis autem interiora vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum, & ideo metuendum est cordis se esse medicos profiteri Sacerdotes ministerii sui ignaros.

IV.

Convenit insuper Sacerdotali Ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta, normam Regulæ Pastoralis à Sanctissimo Pontifice Gregorio editæ: ne juxta eumdem Sanctissimum virum ab imperitis, quod absit, pastorale Magisterium aliqua temeritate usurpetur, aut vilescat.

V.

Sed & hoc scire convenit, quantùm Rector Sacræ Legis meditationibus esse debeat intentus, juxta quod in Libro (*) Pastorali habetur; id est, quod omne bonum ritè à Rectore agitur, si supernæ formidinis & dilectionis spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri eloquii præcepta meditetur; ut in eo vim solicitudinis, & erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent; & qui ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis aspiratione renovetur.

VI.

Sic denique ignorari non licet, quanta debet esse diversitas, atque discretio in arte prædicationis, prout in Libro pastoralis digestum habetur, ità inquiente Sancto Gregorio; (s) " Ut enim ante nos longè reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una eadémque cunctis exhortatio congruit, " quia nec cunctos par morum qualitas " adstringit. Sæpè namque aliis officiunt, " quæ aliis prosunt. Ideóque rector " scire debet discretiones personarum, " quæ in eodem Libro à melius scire volentibus inveniri possunt.

VII.

Similiter scire convenit Præsulibus res Ecclesiasticas non ut proprias, sed à Domino sibi pro aliorum necessitatibus commissas, atque juxta Prosperi documentum, (t) nihil aliud esse res Ecclesiæ, quam vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Idcircò summopere est decertandum, ne aliquis Pontificum ea, quæ Ecclesiasticis tradita sunt ministeriis pro remissione peccatorum, aut aliis aptanda officiis, ut pauperibus eroganda, ne aliquis ea propria cupiditate, aut potentum terrore, parentúmque procuratione ad alios usus retorqueat: ne fortè, quod aliis exstat remissio peccatorum, ipsis sit damnationis augmentum, sed potiùs solerti meditatione indigentibus eas, & Ecclesiasticis Ministeriis distribuat, ne exinde à Domino velut inutilis dispensator damnetur; verùm, quod beatius est, desiderabili voce laudetur juxta Evangelicæ Parabolæ exemplum: *Euge (u) serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini Dei tui.*

VIII.

Statutum etiam est, ut vel semel in anno, id est, in quinta feria, quæ est in Cœna Domini, unctio Sancti Olei, in quo Salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est, sed omni devotione juxta traditionem Apostolicam, ac Statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.

IX.

Vespertinales quoque in vigilia Paschæ melius celebrandæ sunt propter lætitiam Resurrectionis Domini, quam dimittendæ.

X.

De Litania quoque majore, (*) atque de rogationibus ventilatum est; sed communi consensu ab omnibus electum atque decretum juxta morem Romanum

(r) Lib. I. Pastor. Cap. II.
(*) Lib. II. Cap. XI.
(s) In Prologo Lib. III. Pastor.
(t) De vita contempl. Lib. I. Cap. III.
(u) Matth. 25. 21.
(*) Lib. VI. Cap. LXXIV.

manum VII. Kalendas Maji illam celebrationem, ſecundum conſuetudinem noſtræ Eccleſiæ, non omittendam.

XI.

Dignum etiam duximus, ut unusquiſque Epiſcoporum ſtudeat Miniſtros ſuos pro modulo poſſibilitatis bene inſtruere, ut ſi fortè contigerit, aliquem Epiſcoporum tardiloquentem eſſe, aut infirmitate aliqua impeditum, habeat tamen Miniſtrum doctum, qui ejus vice pabula Verbi Divini populo adminiſtrare poſſit; vel etiam ſi Epiſcopus de hac mortalitatis luce tranſierit, ut Eccleſia, ſi à Domino factum fuerit, doctore futuro non indigeat.

XII.

Conſtat igitur, quia quicumque (x) poteſtati à Domino datæ reſiſtit, juxta Apoſtoli documentum, Dei ordinationi reſiſtit. Et idcirco in commune ſtatuimus, ut ſi quiſquam Epiſcoporum, aut quilibet ſequentis ordinis Eccleſiaſtici, deinceps timore, aut cupiditate, aut qualibet ſuaſione à Domino & orthodoxo Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promiſſum violaverit, & ejus contrariis malevolâ intentione quolibet modo ſe copulaverit, gradum proprium Canonicâ, atque Synodali ſententia amittat. Quòd ſi quiſquam laicus ſuperius comprehenſa facere tentaverit, ſciat ſe ab univerſo gradu anathematizandum.

DE VITA & DOCTRINA INFERIORUM ORDINUM.

QUia verò de vita atque doctrina Epiſcoporum, quæ in poſterum ſervanda, nec non tenenda, de pluribus perpauca Divinæ auctoritatis documentis prædiximus, neceſſe eſt etiam, ut de ſequentibus ordinibus aliqua adjungamus.

I.

UT Abbates Canonici gregibus ſibi commiſſis inſtanter invigilent, & geminam eis paſtionem impendant, id eſt, cibi & verbi, quatenus abſque murmurationis vitio Domino ſervire valeant: ſimul etiam ut prædicti Abbates Eccleſiaſtica jure intemerata cuſtodiant, videlicet ut cognoſcant, cujus prænomine notentur in eo, quod Abbates vocati ſunt, quod & intelligitur in typo Chriſti, nomen Spiritalis Patris. Ideoque ſemetipſos nomini quod accipiunt, conforment, ut ſubditis, & Spiritalibus Filiis exemplum præeundo, & informando religioſe exhibeant. Ideoque non convenit miniſterio ipſorum aliqua turpia aut ſæcularia vel etiam inania quæque ſectari, quæ contra religionem eſſe noſcuntur: ſed potiùs Canonicè Religioſè, caſtè, ſobriè atque piè & juſtè vita eorum omnibus ſibi commiſſis æternæ felicitatis ducatum præbeat: & in quantum ipſi Abbates, Abbatumque ſubjecti, Epiſcopis propriis pro ſe ſuíſque omnibus rationem reddituros noverint, tanto eorum conſilio, atque auctoritate modis omnibus mancipentur.

II.

Abbates verò Monachorum oportet pervigilii ſtudio gregis ſibi commiſſi curam gerere, videlicet ut ſine quibus eſſe non poſſunt, temporalia ſubſidia adminiſtrent, tantóque id ſtudioſius decertent agere, quanto ſciunt extérius nihil contingere licere. Simul etiam Divinæ lectionis ſtudio jugiter eos informent, ne aut temporali auxilio Divinum opus explere nequeant, aut torpentes otio in laqueum tentationis incidant. Ipſos etiam Monachos paſſim, & quaſi abſque canonicæ auctoritatis jugo effrenatos per ſæcularia negotia minime oportet diſcurrere, & villicis, atque ſæcularibus curis inſervire: ſed ſecundùm inſtitutionem Canonicam, in quibus renuntiaverunt, contentos eſſe; & neque ſæcularibus, neque Eccleſiaſticis neque negotiis, niſi in cauſa neceſſitatis, acceptâ tamen propriæ civitatis Epiſcopi licentia, intereſſe.

III.

Monachi interea non debent parvipendere paſtores ſuos, in cujusque parochia conſiſtentes, ſicut aliqui faciunt.

IV.

(x) Rom. 13.

IV.

Epiſcopi miniſtros non ſectantes avaritiam per parochias ſuas conſtituant. Comperimus, quorumdam Epiſcoporum miniſtros, id eſt, Chorepiſcopos, Archipresbyteros, & Archidiaconos, non ſolùm in Presbyteris ſed etiam in plebibus parochiæ ſuæ avaritiam potiùs exercere, quàm utilitati Eccleſiaſticæ dignitatis inſervire, populíque ſaluti conſulere. Quam negligentiam, immo eorum exſecrabile ac damnabile cupiditatis vitium omnes in commune deinceps vitandum ſtatuimus. Pertimeſcenda porrò, & vigilanter cavenda eſt ſacerdotibus Domini Heli (*y*) Sacerdotis ruina, qui filios ſuos indignè agentes, Deúmque pravis ſuis actibus ad iracundiam provocantes, ſacrificióque Domini injuriam irrogantes, quia verbis tantum, & non verberibus corripuit, eis Divina juſtáque ultione ruentibus ruit. At ſi forte, quod abſit, ullus Epiſcoporum deinceps ſectatores avaritiæ miniſtros in parochia ſua conſtituerit, & eorum cognitam pravitatem auctoritate paſtorali acriter ferire detrectaverit; exemplum negligentis Heli Sacerdotis imitari ſe cognoſcat, & Synodali correptioni modis omnibus ſubjiciendum. Nam & in conſenſu communi ſtatuimus, ut unusquisque Epiſcoporum ſuper Archidiaconos ſuos deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam, & morum improbitatem multi ſcandalizantur, miniſterium Sacerdotale vituperatur, & in Eccleſiis à ſacerdotibus multa propter eos negliguntur.

V.

Presbyterorum verò, qui præſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione Divini corporis, & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt, miniſterium eſſe videtur, ut in doctrina præſint populis, & in officio prædicandi, nec in aliquo deſides inventi appareant. Item ut de omnibus hominibus, qui ad eorum Eccleſiam pertinent, per omnia curam gerant, ſcientes ſe pro certo reddituros rationem pro ipſis in die judicii, quia cooperatores oneris noſtri eſſe procul dubio noſcuntur. Quapropter ab ortu nativitatis cujusque ad ſe pertinentis prædictam curam habeat, ne aliquis eorum abſque renatione Sacri Baptismatis moriatur. Poſt acceptum autem Sacrum Baptiſma, ſine manus impoſitione Epiſcopi non remaneat, ac deinde imbuatur ſcire orationem Dominicam, atque ſymbolum. Poſtea verò, qualiter vivere debeat, doceatur; ſi forte vitioſus vel criminoſus apparuerit, qualiter corrigatur, provideat; ſi autem infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione atque oratione ſacerdotali, nec non unctione Sacrificati olei per ejus negligentiam careat. Denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino Deo ſuo more ſacerdotali cum acceptione Sacræ Communionis, corpúſque ſepulturæ, non ut mos eſt gentium, ſed ſicut Chriſtianorum.

VI.

De Presbyteris, (*z*) & eorum Eccleſiis, unde multa negliguntur, & ſcandala generantur, in noſtra diſcuſſione quatuor nobis pericula apparuerunt. Primò, quia nonnulli eorum, ab ipſis ſacerdotibus quadam ſecuritate accepta, nec ea, quæ ad cultum divinum pertinent, faciunt, neque in reſtauratione & luminaribus Eccleſiæ ſtudium habent, nec etiam ſenioribus ſuis debitam reverentiam exhibent, & inſuper Eccleſias ſuas exſpoliant, & in prædiola ſua propria transferunt. Quæ omnia ad negligentiam eorum pertinere deprehendimus. Ob id verò quadam occaſione accepta ſeniores eorum permoti in tantam audaciam prorumpunt, ut eos, etiam illicitè, & inhoneſtè, atque irreverenter tractare præſumant. Unde ſummopere omnibus modis ab hinc providendum judicavimus, ut ea, quæ à Domino Imperatore, conſenſu Epiſcoporum, ob honorem & amorem Dei Eccleſiis conceſſa ſunt, non in avaritiam presbyterorum, aut in rapacitatem Epiſcopalium Miniſtrorum, ſed in utilitatem Eccleſiæ, & in uſus Clericorum, & pauperum deveniant.

VII.

Illud (*a*) quoque non minùs periculoſum eſſe didicimus, quod in quorumdam

L

[*y*] I. Reg. II.

[*z*] Lib. V. Cap. 171.

[*a*] Lib. V. Cap. 172.

rumdam Epiſcoporum Parochiis quosdam Presbyteros contra interdicta Sanctorum Canonum, feminas in domibus ſuis non ſolum habitare, ſed etiam miniſtrare ſibi faciunt, quas & laqueum Sacerdotibus perſæpè exſtitiſſe, & multos hac occaſione in ſcandalum, & in detractionem corruiſſe, cognovimus. Quæ transgreſſio & tempore Genitoris veſtri, & veſtro, in Conventibus Epiſcoporum ſecundum auctoritatem Canonicam prohibita, ſed necdum ad correctionem plenè eſt perducta. Unde in commune cenſuimus, ut hi, qui tantæ transgreſſionis incorrectores hactenus exſtiterint, ſi ab hinc hujus rei correctores eſſe neglexerint, juxta Apoſtoli ſententiam, quaſi (*b*) conſentientes malorum coerceantur.

VIII.

Similiter (*c*) de illis Presbyteris, qui contra Statuta Canonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra ſectantur; & diverſiſſimis modis uſuris inferviunt. Et aliorum domus inhoneſtè & impudicè frequentant, & comeſſationibus, & ebrietatibus deſervire non erubeſcunt, & per diverſos mercatus indiſcretè diſcurrunt, obſervandum judicavimus, ut ab hinc diſtrictè, ſeveritérque coerceantur, ne per eorum illicitam, & indecentem actionem, & miniſterium ſacerdotale vituperetur, & quibus debuerant eſſe in eorum exemplum, deveniant in ſcandalum.

IX.

Neceſſarium etiam in quibuſdam reperimus Eccleſiis, ut Clericorum ordo majori adſtringatur diſciplina & cuſtodia, ampliorique foveatur ſtipendiorum copia, ut occaſione temporalium ſubſidiorum ſanctarum non depereat reſtitutio rerum.

X.

De eorumdem Presbyterorum vita, quæ ùt vos verè fatemini, ridicula habetur, quantum nobis poſſe eſt, curabimus, ut minus perfecti eorum actus ad debitum revocentur ſtatum. Veſtrum autem erit præcipere laicis, ut ipſi congruum eis, & debitum impendant honorem, & in eos, qui contra eos perperam geſſerunt, congrua procedat caſtigatio, quatenus & illi corrigantur, & reliqui terreantur.

XI.

Decernimus etiam, ut Presbyteris nulla omnino cohabitet feminarum, contemnentes autem hanc conſtitutionem periculum proprii ſuſtinere gradus.

XII.

Illud namque neceſſarium viſum eſt de Monaſteriis puellarum, quæ in quibuſdam locis lupanaria potiùs videntur eſſe, quàm Monaſteria propter negligentiam ſtipendiorum, aut certe inſolentiam Prælatarum, unde poſtulandum eſt, ut religioſi viri ad hoc dirigantur, ut talia inquirant, & ſecundum religionem Deo placabilem emendare ſtudeant, ſicut ſuperius de Clericis decrevimus.

XIII.

Admonendæ etiam ſunt Prælatæ Monaſteriorum, ut ſubditas moribus probis atque exemplis præcedant, & de neceſſariis ſubditarum victualibus ad proprios uſus ſubditis ſubtrahere non præſumant, ne & illæ inde, occaſione videlicet minorationis victûs, atque veſtimentorum in laqueum incidant diaboli. Sed deinceps illæ ovibus Chriſti præferendæ ſunt, quas contagio vitiorum non coinquinet, ſed religionis devotio commendet. Nam illud perſpicuum eſt, quæ necdum noverant eſſe filiæ in diſciplina religionis, nec in ſe ſe religionis normam habentes, matres religioſarum fieri non poſſe.

XIV.

Admonendæ Prælatæ ſunt, ut prævideant, ne in ipſis Monaſteriis multimodi ſint anguli, vel talia loca, quæ ſint tenebroſa, aut certè viſui Prælatorum occulta, in quibus Deus pro ſceleribus inibi commiſſis ad iracundiam provocetur.

XV.

In cuſtodiis vero congregationum tam Canonicorum, quamque Monachorum nec non Sanctimonialium ſummopere ſtudendum cenſuimus, ut in omnibus locis clauſtra eis prævideantur religioni eorum congruentia, ſed & habitacula domorum, in quibus religio Deum ſequi volentibus perfici, atque augeri poſſit potiùs, quàm vitia nutriri. Hoc tamen, ut non negligatur, à Prælatis congregationum Miſſis Dominicis committatur.

(*b*) Rom. I.

(*c*) Lib. V, Cap. 173.

tur. Modus autem erga ipſarum congregationum diſciplinam hic eſſe debet, id eſt, ut Canonici, ſecundum id, quod continetur in libro, qui de eorum vita (*d*) collectus, religiosè converſentur. Monachi verò ſecundum traditam (*e*) à Beato Benedicto regulam unanimiter, quantumcumque poſſe eſt, cujusque religionis regularem vitam in omnibus ſectentur. Sanctimoniales denique ſecundum id, quod earumdem ſexûs fragilitati convenit, religioni cum omni diligentia ſubdantur.

Hæc nos fideles, & devotiſſimi famuli & oratores veſtri, juxta parvitatem ſenſus noſtri, prout brevitas temporis permiſit, ſecundùm ſanctam ordinationem veſtram, de his, quæ ad noſtram, & Conſacerdotum, ſubjectorúmque noſtrorum correctionem & emendationem pertinere perſpeximus, pauca de multis Sanctarum Scripturarum excerpentes exempla, licet perplura inibi ad hæc pertinentia non ignorentur: quæ ſi per ſingula adnotarentur, nec etiam anni volutionem ad hoc poſſe credimus ſufficere, ideoque, ùt diximus, pauca ſuccinctè, ordinatímque, ut videtur, adnotavimus.

XVI.

Communi conſenſu inſuper cenſuimus, ubicumque poſſibile fuerit, unicuique Eccleſiæ ſuus provideatur ab Epiſcopis Presbyter, ut per ſe eam tenere poſſit, aut etiam priori Presbytero ſubjugatus Miniſterium Sacerdotale perficere poſſit. Quia in multis locis pericula Presbyterorum imminentia perſpeximus. Videlicet in officiis Divinis, quamquam Miſſarum celebrationes per omnes Eccleſias ſibi commiſſas agere poſſent, cetera officia, quæ ad Divinum cultum pertinent, propter impoſſibilitatem & multitudinem Eccleſiarum, quodammodo neglecta elapſa, ſimiliter & providentiæ in baptiſmate infirmorum, & in confeſſione quærentium, atque in communione periclitantium, perplura remanſiſſe. Ideoque congruentius, ut ſupradictum eſt, omnibus videtur, cuique congruere Eccleſiæ proprium habere Presbyterum.

His itaque ſic ſe habentibus, nunc quia communium ſalutem perſpiciendam atque conſiderandam dignum duximus, petimus inſuper jam, quia labor ad ea, quæ propoſita ſunt inquirenda, additus eſt, ut non in tædium auditui vertatur, ſed potiùs ad audiendum aures accommodentur, ſupplici devotione rogamus.

CAPUT III.

DE PERSONA REGIS, FILIORUMQUE EJUS, ET MINISTRORUM.

TErtium quoque Capitulum duobus ſuperioribus Capitulis ex parte convenire videtur, in vita ſcilicet, atque doctrina Sacerdotum; in quibuſdam verò, pariter cum Sacerdotibus Principes, & omnem populum Chriſtianorum tangere non dubitatur, ſed & in utroque ordine partim defeciſſe. In Sacerdotibus enim defecit. Auctoritate ſacerdotalis ordinis labente, quantum in ipſorum ſtudio aliquid minus fuit, quam conveniret; In principibus, ſcilicet in illis, quos vos benevola intentione enutrire ſtuduiſtis, atque ſublimâſtis, non permanente dilectione, ſed abundante iniquitate, & refrigeſcente multorum caritate. Sed nunc quia de his, quæ præmiſſa ſunt, veſtro ardentiſſimo deſiderio prius ſatisfacere ſtuduimus; illud tamen, quod ad veſtram ſpecialiter perſonam, miniſteriúmque pertinere cognoſcimus, nullatenus oblivioni tradidimus, ſed potiùs veſtræ ſaluti proſpicientes, nonnulla Capitula neceſſaria fideliter collegimus, & vobis familiariter admonitionis gratiâ, devotéque porrigenda devovimus. Similiter quædam ad filios veſtros pertinentia, quædam vero ad commilitones veſtros non minus pertinentia. Nec prætereundum dignum judicavimus, ut apertè, atque diſtinctè inſpiciendo, legendo, & audiendo, veſtra cognoſcere poſſit ſolertia, filiorúmque veſtrorum, ac ceterorum omnium induſtria, de quibus, & pro quibus convenienter humilitati noſtræ ſecundum virium poſſibilitatem noſtrarum

(*d*) Anno 816. Tomo I. noſtro pag. 430.

(*e*) Anno 817. Tomo hoc noſtro pag. 1. & ſeqq.

ſtrarum fideliter tractavimus pro communi omnium perpetua ſalute.

I.

UT quid Rex dictus ſit, Iſidorus (f) in libro Sententiarum ſcribit: Rex enim, inquit, à Regendo vocatur. " Si enim piè, & juſtè, & miſericorditer regit, merito Rex appellatur: " Si his caruerit, non Rex, ſed tyrannus eſt. Antiqui autem, ut idem Iſidorus *libro etymologiarum* ſcribit: omnes Reges tyrannos vocabant, ſed poſteà piè, & juſtè, & miſericorditer regentes Regis nomen ſunt adepti, impiè verò, injuſtè, crudeliterque principantibus non Regis, ſed tyrannicum aptatum eſt nomen. Unde & Beatus Gregorius ait in Moralibus: " Viros " namque Sanctos proinde vocari Reges " in Sacris eloquiis didicimus, eo, " quod recte agant, ſenſúſque proprios " bene regant, & motus reſiſtentes " ſibi rationabili diſcretione componant. Rectè igitur illi vocantur Reges, qui tam ſemetipſos, quamque ſubjectos benè regendo, pacificare noverunt.

II.

Ad quid etiam conſtitutus ſit Imperator, Fulgentius in libro de veritate Prædeſtinationis, & Gratiæ ſcribit: " Clementiſſimus quoq; Imperator non " ideo eſt miſericordiæ vas præparatum " in gloriam, quia apicem terreni " principatûs accepit. Sed ſi in imperiali " culmine rectâ fide vivat, & vera " cordis humilitate præditus culmen " Regiæ dignitatis Sanctæ Religioni ſubjiciat, " ſi magis in timore ſervire Deo, " quam in tumore dominari populo delectetur; " ſi in eo lenitas iracundiam " mitigat; ornet benignitas poteſtatem; " ſi ſe magis diligendum, quàm metuendum " cunctis exhibeat: ſi ſubjectis " ſalubriter conſulat, ſi juſtitiam " ſic teneat, ut miſericordiam non relinquat: " ſi præ omnibus ità ſe Sanctæ " Matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit " filium, ut ejus paci, atque tranquillitati " per univerſum mundum prodeſſe " ſuum faciat principatum. Magis enim " Chriſtianum regitur, ac propagatur " imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui " per omnem terram conſulitur, quam " cum in parte quacumque terrarum " pro temporali ſecuritate pugnatur. " Unde & Iſidorus dicit: Principes " namque ſæculi nonnunquam intra Eccleſiam " poteſtatis adeptæ culmina tenent, " ut per eandem poteſtatem diſciplinam " Eccleſiaſticam muniant. Cæterum " intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ " non eſſent, niſi ut quod non " prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ " ſermonem; poteſtas hoc imperet " per diſciplinæ terrorem. Sæpe per " regnum terrenum cœleſte regnum " proficit: ut qui intra Eccleſiam poſiti " contra fidem & diſciplinam Eccleſiæ " agunt, rigore Principum conterantur: " ipſámque diſciplinam, quam " Eccleſiæ utilitas exercere non prævalet, " cervicibus ſuperborum poteſtas " principalis imponat. Salomon in proverbiis: *Miſericordia* (g) *& veritas cuſtodiunt Regem, & roborat clementia thronum ejus.*

III.

Regale namque miniſterium ſpecialiter eſt, populum Dei gubernare, & regere cum æquitate, & juſtitia, & ut pacem & concordiam habeant, ſtudere. Ipſe enim debet primo eſſe defenſor Eccleſiarum, & ſervorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorúmque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipſius enim terror, & ſtudium hujuſcemodi, in quantum poſſibile eſt, eſſe debet. Primò ut nulla injuſtitia fiat, deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat; nec ſpem delitescendi, ſive audaciam male agendi cuiquam relinquat: ſed ſciant omnes, quoniam, ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidpiam mali, quod admiſerint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem erit & modus juſtæ correptionis. Unde oportet, ut ipſe, qui judex eſt, judicium cauſámque pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne fortè illi, qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuſtè, aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittant. Scire autem unumquemque, cujuslibet ſit ordinis, oportet, quia ſi de otioſo ſermone Deo rationem redditurus eſt, multò magis de miniſterio divinitus ſibi commiſſo.

(f) Iſidorus Lib. III. Sentent. Cap. 48.

(g) Prov. 20.

IV.

De Ministerio autem Regis ita Job (*b*) loquitur : *Cumque sederem quasi Rex, circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberâssem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum; justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento & diademate judicio meo, oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Salomon: *Rex*, (i) *qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Item ibi in libro Sapientiæ : *Diligite* (k) *justitiam, qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Item ibi : *Audite* (l) *ergo Reges, & intelligite, discite judices, finium terræ : præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est vobis à Domino potestas, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur : quoniam cum essetis Ministri ejus, non rectè judicâstis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulâstis. Horrende, & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; Potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahit personam cujusquam Dominus, nec reverebitur cujusquam magnitudinem, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi.*

Exstant & alia innumera Sacrarum Scripturarum testimonia Regio nomini, & officio convenientia; super quibus colligendis vestra sancta devotio idcirco magnum nobis ademit laborem, eo quod Divina gratia adeo tot virtutum prærogativis vestrum repleverit animum, & exornaverit dignitatem, ut non sit necesse Sacerdotibus Domini, copiosioribus exemplis qualibet exaggeratione vestrum animum onerare. Quare Deo omnipotenti gratias uberrimas ac multiplices referimus, qui ità vos religione, sancta devotione, benigna humilitate, amore justitiæ, operibus misericordiæ, ceterarúmque sanctarum virtutum perfectione sua gratuita pietate ditavit, ut merito ab omnibus amandi & imitandi sitis.

V.

Petimus humiliter (*m*) vestram Excellentiam, ut per vos filii, & proceres vestri, nomen, potestatem, vigorem, & diligentiam sacerdotalem cognoscant, quod ex verbis Domini facilè intelligere possunt, quibus beato Petro, cujus vicem indigni gerimus, ait : *Quæcumque* (n) *ligaveris super terram, erunt ligata in cœlo.* Et alibi discipulis generaliter dicit : *Accipite* (o) *Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Illud etiam ad exemplum reducendum est, quod in Ecclesiastica historia Constantinus Imperator (*p*) Episcopis ait : " Deus, inquit, constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; & ideò nos rectè à vobis judicamur; vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium : & vestra jurgia, quæcumque sunt, ad illud Divinum reserventur examen. Vos enim nobis à Deo dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos; sed solus, de quo scriptum est; *Deus stetit* (q) *in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Sed & hoc illis ad memoriam reducendum est, qualiter beatus Prosper, in libro, quem de contemplativa, (*r*) & actuali vita scripsit; laudem sacerdotum comprehenderit : " Ipsis enim, inquit, Sacerdotibus propriè animarum curandarum solicitudo commissa est, qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, veluti pro suis, infatigabiliter supplicant Deo, ac velut quidem Aaron incensum contriti cordis, & humiliati Spiritus offerentes, quo placatur Deus; avertunt iram futuræ animadversionis à populo, qui per Dei gratiam fiunt Divinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fideles populi Duces,

[*b*] Job. 29. (*i*) Prov. 20. (*k*) Sap. 1.
(*l*) Sap. 6. & seqq. (*m*) Lib. 3. Concil. Paris. Cap. 8. & 9. (*n*) Matth. 16.
(*o*) Joannis 20. (*p*) Rufin. Lib. 10. Cap. 2. (*q*) Psalm. 81.
(*r*) Lib. 2. Cap. 2.

" Duces, veritatis aſſertores, pravæ " doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles, & male ſibi conſciis etiam ipſo " viſu terribiles, vindices oppreſſorum, " Patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœleſtium prœmiorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium." Ipſi ſunt Eccleſiæ decus, quibus amplius fulget Eccleſia. Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipſi januæ Civitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Chriſtum. Ipſi janitores, quibus claves datæ ſunt regni Cœlorum. Ipſi etiam diſpenſatores Regiæ domûs, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus & officia ſingulorum. Licet enim Sanctis præcedentibus Sacerdotibus vita, & meritis longè inferiores ſimus, idem tamen Sacrum Miniſterium, quod indigni ſuſcepimus, non minoris auctoritatis & dignitatis exſiſtit. Et quamquam Miniſterio tanto indigni ſimus, propter illum tamen, cujus Miniſterium gerimus, in nobis non eſt contemnendum.

VI.

Illud etiam ſpecialiter neceſſarium (s) veſtræ ſuggerere pietati duximus, ut fideles veſtri per vos admoneantur, & inſtruantur, quatenus, quando aliquid nobis veſtra Celſitudo de noſtrâ correctione, vel veſtra, nec non illorum ſalute tractandum committit, ut non per inanem & falſam ſuſpicionem contra nos ſcandalum ſumant, & ſine cauſa in nos detrahendo Deum offendant, unde ſibi ſalutem ſperare, & acquirere debuerant, culpam incurrant. Quia nos nihil aliud quærere, aut tractare deſideramus, nec noſtri officii eſt, ut faciamus, niſi, quod ad noſtrum debitum Miniſterium, & ad illorum ſalutem pertinet. Et ideo non debemus ante tempus per ſuſpicionem judicari, ſed patienter exſpectari, donec ipſa veritas manifeſtum faciat, utrum magìs audiendi, an improbandi ſimus: nos enim, ſi forte evenerit, ut aliquid ſiniſtræ opinionis de nobis fama ſparſerit, Deo nobis opem ferente, æquanimiter tolerare & poſſumus & debemus. Ipſi verò culpa immunes eſſe non poſſunt, dum patrum & fratrum intentionem ſine cauſa reprehendere non metunt. Quoniam hoc ſummopere laborandum eſt nobis, & vobis, ut ſemper inter paſtores Eccleſiarum, & gregem Chriſti pax & concordia unanimitáſque ſervetur. Niſi enim caritatem, & concordiam invicem habuerint, Deum ſicut oportet, propitium habere non merentur. Quapropter ſicut præmiſſum eſt, cum Deo inſpirante veſtra pietas de Eccleſiaſticâ & communi utilitate aliquid nobis tractare præcipit, non eſt nobis fas mentiri; quia aliquando veritatem ſine gravi periculo ad tempus retinere, numquam tamen interrogati de ipſa veritate ſine gravi diſcrimine poſſumus mentiri. Sed quia veritas ſæpe odium generat, & ſermo Dei adverſarius à Domino noſtris carnalibus voluptatibus deſcribitur: tamen ei in via, id eſt, in præſenti vita conſentiendum eſt. Sic etiam erga nos agendum eſt, ut quotieſcunque interrogati veritatem proferimus, quamquam nonnulli infirmi ſine cauſa ſcandalizentur, nobis tamen conſentiendum eſt propter ipſam veritatem. Nam ſæpe, quando vobis ſuggerimus, ut fideles quique res Eccleſiarum piè, & cum reverentia & timore Dei tractent, & cognoſcant, illas Deo eſſe dicatas; quatenus ſic habeant de illis temporalem profectum, ut non propter ignorantiam, & negligentiam æternum patiantur detrimentum: ſuſpicantur nonnulli, quod nos cauſa cupiditatis potiùs hoc admoneamus, quam cauſâ ſalutis: cum nos veraciter nullis rebus ſibi collatis optemus eos exſpoliari, ſed magìs eorum communi ſaluti conſultum præbere: quia non rerum, ut multi arbitrantur, ambitione, ſed animarum potiùs delectamur ſalvatione.

VII.

Didicimus ſane nonnullos Epiſcoporum à quibuſdam perſonis clam temeraria detractione accuſatos atque detractos; ſine approbatione tamen, in cauſis reprehenſibilibus, quæ Pontificatûs ordini non congruere viſæ ſunt, ſi approbatæ fuerint. Idcirco obnixè precamur, ut, ſi aliquis deinceps accuſator anniſus fuerit aliquem exceſſum in Epiſcopali ordine ritè reprehendere, & ad aures Imperiales perducere, ut non facile per cujuſcumque perſonam officium tanti

(s) Lib. 2. Cap. 10.

tanti miniſterii in aliquo vileſcere videatur. Accuſator itaque, uti, ſicut hactenus, deliteſcendo ſe ſubtrahere locum non habeat, ſed neque accuſatus: hujus rei veritas Synodali Conventui pateat: ibidêmque omni occaſione remota utrorumque examinatio ſecundum veritatem examinetur: ut quod quiſque meretur, accuſatus videlicet, ſive accuſator pro merito canonicæ diſciplinæ ſubjaceat, ne fortè quiſquam Sacerdotum ſe reprehenſibilem exhibere audeat, aut etiam quiſque leviter, inanitérque propriæ intemperantiæ aſſenſum præbens, tanti ordinis viros ſine cauſa atque probatione vituperare præſumat. Licet enim Sacerdotes moderno tempore, propter imminentes perturbationes in multis ſint negligentes, non ſunt tamen vituperandi, nec deſpiciendi; ſed propter illum, cujus miniſterium gerunt, audiendi & congruo honore venerandi. Poſt Apoſtolos enim ad ipſos hæc Domini ſententia dirigitur: *Qui* (t) *vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quapropter attendendum eſt, quod Sacerdotum Chriſti ſpretio ad injuriam Chriſti pertinet, cujus vicem & miniſterium gerunt.

VIII.

De conſervandis rebus, quæ à fidelibus conferuntur, in Canonibus Nicæni Concilii ità roboratum eſſe conſtat. " Quæ (*u*) ſunt Eccleſiæ ſub omni ſolicitudine & conſcientia bona, & fide, quæ in Deum eſt, qui euncta conſiderat, judicátque, ſerventur, quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio, & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ, quæ intra Eccleſiam congregantur. Item in Decretalibus Papæ SIMMACHI: (*x*) Synodali igitur Conventu provida ſententia modis omnibus enervari placuit, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præſumendi quibuslibet laicis, quamvis religioſis vel potentibus in quacumque civitate quolibet modo de Eccleſiaſticis facultatibus, aliquid diſtrahendo decernere, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi indiſcuſſa à Deo cura commiſſa docetur." Quoniam, ut beatus (*y*) Proſper ait: "Res Eccleſiæ non ſunt propriæ, ſed communes; vota videlicet fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum." Ergo quæ à religioſis viris ad ſubſtantiam pauperum ac ſervorum Dei, & ſuſtentationem ac reparationem Eccleſiarum ſunt derelicta, nulli contra fas ſine aliqua pietatis conſideratione licet diſpergi. Item unde ſupra in Concilio Toletano: (*z*) " Quia Eccleſiarum omnium dotes ad Epiſcoporum ordinationem & poteſtatem pertineant, nec à quoquam aliquâ præſumptione diſtrahantur." Item poſt pauca: " Omnis itaque rei Eccleſiaſticæ quantitas, ſicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat abſtrahenti.

IX.

Iterum monendo Magnitudini Veſtræ ſuppliciter ſuggerimus, ut deinceps in bonis Paſtoribus, Rectoribúsque in Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeatis curam; quia ſi aliter factum fuerit, & ordo Eccleſiaſticus ſuam non habebit dignitatem, & Religio Chriſtiana in multis labefactando damna detrimenti ſui patietur, & animæ veſtræ, quod non optamus, periculum generabitur.

X.

Similiter poſcimus ut in Abbatiſſis conſtituendis, & Rectoribus Monaſteriorum veſtrum ſpecialiter periculum, ſicut vobis ſæpe eſt dictum, & per Divinam auctoritatem crebriùs manifeſtatum.

XI.

Sed & hoc obſecramus, ut in eligendis adjutoribus veſtris, & Reipublicæ miniſtris, qui vice veſtra populum Dei regere & gubernare atque judicare debent, ſolertiſſimam providentiam habeatis, ſemper illud attendentes, quod in libro Exodi ad Moſem dicitur: *Provide,* (a) inquit, *de omni populo viros prudentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios qui judicent populum omni tempore; quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi* mino-

[*t*] Luc. 10. [*u*] Syn. Antioch. Can. 24. *Tomo I. noſtro pag.* 160.
[*x*] Sub Symmacho Syn. III. Romana Can. 4. Anno 501.
[*y*] De vita Contempl. Lib. 2. Cap. 4. (*z*) Concil. Toletan. III. Cap. 19. (*a*) Exod. 18.

minora tantummodo judicent, leviúsque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris implebis imperium Domini, & præcepta ejus poteris sustentare. Unde & in libro Deuteronomii: *Judices*, (b) inquit, *& Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Item ibi: *Dixique* (c) *vobis in illo tempore: Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie, sicut stellæ cœli, plurimi. Dominus Deus Patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis, sicut locutus est. Non valeo solus sustinere vestra negotia, & pondus, & jurgia. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris.* Sed & in libro Paralipomenon ita legitur: *Constituitque* (d) *Rex Josaphat judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca: & præcipiens judicibus, videte, ait, quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Dei, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum vestrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

XII.

Rogamus etiam vestram (e) pietatem propter Divinam misericordiam, vestrámque salutem, ac totius populi utilitatem nec non & regni honorem, atque stabilitatem, ut vestra pietas solertissimam vigilantiam adhibeat, quatenus consiliarii, & dignitatis vestræ ministri, custodésque animæ vestræ & corporis, qui debent esse intra regnum aliis decus & bonitatis exemplum, & in ceteris nationibus bonæ opinionis condimentum, caritatem, pacem, atque concordiam, omni simulatione, & calliditate postposita, adinvicem habeant, ut secundum Dei voluntatem, & vestram honestatem, atque totius populi profectum, communiter decertent, & veri vobis adjutores in omnibus concorditer existant. Tunc etenim veri consiliarii, veríque adjutores vestri, & totius regni salubriter esse poterunt, si unanimes exstiterint, & invicem dilectionem habuerint. Decet quippe, ut sacra domus vestra cunctis spectabilis appareat, & imitabilis existat, & fama suæ bonæ opinionis, sive alios imperii vestri subjectos, sive exteras nationes abundantissimè perfundat. Ubi igitur omnes dissensiones & discordiæ dirimendæ, & omnis malitia imperiali auctoritate est comprimenda, necesse est, ut, quod in aliis corrigi decernit, in ea minime reperiatur.

XIII.

Nam & hoc humiliter admonemus, ut liberos vestros, quos vobis Divina pietas largiri voluit, in timore Dei jugiter diligentérque erudiatis, sicut & facitis. Et ut in mutua dilectionis caritate & fraternitatis amore, atque unanimitatis concordia vicissim consistant, sedulâ paternâque admonitione insistatis. Et ne illicitis actibus creatoris sui offensam incurrant, provida, solertique circumspectione nihilominus invigiletis; attendentes beatum Job, cujus studium ut beatus Gregorius in Moralibus libris scripsit, circa filios erudiendos tale extitit, ut non solùm eos exterius perfectos opere & sermone perficeret, verum etiam eorum corda sacrificii oblatione mundaret. Attendite etiam David instruentem Salomonem filium suum, de quo in primo libro Malachim legitur. *Ego* (f) inquit, *ingredior viam universæ terræ: confortare, & esto vir fortis, & observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & custodas cæremonias ejus & præcepta. Fili mi* (g) *cognoscito Deum Patris tui, & servias ei corde perfecto, & animo voluntario.* Attendite etiam Tobiam, de quo legitur quod cum factus esset vir, (h) accepit uxorem Annam de tribu suâ, & genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Item idem alloquens eundem filium suum. *Omnibus* (i) inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleëmosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ità enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ità esto misericors. &c.*

Item

(b) Deut. 16. (c) Deut. 1. (d) II. Paralip. 19. (e) Lib. 3. Concil. Parif. Cap. 24. (f) 3. Reg. 2. (g) 1. Paral. 58. (h) Tob. 1. (i) Tob. 4.

Item paulo poſt : *Attende tibi* , (k) *fili mi*, *ab omni fornicatione* , *& præter uxorem tuam nequaquam patieris crimen ſcire. Superbiam numquam iu tuo ſenſu* , *aut in corde dominari permittas* : *ex ipſa enim initium ſumpſit omnis perdito.* Et idem non poſt multa : *Conſilium ſemper à ſapiente perquire. Omni tempore benedic Deum* , *& pete ab eo* , *ut vias tuas dirigat* , *& omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Item idem : *Audite* (l) *ergo filii mei*, *ſervite Domino in veritate* , *& inquirete* , *ut faciatis* , *quæ ſunt placita illi* : *& filiis veſtris mandate*, *ut faciant juſtitias* , *& eleëmoſynas* , *ut ſint memores Dei* , *& benedicant eum in omni tempore in veritate* , *& in tota virtute ſua.* His omnibus prælibatis , innoteſcimus vobis , (*m*) quod ea , quæ in Capitulis veſtris nobis tractanda commiſiſtis , ſcilicet quid à principibus , & reliquo populo vel ità , ut Divina auctoritas doceat , aut aliter teneatur , vel quid inde ex parte , aut ex toto dimiſſum ſit , ut non teneatur ; nec non & in his , quæ præſenti anno conſcribi, & per Miſſos veſtros ob vitia comprimenda per imperium veſtrum direxiſtis; fatemur, quod in his Capitulis , quæ ſuperius continentur , multa demonſtrata ſunt , quæ à paſtoribus Eccleſiarum , & à principibus , & reliquo populo, hactenus neglecta exſtiterunt : & aliter , quam Divina auctoritas ſe habeat in his , eos egiſſe , & agere novimus. Sed ſi hæc noſtra ſacerdotalis admonitio effectum , Deo operante, per veſtrum bonum ſtudium abhinc obtinuerit , credimus quod multa quæ à multis aliter , quam Divina auctoritas ſe habeat, dimiſſa ſunt; quæ non tenebantur , corrigentur.

XV.

Nam & illud , quod in eiſdem (*n*) capitulis continetur , ut manifeſtum fieret , quæ cauſæ id fecerint, ut ſacerdotes & principes à recto tramite deviaſſent , exceptis præmiſſis capitulis, quibus , ſicut diximus, multa negligebantur : ſpecialiter tamen unum obſtaculum ex multo tempore jam inoleviſſe cognovimus , id eſt , quia & principalis poteſtas , diverſis occaſionibus intervenientibus , ſecus , quam auctoritas Divina ſe habeat , in cauſas Eccleſiaſticas proſilierit , & ſacerdotales partim negligentia , partim ignorantiâ , partim cupiditate , in ſæcularibus negotiis , & ſolicitudinibus ultra , quam debuerant, ſe occupaverint. Et hac occaſione aliter , quam Divina auctoritas doceat in utraque parte actum exſtitiſſe dubium non eſt. Sed quia , Deo miſerante , à progenitoribus , & Genitore veſtro , & à vobis multa correcta gratulamur , ſi ea , quæ admonemus , proſperum ſucceſſum habuerint , credimus, quod ad perfectionis ſtatum veſtra intentio noſtráque devotio , Deo cooperante pervenire poſſit. Verumtamen quia novimus ſtatum hujus regni ſub tali conditione , & tenore creviſſe, atque dilatatum eſſe & à prudentiſſimis , ſanctiſque prædeceſſoribus noſtris , ſive ſcilicet ab Epiſcopis ſive à Principibus, hanc cauſam ex toto correctam non fuiſſe , propter hæc quæ ſuo tempore dici poſſunt , & pondus tantæ conſiderationis , parvitatis noſtræ vires exceſſit , quoniam nec otium , nec ſpatium temporis , nec plenitudinem conſacerdotum noſtrorum , ſicut ipſa neceſſitas expoſcebat , habuimus.

XVI.

Porro de Epiſcopali (*o*) libertate, quam Deo annuente , veſtróque adminiculo ſuffragante , adipiſci ad Dei ſervitium peragendum cupimus , ſuo in tempore vobis dicenda, atque vobiſcum conferenda reſervavimus. Quatenus ita ſit, ut & noſmetipſos ſalvare , populóque nobis ſubjecto utiliter prodeſſe, atque pro vobis , & ſtabilitate imperii veſtri liberius valeamus exorare , & de veſtris obſequiis , & regni adjutorio, ſolatium debitum minimè ſubtrahatur , ſed, ſi poſſibile fuerit, potiùs augeatur.

XVII.

Veſtram interea , Deo amabilis Auguſte ! petimus Clementiam , uti abſque inevitabili neceſſitate ſanctum tempus Quadrageſimæ liceat Eccleſiaſticis viris ſub quiete agere: quatenus tempus illud , quod purificatio eſſe debet aliorum temporum, non inquinetur inquietudine perturbationum.

M XVIII.

(*k*) Ibidem. (*l*) Tobiæ 14. (*m*) Ibid. Cap. 26.
(*n*) Ibidem. (*o*) Ibid. Cap. 27.

XVIII.

Jejunium diebus Dominicis tenere & canonica interdicit auctoritas, & resurrectionis Dominicæ tanta solemnitas. Et ideo placita illis diebus, neque nuptias, pro reverentia tantæ solemnitatis celebrari visum est. (p)

XIX.

Monasteria Divinis solummodo cultibus dicata non debere sæcularibus dari, & canonica prodit auctoritas & ipsorum destructio locorum. Sed quia id exigit reipublicæ necessitas, saltem collapsa loca erigi debent, & Clerici locis, in quibus fuerant, restitui, quousque opportunitas id permittat, emendari plenius.

XX.

Laici sane monendi sunt, ne Sacerdotes contemptui habeant, néve eorum monita despiciant, & tam turpiter tractent, uti hactenus: ne superveniat, quod dicit Propheta: *Populus* (q) *tuus, sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti: & corrues hodie: & corruet etiam Propheta tecum.*

XXI.

Meminisse etiam debent, qui res Ecclesiæ atque familiam sub manu sua habent, non eos debere severè, & crudeliter cum eis agere, sed cogitare, quia utrorumque Dominus est in cœlis: & consuètum atque antiquum ab eis servitium exigant, nihil superaddentes.

XXII.

Sane communicatio Corporis Domini omni die dominica debuit celebrari. Ideoque necesse est, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo: ne fortè, qui longe est à Sacramentis, quibus est redemptus, longe sit à salute, quam fuerat consecuturus.

XXIII.

Similiter est postulandum de Presbyteris, qui hinc inde de diversis Parochiis veniunt, & in Palatio morantur, ut sine proprii Episcopi consensu ibi locum consistendi non habeant, nec recipiantur: quia fieri potest, ut intra parochiam metu perpetrati criminis, ne id palam juxta Canonum sanctiones ulciscatur, palatinas ædes frequentent: aut certè licet non sit ordinatus, ipse tamen absque litteris ordinatum se attestetur.

XXIV.

Nec minus de Monachis postulandum est, ut & ipsi in publicis locis sine ratione decenti discurrere prohibeantur, quia hoc à proposito ipsorum procul abstit. Fieri etiam potest, ut quidam illorum, sicut superiùs dictum est de Presbyteris, perpetrato scelere in Monasterio, causam vagandi potiùs eligant, quam regularibus disciplinis subjacere.

XXV.

De raptoribus etenim viduarum ac virginum dignum duximus, ut ab universis Comitibus omni nisu investigentur, & inventi condigna invectione ex auctoritate imperiali castigentur, ut à tam illicita præsumptionis audacia ipsi coerceantur, & ceteri hoc admittere volentes terreantur.

Si hæc omnia debito, dignóque ordine impleantur, opitulante supernâ gratiâ honestatem ornatúmque Ecclesiæ adimplere credimus. Qui enim Ecclesiæ in una, atque indiscreta Christi fide ac dilectione concorditer ad cœlestia tendens populus dicitur, necesse est, ut prædicatorum bene vivendi ac docendi instantia, & auditorum obediendi, atque exsistendi insistentia perornetur. Hic verò ornatus fieri ullatenus nequit, nisi uniuscujusque officium propriè conservetur, immò peragatur. Constat autem eam peregrinantem duabus, ut dictum est, præsentialiter personis gubernari, Sacerdotali scilicet, ac regali, quatenus auctoritate Episcopali, atque Imperiali censura intrinsecus, & extrinsecus circumspecta, (r) liberius modum proprium valeat conservare. Proinde cum liqueat nos plurimùm ac multifariè exorbitasse, in hoc summopere integritatem, sinceritatémque cernimus esse concussam, quod filiorum vestrorum defectio, atque improbitas, sed & quorundam procerum perversitas atque infidelitas in inauditum à sæculis facinus excrevisse cognoscitur. Quæ omnia nullo modo integra, & ad necessarium dignúmque finem perduci posse nobis videntur, nisi miserante Domino, imperia-

(p) Canon. XVIII. Concilii Gangrensis Tomo I. nostro pag. 154. Eodem Tom. I. p. 414. Cap. XV.
(q) Oseæ 4.
(r) *fortè* circumsepta.

periali poteſtate, paterna hæreditate, immo vigore ſinceriter reſtituta, honor Sanctæ Dei Eccleſiæ integerrimè reparetur; & Epiſcopalis auctoritas proprio, immo à Chriſto Domino ſibi commiſſo officio denuo ſolvatur. Meminimus enim, in præteritis Conventibus nonnulla Capitula ab Epiſcopis, veſtra admonitione fuiſſe tractata atque ſtatuta pro neceſſitate & communi ſalute utrorumque ordinum, Eccleſiaſticorum videlicet, atque ſæcularium; ſed neſcimus, quibus impedientibus obſtaculis, quaſi oblivioni tradita. Ideóque affectu devoto, ſupplici admonitione admonemus, & admonendo precamur, ne iſta, quæ nunc licet perpauca prælibavimus, ad ſtatum Sanctæ Dei Eccleſiæ ſimili modo oblivioni tradantur, ſed pro ſpeculo ab omnibus inconvulſa habeantur, atque conſerventur. Verum quod nos, ſi hæc vobis cœlitus attributa non fuiſſent, cum temporali periculo, propter auctoritatem Miniſterii noſtri, vos ad ea peragenda admonere, immo admonendo exigere à vobis, quoquo modo debueramus; Vos econtra propter divinum amorem & honorem, & admonendo nos ad potiora provocatis, & piam opportunámque (*s*) nobis ferre devotiſſimè curatis. Proinde humilibus precibus ſpecialiter pietati veſtræ ſuggerimus, ut bonum, quod cœpiſtis Deo opitulante, indeſinenter perficere ne gravemini, & in adimplendis operibus juſtitiæ, ac pietatis, & miſericordiæ nullatenus deficiatis; quoniam non inchoantibus, ſed perſeverantibus præmium æternæ vitæ datur: & juxta Veritatis vocem: *Qui* (t) *perſeveraverit uſque in finem, bic ſalvus erit.*

Binius Tomo III. Concil. Part. I. pag. 313. *unde Harduinus Concilior. Tomo IV.*

(*s*) *opem*, deeſſe videtur. (*t*) Matth. 10.

SYNODI EJUSDEM AQUISGRANENSIS (*a*) AD PIPPINUM REGEM AQUITANIÆ LIBRI III.

In quibus ea, quæ per commonitorium Regi antea ſuggeſſerant, manifeſtis Sacræ Scripturæ auctoritatibus confirmantur.

TITULI CANONUM LIBRI I.

I. Quod Deus nullum peccatum inultum dimittit.

II. Cur Deus quædam peccata in hoc ſæculo judicat? Quædam in futuro judicanda reſervat?

III. Contra eos, qui dicunt, nullum eſſe diſcrimen, ſi rebus Deo oblatis in ſuis utantur neceſſitatibus.

IV. Quod omnia terrarum regna, & omnia bona terræ Domini ſint, & ex ſuis ſibi ſua offerantur.

V. Qualiter David Rex de ædificanda domo Domini Salomonem filium ſuum inſtruxerit?

VI. De impenſis, quas David ad domum Domini conſtruendam præparavit.

VII. De diverſis donariis, quæ in templo Domini conſecravit.

VIII. Quod juxta Verbum David peregrini ſumus, & advenæ in hac peregrinatione.

IX. Quod nemo Deo quidquam offerre valeat; niſi quod de manu Dei accepit.

(*a*) Centuriatores Magdeburgenſes referunt hanc Synodum Aquisgranenſem ad annum 830. 2dò Volunt eam ſub Pippino Rege celebratam fuiſſe. 3tiò. Ad confirmanda Sacrificia: triplex error eſt in anno, Rege, & fine, annus enim 836. evidenter eſt: Rex Ludovicus Pius ipſe interfuit & convocavit. Finis ſolus conſervatio bonorum Eccleſiæ pro Eccleſia contra raptores laicos.

X. Quod nemo de injuste adquisitis Deo gratum quid offerre valeat.

XI. Qualiter origo, & religio Deo offerendarum rerum inchoaverit.

XII. Qualiter Apostoli post resurrectionem Christi tam in Oriente, quam in Occidente Ecclesias fundaverint.

XIII. Quod memorata origo, & religio primum sine altari ab Abel cœperit justo.

XIV. Quod Noe & altare Domino ædificaverit & holocausta super illud obtulerit.

XV. Quid benedictionis Noe pro eo, quod altare Domino ædificavit, & desuper holocausta obtulit, consecutus sit.

XVI. Quid promissionis, quídve benedictionis Abraham pro eo, quod Deo credidit, eíque diversa altaria erexit, (b) consequi meruerit.

XVII. Quod facta Abrahæ non imitantur hi, qui ea, unde Deo in altaribus suis famulandum est, auferunt.

XVIII. Quod Abraham Propheta Melchisedec Sacerdoti Dei altissimi decimas dederit ex omnibus.

XIX. Quod fides & devotio Abrahæ circa Divinum cultum in tantum excrevit, ut ad filium suum Domino immolandum paratus fuerit.

XX. Quod imitatores Abrahæ, id est, amatores & exaltatores, & ditatores, sive etiam veneratores Divini cultûs, à Domino, & in præsenti sæculo tueri, & exaltari, & etiam (c) *in futuro mercede æterna mereantur donari.*

XXI. Qualiter Isaac altare Deo ædificaverit, tabernaculúmque extenderit.

XXII. Quod in Jacob cultus Sanctæ Religionis amplius augmentatus sit.

XXIII. Quod Jacob non solum altaria erexerit, oleum desuper fuderit, victimásque obtulerit: sed & de omnibus, quæ Deus illi dedisset, decimas & hostias (d) *se daturum promiserit.*

XXIV. Quod Christiana Religio adinstar Jacob domos in honorem Dei ædificat, (e) *& altaria erigit, eísque oleum superfundit, ac Sacrosancto Chrismate* (f) *perungit.*

XXV. Quod post internecionem Amalec Moyses altare Domino ædificaverit.

XXVI. Quod post altaria à Moyse Domino ædificata & cætera, quæ ei à Domino injuncta sunt, peracta, religio Divini cultus excreverit.

XXVII. De diversis donariis, quæ Dominus ad construendum Sanctuarium & tabernaculum suum dari præcepit.

XXVIII. Quam expiationem Princeps in lege pro reatu suo Domino offerre præcipiatur?

XXIX. Qualiter ignis in altari (g) *nutriri jubetur?*

XXX. Quid ad Sanctuarium Domini paventibus promittatur?

XXXI. Quid autem ad Sanctuarium Domini non paventibus Dominus comminetur?

XXXII. De domibus, & agris, & hominibus Domino sanctificatis, (h) *& quod ea, quæ Domino sanctificantur, ad jus pertineant Sacerdotum.*

XXXIII. Quid conclusio Libri Levitici innuat? ABHINC EX LIBRO NUMERORUM ET DEUTERONOMII.

XXXIV. De omnibus Primitiis, & de his, quæ ad Sanctuarium Domini offeruntur, quod ad jus pertineant Sacerdotum: nec non & de erectione & dedicatione tabernaculi & altaris: & de his, quæ in eadem dedicatione à Principibus Domino oblata sunt.

XXXV. Quod non sit Dominus in Ministris suis detrahendus.

XXXVI. De partibus prædæ, quam filii Israël ceperant, Sacerdotibus, & Levitis, & tabernaculo Domini exhibitis, & quod Dominus in tabernaculo suo proprium ærarium habere voluerit.

XXXVII. Quod urbes Dominus, & suburbana earum Levitis dare præceperit.

XXXVIII. De votis Deo reddendis.

EXPLICIUNT (i) *CAPITULA LIBRI I.*

PRÆ-

(*b*) *à Deo.* Sic habet Codex Metropolitanus MS. Numero CXXI. coævus, ex quo variantes adnotavimus, & lacunas supplevimus.

(*c*) etiam *omittitur.*

(*d*) *ei.* cod. MS. Metrop.

(*e*) ac dedicat.

(*f*) *ea.* cod. MS. addit.

(*g*) *Domini.* cod. MS. addit.

(*h*) *sanctificandis.* cod. M.

(*i*) Cod. MS. Met. addit.

PRÆFATIO,
SIVE
EPISTOLA SYNODI
AD PIPPINUM.

INclyto, Cæleſtique gratia, Regio munere inſigniter ſublimato, Domino Pippino Regi nobiliſſimo, & per immenſum à Deo conſervando, cætus venerabilium Præſulum, & ſequentis ordinis religioſorum Sacerdotum apud Aquisgrani (k) juſſu ſalutifero, & ordine providentiſſimo piiſſimi, & orthodoxi Genitoris veſtri Domini noſtri Ludovici Cæſaris Eximii, ob honorem & decorem Sanctæ Dei Eccleſiæ procurandum, & quaſdam dignitates Eccleſiaſticas, magnâ ex parte collapſas, atque fuſcatas, ad priſtinum ſtatum nitorémque, Domino opem ferente revocandas, ſynodaliter congregatus, æternæ beatitudinis optat (l) felicitatem.

Nos igitur fideliſſimi oratores veſtri ſalutíſque veſtræ amatores devotiſſimi, miſeramus (m) nuper Celſitudini veſtræ per venerabiles fratres, Aldricum videlicet Cenomanicæ urbis, & Herchinradum Pariſiorum noſtros, quamdam ſchedulam, quædam ex auctoritate Miniſterii noſtri ſalutaria monita continentem. Cui, quia de negotiis, unde veſtram magnitudinem admonuimus, teſtimonia Sanctarum Scripturarum, vitantes illius prolixitatem, annectere nequívimus, utile neceſſariumque judicavimus, ut in hoc opuſculo ea breviter annotaremus, veſtræque prudentiſſimæ ſolertiæ legenda mitteremus; ut ſi fortè quiſpiam objicere voluerit hæc, quæ vobis ſcripſimus non ex auctoritate Divina conſtare, ſed potiùs arbitrio cordis noſtri, immò & cupiditate, & quadam adinventione commentata eſſe, his lectis, atque perpenſis evidenter agnoſcat, nos, quæ Dei ſunt, & ad veſtram ſalvationem hìc, & in æternùm, & ad regni vobis commiſſi ſtabilimentum; ſe autem ea, quæ mundi ſunt, ejusque amatores diligunt, & Dei voluntati uſquequaque contraria exſiſtunt, & ad animarum interitum pertinent, abſque dubio loqui.

CAPUT I.

SUnt enim nonnulli, qui propterea hæc tam temere loquuntur, & in barathrum cupiditatum ſuarum miſerabiliter labuntur, eò quod Divinorum præceptorum transgreſſores, Sanctæque Dei Eccleſiæ (n) inhonoratores, atque expoliatores non continuo puniantur: non animadvertentes, neque animadvertere volentes, quod Deus nullum peccatum inultum dimiſſurus ſit. Tribus itaque modis peccata mortalium vindicantur, duobus in hac vita, tertio verò in futura vita. De duobus ità Apoſtolus (o) inquit: *Si nosmetipſos judicaverimus, à Domino non judicabimur.* Hæc eſt vindicta, quam inſpirante Deo omnis peccator pro ſuis admiſſis pœnitendo in ſe ipſo vindicat. Quod autem proſecutus idem Apoſtolus infert. (p) *Cum judicamur autem, à Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur*: Hæc eſt vindicta, quam omnipotens Deus miſericorditer peccatori irrogat, juxta illud: (q) *Deus, quem amat, corripit.* Tertia autem exſtat valde pertimeſcenda atque terribilis, quæ non in hoc, ſed in futuro, juſtiſſimo Dei judicio, fiet ſæculo. Quando juſtus judex dicturus eſt. (r) *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.*

CAPUT II.

Si enim, ut verbis beati Auguſtini utamur, omnipotens Deus omnia mala mortalium in hoc Sæculo judicaſſet, nequaquam homines malè agentes diem futuri judicii pertimeſcerent. Rurſus ſi nulla mortalium mala in hoc ſæculo judicaſſet, non putaretur res curare humanas. Idcirco quædam judicat in hoc ſæculo, ut videatur ejus piiſſima providentia,

M 3

(k) *Aquisgrani* cod. MS. Metr. ſine *apud.* (l) *optans* idem codex. (m) miſimus.
(n) dehonoratores. (o) 1. Corinth. 11. (p) Hebr. 12.
(q) Prov. 3. (r) Matth. 15.

dentia, & misericordia gratuita rebus consulere humanis: idcirco quædam non judicat, sed futuro reservat judicio, ut homines de futuro terreantur examine.

CAPUT III.

Sunt etiam quidam dignitatem Ecclesiasticam non curantes, immo suam cupiditatem explere volentes, sibique in Deo oblatis, sacratísque rebus auferendis impunitatem inaniter promittentes: qui contra salutem suam hæc temerario, immo perniciosissimo solent dicere ausu: (s) Quid mali, quidve discriminis est, si rebus Ecclesiasticis in nostris pro libitu nostro utimur necessitatibus? quid curæ est inde Deo, Sanctisque ejus, ob quorum amorem Deo dicantur oblatæ, cùm utique in eorumdem Sanctorum usus nihil ex his cedat? Et ubi Deus hæc, quæ Ecclesiarum rectores opponunt, jussit sibi offerri; præsertim cum omnia, quæ in terris sunt, sua sint, & ille ea ad usus hominum creaverit? Quorum argumentationi insanissimæ, divinæque injuriæ plenissimæ, prout Dominus annuerit ex utriusque testamenti paginis, & Sanctorum Patrum dictis eximiis tentabimus respondere.

IV.

Primum quidem, quòd omnia terrarum regna, & omnia bona terræ, Domini sint, & ex suis sua sibi offerantur, ex verbis David Regum Sanctissimi, & Prophetarum eximii: post autem, quod Deus sua, sive ante legem, sive in lege, & ad Sanctorum, & ad templum Sanctum suum jusserit offerri, conabimur demonstrare.

V.

Legimus itáque in libro Paralipomenon: (t) *Dixit quoque David Salomoni filio suo: viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, neque paveas. Dominus enim Deus meus erit tecum, & non dimittet te, neque derelinquet, donec perficias omne opus Ministerii domus Domini.* Ecce divisiones Sacerdotum & Levitarum (u) assistunt tibi, & parati sunt, tam principes, quam populus, facere omnia præcepta tua. Locutúsque est David Rex ad omnem Ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: *Opus autem grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.*

VI.

(x) "Ego autem totis viribus meis "præparavi impensas domûs Domini Dei "mei. Aurum in vasa aurea, & argen"tum in argentea, æs in ænea, ferrum "in ferrea, lignum in lignea, & lapides "onychinos, & quasi stibinos, & diver"sorum colorum, omnem pretiosum "lapidem, & marmor parium abundan"tissimè.

VII.

"Et super hæc quæ obtuli in domum "Dei mei, de periculo meo aurum, & "argentum, do in templum Dei mei, "exceptis his, quæ paravi in ædem (y) "Sanctam tria millia talenta auri de au"ro Ophir: & septem millia talentorum "argenti probatissimi, ad deaurandos "parietes templi. Et ubicumque opus "est aurum de auro, & argentum de "argento, opera fiant per manus artifici"um. Et si quis sponte offert, impleat "manum suam hodie, & offerat, quod "voluerit, Domino. Polliciti sunt ita"que principes familiarium, & proceres "tribuum Israël, tribuni quoque, & "centuriones, & principes possessionum "Regis. Dederúntque in operibus do"mus Domini auri talenta quinque millia, "(z) solidos decem millia, argenti talenta "decem millia, & æris talenta decem, "& octo millia, ferri quoque centum "millia talentorum. Et apud quemcum"que inventi sunt lapides, dederunt in "thesauros domus Domini per manum Ja"hiel Gersonitis. Lætatúsque est popu"lus, cùm vota sponte promitterent, "quia cor de toto ea offerebant Domino. "Sed & David Rex lætatus est gaudio "magno, & benedixit Domino coram "universa multitudine, & ait: *Benedictus es Domine Deus Israël Patris nostri ab æterno in æternum. Tua est Domine magnificentia & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim, quæ in cælo sunt, & quæ in terra, tua sunt. Tuum Domine regnum, & tu es super omnes Prin-*

(s) Hic incipit Cap. III. in cod. MS. (t) 1. Paral. 28.
(u) In omne opus ministerii domus Domini adsistunt tibi. *sic ex MS.*
[x] 1. Paral. 29. [y] Sanctorum. [z] & addit C.M.

Principes, tuæ divitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium. Nunc igitur Deus noster, confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.

VIII.

Peregrini enim sumus coram te, & advenæ, sicut omnes Patres nostri. Dies nostri, quasi umbra super terram, & nulla est mora. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus, ut ædificaretur domus nomini tuo Sancto, de manu tua est, & tua sunt omnia. Scio, Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas. Unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc, & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël Patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem, cordis eorum & semper in venerationem tui mens ista permaneat. Ecce, quibus documentis tanti Regis, Deo videlicet pleni, de quo Dominus ait: (a) Inveni, David virum secundum cor meum, oleo Sancto meo unxi eum. liquido demonstratur, quod omnia quæ in cœlis, & in terris sunt, Domini sunt.

IX.

Et quod Deo nemo quidquam offere valet, nisi ea, quæ de manu ipsius accepit, & quod Dominus de his, quæ dedit, sibi pretiosa quæque, suóque nomini Sancto sacratis locis offerri non abnuit; immò oblatis delectatur, & oblata auferri non patitur. Nam his & aliis Divinarum Scripturarum testimoniis luce clarius exstat manifestum, quod ea, quæ Dominus sibi offerri jussit ad cultum sanctuarii, templíque sui, & ad usum Sacerdotum, Levitarúmque omnino cedere voluit. Et sicut in votis spontè offerentium lætatur, ità in non offerentium, vel etiam quoquomodo auferre tentantium transgressionibus (b) periculum interminatur mortis, sicut in sequentibus demonstrabitur.

X.

Nemo porro putet, ea, quæ injustè acquisivit, de manu Dei se accepisse, aut quidquam ex his Deo gratum offerre posse, cum scriptum sit; (c) *Qui offert Deo ex rapina pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Qui ergo ordinate vult aliquid Deo offerre, primùm se ipsum offerat, videlicet juxta Apostolum. (d) *Hostiam vivam, sanctam, Deo placentem:* Deinde ex his, quæ juste accquisivit, id est, quæ de manu Domini Dei accepit, sibi profuturum feliciter fenus Domino accommodet.

XI.

Aggrediamur igitur tandem seriem veteris testamenti, & rimando inspiciamus, & inspiciendo rimemur, qualiter origo, & religio Deo offerendarum rerum inchoaverit, & qualiter usque in sæculum nostrum per mediatorem Dei, & hominum, Dominum videlicet Jesum Christum, redemptorem nostrum, & per ejus Apostolos, nominis Sancti sui strenuos prædicatores, suæque fidei rudimenta in omnem terram propagantes (e) eorúmque successores, dilatata & incrementata fuerit.

XII.

Per beatum videlicet Petrum Apostolorum Principem in Occidentis, (f) per beatum verò Joannem Apostolum, & Evangelistam in Orientis, id est, in Asiæ partibus, per beatum etiam Paulum in tota generaliter mundi latitudine fundata, & ex oblationibus fidelium constat ditata, atque honorata. Qualiter autem ceteri Coapostoli illorum in regionibus sibi à Christo Domino ad prædicandum commissis, Ecclesiam Christi fundaverint, & fidelium donis constare fecerint, gesta illorum, quæ in promptu habentur, evidenter testantur; quæ hic ponere magnæ esset prolixitatis.

XIII.

Memorata igitur origo & religio primum cæpit sine altari ab Abel justo, de quo in libro Geneseos ita legitur: (g) *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui,*

(a) Psalm. 88.
(b) transgressoribus Cod. M.
(c) Eccli. 34.
(d) Philipp. 4.
(e) propagatores Cod. M.
(f) in occiduis C. M.
(g) Genes. 4.

ſui, *& de adipibus eorum. Et reſpexit Dominus ad Abel*, *& ad munera ejus; ad Cain verò*, *& ad munera ejus non reſpexit.* Quibus verbis non inconvenienter accipi poſſunt in perſona Abel hi, qui ſua ſponte, id eſt, ea, quæ de manu Dei acceperunt, Deo creatori ſuo gratanter offerunt; in perſona vero Cain hi, qui malevolo & invido animo ex male acquiſitis quidquam Deo offerre gratum putant; quapropter neceſſe eſt, ut factum Abel imitetur, & factum Cain prorſus deteſtetur.

XIV.

Noë quoque ingentis cataclyſmi periculo Domino ſe protegente liberatus, eóque jubente de arca egreſſus, non extra altare, ſed jam ſupra altare, ob liberationem ſui holocauſta Deo obtulit, ſicut in eodem libro Geneſeos (*h*) legitur: *Ædificavit autem Noë altare Domino*, *& tollens de cunctis pecudibus & volucribus mundis*, *obtulit holocauſta ſuper altare*, *odoratúſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.*

XV.

Perpendenda ſunt hæc verba, quibus dicitur: *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Manifeſtum quippe eſt, & offerentis animum & eadem holocauſta Deo uſquequaque grata exſtitiſſe: quoniam nec in his, quæ oblata ſunt, quidquam Deo odibile, ac deteſtabile creditur exſtitiſſe: & propter donum ſuæ oblationis, continuò benedictionem à Domino eumdem Noë percepiſſe. (*i*) *Benedixit*, inquit, *Deus Noë*, *& filiis ejus*, & dixit ad eos: *Creſcite & multiplicamini*, *& replete terram*: *& terror veſter*, *ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*: & cetera, quæ ſequuntur. Si enim oblationem Noë Dominus in odorem ſuavitatis odoratus eſt; procul dubio ablationem ſibi oblatarum rerum & deteſtatur, & deteſtatus eſt, & ſi pro ſua oblatione benedictionem à Deo idem Noë promeruerit: patet profecto, quod qui Deo oblata ſibi ſubripit, aut aliis diſtribuit, pro benedictione maledictionem incurrit.

XVI.

Abraham autem, cujus non natura, ſed gratia filii ſumus, & in cujus ſemine, id eſt, in Chriſto benedicimur, qui credidit Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, & qui Domino imperante egreſſus eſt de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui, & venit in terram, quam Deus ei demonſtravit, cui & Dominus dixit: (k) *Faciam te in gentem magnam*, *& magnificabo nomen tuum*, *eriſque benedictus*: *Benedicam benedicentibus tibi*, *& maledicam maledicentibus tibi*, *atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ.* Cui etiam rurſus apparens dixit: (*l*) *Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit altare Domino*, *qui apparuit ei.* Et ipſe, ut in libro Geneſeos legitur, *idem transgrediens ad montem*, *qui erat contra Orientem Bethel*, *tetendit ibi tabernaculum ſuum ab Occidente habens Bethel*, *& ab Oriente Hai. Ædificavit quoque ibi altare Domino*, *& invocavit nomen ejus.* Item poſt pauca in eodem libro: (*m*) *Dixit Dominus ad Abraham*, *poſtquam diviſus eſt Loth ab eo*: *Leva oculos tuos*, *& vide à loco*, *in quo nunc es*, *ad Aquilonem & Meridiem*, *ad Orientem*, *& Occidentem*; *omnem terram*, *quam vides*, *tibi dabo*, *& ſemini tuo in ſempiternum*, *faciámque ſemen tuum ſicut pulverem terræ.* Si quis poteſt hominum numerare pulverem, & ſemen quoque tuum numerare poterit. Surge, & perambula terram in longitudine, & latitudine ſuâ, quia tibi daturus ſum eam, *Movens igitur Abraham tabernaculum ſuum*, *venit*, *& habitavit juxta convallem mambre*, *quæ eſt in Hebron*: *ædificavit quoque ibi altare Domino.* Perpendendum itaque eſt, quantæ fidei, quantæve devotionis vir iſte Sanctus fuerit, qui pro eo, quod Deo credidit, eíque altaria erexit, cultúmque ejus venerando dilexit, & à Deo benedici, ſeménque ſuum propagari, ac multiplicari, eíque ampliſſima regna terræ dari, & de hoſtibus ſuis triumphum ſibi præberi, nec non & in ſuo ſemine, quod eſt Chriſtus, Gentes, quæ nos ſumus, benedici, & alia, quæ enumerare longum eſt, beneficia promeruit nanciſci.

XVII.

Quod ſi Abraham pro eo, quod Deo altaria erexit, cultúmque ejus veneratus eſt, tot à Deo meritorum prærogativis donatur, dubium non eſt, quin

(*h*) Geneſ. 8. (*i*) Geneſ. 9. (*k*) Geneſ. 12.
(*l*) Ibidem. (*m*) Geneſ. 13.

quin Altarium Sanctorum everſores, & Sacrarum rerum, quibus in eiſdem altaribus Deo famulandum eſt, ſubreptores damnentur. Reverſo igitur eodem Abraham à cæde Regum, quos, Deo ſecum pugnante, ſuperaverat, & egreſſo ſibi obviam Rege Sodomorum, ità de illo in eodem ſequitur libro (n) *At vero Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo Excelſo, qui creavit cœlum & terram, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.*

XVIII.

Quod Melchiſedec Sacerdos Dei Altiſſimi typum geſſerit Chriſti, Catholica ſentit Eccleſia. Quod ei Abraham decimas ex omnibus dedit, ipſius Abrahæ ingentia commendantur præconia. Quem imitantur, qui Sacerdotibus Chriſti ob illius amorem, & honorem decimas dant, & ab illius merito ſequeſtrantur, qui Deo oblatas decimas auferunt.

XIX.

Videamus itaque ſequentia, quibus fides, & devotio Abrahæ quodam admirabili modo incrementatur, qui adeo erga Divinum cultum timorémque Dei flagrando excrevit, & excreſcendo flagravit, ut jubente Domino non ſolum jam altare in honorem Dei conſtruxerit, ſed etiam in eo unigenitum filium ſuum immolare paratus fuerit. Et quod ne filium immolaret, Angelus ei inhibuit, arietem tamen in holocauſtum Deo pro filio obtulit, & propterea audire meruit, ſicut in ſæpe fato libro legitur: (o) *Vocavit autem Angelus Domini Abraham ſecundo de cœlo dicens: Per memetipſum juravi dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non peperciſti unigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli,* & cætera, quæ ſequuntur. Perſpicuum quippe eſt, & valde mirandum, quia, quanto ferventior circa Dei cultum mens Abrahæ fuit, tanto amplius, uberiúſque Divina beneficia, & præſentia, & futura ſibi polliceri audivit.

XX.

Unde datur intelligi, quod amatores, & exaltatores, & ditatores, ſive etiam venatores Divini cultûs, à Domino, & in præſenti ſæculo defendi (p) & exaltari, & in futura mercede æterna merentur donari, & qui ſecus agunt, aut egerint, infernalibus clauſtris mancipari. Deus itaque, ſicut jam ſupra dictum eſt, ſi ea, quæ dedit ſibi, ſuíſque ſacratis locis jubet offerri, & ea quidam auferre non timeſcunt, quid facerent, rogo, ſi Deus illis aut ſemetipſos, aut filios eorum ſibi in holocauſtum juberet offerri? Certè credendum eſt, quod, ſicut in auferendis ſacratis rebus Deo inobedientes exſiſtunt, ità nihilo minus in ſemetipſis offerendis, aut filiis, inobedientes exſiſterent.

XXI.

Audiamus etiam quid Iſaac Patriarcha fecerit, de quo ità in memorato habetur libro. (q) *Aſcendit autem ex illo loco in Berſabee ubi apparuit ei Deus in ipſa nocte dicens: Ego ſum Deus Abraham Patris tui. Noli metuere, quia tecum ſum, & benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham.* Itaque ædificavit altare, & invocato nomine Domini extendit tabernaculum. Attende, quod Iſaac Deus apparere, &, ne metuere debeat, admonere eíque benedicere, ac ſemen ſuum ſe multiplicaturum polliceri dignatus ſit; eique Iſaac altare ædificaverit, tabernaculúmque extenderit. Et perpende, quod pro Dei beneficiis quibus largiente ejus clementia, immeriti, & ingrati ubertim in hac mortalitate utimur, potiùs debeamus Divinum cultum ad inſtar Iſaac, & ceterorum Sanctorum Patriarcharum in altaribus erigendis, &, oblationibus aliisque muneribus offerendis honorare, quam his abſtractis, noſtróque libitu utentes quodammodo dehonorare.

XXII.

Videamus præterea, quomodo religio, de qua agitur, in Jacob Patriarcha amplius exuberaverit, de quo ità in eodem libro legitur: (r) *Igitur egreſſus Jacob de Berſabee pergebat Haran. Cúmque veniſ-*

N

(n) Geneſ. 14. (o) Geneſ. 22.
(q) Geneſ. 26. (r) Geneſ. 28.

(p) tueri C.M.

venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam, stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac; terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo; eritque semen tuum quasi pulvis terræ. Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ: & ero Custos tuus, quocumque perrexeris: & reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi complevero universa, quæ dixi. Cúmque evigilasset Jacob de somno ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pavénsque, quàm terribilis,* inquit, *est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli.* "Surgens verò "manè tulit lapidem, quem supposuerat "capiti suo, & erexit in titulum, fundens "oleum desuper. Appellavítque nomen "urbis Bethel, quæ prius Luza vocaba- "tur; vovit etiam votum, dicens: Si "fuerit Deus mecum, & custodierit me in "via, per quam ambulo, & dederit mihi "panem ad vescendum, & vestimentum "ad induendum, reversúsque fuero pro- "sperè ad domum Patris mei, erit mihi "Dominus in Deum, & lapis iste, quem "erexi in titulum, vocabitur domus Dei, "cunctorúmque, quæ dederis mihi, deci- "mas offeram tibi." Item post pauca: (s) Transivítque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam egressus est Jacob de Mesopotania Syriæ, & habitavit juxta oppidum, emítque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Emor patris Sichem, centum agnis: & erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israël. Imo paulo post; (t) Interea locutus est Deus ad Jacob: surge & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum. Jacob verò convocata omni domo sua ait: Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & fuit socius itineris mei, Et infra: (u) Venit Jacob Luzam quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse, & omnis populus cum eo. Ædificavítque ibi altare, & appellavit nomen loci illius: Domus Dei, ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum. Item infra: (x) Apparuit autem iterum Deus Jacob, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixítque ei dicens: Non vocaberis ultrà Jacob, sed Israël erit nomen tuum, & appellavit eum Israël; dixítque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes, & populi nationum erunt ex te, Reges de lumbis tuis egredientur. Terrámque, quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo; & recessit ab eo. Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus ei fuerat Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum, vocánsque nomen loci illius Bethel. Item post multa: (y) Profectus est Israël cum omnibus, quæ habebat, & venit ad Puteum juramenti. Et mactatis ibi victimis Deo Patris sui Isaac, audivit eum per visionem noctis, vocantem se ac dicentem sibi: Jacob, Jacob. Cui respondit: Ecce, adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus Patris tui, noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te tibi. Ego descendam tecum illuc, & ego adducam te inde revertentem.

XXIII.

Ecce, quomodo (z) major jam in Jacob Divini cultûs amplificatio facta est, qui non solum altaria erexit, oleum desuper fudit, victimas obtulit, & Deo, si prosperè ad propria illum redire fecisset, de omnibus, quæ illi dedisset, decimas & hostias [a] illi daturum promisit, locúmque, ubi in somnis scalam, pertingentem usque ad cœlos, Angelósque per eam descendentes & ascendentes, & Dominum innixum scalæ vidit terribilem, & verè domum Dei ac Portam Cœli esse dixit.

XXIV.

Unde hodie quoque Christiana Religio

(s) Genes. 33.
(t) Genes. 35.
(u) Genes. 35.
[x] Ibidem.
[y] Genes. 46.
[z] quo C.M.
[a] se C.M.

ligio, exemplum sumens ex antiqua Patrum traditione, domos in honorem Dei ædificat, ac dedicat, & altaria erigit, eísque oleum superfundit, ac Sacrosancto chrismate perungit ea, & de factis, dictísque ejusdem Jacob melodiam Christo canit; & à fidelibus oblationes & vota, & pretiosarum, diversarúmque rerum, ad decorem & honorem Divini cultus, Sacerdotum, ceterorúmque Ministrorum Christi usus, pauperúmque receptionem, ac recreationem, suscipit donaria. Qui autem hujuscemodi donaria ad injuriam Dei omnipotentis, templorúmque Sanctorum suorum dehonorationem, & humiliationem, Sacerdotúmque Dei vituperationem auferre præsumit, cujus sit discriminis & damnationis, ut perpendat, salubriter admonemus. Quoniam sicut vobis ejusdem Patriarchæ Jacob apertè demonstratur, cuncta Deo dicata templa & terribilia sunt & Dei habitacula, & verè domus Dei sunt, & portæ cæli. Paveat ergo adinstar Jacob humana præsumptio, ne quoquomodo de tam terribilibus, & sacratis locis violandis sibi proveniat damnatio.

XXV.

Liberato quoque populo Israëlitico de Ægyptia servitute, quid Dominus per famulum suum Mosem, sicut in libro Exodi legitur, (b) præceperit, videamus: (c) *Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël, tam de hominibus, quam de jumentis; mea sunt enim omnia.* Si quærat aliquis, quid sit sanctificare, & ex hoc loco, & ex aliis Divinarum Scripturarum locis diligenter animadvertat, quod nomen Sanctificationis, Dominicæ sit oblationis, atque consecrationis. Sequitur in eodem libro: (d) *Cúmque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi, & Patribus tuis, & dederit eam tibi, separabis omne, quod aperit vulvam Domino, & quod primitivum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexûs, consecrabis Domino.* Notandum, quia quod supradixit, Sanctificare Domino, hic modo dicit: consecrare Domino. Sequitur in eodem libro: (e) *Dixit autem Dominus ad Mosen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Josue. Delebo enim memoriam Amalec sub cælo. Ædificavit* (f) *Moses altare, & vocavit nomen ejus; Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus solii Domini, & bellum Dei erit contra Amalec à generatione in generationem.* Perpende quod famulus Dei Moses ob gratiarum actionem, suíque ac populi Dei liberationem, hostiúmque suorum internecionem, altare Domino erexerit. Et si Moses propter hæc, quæ præmissa sunt, Domino altare erexit, cavendum illis est, qui altaria Domini obruendo dehonorant, & dehonorando obruunt, ne si quando (g) se adversus hostes suos proripiunt, se ipsos eisdem (h) triumphum exhibeant. Sequitur in eodem: (i) *Dixit præterea Dominus ad Mosem: Hæc dices Filiis Israël: Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta, & pacifica vestra, oves vestras & boves, in omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* Nota, quod altare Domino erigentibus, & holocausta immolantibus, adventus Dei & benedictio promittatur. Potest & huic loco aptari illud Evangelicum, (k) quo dicitur: *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Felix porro, & valde felix illa mens est, quæ tanto habitatore lætatur. Quapropter noverint his, quæ paulo supra memorata sunt, contraria agentes, & adventu, & benedictione Dei se indignos usquequaque fore: sequitur in eodem post multa: (l) *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei:* Et infra: *Quod si audiveris vocem Domini Dei tui, & feceris ea, quæ loquor inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedétque te Angelus meus:* Item infra: (m) *Si servieritis Domino Deo vestro, benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.* Vide quæso, quot, quantáve pro primitiis frugum terræ Deo oblatis, & aliis, quæ cominus junguntur, beneficia offerentibus promittantur, & quanta non deferentibus pœna, & maledictio

N 2

(b) Exod. 13. (c) Ibidem. (d) præcipiat C. M.
[e] Exod. 17. (f) Hic incipit in C. M.
(g) *se* omissum est in C. M. & deinde legitur: *illic arma corripiunt.*
(h) hostibus suis triumphum C. M. [i] Exod. 20.
[k] Joannis 14. (l) Exod. 23. (m) Ibidem.

dictio interminetur, ſicut in ſubſequentibus multis in locis perfacilè inveniri poteſt. Sequitur in eodem: (n) *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini: & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël. Miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaverúntque victimas pacificas Domino: aſſuménsque volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt, omnia, quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Quod ſi quærit aliquis, quid mercedis, quídve remunerationis pro altari ædificato, & oblatis holocauſtis, & victimis filii Iſraël nacti ſunt, audiat ſequentia: (o) *Aſcenderunt Moyſes & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de Senioribus Iſraël, & viderunt Deum Iſraël.* Quæ merces, quæ remuneratio cultuum Dei venerantibus poteſt eſſe major, quam Deum ſuum videre, (p) qua ſe videri voluit, & loqui concedit, (q) & eſſe cum Deo ſuo.

XXVI.

Hactenus de altaribus Deo (r) erectis, & ædificatis, & quibuſdam oleo perunctis, de holocauſtis, & victimis, & hoſtiis pacificis Deo oblatis, & primitiis frugum terræ offerendis, & ceteris, quæ enumerare longum eſt, paucis collectum eſt: [s] nunc autem ſubtiliter perpendendum eſt, qualiter religio Divini cultûs ad majora & eminentiora Domino jubente ſuccreſcat. Sequitur enim in eodem libro: [t] *Dixit autem Dominus ad Moyſem: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi: dabóque tibi tabulas lapideas,* [u] *& mandata, quæ ſcripſi, ut doceas filios Iſraël.* Et infra: Ingreſſúsque Moyſes medium nebulæ aſcendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

XXVII.

[x] Locutúsque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: *Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis; aurum, argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum* (y) *& ligna Setim: oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris: lapides onychios, & gemmas ad ornandum Ephod, & rationale: facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum, juxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum ejus.* Qualiter verò ejuſdem Sanctuarii & tabernaculi, omniúmque ad cultum & honorem ejus pertinentium conſtructio Domino præcipiente celebrata ſit, quæve ſanctificata pretioſa Sacerdotum indumenta, necnon & Levitarum, & cetera ad uſus eorum pertinentia, & diverſarum rerum, non aliarum niſi pretioſarum, ingentia, ac multiplicia dona Domino oblata, & ſanctificata ſeu ſacrata ſint, quia hic longum eſt commemorare, ſiquis plenius ea noſſe vult, ſequentia legat; & inquirendo inveniet, quod ea, quæ Deo offeruntur, & ſanctificantur, in jus Sacerdotum cedere jubeantur; & non ſit externorum officii ad ea accedere, aut quemquam ex his aliquid contingere, aut offerre: (z) & qui hoc facere tentaverint, mors ei à Domino comminetur, ſicut habes in libro Levitici: (a) *Siquis externorum acceſſerit, morte moriatur.* Plenum ſane Sacramenti eſt, quod non alibi, niſi in Monte & Lex datur, & Sanctuarium Domini fieri præcipitur. Quid autem & Lex, & Sanctuarium, & Arca, & Tabulæ, & cetera, quæ ibi fieri jubentur, ſignificent, Sanctorum Patrum explanationibus legere & noſſe volentibus copioſiſſimè panditur.

XXVIII.

Sequitur in libro Levitico: (b) *Si peccaverit Princeps, & fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & poſtea intellexerit peccatum ſuum offeret hoſtiam Domino.* Et infra: (c) *Rogabítque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Obſerva, quod quilibet reatus Principis non niſi oblatione Domino facta, & oratione ſalvatur Sacerdotis. Item in eodem: *Anima ſi prævaricans cærimonias per errorem in his, quæ,*

Domi-

(n) Exod. 24.
(o) Ibidem.
(p) ſpecie videlicet C. M.
(q) omittitur *concedit* in C. M.
(r) Domino C. M.
(s) ſit Cod. M.
(t) Exod. 24.
(u) & legem ac mand. C. M.
(x) Exod. 25.
(y) & pelles arietum rubricatos & pelles hyacinthinas C. M.
(z) aufferre C. M.
(a) Levit. 4.
(b) Ibidem.
(c) Levit. 5.

Domino sunt sanctificata, peccaverit offert pro delicto suo hostiam. Et infra: (d) *Ipsumque, quod intulit damni restituet, & quintam partem addet suprà, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo, & dimittetur ei.* Si anima cæremonias Domini prævaricans per errorem in his, quæ Domino sanctificata sunt, peccaverit, expiatione holocausti, & oratione indiget sacerdotis: quid putas de anima illa, quæ non per errorem, sed scienter, & per cupiditatem, & perniciosam præsumptionem in his, quæ Domino sanctificata sunt, peccat, promittitque sibi impunitatem, & jactanter dicit, si ea, quæ sunt Domino Sanctificata abstulerit, hísque ad suum libitum usa fuerit, se nullo modo peccare.

XXIX.

Item in eodem. (e) *Ignis autem in altari semper ardebit; quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* Multum igitur hæc verba legis ponderanda & pertimescenda sunt his, qui unde ignis perpetuus, id est, luminaria in basilicis Deo dicatis concinnari ex fidelium oblationibus debent, auferre præsumunt. Quoniam si (f) filii Aaron, Nadab, & Abiu, qui pro eo, quod per suam negligentiam ignis, qui jubebatur in altari esse perpetuus, extinctus est, & propterea ignem alienum coram Domino offerre præsumpserunt, ob id igne egresso à Domino devorati sunt: merito, quod non sine magno animi mærore prosequimur, horribili morte devorandi sunt hi, qui ignem Domini in basilicis sibi dicatis, & consecratis audacter extinguunt. Et si quæritur, quando illum extinguant, manifestum est, quod, quando illud auferunt, unde idem ignis Domino nutriri debet, tunc illum extinguunt,

XXX.

Quod verò basilicæ Deo dicatæ, & consecratæ loca sint Divina, sint etiam Dei habitacula & omnibus in Christiana religione consistentibus pavenda, & veneranda: & in superioribus jam dictum est, & hic non abs re repetendum est, quia sequitur in eodem libro: (g) *Ego enim sum Dominus Deus vester, custodite Sabbata mea, & pavete ad Sanctuarium meum: Ego Dominus.* His verbis aperte demonstratur, quod ad Sanctuarium Domini potius sit pavendum, quam illud dehonorandum sit, & exspoliandum. Quid autem paventibus ad Sanctuarium Domini, & præcepta ejus servantibus Dominus promittat, sequens sermo demonstrat, ità inquiens: (h) *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem; & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris; dormietis, & non erit, qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. Cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Respiciam vos, & crescere faciam. Multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum, & comedetis vetustissima veterum: vetera, novis supervenientibus, projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Et ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vósque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis: & qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.*

XXXI.

Quid autem Sanctuarium Domini non paventibus, sed potiùs illud contemnentibus, & dehonorantibus, & non facientibus, quæ ab illo constituta sunt, Dominus comminetur. Sequentia manifestant, quæ ita se habent: (i) *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia præcepta mea, si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ à me constituta sunt, ut ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos quoque velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his, qui oderunt vos, fugietis nemine persequente, &* ce-

(d) Ibidem. [e] Levit. 6. [f] Levit. 19.
(g) Levit. 26. (h) Ibidem. (i) Levit. 26.

cetera, quæ latius ſtylus legalis exſequitur. Evidens namque eſt, quod ille populus carnalis, pro eo, quod legem Domini non cuſtodivit; & legis auctorem, Dominum videlicet noſtrum Jeſum Chriſtum, ſibi à Patriarchis & Prophetis promiſſum, non ſolum non recepit, quin immo crucis addixit, hæc quæ à Domino ſibi comminata ſunt, perpeſſus fuit. (*k*) Licet enim eidem populo carnalia & terrena, ſi ea, quæ à Domino conſtituta ſunt, obſervaverint, promittantur, & ſi ea obſervare contempſerint, auferri comminetur; tu tamen, ô Chriſtiane! jam per Chriſti gratiam Spiritalis affectus, cui non terrena & caduca, ſed cæleſtia, & perpetuo manſura promittuntur, niſi, ad Sanctuaririum Dei pavidus fueris, illúdque venerationi, & honori habueris, & ſua offerre non omiſeris; quonam ea, quæ (*l*) idem populus carnalis in temporibus perpeſſus eſt, corpore temporaliter, anima vero in æternis cruciatibus æternaliter te paſſurum, nullo modo dubites.

XXXII.

Item in eodem: (*m*) *Homo ſi voverit domum ſuam, & ſanctificaverit Domino, conſiderabit eam Sacerdos, utrum bona, an mala ſit, & juxta pretium, quod ab eo fuerit conſtitutum, venumdabitur. Sin autem ille, qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum. Quod ſi agrum poſſeſſionis ſuæ voverit, & conſecravit Domino, juxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium.* Et infra: (n) *Si voluerit redimere agrum ille, qui voverat, addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eum. Sin autem noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum, qui voverat redimere, non poterit; quia cum jubilei venerit dies, ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum.* Conſidera prudens auditor, & diligens lector, qualiter augeatur cultus Divinus. Superius namque pretioſa quæque in pecudibus, in auro & argento, & gemmis & ſerico, & ceteris diverſis ſpeciebus ſibi (*o*) Dominus ſuóque Sancto Tabernaculo juſſerat offerri: hic autem jam inchoantur, & domus, & agri Domino conſecrari, & ea, quæ Domino conſecrantur, ad jus pertinent ſacerdotum. Item in eodem: omne quod Domino conſecratur, ſive homo, fuerit, ſive animal ſive ager; non væniet, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. Vide etiam in hoc loco, quid de homine ſibi conſecrato Dominus præcipiat, & perpende, quod homines conſecrari præcipiantur Domino. Item paulo poſt in eodem: *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur.* Et infra: *Bovis, & ovis, & capræ, quæ ſub Paſtoris Virga tranſeunt, quidquid ad decimam venerit, Sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum; nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt, ſanctificabitur Domino, & non redimetur.*

XXXIII.

Hæc ſunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moyſi ad filios Iſraël in monte Sinai. Obſerva, quod & paulo ſuperius de omnibus decimis terra, tam de frugibus, quàm de pomis arborum; hic autem de decimis pecorum Domino offerendis præcepta dentur. Sed & hoc nihilominus vigilantur obſerva, quid concluſio libri Levitici contineat, quæ ità ſe habet: *Hæc ſunt*, inquit, *præcepta, quæ mandavit Dominus Moſi ad filios Iſraël in monte Sinai.* Videtur itaque parvitati noſtræ eadem concluſio, præcedentium Divinorum præceptorum quaſi quoddam firmitatis eſſe ſignaculum. Et ſi parva magni comparari poſſint, ſicut quidam aut Regum, aut Imperatorum, ut ſua ſtatuta vigorem perpetuum obtineant, ſuo ſigillo ea ſubter firmant; ità & Dominus ſua præcepta à ſe conſtituta, & promulgata vera, & minimè violanda eſſe demonſtrat.

XXXIV.

Sequitur in libro Numerorum: (*p*) *Locutus eſt Dominus ad Moſem*, dicens: *Loquere filiis Iſraël; omnes primitiæ, quas offerunt filii Iſraël, ad Sacerdotem pertinent, & quidquid in Sanctuarium offertur à ſingulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipſius erit.* Attende diligenter, Lector, quod & omnes primitiæ & quidquid ad Sanctuarium Domini à ſingulis aut offertur, aut oblatum

(*k*) ſit C. M.
[*n*] Ibidem.
(*l*) quin C. M.
[*o*] *ſibi Dominus* omittit C. M.
(*m*) Levit. 27.
[*p*] Numer. 3.

latum eſt, Sacerdotis ſint, & ad jus ejus pertineant. Item in eodem: (*q*) *Factum eſt autem in die, quâ complevit Moſes tabernaculum, & erexit illud, unxítque & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis altare, ſimiliter & vaſa ejus, obtulerunt Principes Iſraël & capita familiarum, qui erant per ſingulas tribus Præfecti eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino.* Quid autem in dedicatione altaris præcipiente Domino Principes obtulerint, ſequentia ipſius libri demonſtrant. Item in eodem: (*r*) *Locutus eſt Dominus ad Moſem,* dicens: *mea ſunt omnia primogenita filiorum Iſraël, tam ex hominibus, quàm ex jumentis: ex die, quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificavi eos mihi, & tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Iſraël, tradidique eos dono Aaron, & filiis ejus; de medio populi, ut ſerviant mihi pro Iſraël in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne ſit in populo plaga, ſi auſi ſint accedere ad Sanctuarium.* In his Domini verbis duo nobis videntur præcipuè, neceſſarióque conſideranda. Unum, quod idcirco Dominus jubet Levitas ſibi in tabernaculo pro Iſrael ſervire, ut orent pro eis; ad quorum exemplum conſtituti eſſe videntur Sacerdotes Chriſti in Eccleſia, ut contenti oblationibus fidelium orent ad Dominum pro eis. Alterum quo dicitur: *Ne ſit in populo plaga, ſi auſi fuerint accedere ad Sanctuarium.* Dat, non inconvenienter poſſe intelligi eamdem acceſſionem, aliquam circa Sanctuarium temerariam præſumptionem, aut quamlibet ſubreptionem.

XXXV.

Item in eodem: [*ſ*] *Et dixit Dominus ad Moyſen: Uſquequo mihi detrahet populus iſte? Quouſque non credet mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentiâ, atque conſumam.* Et poſt pauca: [t] *Vivo ego,* dicit Dominus, *implebitur gloria Domini univerſa terra: attamen omnes homines, qui viderunt Majeſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto & in ſolitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum.* Hæc verba congruunt his, qui in miniſtris Domini Domino detrahunt, juxta illud, quod Dominus diſcipulis ſuis ait: (*u*) *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit:* Congruunt etiam & ea, quæ ſequuntur his, *Qui errata ſua corrigere promittunt, & quod promittunt, adimplere negligunt.* Unde verendum eſt, ne ſicut ille populus carnalis propter detractiones & tentationes ac murmurationes, & pro eo quod Imperio Domini inobediens extitit, in terram repromiſſionis minimè intravit, ſed potiùs in eremi vaſtitate occubuit; ità populus Chriſti nomine inſignitus, Imperiis Domini inobediens factus, à terra viventium ſit ſecretus. Item in eodem ait Moſes ad populum Iſrael: (x) *Cur transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in proſperum? Nolite aſcendere. Non enim eſt Dominus vobiſcum, ne corruatis coram inimicis veſtris.* His verbis deterrendi ſunt hi, qui cum Dominum ſecum non habeant, jure adverſus inimicos ſuos ſe arma convertere poſſe putant. Prius enim enitendum, & (*y*) diligenter procurandum eſt, ut Chriſtiani Dominum ſecum habeant, quatenus poſtea ſecuriùs, fidentiúſque, imo fortius hoſtes ſuos ſuperare prævaleant. Item in eodem: (z) *Dixítque Dominus ad Moſem & Aaron: Recedite de medio hujus multitudinis & jam nunc delebo eos, cúmque jacerent in terrâ dixit Moſes ad Aaron: Tolle turibulum & hauſto igne de altari mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populum, ut ores pro eis; jam enim egreſſa eſt ira à Domino & plaga deſævit. Quod cum feciſſet Aaron & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit Thymiama; & ſtans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* His verbis declaratur, quantum Dei Sacerdotum deprecatio valeat apud Altiſſimum. Patet quippe, quod hi, per quorum orationem furor Domini placari, & à populo plaga Dei poteſt ceſſare, nequaquam ſunt vituperandi & detrahendi, ſed potiùs propter eum, cujus miniſterium gerunt, honorandi & venerandi. Item in eodem: (*a*) *Locutus eſt Dominus ad Aaron; omnia, quæ ſanctificantur à filiis Iſraël, tradidi tibi, & filiis tuis, pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna.* Et infra: (*b*) *Omnis oblatio & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in*

(*q*) Numer. 7.
(*r*) Numer. 8.
(*ſ*) Numer. 14.
(*t*) Ibidem.
(*u*) Luc. 10.
(*x*) Numer. 15.
(*y*) vigilanter C. M.
(*z*) Num. 16.
(*a*) Num. 18.
(*b*) Ibidem.

in Sancta Sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. Item infra: *Primitias autem, quas voverint & obtulerint filii Israël, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis jure perpetuo.* Item infra: *Omnem medullam olei & vini ac frumenti,* (c) *quidquid offerunt Primitiarum Domino, tibi dedi. Universa* (d) *frugum initia, quæ genuit humus, & deportantur Domino, cedent in usus tuos.* Item infra: *Omne, quod ex voto reddiderint filii Israël, tuum erit: quidquid primum erumpet è vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit.* Item non post multa: *Omnes Primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Israël Domino, tibi dedi ac filiis & filiabus tuis. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi, ac filiis tuis.* Hæc verba Domini contra illos agunt, qui ea, quæ Domino aut offeruntur, aut oblata sunt, ad Sacerdotes Christi [e] pertinere contendunt. Verum, si ea diligenter consideraverint, se non mediocriter errare, immò contra Deum agere reperient.

XXXVI.

In præcedentibus satis abundéque dictum est de diversis Sacrificiis, & diversorum munerum speciebus: de his quæ Dominus sibi offerri jussit, sive de his, quæ populus sponte obtulit, ad tabernaculum Domini, quod typum gerebat futuræ Ecclesiæ Christi. Nunc autem quia jubente Domino populus Israëliticus contemptum Dei in Madianitis ultus est, ità, ut ne unus quidem ex his in bello occubuerit, quid pro gratiarum actione, suáque liberatione Deo pro se pugnanti, & vincenti, suóque Sacerdoti donariorum ad suum sanctum contulerint tabernaculum, videamus. (f) *Dixit,* (g) inquit, *Dominus ad Mosem; Tollite* (h) *summam eorum, quæ capta sunt ab homine, usque ad pecus, tu, & Eleazar sacerdos, & omnes principes vulgi, dividésque* (i) *ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt, & egressi sunt ad bellum, & inter omnem reliquum multitudinem, & separabis partem Domino ab his, qui pugnaverunt, & fuerunt in bello unam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus, & asinis, & ovibus, & dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt.* Quod ità ad jussum Domini Moses fecerit, sequentia demonstrant. *Ecce pars, quæ Domino ad usus sacerdotum de his, quæ capta sunt, oblata est.* Videamus etiam, quid in partem Levitarum de eadem præda, jubente Domino cesserit. Sequitur autem: (k) *De media verò parte, quæ contigerat, reliquæ multitudini, id est de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis & duobus* (l) *triginta sex millibus, & de asinis triginta millibus quingentis, & de hominibus sedecim millibus, tulit Moses quinquagesimum caput, & dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.* Ecce pars Levitarum. Videamus etiam partem Domini, quam populus ob suam liberationem de præda, quam ceperat, ei sponte obtulit: perpendamus, quod Dominus in tabernaculo sancto suo thesaurum sive ærarium (utrumque legimus) habere voluerit: & opponamus eis, qui aurum & argentum, ceteras species pretiosas Domino sacratas in Thesauris sanctæ Dei Ecclesiæ reprehendendo asserunt frustra inesse. Hi ergo videant, quid sequatur. (m) *Cùmque accessissent Principes, exercitus ad Mosem, tribuni & centuriones dixerunt. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostrâ, & ne unus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis domûs Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum. Susceperúntque Moses, & Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus pondus sanctuarii sedecim millia, septingentos, quinquaginta siclos à tribunis, & centurionibus. Unusquisque enim, quod in præda rapuerat, suum erat. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monumentum filiorum Israël coram Domino.* Si populus carnalis de præda hostium suorum, quam cepit, donaria grata Deo obtulit, & his datis, ut pro se oraretur, postulavit, Deumque sibi placabilem fecit, cavendum omninò, immò expavescendum illis est, qui pretioso Christi sanguine

(c) *omittit* C. M. Primitiarum, *& sic legit*: quidquid offerunt filii Israël Domino.
(d) universas frugum primitias. C. M.
[e] non *addit* C. M.
(f) Numer. 31.
(g) Dixit, inquit, Dominus. Incipit Caput XXXVI. C. M.
[h] tolle C. M.
(i) ea C. M. *addit*.
(k) Loco citato.
(l) & de bobus C. M.
(m) Loco citato.

guine sunt redempti, & (n) aliis fidelibus Deo oblata & consecrata, immo sanctificata contra fas auferunt, & in suos illicitos usus retorquent, ne fortè, sicut memoratus populus de donariis, quæ Deo contulit, eum (o) sibi propitium fecit; ità è contrario, quod absit, illi de aliorum Deo, Ecclesiæque Sanctæ suæ oblatis rebus cum sibi iratum faciant, suúmque immensum furorem in se provocent: & quod plurimum pertimescendum est, ejus justo judicio in prædam hostium suorum non solum visibilium, verùm etiam invisibilium incurrant.

XXXVII.

Quod ergo Dominus ad sanctuarium suum inter ceteras species, quas dinumerare longum est, domos, & agros, & servos sibi offerri præceperit, in superioribus jam dictum est; nunc majora & copiosiora, quæ in tabernaculo sancto suo famulantibus Dominus dari jubet, intueamur. (p) *Hæc* (q) *quoque locutus est Dominus ad Mosem in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho: Præcipe filiis Israël, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac jumentis.* Et infra: (r) *Ipsæ autem urbes, quæ dabuntur ex possessionibus filiorum Israël, ab his, qui minus, pauciores, singuli juxta mensuram hereditatis suæ dabunt oppida Levitis.* Quod ità Josue in terra repromissionis fecerit, textus libri illius liquido depromit. Perspicuum sane satis est, & nosse volentibus apertissimum, quod Deus idcirco populo suo de hereditate possessionum suarum domos, & agros, & mancipia, insuper etiam, quod majus est, civitates & suburbana sanctuario suo famulantibus dari præceperit, ut Ministri Sanctuarii sui instantiùs, honestiúsque, atque inexcusabilius sacrum suum cultum exercere, suúmque famulatum potuissent liberiùs explere. Quibus verbis liquidò colligi potest, quod quisquis, (s) quæ alii fideles de hereditate possessionum suarum, ob remedium animarum suarum, Deo ad honorem, & decorem Ecclesiæ suæ, ejúsque ministrorum usus contulerunt, aut abstulerit, aut auferre præsumit, procul dubio aliorum data in suarum animarum convertit pericula. Sequitur enim in eodem: (t) *Hæc sunt mandata, atque judicia, quæ præcepit Dominus per manum Mosis ad filios Israël in Campestribus Moab super Jordanem contra Jericho.* Non est prætereundum, nec negligenter considerandum, quid clausula, vel conclusio libri hujus, id est, Numerorum contineat. Innuit autem, quod ea, quæ præcepta sunt, Dominus præceperit, & facienda decreverit, & ea adimplentibus præmia, non autem adimplentibus diversa supplicia interminatus sit. Sequitur in libro Deuteronomii, in quo, inter cetera multa mandata, quæ Moses locutus est ad filios Israël, ità legitur: (u) *En,* inquit, *propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Dei vestri, sed recesseritis* (x) *à via, quam ego nunc ostendo vobis.* Notandum diligenter est, quod obedientes Divinis præceptis benedictionem; inobedientes verò maledictionem mereantur. Luce enim clariùs constat, quod subreptores Ecclesiasticarum rerum injuriam, & inobedientiam Deo irrogent, suorúmque præceptorum transgressores existant. Unde providendum est, ne hujuscemodi maledictionem, quam legifer proponit, pro benedictione subeant. Qui autem nosse vult, quæ sit eadem maledictio, scrupulosissimè, diligentérque præcedentia, & subsequentia Divinæ legis legat eloquia, & pro certo inveniet, quantum sit terribilis & horribilis, atque pertimescenda sit eadem maledictio. Porro, quod ad locum, quem Dominus elegit, veniendum sit, & quæ offerenda, & ibi offerri decernantur, paulo post subsequentia innuunt: (y) *Ad locum,* inquit, *Moses, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, convenietis, & offeretis in illo holocausta, & victimas vestras, deci-*

O

(n) ne ab C. M. (o) que *annexit* C. M. (p) Num. 35.
(q) *Hæc quoque* incipit Cap. XXXVII. C. M. (r) Ibidem.
(s) ea *addit* C. M. (t) Num. 36. (u) Deuter. 11.
(x) *de via* C. M. [y] Deut. 12.

decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria. Et infra: (z) *Transibitis Jordanem. Et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque ullo timore, habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo. Illuc omnia, quæ præcipio, offeretis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovistis Domino.* Et post pauca: (a) *Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus.* His verbis patenter intelligi datur, quod omnia, quæ ex muneribus præcipua, & pretiosa sunt, sibi Dominus voluerit offerri; & quod si ea, sive, quæ Dominus præcepit, sive ea, quæ ejus populus sua sponte offerre voluisset, non alibi, nisi in loco, quem Dominus elegisset, ut esset nomen ejus in eo, offerri jubeantur, procul dubio ea, quæ Ecclesiæ sunt collata, non alienis, sed ejusdem Ecclesiæ sunt usibus applicanda.

XXXVIII.

Item in eodem; (b) *Cùm voveris votum Domino Deo tuo, non tardaveris reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris!* (c) *Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore locutus es.* Si illi, qui propriâ voluntate Deo votum vovit, & non reddidit, Dominus in peccatum reputabat, quod putas peccatum Domino sibi imputante incurrit, qui aliorum vota voluntariè Domino exhibita auferre præsumit, & tantæ comminationis pœnam non formidat? quia ergo, qui votum vovit, & non reddit, Dominus sibi in peccatum reputat, & quisquis ea, quæ Domino vovit, reddidit ei, nullo modo postea auferre licet; multò minùs ea, quæ alii voverunt, & reddiderunt ei, fas est auferre: (*d*) Quoniam si illi, qui vovit, & non reddidit, in peccatum reputatur, multò magis ille, qui aliorum vota tollit, majus sibi peccatum acquirit. Hæc de quinque libris Mosis congessisse sufficiat. Ceterùm, quicumque pleniùs latiúsque de his, quæ Dominus sibi, suóque tabernaculo, sacerdotibus, & ministris suis offerri, & dari præcipit, scire voluerit, Pentateuchum ejusdem Mosis enucleatim legat, & de his, quæ in hoc opusculo non continentur, quæ utique plena sunt authoritate, ad negotium de quo agitur, adstruendum, & ad stipulandum, patenter reperire valet, quæ huic opusculo ob sui prolixitatem vitandam non inseruntur.

EXPLICIT LIBER I.

[z] Ibidem. [a] Deut. 12. (*b*) Deut. 23.
(*c*) eris C. M. (*d*) Quoniam si illi, qui vovit & non reddidit, in peccatum reputatur, multò magis ille, qui aliarum vota tollit, magis sibi peccatum acquirit. *Hæc omnia omittit C. M.*

SYNODI AQUISGRANENSIS
AD
PIPPINUM, REGEM AQUITANIÆ
LIBER II.

TITULI CAPITUM LIBRI II.

ctus, & ob id perſæpe de hoſtium dominio populus Dei ſit liberatus.

V. *Quid benedictionis Anna, pro eo, quod filium ſuum Domino obtulit, promeruit.*

VI. *Quomodo peccatum, quo in Deum peccatur, ſit accipiendum.*

VII. *Quod ruina Heli Sacerdotis, filiorúmque ejus, non ſolum Sacerdotibus,* (a) *verum etiam Patribus & filiis debitam ſibi reverentiam non exhibentibus, ſit pertimeſcenda.*

VIII. *Quod ſæpe culpa Sacerdotum populi, & populi culpa ruina exſtiterit Sacerdotum.*

IX. *Quid* (b) *raptoribus arcæ Dei, Deíque populi cæſoribus provenerit.*

X. *Quomodo tempore Samuëlis cultus divinus per negligentiam Miniſtrorum collapſus, & per ejus ſtudium, Domino ſe adjuvante, fuerit erectus, & populus ab Idolorum cultura ad divinum cultum revocatus.*

XI. *Quod obedientia, ſecundum verba ejuſdem Samuëlis, præferatur victimis, & holocauſtis.*

XII. *De reprobatione Saül Regis, & electione atque unctione David Regis.*

XIII. *Quanta in veneratione idem David arcam Dei habuerit, & cum quanto honore eam in medio tabernaculo poſuerit, ibíque coram Domino holocauſta & pacifica obtulerit.*

XIV. *Quod in numeratione populi idem David Domino peccaverit, &, monente Gad Propheta, altare Domino conſtruxerit: & oblatis holocauſtis & pacificis, non ſolum reatûs ſui obliterationem, verùm etiam Divinam propitiationem, ac populi nanciſci meruerit liberationem.*

XV. *Quod David voluerit ædificare domum Domino, & cur eam ædificare non poſſet, per Nathan Prophetam inſtructus eſt, jubente Domino.*

XVI. (c) *Qualiter Salomon filius David domum Domini ædificaverit, & cum ingenti gloria dedicaverit: & ſuis atque paternis donariis ſublimaverit.* (d)

XVII. *Quod eadem domus ædificata à Salomone typum geſſerit Sanctæ Dei Eccleſiæ, & quod multa bona ejuſdem domus honoratores adepti, multa quoque ejus dehonoratores ſunt adverſa perpeſſi.*

XVIII. *Quod eadem ſacra domus ab externis gentibus, & Regibus ſit venerata, & multiplicibus donis honorata.*

XIV. *Quod idem templum Dei propter peccata Sacerdotum, & Regum, totiúſque populi, à Chaldæis primùm fuerit deſtructum, & dirutum.*

XX. *De abjectione & humiliatione, & cum feris habitatione Nabuchodonoſor Regis, quam propter ſacrilegium, quod circa templum Dei commiſit, & elationem, quâ contra Deum tumuit, perpeti promeruit.*

XXI. *De recognitione ejusdem Nabuchodonoſor & Dei in ſempiternum viventis laudatione, & glorificatione.*

XXII. *De Balthaſar, qui pro eo, quod Deo ſacrata vaſa ſibi afferri juſſit, ut in eis ipſe & Optimates ejus, & uxores, & concubinæ biberent, eadem nocte regno & vita caruit.*

XXIII. *De ſeptuageſimo captivitatis Iſraëlitici populi anno peracto, populo Dei ad propria reverſo, & ab eis, civitate & templo conſtructo.*

XXIV. *De eodem templo conſecrato, propter peccata Sacerdotum, & Regum, totiúſque populi, ab Antiocho profaniſſimo Rege Græcorum capto, & Idolorum ſordibus polluto, & de ſacratis rebus, quas ab eodem abſtulit templo.*

XXV. *Quod idem templum, expugnatis Antiochi ducibus, Judas Machabæus purificaverit & diverſis muneribus ditaverit, Deóque conſecraverit.*

XXVI. *De horrendâ & inviſibili plaga, quam Antiochus pro eo, quod templum Domini cepit & polluit, & vaſa ſancta inde abſtulit, tormentáque diverſa populo Dei inflixit, perpeſſus eſt.*

XXVII. *Quæ Menelaum pro eo, quod Antiochi Regis ad capiendum, & exſpoliandum templum Domini ductor & conſiliator exſtitit, pœna conſecuta eſt.*

XXVIII. *Quid Heliodorus, Comitéſque ejus, ærarium, id eſt, templum Domini, pecuniis Deo oblatis, & ab aliis depoſitis, exſpoliare tentantes perpeſſi ſint.*

XXIX. *Quòd in locis Deo ſacratis verè ſit Dei virtus, eorúmque viſitator, & adjutor Deus, & venientes ad maleficiendum percutiat & perdat.*

O 2 XXX.

(a) cultum Dei negligentibus *addit* C. M. (b) captoribus C. M.
(c) quod *addit* C. M. (d) in hoc opere proſequi neceſſarium non ſit *addit* C. M.

XXX. Quod Deo oblata, quæ utique sanctificata vocantur, secundum verba Judith, ab his, quorum officii non est, nullo modo auferri, aut contingi fas est.

XXXI. Quod Ozias Rex pro eo, quod sacerdotale ministerium sibi indebitè usurpavit, lepra multari meruit.

PRÆFATIO.

PRæsens opusculum, quod hactenus ex libris Mosaicæ Legis de religione oblatarum Deo, sive offerendarum rerum, quantum Dominus donare dignatus est, breviter congessimus, & abhinc tam de veteri, quod restat, quam etiam de novo testamento, & Sanctorum Patrum documentis congerere, adjuvante Christi gratia, cupimus, ob utilitatem legere volentium, & fastidiosis tædium auferendum, in tribus libellis distinguendum judicavimus. Exactus sit ergo primus, & exordium à libro Jesu Nave sumat secundus.

CAPUT I.

DIxit autem Josue ad omnem Israël: (e) *Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem, sitque civitas hæc anathema: & omnia, quæ in ea sunt, Domino:* Et infra; *Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt, quidpiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint, atque turbentur. Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecrabitis repositum in thesauris ejus.* Nulli quippe dubium est, quin de Jericho civitate subvertenda hæc dicantur. Quapropter observa diligens lector, & curiose auditor, quod duo in his verbis, quæ præmissa sunt, jubeantur. Alterum videlicet, quo cavendum omnino præcipitur, ne de his, quæ Domino consecrata sunt, quidpiam contingatur. Alterum, quo jubetur, quidquid auri vel argenti, ac ferri, omniúmque vasorum æneorum fuerit, Domino consecrari, & in thesauris ejus recondi. Vitandúmque tibi est, ne contingendo ea, quæ Domino consecrata sunt, sis prævaricationis reus, & alii propter te sub peccato sint, atque turbentur; & sagaciter intende, qualiter thesauri Domini, eo jubente, incrementententur. Sed & hoc diligenter observa, ne tuo æstu, & cupiditate ea, quæ in thesauris Domini ei consecrata sunt, auferantur. Quod autem, sicut Josue, Domino imperante, facienda præceperat, postea sint completa, sequentia testantur. *Urbem autem, & omnia, quæ in ea erant, succenderunt, absque argento & auro, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærario Domini consecrarunt.* Qui autem ausu quoque temerario illectus, de his, quæ Domino consecrata sunt, palàm, atque occulte surripere posse arbitratur, exemplo Achan deterreatur; qui æstu avaritiæ succensus de his, quæ Domino consecranda erant, furtim sibi surripuit, pallium scilicet coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum: &, ne deprehenderetur, in tabernaculo suo subfossâ humo, consciis liberis, ac domesticis suis, occuluit, quæ utique Domino consecrata erant. Ob cujus immane facinus quædam pars populi Israëlitici coram hostibus suis cæsa exstitit, & Josue, consulto Domino, hæc audivit: (g) *Surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Israël, & prævaricatus est pactum meum: tulerúntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt sua. Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eósque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultrà vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est.* Nota, quod unius illicitum factum totus Israëliticus populus generaliter fecisse narretur: & quod propter unius facinus in populum Dei Domini (h) indigens comminatio fiat, videlicet, ut nec Deum secum habere, nec coram inimicis suis stare posset, donec ille interiret, qui hujusmodi scelere contaminatus erat. Qualiter verò ipse Achan à Josue applicato sibi Israël per tribus suas, solertissimè examinatus, ac deprehensus, sive reatum suum confessus fuerit, qualiter etiam lapidum grandine occubuerit, & omnia, quæ illius erant, igne consumpta sint, sequentia pandunt. Veruntamen valde pavenda sunt hæc, &

(e) Josue 6.
(h) ingens C. M.
(g) Josue 7.

& omnibus fide Christi insignitis cavenda; ne propter aliorum illicitum, immò sacrilegum factum, nec secum, quod absit, Dominum habeant, nec coram inimicis suis stare prævaleant. Patratores autem tam immanis, immo sacrilegi facti, magnopere cavere oportet, ne propter suam cupiditatem, quam erga res Deo sacratas aut exercent, aut exercere cupiunt, sibi ad instar Achan mortem æternam, aliisque Dei offensam & coram hostibus suis acquirant miserabilem ruinam.

II.

Punito itaque, justo Dei judicio, eodem Achan, continuo, præcipiente Domino, populus Israëliticus de hostibus suis triumphare, quia Dominum jam secum habebat, promeruit, sicut sequentia libri ejusdem Josue manifestant, & ob id ædificatum est altare Domino Deo Israël. Habes igitur ità in eodem libro: (i) *Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israël in monte Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israël, & scriptum est in volumine legis Moysi: Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit, & obtulit super illud holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.*

III.

Quia igitur sunt plerique diversissimis modis argumentantes, & callide percontantes, unde usus de mancipiis, Deo suóque tabernaculò, quod typum gessit Sanctæ Ecclesiæ, delegandis inoleverit: si præcedentia, in quibus satis abunde de hominibus Sanctuario Domini mancipandis, & mancipatis (k) tractatum est, illis non sufficiunt: attendant, qualiter Josue Gabaonitas tabernaculo Domini servituros delegaverit. Ait enim illis, sicut in eodem libro legitur: (l) *Non deficiet de stirpe vestra lingua cædens, aquásque comportans in domum Dei mei.* Et infrà: *Decrevitque in illo die, esse eos in ministerio cuncti populi, & Altaris Domini, cædentes ligna, aquásque comportantes, usque in præsens tempus, in loco, quem Dominus elegisset.* Hi namque Gabaonitæ, eorúmque posteritas, quod in tabernaculo Domini secundum constitutionem Josue deservierint, nec non & in templo, quod postea à Salomone Domino ædificatum, & dedicatum est, habes plenissime in libro Regum. Quod verò sacerdotibus cum populo in captivitatem ductis, & in eadem captivitate per septuaginta annos detentis memorati Gabaonitæ eorumdem sacerdotum obsequio fuerint mancipati, habes in libro Esdræ: (m) *Ubi seorsum sacerdotes, seorsum verò numerantur Levitæ, ad extremum numerantur Nathanæi, numerantur etiam & filii servorum Salomonis.* Nathan quippe Hebraicè, latinè donatus. Nathanæi Hebraicè, latine donati, vel donatitii appellantur. Hi sunt profecto accipiendi memorati Gabaonitæ, quos Josue tabernaculo Domini servituros donavit. Porrò quos vocat in eodem libro Esdræ, filios servorum Salomonis, hi sunt absque dubio intelligendi, quos Salomon ob honorem Divini cultûs templo Domini delegavit.

IV.

Tempore igitur gudicum manifestum est, populum Israëliticum à cultu Divino recessisse, & ab offerendis Deo sacrificiis, & hostiis pacificis, & cæteris, quæ in lege præcepta sunt, diversarum specierum muneribus torpuisse, & ad ritum gentium defecisse. Quoniam ut in libro judicum legitur: (n) *In diebus illis non erat Rex in Israël, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Et ideo ob meritum scelerum suorum, earumdem gentium dominio subjugatum, & diversis tribulationibus, & angustiis afflictum fuisse. Qui sæpe reatum suum agnoscentes, & luctuosis pœnitentiæ gemitibus deflentes per sacrificia Deo oblata, à quibus diu vacaverant, de inimicis suis exstitere victores, sicut, legimus de Gedeon, & Manue. Hæc ideo protulimus, ut magnopere perpendatur, quanti sit discriminis, cultum divinum Deóque sacrificia debita aut negligi, aut dehonorari, & quanti sit solatii contra hostes visibiles, & invisibiles, magníque muniminis, ea rite, & honestè Deo exhiberi. Veremúrque nimium, ne hoc quod dicitur: (*) *Faciebat unusquisque, quod sibi rectum videbatur*, quoquomodo illis valeat aptari, qui res Ecclesiæ aut dant aut accipiunt, & in suos usus contra fas retorquent, & hoc sibi rectum, justúmque videri putant.

 V.

(i) Josue 8.
(k) tractatum est *omittit* C. M.
(l) Josue 9.
(m) 1. Esdræ 2.
(n) Judic. 17.

V.

Legimus itaque in libro Samuëlis primo: (o) *Quia pro eo, quod Anna filium ſuum Samuelem adduxit in domum Domini, quæ erat in Silo, eúmque cum holocauſtis per officium Heli Sacerdotis obtulit Domino, ità ut cunctis diebus vitæ ſuæ ſerviret Domino, idcirco benedictionem* (p) *meruit accipere à Domino.* Nota, prudens lector, quod tabernaculum vocetur hic domus Domini, ſicut habes in eodem libro: (q) *Et abduxit eum, id eſt, Samuelem, in domum Domini in Silo.* At ſi fortè quis quærat, quam benedictionem eadem Anna conſecuta ſit, videat ſequentia: (r) *Aſcendit itaque Anna cum viro ſuo Elcana, ut immolaret hoſtiam ſolemnem, & benedixit Heli Elcanæ, & uxori ejus, dixítque: Reddat Dominus tibi ſemen de muliere hac pro fenore, quod commodaſti Domino, & abierant in locum ſuum. Viſitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios & duas filias, & magnificatus eſt puer Samuel apud Dominum.* Si pro filio & hoſtiis Deo oblatis Anna benedici, & Spiritum prophetiæ, & ſobolem meruit adipiſci; cavendum illis eſt, qui hoſtias ab aliis Deo oblatas auferunt, ut non ſolum maledictionem, ſed etiam extinctionem filiorum ſuorum incurrant, ſicuti quosdam incurriſſe non ambigimus.

VI.

Quod autem ſequitur in eodem libro, nimium eſt terribile. (s) *Si,* inquit, *peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Inter cetera namque peccata, quibus in Deum peccatur, non minimum peccatum exſtat illud, quod cultus Dei contemnitur, aut diminuitur, vel dehoneſtatur: & idcirco tam ingens peccatum modis omnibus eſt cavendum. Quicumque ergo ea, quæ Divino nomini conſecrata ſunt, aufert, in Deum ſe peccare, nullo modo dubitet. Sed & hoc valde eſt terribile, quod Dominus loquens ad Heli Sacerdotem, ita inter cetera inquit: (t) *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Cum multis Deus in operibus noſtris glorificetur, juxta illud Evangelicum: (u) *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Specialiter tamen glorificatur Deus in cultu ſuo, & in his, quæ ei conſecrantur, & ſanctificantur: contemnitur autem ab his, qui in tantam veſaniam prorumpunt, ut illi conſecrata auferre non formident. Quibus valde pertimeſcendum eſt illud, quod ſequitur: (x) *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Magna porro ignobilitas eſt, aliquam Deo in ſuis ſacratis rebus injuriam inferre, & à voluntate & ſervitio ejus ſe disjungere, & hoſtis ſui voluntati & obſequio mancipare.

VII.

Ruina quoque Heli Sacerdotis, filiorúmque ejus, quæ in eodem libro Samuelis ſequitur facta, non ſolum Patribus, ſed etiam filiis eſt pertimeſcenda. Quapropter Patribus ſtudendum eſt, ut filios ſuos indignè atque illicitè agentes congrua invectione corripiant: filiis autem providendum eſt, ne circa ea, quæ Domino aut conſecrata ſunt, aut conſecrantur, illicitum quid gerant. Illicitum dicimus factum, quando ea, quæ illis fas non eſt, à cultu Divino abſtrahunt, & ſine dubio furorem Domini in ſe concitant. Timendúmque valde eſt, ne tandem in auferendis rebus Deo oblatis tale gignatur peccatum, quod non expietur nec victimis, nec muneribus ſicuti pro iniquitate Heli, filiorúmque ejus à Domino dictum eſſe legimus. Unde in eodem libro per Samuelem Prophetam (y) in Heli Dominus loquitur. (z) *In illo die ſuſcitabo adverſus Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum ejus, incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quòd judicaturus eſſem domum ejus in æternum, propter iniquitatem ejus, eo quod noverat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus uſque in æternum.* Attendendum & pertimeſcendum valde eſt, quale ſit facinus, vel flagitium, quod nec victimis, nec muneribus expiari poſſit; & agnoſcendum liquido eſt, quod tam terribilis Divina interminatio, quæ non modo victimis, verum

(o) 1. Reg. 1.
(p) meruerit à Domino *habet* C. M.
(q) Loco citato.
(r) 1. Reg. 2.
[s] Ibidem.
[t] Ibidem.
[u] Matth. 5.
[x] 1. Reg. 2.
[y] 1. Reg. 3.
(z) de C. M.

verum etiam quibuslibet muneribus expiari interdicitur, ex duobus contemptibus nasci nullo modo dubitatur. Uno quidem, quo paterna disciplina erga filios delinquentes, & Deum in suis actibus ad iracundiam provocantes, ex quodam vano carnalis affectûs amore segnior, remissiórque efficitur, & filiorum admissa in semetipsos redundare comprobantur. Altero, quo erga Sanctuarium Dei, Deóque diversa consecrata, ac sanctificata donaria temerario ausu delinquitur; & idem delictum non solum in prælatis, verum etiam in subjectis Divina ultione persæpè vindicatur. Hæc de Heli, filiísque ejus transgredientibus præceptum Domini dicta sint. Ceterum observandum est, & summopere, vigilantérque cavendum, ne factum Heli, filiorúmque ejus, filii Sanctæ Dei Ecclesiæ imitentur: ne forte, quod absit, per eorum imitationem, & ipsi animarum suarum periclitationem incurrant, & per eos totus populus deveniat ad temporalem, & æternam damnationem. Captio denique arcæ Dei, in qua erant tabulæ testamenti, & cetera, quæ Divino præcepto inesse memorantur, propter peccata memorati Heli Sacerdotis, filiorúmque ejus accidisse minimè dubitatur.

VIII.

Populi quoque Dei tam flebilis interemptio, non solum propter Sacerdotum, verum etiam propter sua innumera delicta, quibus cultum Dei nihili ducebant, accidisse manifestum est. Sæpe quippe accidisse legimus culpam Sacerdotum ruinam exstitisse populi, & rursus populi culpam ruinam exstitisse Sacerdotum; sicut apertè liquet, culpam Heli filiorúmque ejus populi exstitisse ruinam, & rursus culpam populi captivitatem exstitisse Sanctorum Prophetarum, Ezechielis videlicet, Danielis, & Jeremiæ, & aliorum multorum Servorum Dei, secundum legis præceptum Deo sincerè, ac religiosè servire volentium, sicut in eorumdem Prophetarum libris facillimè animadverti potest. Capturam porro arcæ Dei, quæ typum gessit capitis nostri Christi, corporísque ejus, Sanctæ videlicet Ecclesiæ, populíque ruinam propter Heli Sacerdotis negligentiam, filiorúmque ejus transgressionem, provenisse, nulli, qui sanum sapit, dubium est.

IX.

Veruntamen, quid ejusdem arcæ Dei captoribus, Deíque populi cæsoribus, provenerit, manifestum est. Si ergo alienigenis propter peccata Sacerdotis, suorúmque filiorum præcepta Dei transgredientium, facta est arcæ Divini testamenti captio, & populi Dei flebilis collapsio, cavendum omnibus, qui Christi nomine censentur, summopere est, ne spreto Sacerdotum Christi ministerio, & cultu ejus parvipenso, propter suam cupiditatem & illicitam præsumptionem, arcam Dei, quam utique cum capite suo Christo unam constat esse personam, eamdem arcam in hostium suorum, quod Deus longe faciat, corruere faciant deprædationem.

X.

Qualiter denique Dei electus Propheta Samuel in cultibus sacris, & in altaribus erigendis, & in holocaustis offerendis, & in populis ab Idolorum cultura ad Divinum cultum revocandis, Deo placuerit, ipsius libri historia legentibus apertè demonstrat. (a) Cujus verbis, & actibus evidenter patescit, quod licet cultus Divinus per Ministrorum insolentiam, & vitiorum enormitatem quodammodo sæpe provenisset collapsus; tamen per clementiam Divinam, & ineffabilem misericordiam, servorum Prophetarum vaticiniis ostensam, fuerit erectus. Unde colligi datur, quod quamquam cultus Divinus impugnatores non solum indigenas, verum etiam externos habeat; numquam tamen Domino gubernante perpetuam desolationem & dehonorationem habebit; quoniam adest, & aderit cultus sui fautoribus, & administratoribus ille, qui dixit: (b) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

XI.

Quantum autem obedientia præferatur victimis & holocaustis, ejus Samuelis Prophetæ verbis apertè demonstratur: (c) *Numquid vult*, inquit, *Dominus holocausta aut victimas*, & *non potiùs*, *ut obediatur*;

(a) Sequentia non leguntur in Cod. M. usque ad: *quod quanquam cultus.*
(b) Matth. 28. (c) 1. Reg. 15.

diatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Jussit enim Dominus sibi suoque tabernaculo diversa donaria, & non alia, nisi pretiosa offerri, & ea penitus non est passus auferri. Ergo offerentes sunt Domino obedientes, auferentes verò procul dubio exstant ei inobedientes, atque repugnantes. Cavendúmque est illis, ne propter suam inobedientiam, immo cupiditatem, peccatum & scelus, quod ipse Samuel commemorat, incurrant.

XII.

(d) *Abjecto itaque atque reprobato propter inobedientiam Saül Rege, David, electione divinâ, à Samuele, Domino præcipiente, ungitur in Regem.* Qui quantæ fuerit fortitudinis, quantæque erga cultum Divinum amplificandum & exaltandum devotionis, jam & in præcedentibus commemoratum est, & hìc succinctim commemorandum.

XIII.

Inter cetera quippe circa Divinum cultum religiosa facta sua, quantæ venerationi arcam Dei habuerit, intueamur: Habes siquidem secundo ejusdem Samuelis libro: (e) *Cúmque transcendissent*, inquit, *qui portabant arcam Domini sex passus, immolabant bovem & arietem, & David percutiebat in organis armizatis, & saltabat totis viribus ante Dominum. Porrò David accinctus erat Ephod lineo. Et David, &* (f) *omnis populus Israël ducebant arcam testamenti Domini in jubilo, & clangore buccinæ.* Et infra: (g) *Et introduxerunt arcam Domini, & posuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat David. Et obtulit David holocausta coram Domino, & pacifica. Cúmque complesset offerens holocaustum & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.*

XIV.

Eumdem porro David in numeratione populi Domini peccâsse, irámque illius in populo sibi subjecto expertum fuisse perspicuum est. Qui cùm vidisset Angelum cædentem populum, memor transgressionis & fragilitatis suæ, dixit ad Dominum: (h) *Ego sum, qui peccavi: ego iniquè egi; isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei. Et monente Gad Propheta, emit aream ab Areuna Jebusæo. Et constructo ibi altari Domino, & oblatis holocaustis & pacificis, & reatûs sui obliterationem & divinam repropitiationem, ac populi promeruit nancisci liberationem*, sicut ibi legitur: (i) *Et repropitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.* Hæc idcirco posuimus, ut animadvertatur, quantum apud Divinam Majestatem valeat, & veneratio Divini cultus, & erectio sacrorum altarium & holocaustorum, & pacificorum, & ceterorum, quæ Domino offeruntur, oblatio, & quantum Deo displiceat eorum ablatio.

XV.

Ferventissima namque ejusdem David erga templum Domini, ejúsque cultum, in tantum excrevit devotio, ut diceret ad Nathan Prophetam: (k) *Vidésne, quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* & cetera, quæ sequuntur. Voluit enim sicut sequentia docent, ardentissimè ac devotissimè domum Deo Israel miræ magnitudinis, & admirandæ pulcritudinis ædificare: sed quia ab eadem ædificatione à Domino est prohibitus, & quod filius ejus, qui egrederetur de utero ejus, Domino sibi revelante, ac pollicente, eamdem domum foret ædificaturus didicit: omnes expensas ejusdem ædificandæ domûs, quas dinumerare longum est, præparavit, nec non & donaria innumera, in diversissimis, ac pretiosissimis speciebus, læto, & alacri animo sanctificavit, & in thesauris illius recondenda consecravit, sicut in Regnorum, præcipuéque Paralipomenon libris habetur.

XVI.

Qualiter autem Salomon filius David potentissimus ac ditissimus Regum domum Domino ex impensis paternis, & copiosissimis sumptibus suis ædificaverit, & cum ingenti gloria dedicaverit, & ea, quæ Pater suus, sive ipse Domino obtulerat,

(d) 1. Reg. 16. (e) 2. Reg. 6. (f) & omnis Domus Israël C. M.
(g) Loco citato. (h) 2. Reg. 24. (i) Loco citato.
(k) 2. Reg. 7.

lerat, & in thesauris ejus recondenda sanctificaverat, & consecraverat, & quid à Domino sibi apparente & pollicente audivit, hic per singula commemorandum subsicivum duximus, præsertim cum legentibus omnia in memoratis libris in promptu habeantur.

XVII.

Quod verò eadem domus typum gesserit Sanctæ Dei Ecclesiæ, nullus sanum sapiens ignorat. Quisquis enim ex asse nosse cupit, quibus muneribus ceteri Reges eamdem honoraverint, & exaltaverint, atque [l] multiplicaverint domum, & ejus cultui debitum exhibuerint famulatum, & quibus præconiis veneratores, & amatores ejus à Domino sint laudati, & de hostium suorum insidiis tuti ac liberati; dehonoratores verò ejusdem templi, & divinorum præceptorum transgressores, quantum à Domino sint reprobati, & ab hostibus suis trucidati; seriem eorumdem librorum diligenter legat, & profecto reperiet, quod nulli Dominicæ domûs dehonoratori, & eorum, quæ Domino oblata sunt, surreptori impunè cesserit. Hæc de Israeliticis justis Regibus, Divini templi honoratoribus, & diversa donaria Domino offerentibus, nec non & de injustis secus agentibus, & ejusdem sacratissimi templi dehonoratoribus, & à cultu Divino se ipsos, populúmque Dei alienantibus, & ad idola gentium convertentibus, breviter congessisse sufficiat.

XVIII.

Idem igitur Deo sacratum templum ab externis gentibus constat esse veneratum, & multiplicibus donis honoratum, sicut habes de Hiram, rege Tyri, & de Seleuco, rege Asiæ, de quo in secundo libro Machabæorum legitur: (m) *Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animas odio habentes mala; fiebat, ut ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ità, ut Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus in ministerium Sacrificiorum pertinentes.* Observa, diligens Lector, quantum memoratum venerabile templum non solum à Principibus & Regibus Divinam legem tenentibus, sed etiam à diversis nationum Regibus eamdem Dei legem ignorantibus propter amorem & honorem Dei, maximis muneribus sit illustratum, & honoratum. Nam & idem templum ad adorandum Dominum, & diversis muneribus honorandum, multos gentilium adiisse, adventus illius Æthiopis (n) quem à Philippo legimus baptizatum, nec non & Reginæ Saba, evidentissimè adstruunt.

XIX.

Propter peccata quoque Sacerdotum & Regum, totiúsque populi, idem templum, quod in magna gloria à Salomone Domino fuerat conditum, & per quadringentos & triginta annos manserat illæsum, immò valde gloriosum, à Chaldæis fuit incensum atque dirutum, & Hierosolymorum urbs destructa, populúsque in Babylonicam captivitatem deductus, & vasa domûs Domini, & quæque in thesauris domûs Domini Domino fuerant consecrata & sanctificata, in Babylonem sunt deportata. Non tamen eadem vasa Domino sacrata Nabuchodonosor Rex profanus in suos præsumpsit retorquere usus; sed ea in locis (o) præcipuis, in delubris videlicet Deorum suorum, quæ apud illum magnæ habebantur venerationi, & religioni, servanda reposuit. Sciendum vero est, quod pro eo, quòd templum Domini incendit, vasa Domini in Babylonem transtulit, populo Dei captivitatem inflixit, ei ullo modo impunè non cessit. Quoniam & propter hoc factum, & pro eo, quod gloriam, & potestatem, & honorem Regni sui non Deo, sed sibi tribuit, cælicam vocem audivit, quæ ita facta est: (p) *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex; Regnum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis, ferísque erit habitatio tua: fenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Eadem horâ sermo completus est super Nabuchodonosor, & cuncta, quæ dicta ei fuerant, provenerunt, sicut sequentia testantur.

P XX.

(l) amplificaverint C. M. [m] 2. Reg. 5. 2. Mach. 3. [n] Act. 8. 3. Reg. 10.
[o] præcipuis *omittit* C. M. (p) Daniel. 4.

XX.

Sed quia propter sacrilegium, quod circa templum Domini patraverat, & suam magnam elationem, quâ contra Dominum superbiendo tumuerat, & Danielis Prophetæ consilium, suæ saluti commodum, audire contempserat, quibus ei orsus est: (q) *Quamobrem Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime & iniquitates tuas misericordiis pauperum: fortè ignoscet Deus delictis tuis: tantam promeruit abjectionem, ut etiam cum bestiis, & feris esset habitatio ejus, & fenum ùt bos comederet.* Videamus, quid post transactum abjectionis suæ tempus idem Nabuchodonosor humiliatus dixerit:

XXI.

(r) *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi & glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna & regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt; juxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei, decorémque perveni; & figura mea reversa est ad me, & Optimates mei, & Magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia mea amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico Regem cæli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potens est humiliare.* Calicem præterea furoris Domini, qui secundum vaticinium Jeremiæ Prophetæ propinatus est gentibus, adversantibus videlicet Israëlitico populo, & à testamento Dei procul secretis, eumdem Nabuchodonosor in memorata abjectione plerique bibisse arbitrantur. Unde legitur in Jeremia Propheta: (s) *Et post eos bibet Sesach.* Sesach enim Nabuchodonosor fuisse Doctores nostri intelligunt. Quodsi Nabuchodonosor tanti sacrilegii, tantæque arrogantiæ, tantæ etiam impietatis Rex, propter suam humilem recognitionem, ad honorem, decorémque regni sui pervenire, suóque regno restitui, & magnificentiam, Domino tribuente, ampliorem sibi addi promeruit; liquet profectò, & indubitanter accipi potest, quod hi, qui res Deo sacratas in suis audacter abutuntur usibus, si ad tempus sibi prospexerint, & dignam Deo recognitionem illicitorum factorum suorum humiliter fecerint, veniam delictorum suorum possint promereri, & non solum in hoc sæculo temporaliter à Domino exaltari, verùm etiam in futuro æternaliter remunerari. Si autem hoc facere præpropere detractaverint, verendum est illis, ne adinstar Nabuchodonosor cum feris bestiis, id est cum immundis spiritibus, de quibus Psalmographus ait: (t) *Ne tradas Domine bestiis animas confitentium tibi;* sit eorum sine fine habitatio.

XXII.

Porro Baltassar, qui filius Nabuchodonosor fuisse describitur, vino deditus, in tantam prorumpere ausus est superbiam, suæque salutis inimicam, immò sacrilegam præsumptionem; ut in convivio suo Deo sacrata vasa ad libitum suum juberet adferri, ut biberet in eis ipse & optimates ejus, uxores, & concubinæ ejus, & collaudaret Deos suos, & ob id ad suum interitum, articulum scribentis prospexit in pariete, & eadem nocte, Medis, & Persis se se obsidentibus, regno cum vita caruit, sicut verba Danielis Prophetæ de eo, & adversus eum testantur, quæ ita habent: (u) *O Rex! Deus altissimus regnum, & magnificentiam & gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor Patri tuo. Et propter magnificentiam quam dederat ei, universi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum. Quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Quando autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est.* Et infra: (x) *Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: sed adversus Dominatorem cæli elevatus es, & vasa domus ejus allata sunt coram te: & tu, & Optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ, vinum in eis bibistis: Deos quoque argenteos & aureos, & æneos, ferreos, ligneósque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sen-*

(q) Dan. 4.
(r) Ibidem.
(s) Jerem. 25.
(t) Psalm. 73.
(u) Dan. 5.
(x) Danielis 5.

ſentiunt, laudâſti: Porro Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificâſti. Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manûs, quæ ſcripſit hoc, quod exaratum eſt. Et paulò poſt: (y) *Eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus: Et Darius Medus ſucceſſit in regnum.* Si Baltaſſar pro eo, quod vaſa Domini ſibi afferri juſſit, ut in eis biberet, quæ utique poſtea ad imperium Cyri Regis Perſarum templo Domini ſunt reſtituta, & regno privari & morte meruit multari; quid putas de illis erit, qui non ſolum ſancta vaſa, verum alias Deo ſanctificatas res ſuis applicant uſibus? Quapropter obſervandum eſt illis, ne, quod abſit, adinſtar Baltaſſar, & præſentis, & futuræ vitæ habeant mortem.

XXIII.

Septuageſimo itaque captivitatis Iſraëlitici populi anno peracto, orantibus Daniële, & aliis Prophetis, idem populus, ſicut Dominus per Jeremiam (z) Prophetam prædixerat, permittente eodem Cyro Rege Perſarum, ad propria eſt reverſus, & omnia vaſa templi Domini, quæ Nabuchodonoſor aſportaverat, ad idem templum ſunt relata, & ab his idem templum, & civitas ad priſtinum ſunt reſtaurata ſtatum, adjuvantibus illis, & hortantibus, ut idem templum & civitatem reſtaurarent, Aggæo, & Zacharia Prophetis eximiis; & præfuerunt eidem operi Zorobabel de Regio, & Jeſu de ſacerdotali ſemine.

XXIV.

Hoc igitur templum ſtabile permanſit per trecentos quadraginta ſex annos. Quod rurſus propter peccata Sacerdotum, & Regum, atque populi, Antiochus profaniſſimus, & impuriſſimus Rex Græcorum, fraude capta Jeruſalem, ſordibus idolorum polluit, auferens inde Altare Domini aureum, menſam propoſitionis, candelabrum luminis & cetera vaſa templi aurea, quæ invenire potuit, & alia plura in eodem templo polluendo, & exſpoliando, populúmque Dei acriter affligendo, & interficiendo patravit, ſicuti in ſecundo Machabæorum libro legitur. Non tamen prætereundum eſt, quod de eodem Antiocho in eodem libro legitur. ſequitur enim ibi: Nec iſta eidem ſufficiunt Antiocho. "Auſus (a) eſt enim intrare templum univerſâ terrâ Sanctius, "Menelao ductore, qui legum & Patriæ "fuit proditor, & ſceleſtis manibus ſumens ſancta vaſa quæ ab aliis Regibus, "& civitatibus erant poſita ad ornatum "loci & gloriam, contrectabat indigne. "Ità alienatus mente Antiochus non conſiderabat, quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Dominus "fuerat iratus, propter quod & accidit "circa locum deſpectio. Alioquin niſi "contigiſſet, eos multis peccatis eſſe involutos, ſicut Heliodorus qui miſſus à "Seleuco Rege ad exſpectandum ærarium, "etiam hic ſtatim adveniens flagellatus, & "repulſus utique fuiſſet ab audacia. Verùm non propter locum gentem, ſed "propter gentem locum Deus elegit. "Ideoque & ipſe locus particeps factus "eſt populi malorum, poſtea autem fiet "ſocius & bonorum. Et qui derelictus "eſt in ira Dei omnipotentis, iterum in "magni Domini reconciliatione eum ſumma gloria exaltabitur.

XXV.

Qualiter namque Judas Machabæus idem templum purificaverit, & ditaverit, Deóque conſecraverit, habes in eodem libro.

XXVI.

Quid vero idem profaniſſimus Rex Antiochus pro contaminatione ejuſdem Sacratiſſimi templi, Sacrorúmque vaſorum aſportatione, & ceteris malis, quæ ſive erga memoratum templum, ſive erga populum Dei exercuit, perpeſſus ſit, videamus: (b) *Qui univerſa conſpicit Dominus Deus Iſraël, percuſſit eum inſanabili, & inviſibili plaga. Ut enim finivit hunc ſermonem, apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta.* Et poſt pauca: *Iſque, qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanam modum ſuperbiâ repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere; nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans, ità ut de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus*

P 2

[y] Loco citato.
[z] Jerem. 27.
[a] 2. Machab. v. 15.
(b) 2. Machab. 9.

ejus effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus gravaretur, & qui paulò ante ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Et infra: (c) *Et cum nec ipſe fœtorem ſuum jam ferre poſſet*, ità ait: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Et poſt pauca: (d) *Templum etiam ſanctum, quod prius exſpoliaverat, optimis donis jam ornaturum, & ſancta vaſa muliplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis ſe præſtaturum pollicitus eſt.* Iterum non poſt multa: (e) *Igitur homicida, & blaſphemus peſſimè percuſſus, & ut ipſe alios tractaverat, peregre in montibus* (f) *miſerabili obitu functus eſt.* Horrenda planè, cunctiſque mortalibus eſt pertimeſcenda mors tam terribilis ſceleſtiſſimi Regis Antiochi, qui pro eo, quod auſus eſt templum intrare, & contaminare, & vaſa Deo ſacrata inde auferre, atque ſceleſtis manibus Sancta vaſa, quæ ab aliis Regibus ad ornatum loci, & gloriam Deo fuerant oblata, indignè contrectare, & in ſuos nefandiſſimos uſus convertere, juſto Dei judicio tam horribili morte meruit occumbere. In cujus interitu ſagaciter animadvertendum, quod Deus omnipotens invaſionem vel oblationem ſibi oblatarum rerum inultam nec dimiſit, nec dimiſſurus ſit. Quædam tamen, ut in ſuperioribus jam dictum eſt, in præſenti ulciſcitur ſæculo, quædam verò ulciſcenda in futuro reſervat ſæculo.

XXVII.

Quæ igitur (g) Menelaum ductorem, & hortatorem memorati Regis Antiochi ad exſpoliandum templum Domini, & vaſa Deo ſacrata auferenda (qui utique proditor legum, & patriæ ſcribitur exſtitiſſe) digna, congruáque ſit pœna ſubſecuta, ſequentia pandunt, quæ ità ſe habent: (h) *Anno centeſimo quadrageſimo nono cognovit Judas Antiochum* (i) *Eupatorem venire cum multitudine adverſus Judæam, & cum eo Lyſiam procuratorem, & præpoſitum negotiorum.* Et poſt pauca: (k) *Commiſcuit autem ſe illis, & Menelaus, & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in principatum. Sed Rex Regum ſuſcitavit animos Antiochi in peccatorem, & ſuggerente Lyſia, hunc eſſe cauſam omnium malorum, juſſit, ut eis eſt conſuetudo, comprehenſum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum undique habens cineris. Hæc proſpectum habebat in præceps. Inde in cinerem ejici juſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. Et quidem ſatis juſtè: nam quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cujus ignis & cinis erat Sanctus: ipſe in cinere* (l) *morte damnatus eſt.* Notandum, quod Menelaus ideo ſacrilegus dicitur, pro eo quod Antiocho ductor exſtitit, & ut ſacra vaſa templi auferret, conſilium dedit. Nam & pro eo, quod circa aram Domini in multis deliquerat, tam exitiabili morte perierat. Cujus exemplo deterrendi ſunt, non ſolùm hi, qui circa aram Dei ad ſerviendum Domino, eique miniſtrandum, verùm etiam hi, qui aliàs propter ſuam explendam cupiditatem, in auferendis Deo ſacratis rebus conſilium dant, & exhortatores fiunt, & facientibus impunitatem promittunt; ut ſe modis omnibus compeſcant. Ne tam mortis atrociſſimæ Menelai, quod abſit, participes exiſtant.

XXVIII.

Qui autem ærarium Domini id eſt templum ejus, pecuniis aut Deo oblatis, aut ab aliis depoſitis (m) exſpoliari impune poſſe, & debere arbitrantur, perpendant, quid Heliodorus, ſuíque Comites, eique parentes Hieroſolymam advenientes, ut ærarium Domini pecuniis exſpoliarent, ab equo cæleſti, ejúſque terribili ſeſſore, nec non & cœlicolis juvenibus duobus perpeſſus ſit; de quo ità habes in eodem libro Machabæorum ſecundo: (n) *Cum veniſſet Heliodorus Hieroſolymam, & benignè à ſummo ſacerdote in civitate eſſet exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum: & cujus rei gratia adeſſet, aperuit. Interrogabat autem, ſi verè hæc ità eſſent. Tunc ſummus Sacerdos oſtendit, depoſita eſſe hæc, & victualia viduarum, & puppillorum.* Et infra: (o) *De-*

(c) 2. Mach. 9.
(d) Ibidem.
[e] Loco citato.
(f) vita addit C. M.
(g) pœna *addit* C. M. in C. M. legitur anno autem 40mo 9no.
[h] 2. Mach. 13.
(i) Eupatoris C. M.
(k) 2. Mach. 13.
(l) morte *omittit* C. M.
(m) expoliandum habet C. M.
(n) 2. Mach. 3.
(o) Ibidem.

Decipi verò eos, qui credidissent loco & templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctione, omnino impossibile esse. Et infra: (p) *Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat, eodem loco ipse eum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam: ità ut omnes, qui ausi fuerant ei parere, ruentes Dei virtute & in dissolutionem & formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus. Isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eúmque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifestâ cognita Dei virtute. Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus,* (q) *atque omni spe & salute privatus. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificavit locum suum, & templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitiâ impletum est. Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, & vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. Considerans autem summus Sacerdos, ne fortè Rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. Cúmque summus Sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti adstantes Heliodoro dixerunt: Oniæ Sacerdoti gratias age, nam propter eum tibi Dominus vitam donavit. Tu autem à Deo* (r) *flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei, & potestatem. Et his dictis non comparuerunt. Heliodorus autem hostia Deo oblata, & votis magnis promissis* (s) *ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad Regem. Testabatur autem omnibus ea, quæ sub oculis suis viderat, opera magni Dei. Cum autem Rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel mitti Hierosolymam, ait: si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco verè sit Dei quædam virtus. Nam ipse, qui habet in cœlis habitationem, visitator & adjutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.*

XXIX.

De his itaque, quæ erga Heliodorum, Domino in suo ærario suam injuriam suámque dehonorationem ulciscente, gesta sunt, multa posuimus: quoniam ea ad eorum audaciam, & pestiferam præsumptionem reprimendam, qui loca Deo dicata exspoliare non metuunt, valde necessaria prævidimus. Quibus scire & summopere discere convenit, quod in locis Deo dicatis verè virtus Dei sit, eorúmque visitator, & adjutor Deus sit, & venientes ad malefaciendum percutiat ac perdat.

XXX.

Quod verò Deo oblata, quæ utique Sancta vocantur, ab his, quibus officium non est, auferri, immo contingi, fas non sit, verba Judith loquentis ad Holophernem patenter innuunt, quæ ità inquit: (t) *Denique hoc ordinant ut interficiant pecora sua, & sanguinem eorum bibant, & Sancta Domini Dei sui, quæ præcepit non contingi; in frumento vino, & oleo, hæc cogitaverunt impendere, & volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere. Ergo quoniam hæc faciunt, certum est, quod in perditionem dabuntur.* At si forte quispiam quærat, ex qua auctoritate Judith hæc verba protulerit, legat diligenter Leviticum, & ceteros veteris testamenti libros, in quibus Domino consecrata ab exteris contingi prohibentur, & manifestè inveniet, unde eadem verba sumpserit.

XXXI.

(u) Ozias interea Rex, pro eo, quod officium sacerdotale, quod solummodo ad jus pertinebat sacerdotum, arripere præsumpsit, illico lepra mulctatus est, & terræ motus tam illicitum, tamque sacrilegum ejus factum subsecutus est: qui etiam usque ad diem mortis suæ leprosus permansit. Hanc igitur lepram

(p) 2. Mach. 3.
(q) atque omni spe & salute privatus *omittit* C. M.
(r) ab eo C. M.
(s) promisit C. M.
(t) Judith, 11. 11.
(u) 2. Paral. 26.

lepram, quam Ozias propter suam temerariam præsumptionem, & alterius officii illicitam arreptionem in corpore usque ad diem obitûs sui sustinuit, cavere oportet eos, qui ea, quæ ad suum ministerium non pertinent, auferre non pertimescunt: ne forte, quod absit, in anima eamdem lepram miserabiliter sustineant.

Plura quidem de Sanctorum Prophetarum dictis, & hagiographorum libris testimonia huic opusculo subnectenda fuerant, quæ evidenter negotio, (x) de quo agitur, multifarie (y) adstipulantur: sed ob prolixitatem vitandam, prætermittenda nobis visa sunt, quæ tamen (z) de veteri testamento brevitatis studio posuimus, vestræ sapientiæ sufficientia fore credimus. Sed quia juxta Apostolum, ea, quæ carnali populo in figura contingebant, & scripta sunt propter correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt; (a) nos, qui jam per Christi gratiam Spiritales effecti sumus, debemus ea Spiritali ratione discutere; & qualiter illud templum judaicum typum gesserit Ecclesiæ Catholicæ, & conditor illius Salomon, qui interpretatur pacificus, personam redemptoris nostri Christi veri & summi Regis pacifici designaverit, in sequenti opusculo ex Sanctorum Patrum eloquiis demonstrare.

SYNODI AQUISGRANENSIS
AD
PIPPINUM REGEM
AQUITANIÆ
LIBER III.

TITULI CAPITUM LIBRI III.

I. Quod Salomon, ædificator judaici templi, redemptoris nostri, & templum, quod ædificavit, typum gesserit Catholicæ Ecclesiæ.

II. Quod idem Rex noster pacificus Christus Ecclesiam in hoc sæculo, quod per septem dies evolvitur, construat, & in futuro id est, in octavo die eam dedicaturus sit.

III. Quod duæ sint confusiones, una in præsenti, altera in futuro sæculo: una, quæ per pœnitentiam remedium capit, altera, quæ alteram pœnam flebiliter incurrit.

IV. Qualiter Ecclesia Christi ab exordio nativitatis suæ cœperit crescere, dilatari, ac propagari, & fidelium oblationibus munerari.

V. Quod caput nostrum Christus oblata fidelium suscepisse non ambigitur.

VI. Quod, qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparetur.

VII. Quod idcirco Dominus, & redemptor noster loculos habere voluerit, eo quod Ecclesia ipsius loculos habitura esset.

VIII. Quod juxta beati Hieronymi documentum, qui stipe templi, & his, quæ conferuntur in usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus expleant suam voluntatem, similes sint scribarum & sacerdotum redimentium mendacium, & sanguinem Salvatoris.

IX. De unguento, quo mulier corpus Domini (b) *unxit.*

X. De vidua duas (c) *in Gazophylaicum stipes mittente, & quid sit Gazophylaicum?*

XI. Quid respectio Domini in Gazophylaicum significet?

XII. Quod Dominus & Redemptor noster dehonorationem templi sui fieri non velit, factum ejus demonstrat, quando flagello adhibito vendentes, & ementes de templo ejecit.

XIII. Quod expositio beati Hieronymi valde sit terribilis, quam digessit de expulsione ejusdem templi, quam Dominus & Redemptor noster mirabilem (d) *fecit.*

XIV.

(x) negotium C.M. (y) adstruunt C.M.
(z) in C.M. *legitur*: brevitati studendo posuimus, sufficientia vestræ magnitudini fore suppliciter flagitamus.
(a) 1. Corinth. 10. [b] perunxit C.M. (c) nummos *addit* C.M.
(d) mirabiliter C.M.

XIV. Quod licet Ecclesia Christi propter peccata nostra diversis temporibus, diversisque modis sæpe expugnata, numquam tamen à Christo sit deserta.

XV. Quid beatus Hieronymus de his, qui possessiunculas Ecclesiæ, & ea, quæ in Dei donaria collata sunt, vertunt in lucrum suum, in expositione Sophoniæ Prophetæ dicat.

XVI. Quid idem in expositione ejusdem prophetæ sentiat de his, qui de rapinis & nudatione miserorum offerunt sacrificia, & Eleëmosynis ex iniquitate putant se redimere peccata.

XVII. Quid idem doctor in expositione Isaïæ Prophetæ de his, qui plebem sibi subjectam atterunt, & rapina pauperum in domibus eorum est, (e) quando Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias, & publicas stipes quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel filiis distribuunt.

XVIII. Quid significet, quod Dominus & Redemptor noster templum Hierosolymitanum statutis temporibus adierit, ibique docuerit, signa multa fecerit, & cetera, quæ sacra testantur Evangelia.

XIX. Quomodo Ecclesia Christi post ejus Passionem & Resurrectionem, & ad cælos Ascensionem (f) per Apostolos roborata & propagata, atque fidelium oblationibus sit ditata, & exornata.

XX. Quod ad prædicationem beati Petri, (g) per Apostolos Ecclesia in Christum cœpit credere, & crescere, ac multiplicari & in exordio sui inchoaverit vota fidelium suscipere.

XXI. Quod Ananias, suáque uxor, pro eo, quod de propriis rebus, quas Deo voverant, aliquid abstraxerunt, vel (h) defraudaverunt, horribili morte multati sunt.

XXII. Quod Herodes parricida, & sceleratissimus Rex, ut cetera ejus mala omittantur, pro eo quod Sacerdotes Domini interemit eorúmque ministerium, & ea quæ ad cultum (i) Domini consecrata erant, surripuit, credatur meruisse, & ab angelo percuti, & à vermibus depasci.

XXIII. Quod Ecclesia Christi per successores Apostolorum, sub orthodoxis imperatoribus, & regibus ac principibus, ceterísque fidelibus sua vota Deo offerentibus exaltata sit, ditata, ac sublimata.

XXIV. Quod multa Sanctorum Patrum Latinorum, atque Græcorum documenta prætermittantur, quæ res Deo dicatas atque sacratas impune auferri non posse testantur.

XXV. Quod apertè Canones sacri auferendarum rerum Ecclesiasticarum inhibeant audaciam.

XXVI. De duobus Capitulis (k) Gangrensis Concilii, quibus Deo oblata accipi, & dari prohibentur.

XXVII. In calce hujus operis sit ad Dominum Regem allocutio sacerdotum humilis atque fidelis.

PRÆFATIO.

IN fine præcedentis libelli nos promisisse meminimus, quód in hujus exordio (*l*) prout Deus posse dedisset, ex Sanctorum Patrum oraculis breviter ostenderemus, quod templum Domini, quod à Salomone ædificatum, & dedicatum Domino est, figura fuerit catholicæ Ecclesiæ per universum orbem diffusæ, & conditor illius Salomon Rex personam gesserit Christi, quod quidem nos, Domino favente, adimplere conamur. Salva quippe super hac re ceterorum Sanctorum (*m*) eximiorum Patrum expositione, quorum dicta in subsequentibus ponenda sunt, quid venerabilis, & modernis temporibus doctor admirabilis Beda presbyter de sæpe memorato templo in expositione Evangelii Joannis sentiat, videamus.

CA-

(*e*) & C. M. (*f*) post Apost. C. M. (*g*) post Apost C. M.
(*h*) defraudati sunt C. M. (*i*) domus *addit* C. M. (*k*) Gangrensi C. M.
(*l*) *In C. M. sic legitur*: Templum Domini, quod à Salomone ædificatum & Domino dedicatum est, figura fuerit Catholicæ Eccl. per universum orbem diffusæ, & conditor illius Salomon Rex personam gesserit Christi, prout Deus posse dedisset ex Sanctorum Patrum oraculis breviter ostenderemus. Quod quidem nos Domino favente adimplere conamur.
(*m*) & *addit* C. M.

CAPUT I.

" Ait enim inter cetera : Salomon " Rex , qui interpretatur paci" ficus , ipſum redemptorem noſtrum " typicè deſignat. De quo Iſaïas ait (*n*) " *Multiplicabitur ejus imperium , & pacis non* " *erit finis.* Templum quod ædificavit , " Catholica ejus Eccleſia eſt , quam de " univerſis per orbem credentibus, quaſi " de vivis lapidibus , unam ſuæ fidei , " & caritatis compagem , aggregat. Hæc idem Beda (o) dixit.

II.

Ceterum ſciendum eſt , quod Rex noſter pacificus Chriſtus , qui per crucem paſſionis ſuæ (*p*) purificavit omnia , quæ in cœlis , & quæ in terra ſunt , & qui eſt vera pax noſtra , faciens utraque unum , eamdem Eccleſiam ſuam per ſeptem annos , id eſt , per ſeptem dies, quibus omne ſæculum evolvitur in hac mortalitate , ædificat ; quam octavo anno , id eſt , reſurrectionis tempore dedicaturus eſt , quando ſcilicet mortale noſtrum induerit immortalitatem : (*q*) quando electis ſuis dicturus eſt : (*r*) *Venite benedicti Patris mei , percipite regnum , quod vobis paratum eſt ab origine mundi: quia eſurivi , & dediſtis mihi manducare , ſitivi , & dediſtis mihi bibere ; hoſpes eram , & collegiſtis me ; nudus , & operuiſtis me ; infirmus, & in carcere , & veniſtis ad me.* Hanc pro certo benedictionem audituri ſunt , qui in membris Chriſti ſua largiti ſunt Chriſto. Quid ergo putas audituri ſunt hi , qui aliorum largita , & ad honorem Eccleſiæ decorémque , & ad uſus Miniſtrorum Chriſti, pauperúmque receptionem , ac recreationem collata , auferre non erubeſcunt ? Quia ergo valde terribile eſt , quod audituri ſunt , caveant , dum ſibi vivere conceditur , ne pro tamen felici benedictione percipiant maledictionem , & illam æternam confuſionem , de qua David Propheta ſe liberandum Dominum (*s*) deprecabatur , dicens : (*t*) *In te Domine ſperavi , non confundar in æternum. &c.*

III.

Confuſiones namque duas eſſe legimus ; unam temporalem , per quam omnis peccator pœnitendo (*u*) & lugendo Domino ſe peccaſſe confunditur : alteram æternalem , & ſine fine manſuram , quam hi , qui à ſiniſtris erunt , audituri ſunt , quibus dicetur : (*x*) *Diſcedite* (y) *à me maledicti in ignem æternum , qui paratus eſt diabolo , & angelis ejus.* Qui hanc maledictionem , & æternam confuſionem non pertimeſcit, (*z*) nimis ferrei pectoris exiſtit. Quamobrem filiis Eccleſiæ vigilanter ſatagendum eſt , ut eamdem benedictionem à Chriſto audire , ab amicis , id eſt , pauperibus Chriſti , in æterna tabernacula recipi , & æternæ beatitudinis felicitate valeant ſine fine perfrui.

IV.

Qualiter porro Eccleſia Chriſti ab exordio nativitatis ſuæ cæperit creſcere , dilatari ac propagari , & fidelium oblationibus munerari , in ipſo capite noſtro Chriſto intueamur.

V.

Idem namque caput noſtrum Dominus ac Redemptor noſter Jeſus Chriſtus , qui cum ſit cœli & terræ creator , omniúmque bonorum largitor , oblationes tamen fidelium ſuſcepiſſe non ambigitur , unde erant nummi , quos miſer Judas , & non miſerabilis , furabatur , & idcirco non qualiſcumque fur , ſed fur ſacrilegus dicitur , qui adeò nummos avare dilexit , ut pro nummis Dominum , & Magiſtrum ſuum proderet; de quo beatus Auguſtinus in homilia quadrageſima octava Evangelii Joannis ità dicit : " *Ecce inter Sanctos eſt Judas ; ecce fur eſt Judas ; & ne contemnas , fur ſacrilegus , non qualiſcumque fur : fur loculorum , ſed Dominicorum ; loculorum , ſed Sacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcumque furti , & peculatûs : (peculatus enim dicitur furtum de re publicâ) & non ſic judicatur furtum rei privatæ , quomodo publicæ ; quanto vehementius judicandus eſt Sacrilegus fur , non undecumque* (a) *tollens , ſed de Eccleſia tollens.* (b)

VI.

Qui aliquid de Eccleſia furatur , judæ perdito comparatur. Nota quod aliquid de

(*n*) Iſai. 9. (*o*) dixerit C. M. (*p*) pacificavit C. M.
(*q*) *addit C. M.* & corruptibile hoc induerit incorruptionem.
(*r*) Matth. 25. (*s*) precabatur C. M. (*t*) Pſalm. 30.
(*u*) & lugendo *omittit* C. M. (*x*) Matth. 25. (*y*) ite maledicti C. M.
(*z*) nimii C. M. (*a*) tollere C. M. (*b*) tollere C. M.

de Ecclesia tollere, furtum esse beatus Augustinus asseveret, & patratorem tanti furti (*c*) sacrilegum appellet, nec non & Judæ perdito æquiparet.

VII.

Et post pauca: *Quare, inquit, loculos habuit, cui angeli ministraverunt, nisi quod Ecclesia ejus loculos suos habitura erat?* Ecce quibus tanti Doctoris documentis instruimur, quia, quod in capite præcessit, in corpore ejus, quod est Ecclesia, videtur impletum. Porro Christum, & Ecclesiam unam personam esse non nescimus: & ideo, quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur, & quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, procul dubio Christo tolluntur. Esto, erat futurum, ut Ecclesia Christi nummos haberet; si nummos, utique & prædia, & mancipia, & diversarum specierum innumera ornamenta: & quod illicitum sit ea, quæ conferuntur Ecclesiæ, auferri, beati Hieronymi scribentis in expositione Matthæi Evangelistæ verba ità testantur.

VIII.

Omnes, inquit, qui stipe templi, & his, quæ conferuntur in usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdotum, redimentium mendacium & sanguinem Salvatoris. Subtiliter plane, sagacitérque pertractanda sunt, ac perpendenda verbi tanti doctoris, & cunctis fidelibus cavendum est, ne in his rebus, quæ Ecclesiæ collatæ sunt, auferendis similes efficiantur Pharisæis, & pseudo sacerdotibus, mendacium, sanguinémque Christi redimentibus.

IX.

Scribit etiam idem beatus Hieronymus in expositione Evangelii Matthæi, ita: (*d*) *Mittens* (e) *enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Quod vos putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturæ est. Nec mirum, si mihi bonum odorem fidei suæ dederit, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum. Multi sanè sunt hodie, qui Christiani censentur nomine, qui ad instar Judæ dicere solent super his, quæ aut Domino consecrata sunt, aut consecrantur, aut consecrari decernuntur: ut quid perditio hæc? putantes peditionem esse, quæ Ecclesiæ, ministrísque ejus ac pauperibus ob amorem Dei sunt commodata.* Animadverti namque non inconvenienter potest, quod sicut unguentum Mariæ Christus ad officium suæ suscepit sepulturæ, ità nimirum vota fidelium suscipiat ad officium sanctæ suæ Ecclesiæ.

X.

Legimus itaque secundum Marcum Dominum Jesum Christum contra gazophylacium sedisse, & quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, aspexisse, & viduam duos nummos in gazophylacium mittentem ideo laudasse, eo quod omnes ex eo, quod illis abundabat, miserunt, illa autem de penuria sua misit totum victum suum. Quid Gazophylacium sit, Beda exponente, didicimus: scribit enim in expositione ejusdem Marci ità: *Quia sermone græco* φυλάξαι *servare dicitur, & Gaza linguâ Persica divitiæ vocantur: Gazophylacium locus appellari solet, quo divitiæ servantur; quo nomine & arcam, in quâ donaria populi congregabantur ad usus templi necessarios, & porticus, in quibus servabantur, appellant.* (f) Habes etiam exemplum de porticibus in Evangelio. (g) *Hæc*, inquit, *verba locutus est Jesus in Gazophylacio docens in templo.* Habes de arca in Libro Regum: (h) *Et tulit Joïada pontifex Gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta altare* (i) *ad dextram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant* (k) *ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur in templum Domini.* Hæc de Gazophylacio Beda dixit.

XI.

Ceterum superius (*l*) diximus Dominum nostrum Jesum Christum nummos habuisse, suámque Ecclesiam suo exemplo nummos habituram, & unguentum Mariæ, quæ typum gestavit Ecclesiæ. Hic autem vota offerentium respe-

Q

(*c*) furem addit C. M. (*d*) Matth. 26. (*e*) *mittens* hic incipit Cap. IX. C. M.
(*f*) appellabant C. M. (*g*) Joan. 9. (*h*) 4. Reg. 12.
(*i*) Juxta altare ingredientibus Domus Domini C. M. (*k*) hostia C. M.
(*l*) dixerit C. M.

respexisse, & viduam duo minuta, id est, omnia, quæ habebat, in Gazophylacium mittentem laudasse. (*m*) Respectio namque Domini in Gazophilacium, & quo animo quis quid mitteret, ineffabilis discretio, ut nobis videtur, significabat jam Ecclesiam suam, quæ est corpus ejus, à fidelibus multiplices oblationes accepturam. Et si tunc respiciendo vota offerentium certo examine discrevit, atque approbavit; dubitandum non est, quin factum ea de Ecclesia sua auferre volentium vituperet, (*n*) & damnet.

XII.

Quod autem Dominus & Redemptor noster violationem & dehonorationem templi sui fieri nullatenus patitur, monstrat factum ejus valde admirabile, eo quod flagello adhibito vendentes, & ementes ejecerit de templo, ità dicens: (*o*) *Scriptum est: domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

XIII.

Hæc illum juxta historiam fecisse non ambigimus: sed super hac re ut oportet, quid (*p*) beatus Hieronymus sentiat, vigilanter attendamus. Et expositionem, quam describit, pariter expavescamus, & Domino adjuvante caveamus. *Quotidie,* inquit, *Dominus egreditur templum patris, & ejicit omnes tam Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, quam laïcos, & universam turbam de Ecclesia sua, & unius criminis habet vendentes pariter, & ementes.* Item idem in eodem post pauca: *Non sit in domo pectoris nostri negotiatio, non vendentium, ementiúmque commercia, non domorum cupiditas, ne ingrediatur Jesus iratus, & rigidus, & non aliter mundet templum suum, nisi flagello adhibito, ut de spelunca latronum, & domo negotiationis, domum faciat orationis.* Terribilia valde sunt, quæ à tanto (*q*) auctore dicuntur, & idcirco omnibus ordinibus in Religione Christiana consistentibus præcavendum est, ne quidpiam illicitum in templo Dei agendo, à Jesu irato foras ejiciamur, & templum suum, quod propter avaritiam nostram factum est spelunca latronum, faciat orationis domum.

XIV.

Quoniam licet Ecclesia Christi propter multa peccata, diversis temporibus, diversísque modis, à multis sæpe sit expugnata, quæ gratulabunda canit: (*r*) *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Hæc (*s*) tamen, qui eam suo pretioso sanguine redemit, numquam deserturus est, ita ei pollicens: (*t*) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

XV.

Scribit etiam idem Beatus Hieronymus in expositione Sophoniæ Prophetæ: (u) *Væ provocatrix & redempta civitas, Columba. Non audivit vocem, & non excepit disciplinam; Principes ejus in medio ejus, quasi leones rugientes; Judices* (x) *lupi vespere, non relinquunt in mane. Illustris & redempta Civitas, juxta superiora, perspicuè Ecclesia intelligitur, quæ vocatur Columba, propter simplicitatem multitudinis in ea credentium. Hæc non audivit vocem Domini, neque suscipere voluit disciplinam: hæc confusa est, quia noluit appropinquare Domino Deo suo. Frustra enim quis vocem Domini* (y) *sui audire se dicit, & confidere in Domino, quando operibus fidem destruit. Hujus Principes sicut Leones rugientes. Non ambigimus de rugitu leonum, quando viderimus Principes ejus ità in subjectos populos detonare, & voce tyrannicâ, rabidísque conviciis plebem conterere, ut non Pastorem inter gregem, sed leonem inter oviculas putes* (z) *frendere. Judices quoque ejus quasi lupi rabidi, occidentes* (a) *vespere, & nil relinquentes in mane, non aspicientes ad ortum Solis, sed morantes semper in tenebris: &* (b) *possessiunculas Ecclesiæ, & ea, quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes, quod mane comedant. Qui* (c) *quasi in nocte, & nullo vidente omnia* (d) *populantur; &, cùm luporum more cuncta rapiant,* ne

(*m*) Hic incipit Cap. XI. C. M. (*n*) ac damnet *omittit* C. M. (*o*) Matth. 20.
(*p*) expositionem beati Hieron. *legamus* C. M. (*q*) doctore C. M.
(*r*) Psalm. 128. (*s*) hanc C. M. (*t*) Matth. 28.
(*u*) Sophon. 3. (*x*) ejus *addit C. M.* [*y*] Dei *addit C. M.*
(*z*) frendere *omittit* C. M. (*a*) Cod. M. omittit illa verba: *Vespere & nil relinquentes in mane.* & legit: Et vespere non aspicientes &c.
(*b*) C. M. *omittit*: &. (*c*) C. M. & quasi. (*d*) C. M. *omittit*: omnia.

ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt.

XVI.

Item idem in Jeremiam Prophetam: (e) *Ut quid* (f) *mihi thus de Saba offertis, & calamum suave olentem de terra longinqua? Holocautomata autem vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Hoc autem propriè convenit his, qui de rapinis & nudatione miserorum offerunt Sacrificia, & eleëmosynis ex iniquitate se putant redimere peccata, dicente Scriptura: [g] *Redemptio viri propriæ divitiæ: quæ non de iniquitate, sed de labore, & justitia congregantur.* Item (*h*) in Jeremia Propheta: (*i*) *Hæc dicit Dominus: Judicate mane judicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur, quasi ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat. Propriè autem sermo fit ad domum regiam, ut emendet errorem pœnitudine, ut clementiam Domini consequatur. Judicate,* inquit, *mane judicium, non in tenebris iniquitatis, sed in luce justitiæ; & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ut non accipiatis personam in judicio; sed divitibus pauperes opprimentibus, magis apud vos Dei imperium valeat, quam potentia persequentis. Et si,* inquit, *hoc feceritis, nequaquam succendetur* (k) *in vobis ignis furoris mei, nec invenit materiam, quam consumat.*

XVII.

Item in Isaia Propheta: (*l*) *Vos enim depasti estis vineam meam: rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum?* Manifeste ad Principes dicitur Judæorum; sed & ad nostros Principes referri potest, *qui atterunt subjectam sibi plebem, & rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos; & Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias, publicásque* (m) *stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel filiis suis distribuunt.* Cum ergo multa eximiorum Doctorum nostrorum exempla proferri potuissent, propter tædium tamen legentium pauca prolata, atque congesta sunt.

XVIII.

Quod autem Dominus Jesus Christus templum Hierosolymitanum statutis temporibus adierit, ibíque docuerit, signa multa fecerit, illúdque venerandum, atque honorandum docuerit, sacra testantur Evangelia: qui factis dictísque suis atque exemplis manifeste demonstravit Ecclesiam suam (quæ utique templum (*n*) illud existit; unde ait Apostolus: (o) *Templum Dei Sanctum, quod estis vos*) à fidelibus suis fore sanctæ religionis voto frequentandam, ac venerandam: & nihil in ea, vel de ea, nisi quod ad cultum honorémque ejus pertinet, agendum.

XIX.

Quomodo igitur Ecclesia Christi post ejus passionem, resurrectionem, & ad cælos ascensionem, & Spiritûs Sancti super Apostolos missionem, paulatim creverit, & per Apostolos roborata, & propagata, atque fidelium oblationibus ditata, & exornata fuerit, & actus eorumdem Apostolorum, & eorum gesta, quæ unusquisque in provinciis ad prædicandum à Christo sibi commissis gessit, plenissimè adstipulantur.

XX.

Sed quia in præcedentibus de hac re satis dictum est, superest nunc, ut de actibus eorumdem Apostolorum (*p*) succinctè commemoremus. Petrus verò ait ad illos: (*q*) *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti.* Et post pauca, (r) *Qui ergo* (s) *susceperunt sermones ejus, baptizati sunt; &* (t) *appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor; multa quoque prodigia & signa per Apostolos fiebant in Jerusalem, & metus erat magnus in universis. Omnes* (u) *enim, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia*

[*e*] C. M. in eodem Propheta. (*f*) Lib. 2. Cap. 6. (*g*) Jerem. 6. Prov. 3.
(*h*) idem *addit* C. M. [*i*] Jerem. 28. [*k*] succendatur C. M.
(*l*) Isaiæ 3. (*m*) & stypes C. M. [*n*] illius C. M.
[*o*] 1, Cor. 3. [*p*] pauca *addit* C. M. (*q*) Act. 2.
(*r*) Ibidem. (*s*) receperunt C. M. (*t*) adpositæ C. M.
(*u*) etiam C. M.

omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illas omnibus, prout unicuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui salvi fierent, quotidie in (x) *idipsum.* Et post pauca: (y) *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri; & gratia magna erat in omnibus illis: neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum* (z) *ac domorum erant inter illos, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat. Joseph autem, qui cognominatus erat Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum: filius consolationis) Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.* Ecce habes, quomodo per prædicationem (*a*) Sancti Petri, & Apostolorum, Ecclesia in Christum cæpit credere, & crescere, ac multiplicari.

XXI.

Ecce etiam habes initium, & originem in Deo offerendis rebus: indubitanter crede, quod in primordio nascentis Ecclesiæ cœpit eadem Ecclesia vota fidelium suscipere, quorum exemplo laudandi sunt votorum ac donorum suorum ultronei oblatores. Facto vero Ananiæ, & Sapphiræ deterrendi sunt hi, qui aut suorum, aut aliorum votorum exsistunt ablatores vel defraudatores. Ipse quoque Ananias cum Sapphira uxore suâ agrum proprium vendidit, ut ejus pretium, sicut & ceteri faciebant fideles, ante pedes Apostolorum poneret: sed quia de eodem pretio, consciâ eadem uxore suâ, quiddam dedit, quiddam verò retinendo occuluit, uterque Apostolicâ auctoritate perculsus est. Pro qua re sicut in eisdem actibus Apostolorum legitur, *Factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnibus, qui audierunt hæc.* Si enim de propriis suis rebus, quas ad integrum Deo voverant, pro eis, quod inde aliquid abstraxerunt, vel defraudati sunt, tam horribili morte multati sunt: quid putandum est de his, qui ea, quæ alii obtulerunt Deo, auferre præsumunt? Hi procul dubio secundum verba beati Petri Apostoli, non hominibus, sed Deo mentiri (*b*) convincuntur.

XXII.

Herodes verò parricida, & sceleratissimus Rex, de quo & in iisdem actibus Apostolorum (*c*) legitur, & plenius in libro Egesippi invenitur, quo regnante natus est Christus; cujus etiam sævissimus ingentem parvulorum (*d*) catervam pro Christo trucidavit gladius; quia quosdam Sacerdotes necavit, eorúmque ministerium sibi subripuit, & quia, quæ Deo oblata erant, sicut in eodem Egesippi libro legitur, in suos usus convertit, ut cetera ejus mala omittamus, pro tam temerario, & ut ità dixerim, crudeli facto, creditur, quod meruerit & ab Angelo percuti; & à vermibus depasci, & infelicem miserámque vitam digna morte finire.

XXIII.

Qualiter denique Ecclesia Christi per successores Apostolorum, pastores videlicet ejusdem Ecclesiæ sub Orthodoxis Imperatoribus, & ut de multis unum ponamus, Constantino, necnon Regibus aliis, ac Principibus, ceterísque fidelibus sua vota Deo offerentibus, eamque Ecclesiam diversis donariis incrementantibus, atque ad alta sublimantibus excreverit, hic enumerare & prolixum est, & laboriosum, & huic opusculo incapabile. Gesta tamen singulorum manifestant eorum studium, & Imperatorum ac Regum, Principumque, erga cultum Divinum amplificandum, & ceterum Christianorum ferventissimam devotionem: qualiter memoratam Ecclesiam usque in præsens tempus honorando exaltaverint, & exaltando honoraverint, atque multifariis donariis divitem effecerint.

XXIV.

(*x*) in ipsum. C. M. (*y*) Act. 4. (*z*) aut C. M.
(*a*) C. M. *legit:* Beati Petri post Apostolos. (*b*) convincunt C. M. (*c*) Act. 12.
(*d*) duos Herodes in unum confundunt; Patrem, sub quo Christus natus, filium, à quo derisus.

XXIV.

Multa ſiquidem Sanctorum Patrum, qui non ſolum latinè, verùm etiam græcè ſcripſerunt, documenta proferri poterant, quæ ob prolixitatem vitandam omittuntur; qui res Deo ſacratas atque dicatas nullatenus impune auferri poſſe teſtantur.

XXV.

Sacri quoque Canones toto orbe venerandi & Sancto Spiritu inſpirante digeſti, immò calamum Sanctorum Patrum, qui eos de ordine & ſtatu Sanctæ Dei Eccleſiæ conſcripſerunt, regente, cum in multis (*e*) auferendarum rerum Eccleſiaſticarum temerariam inhibeant præſumptionem, & tantæ rei temeratores per eam, quæ (*f*) à Chriſto illis collata eſt, percellant poteſtatem: libet de multis brevitatis gratia duo huic ſubnectere opuſculo, & non ſolum hæc duo, verùm etiam unum illorum, ad eorum audaciam, qui hæc, quæ (*g*) præmiſſa ſunt, fecerunt, aut faciunt, aut facere præſumunt, vel facientibus impunitatem promittunt, reprimendam, ſatis abundéque ſufficere poteſt.

XXVI.

Quorum alterum ſub duobus Capitulis, videlicet ſeptimo & octavo in Concilio (*h*) Gangrenſi (*i*) ita legitur: *Siquis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere, vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus,* (k) *cui hujuscemodi officia commiſſa ſunt, nec cùm ejus agere voluerit conſilio, anathema ſit.* Item: (l) *Siquis dederit, vel acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum, qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandum miſericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.* Alterum etiam in decretis Symmachi Papæ (*m*) ita habetur, quod licet quibuſdam aliter videatur, negotio tamen, de quo agitur, & Eccleſiaſticè, & Canonicè evidenter adſtipulatur. Quod ita ſe habet: *Iniquum eſt enim, & ſacrilegii inſtar,* (n) *quæ vel pro ſalute, vel requie animarum ſuarum unusquiſque venerabili Eccleſiæ pauperum cauſa contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus maximè* (o) *convenerit ſervari, auferri, & in aliud transferri.* Arbitramur interea, quod his, de quibus, & contra quos agitur, hæc, quæ paucis congeſta ſunt, poſſint ſufficere. Quod ſi hæc parva eis non ſufficiant, neque ſi majora, quæ utique uberiori & prolixiori opere indigent, & perfacile in divinis oraculis inveniri poſſunt, eis ſufficient.

XXVII.

Te quoque, Nobiliſſime & Glorioſiſſime, totoque orbe famoſiſſime Optime Rex, humiles, ac fideliſſimi Oratores veſtri, veſtræque ſalutis amatores certiſſimi ac devotiſſimi, ſuppliciter exoramus, & flexis poplitibus veſtram Excellentiam flagitamus, ut hoc opuſculum, quod propter (*p*) honorem communis Redemptoris noſtri JEſu Chriſti, veſtræque animæ ſalvationem, & regni vobis commiſſi tuitionem, atque in longinquum felicem ejus protelationem, veſtrorúmque hoſtium (*q*) ſuperationem digeſſimus, veſtræ Celſitudinis obtutibus ſit gratum atque acceptum, vobísque, prolíque, ac populo vobis ſubjecto, Domino opem ferente, profuturum; quod non ex cœnoſo fonte jactantiæ, vel cujuslibet præſumptionis elatione emanâſſe, ſed potiùs ex veriſſimæ ſinceriſſimæque fidei integritate, & (*r*) ſacerdotali curam animæ veſtræ incomparabiliter [*s*] gerente auctoritate, collectum atque conſcriptum eſſe, (*t*) non dubitetis. Monemúsque ſalubriter magnitudinem culminis veſtri, ut hæc perpendatis, qualiter Progenitores veſtri, & ditando, & exaltando Sanctam Dei Eccleſiam, regnum hoc longe latéque dilataverint, glorioſúmque ac cunctis in circuitu nationibus terribile, atque Domino ſe protegente inſuperabile fecerint. Quapropter fideliter & humiliter veſtram hortando perſuademus, & perſuadendo hortamur à Deo ſublimatam poteſtatem, ut (*u*) eorum, qui Eccleſias Chriſti dehonoraverunt, & humiliaverunt, rebúſque propriis exſpoliaverunt, nullatenus imitatores, ſed magis Progenitorum veſtro-

[*e*] locis *addit* C. M.
(*h*) Gangrenſi.
(*l*) Cap. 8. Tom. I. pag. 154.
[*o*] convenerat C. M.
(*r*) Sacerdotalis C. M.
(*u*) eorum *omittit* C. M.
[*f*] *loco* à *habet* C. M. ea.
(*i*) Can. 7. Tom. I. pag. 154.
(*m*) in Synodo III. Cap. 3.
[*p*] amorem C. M.
(*s*) gerentis C. M.
(*g*) promiſſa C. M.
(*k*) cujus C. M.
(*n*) ut *addit* C. M.
(*q*) ſuperandorum C. M.
(*t*) non dubitetis *omittit* C. M.

ſtrorum, qui eam ditatam atque exaltatam, & diverſis muneribus exornatam ad vos transmiſerunt, exſiſtatis ſectatores; (x) & jure cum illis, & cum ceteris fidelibus Deo ſincerè ac devotè ſua offerentibus, ſalvari, & heredes perpetuæ felicitatis mereamini effici. Sancta & Individua Trinitas te, bone Rex, ad profectum & exaltationem, atque defenſionem Sanctæ ſuæ Eccleſiæ per immenſum conſervet, & poſt hujus vitæ lacrymabilem convallem Sanctorum Regum conſortem efficiat. Amen.

[x] ut C.M.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS (a)

Anno Chriſti DCCCXXXVII. Gregorii IV. Papæ XI. Ludovici Pii XXIV. pridie Kalendas Maji.

ACTIO. Judicium Epiſcopale de ſubjectione Sigemundi Abbatis Aniſolenſis, ejúsque Monaſterii præſtanda Aldrico Epiſcopo Cenomanenſi, ejúsque Eccleſiæ Matri.

Interfuêre Ludovicus Imp. Judith Imperatrix, Carolus filius glorioſiſſimus Rex, Archi- & Epiſcopi, & Proceres infrà nominati.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Temporibus Hludovici piiſſimi Auguſti ſubter inſerta cauſatio vel evindicatio fuit de monaſterio Aniſolæ inter *Aldricum Epiſcopum*, & Sigismundum Abbatem, qui illud tunc tenebat. Nam præfatus Aldricus dicebat, & ſcriptis & teſtibus approbabat, quòd de jure ſuæ ſedis Eccleſiæ præfatum Monaſterium cum omnibus ad ſe pertinentibus eſſe debebat, & ſui anteceſſores illud ex rebus Cenomanicæ (b) matris Eccleſiæ magna ex parte fundarant, & ad ipſam matrem Eccleſiam ſubjectum eſſe debebat, & hoc legibus affirmabat. Econtra Sigismundus dicebat, quod proprium Domini Imperatoris eſſe debebat, & non de prædicta Eccleſia: ſed nullam veram authoritatem exinde oſtendebat, niſi tantum unam Epiſtolam, quam Pipinus propter odium Gauzioleni Epiſcopi cuidam ſuo Monacho fecerat, ut illi ſubjectum eſſet, & non Gauzioleno, & & hoc propter odium Gauzioleni factum eſſe perſcrutatum eſt, quia quando fuit Pipinus Cenomanica in patria, & de quadam perſecutione inimicorum ſuorum reverſus, per Germanicam Patriam tranſibat, tunc eum præfatus Gauziolenus & ſuus frater Harivius non receperunt, ſed infra Cenomanicam urbem, cum omnibus, quos ſecum ducere potuerunt, ſe recluſerunt, & Dominum Pipinum Regem illuc introire non permiſerunt, ſed damnum ei de ſuis hominibus facere nitebantur, & ſuum pincernam coram eo ſtantem, dum ſua caſtra in vinea Sancti Petri juxta urbem Cenomanicam poſita erant, interfecerunt, & alios homines vulneraverunt. Videns

(a) In hoc Conventu duo politica negotia tractanda fuerunt: Primum, quod Ludovicus Auguſtus Filio ſuo Carolo ex Juditha genito aſſignavit Regnum, ejúsque fines ſecrevit à Regnis Pippini & Ludovici fratrum Caroli, quorum & aſſenſus in hanc partitionem Regnorum acceſſit ad Paternam voluntatem.

Biographus Ludovici. Annales Bertiniani & Nithardus. Annales Pithoeani ad annum ſequentem, 838.

Alterum de Regni limitibus muniendis contra irruptionem Danorum, qui Normanni vocantur. *Thegani Appendix Lambeciana.*

Nos his miſſis unum judicium Eccleſiaſticum Epiſcoporum de re Eccleſiaſtica repræſentamus.

(b) Cenomanum, urbs Epiſcopalis in Gallia, eſt ſub Archi-Epiſcopo Turonenſi: *Mans* nunc dicitur.

dens autem Domnus Pipinus, quòd ibi proficere non potuit, vaſtans totam illam Regionem, pergere cœpit ad Franciam. Tunc in ipſo itinere venit ad ipſum prædictum Monaſterium Aniſolam, & præcepit illis Monachis, ut nullam obedientiam facerent jam dicto Gauzioleno, eò quod ei rebellis eſſet, ſed ſub ſuo mundeburdo, vel ſub ſuâ tantummodo tuitione vel dominatione permanerent. Et tunc eis ac Siebaldo eorum Abbati talem Epiſtolam dedit, quod propter odium, ut dictum eſt, Gauzioleni, & non propter ullam aliam rem aut injuſtitiam factum eſſe liquet. Tunc enim ipſe Siebaldus non fuit auſus ibi remanere, ſed unà cum Pipino uſque in Franciam perexit. Poſtea verò cognoſcens Pipinus, quod injuſtè feciſſet, & propter odium Gauzioleni hoc egiſſet, præcepit filio ſuo Carolo, & jurejurando conteſtatus eſt, ut præfatum Monaſterium redderet Cenomanicæ matri Eccleſiæ, cujus juſtè eſſe debebat, ne aliquod detrimentum ſua anima ex hoc haberet. Et ſic fecit poſtea Domnus Carolus, & Franconi Epiſcopo illud reddidit, atque per præceptum ſuum prædictæ matri Eccleſiæ confirmavit. Multi autem hactenus vivunt, qui Domno Carolo hoc dicere audierunt, qualiter ſuus Pater Domnus Pipinus ei hoc conteſtando facere præcepit. Et quando jam dictum Monaſterium Franconi reddidit, multi vivebant, qui hoc Domnum Pipinum Carolo præcipere & conteſtari audierunt. Iſtam verò rationem pleniter prædictus Aldricus Epiſcopus perſcrutatam apud veridicos homines habebat, & hoc teſtibus veris ac bonis coram omnibus affirmabat. Taliter enim Aldricus & Sigismundus altercantes, pervenit ipſa ratio uſque ad Domnum Imperatorem; qui hoc firmiter inquirere præcepit, & veraciter ſibi renuntiare juſſit. Sed antequam ipſa cauſatio ante Domnum Imperatorem veniret, volebant eorum amici & boni homines eos inde pacare & concordare. Sed Aldricus Epiſcopus obtemperabat eorum juſtis petitionibus, & Sigismundus non faciebat, ſed quidquid ei juſtè & rationabiliter ſui amici agere ſuadebant, prædictus Sigismundus ſpernebat. Offerebat enim ei ſperatus Aldricus Epiſcopus, ut aliquem cenſum ei ex hoc ſolveret, ſicut ſui anteceſſores prædicti Epiſcopi anteceſſoribus faciebant, & per ſuum beneficium illud tenere, & nunquam ei diebus vitæ ſuæ de illo aliquot impedimentum facere volebat, ſed quietè & pacificè unà cum ſuis Monachis eum inibi eſſe permittebat. Offerebat etiam & aliam cauſam prædicto Sigismundo, ſuadentibus prædictis amicis, & bonis hominibus, jam dictus Aldricus Epiſcopus, ut ſi hanc non vellet, ſaltem aliam faceret. Permittebat autem ei, duas aut tres villas, quales ſibi eligeret, per ſuum beneficium habere, & ex his nullum ſervitium, aut aliqua dona requireret, ſed quidquid ex his vellet, faceret. His omnibus à Sigismundo ſpretis, cæpit ſæpedictus Epiſcopus ſuam juſtitiam ſæpe & rationabiliter quærere, quia plenam & juſtam rationem ſibi in hoc habere videbatur. Præcepit enim juſtitiam hanc inquirere Domnus Imperator Ebroino Pictavienſis urbis Epiſcopo & Rorigoni Comiti, & Altmaro Seneſchalcho Domnæ Judith Imperatricis, & Miſſo Palatino unà cum aliis vaſſis dominicis. Sed dum hæc res ad effectum tunc minimè pervenit propter alias neceſſitates, & hoc Domno Imperatori renuntiatum eſſet, præcepit, ut ante ſe in ſuo Palatio ipſa altercatio finiretur. Tunc ergo juſſit Domnus Imperator, ut haberent ambo eorum authoritates & teſtimonia Aquisgrani Palatio ad ſuum placitum, quod ibi tempore quadrageſimali cum Epiſcopis & Abbatibus, & Comitibus, & cæteris fidelibus ſuis habebat, ut ibi pleniter præfixa altercatio finem perciperet. Sed Sigismundus jam vocatus, ad ipſum placitum minimè pervenit. Qua de re iterum Domnus Imperator per ſuam Epiſtolam eum vocavit, ut poſt Paſcha veniret. Qui & hoc renuens jam tertiò vocatus minimè venit, neque miſſum aliquem miſit, cur hoc dimitteret. Tunc cernens Domnus Imperator ſuam inobedientiam & contumaciam, expectavit tamen adhuc poſt tertium condictum placitum quindecim dies, ut veniret: ſed cernens eum jam venire non velle, neque ſuam rationem juſtè diffinire, quia minimè hoc rationabiliter & veraciter ſe facere confidebat, & propterea venire ad Placitum nolebat: tunc Domnus Imperator interrogavit ſuos Conſiliarios & Epiſcopos, ſive Abbates & Comites, & reliquos fideles ſuos, quid ex hoc facere de-

deberet, & quale conſilium ex hoc ei darent, & quid de tam inobediente ſuo præcepto facturus eſſet? tunc reſpondentes dixerunt utriuſque ordinis omnes. Vidimus, quod iſte Epiſcopus veſter Aldricus habet ſuas authoritates, & præcepta regalia, tam Genitoris veſtri, quam & aliorum veſtrorum anteceſſorum, videlicet Regum Francorum, in quibus, ut coram nobis relectum eſt, continetur inſertum & Sanctorum Sacerdotum, ac Regum manibus propriis corroboratum, quod monaſterium Aniſolæ, unde agitur hæc juſtitia, Cenomanicæ matri Eccleſiæ traditum fuit, & ab Epiſcopis ejuſdem matris Eccleſiæ conſtructum & ornatum, atque legibus poſſeſſum. Habet etiam præfixus Epiſcopus, quos videmus & audimus, ſuos teſtes veros & bonos, qui has authoritates firmas, & veras eſſe teſtantur, & jurejurando, quæ dicunt, affirmant. Inſuper teſtantur, quod infra legitimo tempore prædicta mater Cenomanicæ civitatis Eccleſia veſtituram legitimam habuiſſet de prædicto Monaſterio, & adhuc triginta anni non ſunt tranſacti, quòd ex eo legitimam veſtituram habuit, & propterea inde fuit modò alienatum, quod Franco Epiſcopus prædictæ Eccleſiæ ſuo propinquo Adalghyſo illud impetraverit, ut pro illa regalia ſervitia, & itinera faceret, quæ ille pro ſua infirmitate & ſenectute facere non valebat. Affirmant etiam eundem Franconem aliquas villas; & quoſdam vaſallos, caſatoſque, ut nominant, ex præfixo monaſterio ad ſuum opus, dum ad vixit retinere, ſed illis ambobus defunctis non fuit ad præſens Epiſcopus ejuſdem ſedis qui Dominum Imperatorem Hludovicum ex hoc interpellaret ad tempus; & ſic datum eſt alio, & tali occaſione ſublatum eſt de præfixa ſede. Sed & hoc, quod iſti Monachi dicunt, quod veſtrum proprium eſſet, prædicti teſtes Aldrici Epiſcopi, per eorum authoritates, & per vaſallos veſtros, & alios veridicos, & bonos homines affirmant non eſſe. Dicunt etiam, ſi veſtrum proprium eſſet, res ipſius Monaſterii ſecundùm legem ſalicam, aut Ribuariam tuerentur, ſicut alia loca, & res, quæ de veſtro ſunt proprio, faciunt, & mancipia non partirentur, ſicut de aliis locis & rebus, quæ de veſtro ſunt proprio, in illa regione eſt conſuetudo facere. Sed de iſtis cauſis in rebus Sancti Carilephi ſicut in propriis Domini Imperatoris obſervare apud eos eſt conſuetudo, nihil unquam conſervatum fuit; & pro iſtis cauſis affirmant & defendunt jam dicti teſtes ſæpedictum Monaſterium non veſtrum proprium aut alicujus eſſe, ſed de jure Cenomanicæ matris Eccleſiæ, de cujus rebus eſt fundatum, illud eſſe affirmant, quod & rationabiliter & legibus ut nobis videtur, facere poſſunt. Teſtantur etiam ſupra memorati teſtes, quod omnes Epiſcopi, qui in prædicta civitate, & in jam dicta ſede à tempore Sancti Innocentis Epiſcopi ſecundi, ſucceſſoris videlicet Sancti Victurii, & à tempore Sancti Carilephi confeſſores eximii fuerunt, prædictum Monaſterium ſubjectum habuiſſent, exceptis duobus. Quod propter prædictum odium, & pro aliqua negligentia veraciter factum eſſe inquiſitum eſt. Teſtantur etiam, quod plus ad jus, & ſubjectionem prædictæ matris Eccleſiæ præfatum Monaſterium pertineat quàm ad veſtrum proprium, aut ad aliam aliquam cauſam, & hoc, ſi aliqui teſtes contra ſe venerint, falſos eos, qualiter præceperitis, facere poſſe teſtantur, firmiterque affirmant. Supra dicta verò ratiotione hanc juſtitiam diligentiſſimè ventilatam, rei veritatem cognoſcentes, pleniter & rationabiliter legis Divinæ & mundanæ nos utriusque ordinis veſtri fideles authoritate inſtructi & plena ratione ſuffulti, judicamus, voſque hortamur, ut ei auferatur, qui vobis inobediens extitit, & ad veſtrum placitum non ſolùm ſemel, aut bis, vel ter vocatus venire contempſit, quia de ſua abſentia culpabilis, & convictus eſſe cognoſcitur, & ei veſtra authoritate, noſtroq; judicio reddatur præfatum monaſterium, qui vobis inobediens non fuit, nec ad placitum venire renuit, ſed ſemper præſens cum ſuis authoritatibus, & nobilibus teſtibus affuit, & hoc pleniter & legaliter approbare eſt paratus, quod ſuæ ſedis Eccleſiæ præfatum monaſterium cum omni integritate, ut reddatur judicamus. Quidam autem eorum dixerunt. De nobis ipſis aliter judicare non poſſumus, quòd ſi aliquis noſtrum licet nemine quærente, aut aliqua cauſatione pulſante, vocatus ad veſtrum placitum venire contempſerit, ni infirmitas, aut legitima ſomnis (a) eum detinuerit, & ſi ali-

(a) Saumnuß mora impedimentum juſtum.

ſi aliqua ſomnis, aut infirmitas eum detinuerit, ni ipſe ſuum advocatum, aut ſuam excuſationem rationabilem ad vos miſerit, juſtè & plena ratione perdere debet unusquisque noſtrum, quod de veſtro habet. Et propterea ſicut & de nobis, ſic & de illo judicamus, quia neutrum fecit, nec ipſe venit, nec mandare ſtuduit, cur illud dimiſit. Sed ſicut iſti homines qui præſentes adſtant, id eſt, Hagano, & Benedictus, & alii dicunt, & affirmare volunt qualitercunque vobis placuerit, ſive ſi aliquis ex vobis aliter dixerit, ſingulare certamen cum eo præliari; ſive in judicio, ſi vobis placuerit, ſeu cum Sacramento verum facere nullam ob aliam cauſam præfatum Sigismundum remanſiſſe, neque propter infirmitatem, neque propter aliam neceſſitatem, niſi, quod venire, ne convinceretur, noluit, quia nulla.n juſtitiam, neque aliquam juſtam aut rationabilem cauſam prædicta quæſtione ſe habere confidebat. Et hæc prædicti homines quotidie ante vos, & ante nos, & reliquos fideles veſtros clamant, & approbare, ſicut prædictum eſt, vel qualiter vos placuerit, & eis præceptum fuerit, volunt. Et hoc ſæpiſſime publiciter in hoc palatio eſt acclamatum, & perquiſitum nobis, cæteris fidelibus veſtris audientibus, ſed nemo eſt, qui eis contradicere aut reſiſtere velit, ſed plus dicunt omnes eos veritatem dicere. Quod & veriſimile nobis eſſe videtur. Sic vos jam quindecim dies per aliud placitum vel tertium ei conceſſum expectantes, neque ſuum advocatum, aut ſuas authoritates miſit, neque ullam excuſationem de ſe vel ſuo contemptu facere noluit. Idcirco de ſua abſentia vel contumacia jam convictum atque damnatum eum eſſe legibus judicamus, ità, ut nec ejus vox ampliùs de hac cauſa audiatur. Et ut hoc, quod dicimus, & judicamus authoritate Canonum, & legis pleniùs confirmemus, precamur, ut nonnullæ ſententiæ ad hoc pertinentes Canonum, & legum ante vos legere jubeatis. Et tunc publicè coram omnibus recitatæ hæ ſententiæ Canonum & legum.

Excerptum ex Decretis Papæ Bonifacii. Capitulo III.

" Manifeſtum eſt confiteri eum de
" crimine, qui indulto & delegato judi-
" cio purgandi ſe occaſione non utitur.
" Nihil enim intereſt, utrum in præſen-
" ti examine omnia, quæ dicta ſunt,
" de eo comprobentur, cum ipſa ab-
" ſentia pro confeſſione conſtet.

Item ex Decretis ejuſdem Bonifacii Papæ.

" Nulli dubium eſt, quod reus ju-
" dicium nocens ſubterfugit, quemad-
" modum ut abſolvatur, qui eſt inno-
" cens, quærit. Confitetur enim de om-
" nibus, quisquis ſe ſubterfugere judici-
" um dilationibus putat.

Item ejusdem cujus ſuprà.

" Cavendum eſt, ut ſi quis adeſſe
" neglexerit, dilationem ſententiæ de
" abſentia non lucretur; ſed quæ ma-
" le pullulaſſe noſcuntur, radicitus evel-
" lantur & emendentur.

Ex Decretis Cæleſtini Papæ.

" Non caret enim ſuſpicione, qui
" ad judicium venire contempſerit, &
" purgari ſe diſtulerit, quia ipſa abſen-
" tia ſua eſt comprobatio. Inſuper occur-
" ret veritas, ſi falſitas diſplicet. Meri-
" tò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilen-
" tio faveamus errori. Ergo corripian-
" tur, qui hujusmodi ſunt modis omni-
" bus, ut veritas eorum verſutiis non
" ſopiatur, ſed aſtuta eorum cavillatio
" aptiſſimè, & prudenter omnibus ma-
" nifeſtetur, & emendetur, atque re-
" ſtituatur, quod hactenus occultum &
" neglectum fuit.

Item excerptum ex decretis Papæ Innocentii.

" Veritas ſæpius exagitata magis
" ſplendeſcit ad lucem & pernicies revo-
" cata in judicium graviùs condemna-
" tur. Nam fructus Divinus eſt juſtitiam
" ſæpiùs recenſeri, & errata corrigere,
" ablata reſtaurare. Nec otioſa ergo Do-
" minus judex noſter in nobis eſſe pati-
" tur, quæ exercenda donavit.

Sequentia verò Capitula ad eandem rationem pertinentia à ſapientibus Comitibus & Scabinis Dominicis ſunt prolata, & per judicium coram omnibus ſunt recitata,

Hæc

Hæc Capitula, quæ ſubſequuntur, de Lege Romana ſunt aſſumpta.

Imperator Valentinianus inter cætera Firmino præfecto, & Patricio data. Si quis pulſatus in judicio adeſſe noluerit, poſt ſecundam aut tertiam conventionem ſciat ſe contumacis ſententiam ſubiturum, id eſt, ut quidquid, ſi fuiſſet in judicio, addicendus erat petenti Litigatori, quaſi victus exolvat. Data VII. Kal. Maji. V. C. Conſ.

Quinque Capitula de effectu ſententiarum, & finibus litium Pauli ſententiarum. Lib. V. *Quicunque tribus authoritatibus judicis conventus, aut trinis literis vel tribus edictis ad judicium fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id eſt, quod cauſam extinguit, fuerit evocatus, & præſentiam ſuam apud eum judicem, à quo ei denuntiatum eſt, exhibere non voluerit, adverſùs eum quaſi in contumacem judicari poteſt; quinimmo nec reretractari per appellationem negotia poſſunt, quoties in contumacem fuerit judicatum.*

Item Theodoſius Libro quarto de ſententiis ex periculo recitatum.

Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius A. A. A. Clearcho Præfecto. Quidquid præſentibus partibus in cauſis fuerit ordinatum, habebit pleniſſimam firmitatem, nec poterit immutari. Data. Kal. April. Honorio VIII. & Boëtio Conſſ.

Sequitur Sententia de eadem Lege Romana, de libro Pauli aſſumpta.

Si enim judicibus talia conceduntur, quanto magis rebus, & imperatoribus fræna & loca ampliora & latiora relaxantur, quoniam de crimine Majeſtatis graviùs judicantur rei & incriminati, quàm alterius alicujus generis ſæcularis: quia honor capitis decùs eſt aliorum membrorum. Porrò, quia omnia membra ſequuntur caput, ſcilicet ut in comparatione prædeceſſorum noſtrorum, more videlicet antiquorum, loquamur, ſicut ab illis non ſemel aut bis vel ter, ſed perſæpe firmatum & definitum eſſe legimus, dehonoratio & deſpectio ſeniorum, & Magiſtrorum & contumacia eorum contumelia eſt ſubditorum, & juniorum: & honor & exaltatio atque benevolentia, & obedientia ſeniorum, & Magiſtrorum honor, & exaltatio eſt ſubditorum & juniorum, quia & illi ab iſtis, & iſti ab illis mutuò foventur, & exaltantur, & honor Regni & populorum ampliatur, & vis atque juſtitia eorum creſcit, & populus ſalvatur & exaltatur. Si quis autem contra hæc inire, aut aliqua machinatione aliquid agere præſumpſerit, damnatus in omnibus & ab omnibus interius exteriusque ſententia ultionis feriatur, ne in poſterum quisquam talia agere præſumat, & ſi quis facere tentaverit, ſimiliter damnetur, & ultionis ſententiam non effugiat.

Item unde ſupra, ſi quis ad placitum venire diſtulerit.

Si quis ſubterfugiendo placitum huc illucque vadit, & ad placitum venire diſtulerit, & maximè ſi vocatus à judicibus fuerit, omnimodis providendum eſt, ne quærens ſuam juſtitiam pro tali occaſione perdat, ſed quaſi convictus ille, qui ad placitum venire diſtulerit, item culpabilis, & convictus de ſua abſentia judicetur, & deinceps hoc recuperare non valeat ſed magis metallis, & aliis pœnis deputetur, ne ampliùs quisquam talia agere præſumat & ille de ſua verſutia & abſentia viciſſe non lucretur, neque ſubterfugiſſe gaudeat, neque ſuam juſtitiam perdat. Data IX. Kal. Maji.

His & aliis authoritatibus Sanctorum Patrum, & Canonum & Legum rationabiliter inſtructi judicavimus, & iterum judicamus, ut Aldrico ſæpedicto Epiſcopo jam dictæ res, qui ſemper pleniter inſtructus præſens adfuit, & nunquam ad ſuam juſtitiam comprobandam defuit, veſtra authoritate, veſtroque judicio reddantur. Etſi talis firmitas ex hoc facta ſit, quæ in poſterum appareat, nunquam deinceps de hoc prædicta Eccleſia ſibi commiſſa aliquod damnum aut ſcandalum, aut ullam cauſationem patiatur. Et ſi aliquis, quod non credimus, ex hoc deinceps aliquam propulſationem, aut cauſationem ei facere voluerit, aut ſuis ſucceſſoribus, evindicare non valeat, nec ejus vox penitùs audiatur, qui hoc facere tentaverit, ſed hoc judicium, quod modo agitur, ratum futuris maneat temporibus, & veſtra redditio firma, & ſtabilis permaneat. His taliter peractis hoc diviſimus.

Tunc Dominus Imperator coram reddidit Aldrico Epiſc. præfixo per eorum judicium plena authoritate Monaſterium Aniſolæ, in quo Dominus Carilephus corpore requieſcit, ad jus Cenomanicæ, matris

matris Ecclesiæ, cui præfatus Episcopus præerat, futuris temporibus possidendum, & Missos ei dedit, qui ei inde plenam vestituram facerent, Fulconem scilicet Comitem palatii, & Arduinum & Gaufridum Comites & Folcrandum Vassum Dominicum, qui postea sicut Dominus Imperator eis jussit, plenam & legalem vestituram per cloccas & ostia senioris ipsius Monasterii Ecclesiæ, in qua etiam Sanctus Carilephus corporaliter requiescit, & per portas ipsius monasterii jam dicto Aldrico Episcopo multis coram testibus in ipso monasterio solemniter fecerunt. Hoc autem factum est anno incarnationis Dominicæ DCCCXXXVIII. (c) Indictione II. & anno Imperii præfati Domini Hludovici piissimi Imperatoris XXV. Anno ordinationis sæpedicti Aldrici Episcopi sexto. pridie quoque Kalendarum Majarum Aquisgrani palatio prædictum judicium est actum, & in ipsa die ipsa ratio à præfixo Imperatore legibus est adimpleta, & plena ratione peracta. Propterea ergo hoc memoriale conscribere libuit, ut si aliqua altercatio deinceps exorta fuerit, qualiter hæc res acta sit, per hoc memoriale declaratum appareat, ut si aliquis ex hoc aliquam querelam facere tentaverit, evindicare minimè valeat. Actum atque conscriptum est hoc memoriale Aquisgrani palatio Kal. Maji in Sacrario Sanctæ Mariæ, regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Hæ verò chartæ & hæc præcepta publicè relecta, & recitata sunt ante Dominum Imperatorem, & Drogonem ejus fratrem, & Archicapellanum, sive etiam ante suos Missos, quos Domnus Imperator ad hanc causam audiendam, & discernendam constituit, seu ante conscriptos Episcopos, & Comites & ministros & judices, quando hoc judicium in præscripto palatio judicatum est, & quando præfatum Monasterium ad jus præfixæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ est legibus redditum, & supradicto prætextu evindicatum id est.

I. *Traditio Sancti Carilephi, quam fecit Sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis.*

II. *Charta commendationis, qualiter se Dominus Carilephus per licentiam sui Abbatis, exhortante Domino Avito, unà cum suis monachulis subdidit Ecclesiæ civitatis, & in manus Sancti Innocentis Episcopi duabus vicibus se tradidit.*

III. *Precaria, quam S. Carilephus accepit à S. Innocente de eadem re.*

IV. *Præceptum Childeberti Regis, quod jussit facere super traditionem Sancti Carilephi, & super precariam, quam ipse Sanctus Carilephus accepit à Sancto Innocente.*

V. *Charta Donationis de rebus & villulis, & auro, & argento, & vestimentis tam Ecclesiasticis, quàm & aliis, sive libris & crucibus, & capsis, & reliquiis Sanctorum multorum, quæ Dominus Innocens in adjutorium ad monasterium Anisolæ construendum & ornandum Domino Carilepho, & suis monachulis per Scripturam tradidit.*

VI. *Charta de conventionibus Sancti Innocentis & Sancti Carilephi miræ magnitudinis conscripta, & à quindecim Episcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irritæ fierent, sed per omnia stabiles permanerent.*

VII. *Precaria, quam Sanctus Domnolus Episcopus Abbati suo Gallo fecit de Monasterio Sancti Carilephi.*

VIII. *Præceptum, quod Chilpericus Rex Sancto Domnolo Episcopo fecit, & suo Abbati Gallo de Monasterio Anisolæ.*

IX. *Præceptum emunitatis, quod fecit Chilpericus Rex Sancto Domnolo Episcopo de monasterio Anisolæ, & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.*

X. *Precaria, quam Hadoindus Episcopus de Monasterio Sancti Carilephi Sigranno Abbati fecit.*

XI. *Præceptum, quod Rex Chlotarius Haduindo Episcopo, & Sigranno Abbati de Monasterio Anisola fecit.*

XII. *Præceptum emunitatis, quod fecit Chlotarius Rex Haduindo Episcopo de Monasterio Anisola, & de omnibus villulis & rebus ad illum pertinentibus.*

XIII. *Precaria, quam Dominus Berarius Episcopus de Monasterio Sancti Carilephi Ibboleno Abbati fecit.*

R 2 XIV.

(c) Contendit Eckhartus *Tomo II. rerum Francicarum Lib. 29. pag. 299.* annum 837. reponendum esse pro anno 838, quia eo anno concurrit annus Ludovici Augusti XXV, si primus ejusdem Imperii annus computetur à Januario 814. quo Carolus M. obiit.

XIV. *Præceptum Dagoberti Regis super precariam Ibboleni Abbatis, quam à Domino Berario Episcopo de Monasterio Anisola accepit.*

XV. *Præceptum emunitatis, quod fecit Dagobertus Rex Domino Berario Episcopo de Monasterio Anisola, & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.*

XVI. *Precaria, quam Gauziolenus Episcopus de Monasterio Sancti Carilephi Didoni Abbati fecit.*

XVII. *Præceptum Chilperici Regis, quod fecit Gauzioleno Episcopo, & Subaldo Abbati super precariam eorum de Monasterio Anisola.*

XVIII. *Præceptum Chilperici Regis sub emunitatis tuitione Cenomanicæ Sedis Ecclesiæ factum Gauzioleno Episcopo. Simul & Confirmatio in hoc ipso præcepto continetur, quam fecit super precariam prædictus Rex Gauzioleno memorato Episcopo, & Didoni Abbati suo.*

XIX. *Præceptum emunitatis, quod fecit Theodoricus Rex Berario Episcopo de cellulis, & villulis sui Episcopii, & nominatim de Monasterio Anisola.*

XX. *Præceptum emunitatis, quod fecit Dagobertus Rex Episcopo Herlemundo de cellulis & villulis, de suo Episcopatu, ubi & monasteriolum Anisola commemorat, & suæ Sedis Ecclesiæ esse affirmat.*

XXI. *Monumentum de vita Sancti Innocentis Episcopi.*

XXII. *Exemplar de vita & actibus Sancti Turibi Episcopi.*

XXIII. *Præceptum, quod fecit Dominus Carolus Franconi Episcopo, quando ei monasterium Anisola per judicium, & plenam authoritatem reddidit, & suæ sedis Ecclesiæ confirmavit, sicut in eo continetur insertum.*

XXIV. *Præceptum, quod fecit Dominus Hludovicus Imperator Franconi Episcopo de mancipiis Sanctæ Mariæ & Sancti Carilephi, in quo continetur monasterium Anisolæ subjectum esse debere Cenomanicæ matri Ecclesiæ.*

XXV. *Præceptum, quod fecit Dominus Carolus Franconi Episcopo, quando ei concessit ut hostes, & itinera nulla faceret, sed Adalghisus suus propinquus omnia regalia servitia pro eo faceret, & per licentiam Franconis aliquam partem Abbatiæ Sancti Carilephi teneret, & post obitum Adalghisi ad jus & regimen Cenomanicæ matris Ecclesiæ absque ullâ contradictione reverteretur, sicut in eo continetur insertum.*

HUic judicio & redditioni interfuere subter inserti viri. Judith Imperatrix, Karolus Gloriosissimus Rex, Drogo Archi-Episcopus atque Archi-Capellanus, Autcarius Archi-Episcopus, Hadaboldus Archi-Episcopus, Amaluuinus Archi-Episcopus, Ajulphus Archi-Episcopus, Rataldus Episcopus, Ecardus Episcopus, Erardus Episcopus, Ebruinus Episcopus, Wiliricus Episcopus, Albericus Episcopus, Ghefridus Episcopus, item Albericus Episcopus, Simeon Episcopus, Ercanradus Episcopus, Jonas Episcopus, Vuiladus Episcopus, Asigaudus Episcopus. Adalardus Comes, Radulphus Comes, Bonefacius Comes, Adalbertus Comes, Vuarinus Comes, Herbertus Comes, Audulphus Comes, Stephanus Comes, Rainaldus Comes, Gissebertus Comes, Landricus Comes, Gerardus Comes, Abbo Comes, Teoto Comes, Poppo Comes, Erminus Comes, Anfredus Comes, Adalgarius Comes, Gebuinus Comes, Tetghildus Comes, Froandus Comes, Ardoinus Comes, Rumaldus Comes, Herloinus Comes, Hungarius Comes, Theodoricus Comes. Ricboto Abbas, Hludovicus Abbas, Stolido Abbas, Hilduinus Abbas, Burchardus Abbas, Lamtramnus Abbas, Godolricus Abbas, Daniel Abbas, Georgius Abbas, Elmeradus Abbas, Vuaringarius Abbas, Aldricus Abbas, Eribertus Abbas, Tethaldus Abbas, Marcoardus Abbas, Humbertus Abbas, Eginardus Abbas. Fulco Vassus Dominicus & Comes Palatii, Ragenarius Vassus Dominicus & Comes Palatii, Teutfridus Vassus Dominicus, Adalelmus Vassus Dominicus, Hericus Vassus Dominicus, Engiscardus Vassus Dominicus, Diso Vassus Dominicus, Franco Vassus Dominicus, Theoto Vassus Dominicus, Folcradus Vassus Dominicus, Bernuinus Vassus Dominicus, Evrardus Vassus Dominicus, Salaman Vassus Dominicus, Egibertus Vassus Dominicus, Vuinitmarus Vassus Dominicus, Vuitbaldus Vassus Dominicus, Radulphus Vassus Dominicus, Gunzo Vassus Dominicus, Odocricus Vassus Dominicus, Cadilo Vassus Dominicus, Letri-

Letricus Vaſſus Dominicus, Nantarius Vaſſus Dominicus, Robertus Vaſſus Dominicus, Iſaac Vaſſus Dominicus, Hugo Vaſſus Dominicus, Dagobertus Vaſſus Dominicus, Ebruinus Vaſſus Dominicus, & reliqui innumerabiles, quorum nomina propter prolixitatem hìc non inſerimus.

Baluz. Libro III. Miſcellaneorum edit. Paris. 1580. *à pag.* 114. *ad* 130.

Baluzius *eodem Tomo III. Miſcellaneorum* refert aliam chartam Ludovici Auguſti, & judicium Epiſcoporum fere omnium, qui Aquisgranenſi Placito hujus anni ſubſcripſerunt pro Monaſterio Aniſolenſi ſubjecto Eccleſiæ Cenomanenſi, ejúsque Epiſcopo Aldrico. Etſi enim in ea charta dicatur hæc *Confirmatio* ſubjectionis ejus Monaſterii ſub Eccleſia Cenomanenſi facta fuiſſe anno DCCCXXXVIII. in Cariſiaco Palatio in principio chartæ, & in fine dicatur hoc judicium Epiſcopale *factum fuiſſe VIII. Idus Septembris anno Imperii Ludovici XXV. Indict. I. Aquisgrani Palatio Regio*: attamen Eckhartus corrigendum putat, & reponendum annum 837. pro 838. nam illi non huic coincidit annus 25. Imperii Ludovici Pii, 2dò idem Ludovicus VIII. Idus Septembris non fuit Aquisgrani, ſed Cariſiaci, ut omnes coævi Scriptores teſtantur: ergo pro Aquisgrano reponendum Cariſiaco. Idem loc. citato Eckhart *Tomo II. pag.* 302. 303.

Non obſtantibus his Regiis Confirmationibus hujus Monaſterii, ſubjecti Eccleſiæ & Epiſcopo Cenomanenſi ſtatus mutatus fuit: nam ſub Carolo Calvo in Synodo apud Bonoilum anno 856; dein anno 862. in Synodo Juſtenſi, poſtremo in Vermeria Palatio anno 864. hoc Monaſterium Eccleſiæ Cenomanenſi ſubtractum fuit, ut *Baluzius* in nova collectione Conciliorum prolatis Canonibus oſtendit.

HLUDOVICUS
IMPERATOR

Confirmat Jus ALDRICI, Cenomanenſis Epiſcopi in Monaſterium Aniſolenſe, & Judicium Optimatum ſuorum contra Præcepta, quæ Monachi de Monaſterio Aniſolæ attulerunt coram eo, quando contra Aldricum Epiſcopum de prædicto Monaſterio, in rationes venerunt.

QUando *Aquisgrani Palatio*, anno Imperii Domini Hludovici Piiſſimi Auguſti XXV. coram eo & Principibus ſuis, tam Eccleſiaſticis, quam & ſæcularibus in generali Conventu querela de monaſterio Aniſolæ & rebus ſuis inter Aldricum Cenomanicæ Urbis Epiſcopum, & Sigemundum ejuſdem Monaſterii Abbatem agebatur & diligentius ſcrutabatur, atque jam dictus Pontifex inter reliqua inſtrumenta Chartarum, & Præcepta regalia, unum præceptum, quod Dominus Carolus facere juſſit, ſua videlicet propria manu roboratum, & anulo ſuo ſubter ſigillatum, per quod ipſe jam dictum Monaſterium Franconi Epiſcopi (*a*) Eccleſiæque ſibi commiſſæ reddidit; & Monachi prædicti Sigemundi quoddam præceptum de electione eorum, ut de ſemetipſis haberent licentiam eligendi Abbatem, quod dicebant juſſu Domini Hludovici Piiſſimi Imperatoris eſſe conſcriptum, ad quod reſpondit Dominus Imperator: " Si ego hoc præceptum fieri " juſſi, neſciebam, quod prædictum Mo" naſterium de Epiſcopio Cenomanico " eſſet, & ignorabam, quod Pater meus " illud ibi per ſuum præceptum redderet. " Sed quia vos & pares veſtri hoc mihi " celaſtis, & per fraudem & malum in" genium facere ſuaſiſtis; idcirco ipſum " præceptum, quod mihi præcipere fieri " dicitis, veſtro mendacio infirmatur, " quia cauſa, ubi fraus intercedit, non " valet, ſed magis reproba efficitur, & " ideo veſtrum præceptum ſtare non pote" rit, quia veſtro mendacio, & veſtra " fraude funditus deſtruitur. Si enim " nos unam vobis tantum electionem con" ceſſimus, ipſam citò finitam eſſe cog" noſcimus, quia Sigemundum, quem " vobis Abbatem elegiſtis, memoratum " Monaſterium ſua culpa perdidit, quia " nobis inobediens & infidelis extitit.

 Hæc

(*a*) *lege*: Epiſcopo.

" Hæc taliter prædictus Dominus Imperator agens, interrogavit cunctos circumstantes, quid super hac re eis rectius videbatur. Qui respondentes dixerunt, tam Episcopi, quam Abbates, etsi Comites & reliqui omnes: Hæc posteriora præcepta, quæ isti Monachi afferunt, non possunt destruere anteriora, quæ Aldricus Episcopus, & Ecclesia sibi commissa habet; sed anterioribus credendum est, & posteriora, quæ fraude & malo ingenio impetrata fuerunt, infirmantur, & stare non possunt, quia actio, qua in quibuscunque negotiis fraus intercesserit, non valebit. Et ut ratione & lege firmentur, ea quæ testamur, aliqua *ex Authenticis nostris* vobis testimonia indicantes proferimus. Constitutum est à S. Patribus, & bonis Imperatoribus & Lege decretum, ut quidquid falsa petitio à Principe obtinuerit, quia fraus intervenit, non valebit. *Item alibi:* Quæcumque contra jus conscripta fuerint, non valebunt, quocunque modo fuerint impetrata. *Item alibi:* Qui falsa Principum præcepta detulerint, puniantur. *Item alibi*: Dolus malus est, cum aliter agitur, aliud simulatur. *Item alibi:* Qui dolum, vel metum adhibuit, ut res ad alium transiret, de doli actione tenebitur. *Item alibi:* Dolus malus est, si per falsitatem voluerit quis prius definita convellere. *Item alibi:* Redintegrandum est à præsentibus Judicibus, & in ejus, unde abscessit potestate revocandum, quod quâcumque conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum, timore faciente deperierit. *Item alibi:* Quidquid vera, seu falsa petitio à Principe obtinuerit, quia fraus intercessit, non valebit. Magna fraus fuit, quoniam Monachi prædicti memoratum Monasterium de jure Cenomanicæ Sedis Ecclesiæ esse sciebant, quia non sunt adhuc XXX. anni, quod à Pontificibus memoratæ Sedis possessum est, & hæc celantes vobisque mentientes præcepta sibi sine consensu prædictæ Sedis Pontificis, cui justè debetur, facere suadebant. Et hoc justum est, ut si aliquis laicorum hoc fecisset, ut magnum detrimentum sustineret; sed & pro certo judicaretur illi, ut capitali sententia puniretur. Sed quia non laici, sed jam dicti Monachi hoc fecerunt, dignum est, ut ita coerceantur, ne alii Monachi deinceps talia agere præsumant. " Propterea nonnulli præfati Monasterii Monachi cum Sigemundo prædicto eorum Abbate, exilio damnati sunt. Et sic confirmatum sæpe dictum Monasterium Aldrico Episcopo, & ejus Episcopio, sicut in ejus notum est præceptis, & aliis monumentis chartarum continetur insertum.

Baluz. Miscellaneorum Tomo III. p. 237. *Ex quo Mansi Tomo I. Supplementi Conciliorum pag.* 893.

CONVENTUS NEOMAGENSIS.

Anno Christi DCCCXXXVIII. Gregorii IV. Papæ XI. Ludovici Pii XXV.

ACTIO I. Restitutio capturæ piscium ad Monasterium Fuldense.
II. Imperatoris liberalis Donatio facta Monasterio Herivordiensi Virginum.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXXXVIII. Indictione prima, mense Junio XVIII. Calendas Julii facta est contentio Gozboldi, & Hrabani Abbatis coram Imperatore Ludovico, & filiis ejus Ludovico, & Carolo, nec non & principibus ejus in palatio apud Neomagum oppidum constituto, de captura piscium D. Bonifacio olim donata, & per fraudem injuste ablata, quam convicti iniqui possessores D. Bonifacio, & Cœnobio Fuldensi, cui tum præerat Rabanus Abbas, jussu Imperatoris reddere coacti sunt: tabulæ his testibus consignatæ, Drugone Archi-Episcopo, (*a*) Otgario Archi-Episcopo, (*b*) Radolto Episcopo, (*c*) Helmgaudo Episcopo, (*d*) Gerfredo Episcopo, (*e*) Theotgrimo Episcopo, (*f*) Badurato Episcopo. (*g*)

IN

[*a*] Metensi. (*b*) Moguntino. (*c*) Argentoratensi. (*d*) Verdensi. (*e*) Monasteriensi. (*f*) Hildesheimensi. (*g*) Paderbornensi.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus Divina Clementia propitiante Imperator Augustus. Si illius amore, cujus munere cæteris mortalibus prælati sumus, loca Divino cultui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad Divinum cultum ulterius exequendum sustollimus, digno retributionis præmio à Domino fideliter remunerari credimus. Quapropter notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris, quia complacuit nobis ad quoddam Monasterium vocabulo Herivarth, quod in Ducatu Saxoniæ in honore Sanctæ Dei genetricis Mariæ semper Virginis constat esse dicatum, quod præsenti tempore venerabilis Tetta Abbatissa regere dinoscitur, quasdam res & mancipia nostræ proprietatis sitas in memorato Ducatu pro mercedis nostræ augmento delegare, ut inde uberius ancillis Christi inibi per tempora degentibus stipendia necessaria ministrentur, & necessitates ejusdem Monasterii procurentur: id est, in pago, qui dicitur Bursibant, in villa vocata Remi, Ecclesiam ibi constructam cum decimis, & omnibus rebus ac mancipiis ad se justè, & legaliter pertinentibus, & in pago, qui dicitur Schoppingus, in villa nuncupata Wattringas, Ecclesiam inibi fundatam cum decimis, & omnibus rebus ac mancipiis ad se juste, & legaliter pertinentibus, & in eodem pago, qui dicitur Schoppingus in villa, quæ dicitur Stocheim, Ecclesiam inibi fabricatam cum decimis, & omnibus rebus ac mancipiis ad se juste, & legaliter pertinentibus, & aspicientibus. Verum, ut eadem nostræ Majestatis largitio futuris temporibus inviolabilis permaneret, hanc nostræ auctoritatis conscriptionem circa memoratum Monasterium fieri decrevimus, per quam decernimus, atque jubemus, ut memoratæ Ecclesiæ cum decimis & omnibus rebus ac mancipiis ad se juste, & legaliter pertinentibus in jus ejusdem Monasterii Herivarth nomine perpetuo consistant, & nullus ex successoribus, aut etiam ex fidelibus nostris ullo unquam tempore easdem Ecclesias subripere aut inde aliquid minuere, aut eas de jure ejusdem Monasterii abstrahere præsumat, sed licet Rectricibus & ministris sæpe dicti Monasterii easdem Ecclesias cum rebus, & mancipiis ad eas jure pertinentibus Ecclesiastico ordine disponere atque gubernare: & ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus.

(L.S.) HLUDOVICI Serenissimi Imperatoris.

Hirminmaris Notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data VII. Idus Junii. Anno Christo propitio XXV. Imperii Domini Hludowici piissimi Augusti. Indictione prima. Actum Neomagi Palatio Regio. In Dei nomine feliciter Amen.

Schatenus Annalium Paderbornensium Lib. II. ad hunc annum.
Ex Annalibus Francorum Pithoeanis.
Ex Biographo Ludovici Pii.
Ex antiquitatibus Fuldensibus Pistorii Tomo I. pag. 474.

SYNODUS IN FRISIA,

DIOECESIS ULTRAJECTINÆ.

S. Fridericus (a) *Ep. Ultrajectinus navigat in Frisiam, Arii & Sabellii errores repullulantes impugnat, Synodum celebrat, & accito S. Odulpho Canonico Trajectensi, sanam doctrinam stabilit vulgatâ Synodica de mysterio Trinitatis sanam doctrinam continente.*

PEr idem sive tempus, Diabolo instigante & administrante Fresonicus populus de agnitione Sanctæ & Individuæ Trinitatis, adeo multis erravit in locis, ut

ut Sabellii, Ariíque ſectam ſecundò putares eſſe diſſeminatam & exortam. Quod cum Præſulis Friderici verberaret aures, excanduit citúsque flendo & ejulando Alechmere fluvium transmeavit, pagos & villas docendo peragrans. Sed pro nefas, neque per ſemetipſum, neque per ſuos commilitones diram nequibat corrigere gentem. Tunc Athleta Dei fortis, quid ageret ignorans, tandem accepto conſilio, Trajectum miſit Legatum, ut Sanctum Odulphum (*Canonicum Trajectenſis Eccleſiæ*) quam citius poſſet ad eum in Friſiam pergere rogaret: ſi forſitan Deus aliquam illi populo per eum daturus eſſet ſalutem. Legato autem ad urbem veniente, & legationem ſuam narrante, vir Dei protinus deſiderio Martyrii ductus quaſi ad epulas invitatus, lætus ſurrexit, transmenſóque jam dicto fluvio, ubi Pontifex manſit, *Staveren* pervenit. (*b*)

§. 30. Quo viſo Epiſcopus magno repletus eſt gaudio, datóque invicem oſculo ambo Divini verbi armati gladio totam illam regionem circuierunt, prædicando, & populum cor gerentem belluinum, Domini vivifico paſcentes pabulo mitigatum velut agnum ad Fidem Catholicam reduxerunt. Continuo ſcripſit enim beatus Præſul hujuſmodi chartam de Sancta Trinitate conſtructam, quam ad ſe pertinentibus Parochiis miſit & Sacerdotibus, ut ſi ſchiſma ulterius fieret in populo, frequenter legeretur in publico: "Æternus eſt Pater, æternus eſt Filius, " æternus eſt Spiritus Sanctus: Diſtinctio " enim in Perſonis, unitas cognoſcitur " in natura. Omnipotens Pater, omni- " potens Filius, omnipotens & Spiritus " Sanctus. Trinum quidem nomen, ſed " una virtus & potentia. Filius à Patre " incomprehenſibiliter genitus, Spiritus " Sanctus à Patre & Filio ineffabiliter " procedens, poteſtas non accidens, ſed " perpetua & individua manens, ſum- " mitas ſociabiliter, regnum ſine fine, " gloria ſempiterna, quæ ſola creat, ſola " peccata dimittit, & cœlorum regna " concedit." Inſuper ad placandam Sanctam Trinitatem orationem de Sancta Trinitate compoſitam pro ſalute plebis, ſingulis diebus tribus vicibus, videlicet mane, meridie, atque veſpere juſſit recitare. Sancto autem Odulpho cum conſilio Cleri & Fidelium illius Patriæ laicorum quamvis invito, Staverenſem ad regendum commendavit Eccleſiam, cunctisque bene diſpoſitis reverſus eſt Trajectum.

Ex vita MSS. S. Friderici edita in Actis Sanctorum Tomo IV. Julii ad diem 18. *Julii pag.* 466. *ab Hagiographis Antverpienſibus Soc. Jeſu.*

HEUSDEN autor *Bataviæ Sacræ Tomo I. pag.* 100. affirmat in Concilio apud Walacros habito Fridericum adornaviſſe Fidei Symbolum ad normam illius, quod Athanaſii nomen præfert. Sed error eſt. Symbolum hoc editum fuit in Concilio apud Freſones habito cum Odulpho, & reliquis Presbyteris, Friſii enim errabant circa myſterium Trinitatis, non Walachri, ſed horum error erat circa Sanctitatem conjugii, quod inceſtis nuptiis polluebant. Alia igitur materia erat Concilii celebrati apud Walachros, alia apud Friſios.

(*a*) S. Friderici Martyrium *Emmius*, *Buchelius & Mabillonius* ad annum Chriſti DCCCXXXVII. referunt: ergo ante hunc annum Synodum in Friſia celebravit.

(*b*) Stavera urbs & Emporium Friſiæ cum portu maritimo hodiéque noto.

SYNODUS TULLENSIS.

Anno Chriſti DCCCXXXVIII. Gregorii IV. Papæ XI. Ludovici Imp. XXV.

Frotharius, Epiſcopus Tullenſis, confirmat Abbatiæ S. Apri Parochiam S. Maximini.

OMnibus hujus ſanctæ Tullenſis Eccleſiæ filiis, & fratribus tam futuris quàm præſentibus, Frotharius miſericordia Dei Epiſcopus. Perſpicuè cognoſcimus, & certâ lege tenemus, quòd pro cunctis bonæ actionis ſtudiis, &

& ſpiritualibus animarum curis corona nobis & merces à Deo præparatur in cœlis. Unde ſicut cœpta juſtorum bona à nobis ſunt quotidie ſolidanda atque fovenda, ità & amiſſa ſolerter corrigenda, & ad ſtatum rectitudinis ſollicitudine pervigili revocanda; præſertim cum nobis Divina providentia cuſtodiam animarum, & regimen contulerit Eccleſiarum, quibus oves ſuas alimentis vitalibus paſcere, perdita requirendo, abjecta reducendo, & quæ vigent, diligentius ducendo præcepit. Proinde notum eſſe volumus veſtræ dilectioni, qualiter cellam ſancti Apri ab ordine religionis deſtitutam, rebuſque omnibus nudatam, Deo annuente, ac Domno & piiſſimo Ludovico Cæſare Auguſto conſulente, & authorizante, ad regularis normæ rectitudinem perduximus, rebus quibuſdam, antea ſublatis, redditis, quas etiam cupimus augmentari, ſi occaſio ſe apta præbuerit. Sed quoniam prava mens ſemel concepta difficile deſerit, raptores earumdem rerum à ſua cupiditate non facile potuerunt avelli. Unde compulſi Monachi prædicti Monaſterii, noſtram adierunt præſentiam, inter multas querimonias hanc maximè deferentes, quod ab adjacentibus ſuburbanis parochiis moleſtarentur, volentibus, parochiam Eccleſiæ Sancti Maximini ante fores ipſius Monaſterii poſitæ, à nobis autem eidem loco cum ſuis appenditiis redditæ, à terminis antiquitus conſtitutis detruncare, & parochianos ejus ſuis quisque finibus applicare.

Quam eorum querimoniam ad Synodum referentes, & ſubtiliter inveſtigantes, teſtimonio multorum tam clericorum, quam laicorum, qui antiquiores videbantur, reperimus prædictam baſilicam ſub titulo matricis Eccleſiæ antiquitus conſecratam. Qui etiam cum Sacramento probaverunt, ſe veraciter ſcire ipſam parochiam infra ſuburbium à priſcis temporibus ità determinatam, ut à muris urbis, & portâ àuſtrali, atque à fluviolo Lingruſcia, qui medium ſuburbium interluit, quidquid hac metâ concluditur, uſque ad ſummum vici ſancti Apri prædictæ matrici Eccleſiæ, more parochiali, legaliter ſine præjudicio foret ſubjectum; eâ tamen lege, ut ſi ipſi parochiani de terrâ ſancti Stephani aliquid extra præfinitum terminum excolerent, ad titulum ſancti Joannis debitam decimationem redderent. Extra ſuburbium autem, quia legitimæ determinationes definiri non poterant, ubicumque ſua perveniret pars, ſine controverſia acciperet. Hoc ergo teſtimonio, ancipiti ſubmotâ ſententiâ, decernimus, & conſultu totius Synodi ſtatuimus, ut ſecundum præfixum terminum prædicta Eccleſia jus parochiale in perpetuo poſſideat. Obſecramus autem, ac ſub invocatione nominis Divini obteſtamur unumquemque Antiſtitum ſucceſſorum noſtrorum, ne in aliquo prædictam determinationem violari patiatur; ut dum particeps ſit noſtræ bonæ voluntatis, ſit & remunerationis. Si quis verò, quod non credimus, contra hoc teſtamentum noſtrum venire tentaverit, aut hoc decretum violare, vel calumniari, ſive definita removere, feriatur judicio Divinæ ultionis ſub judicio perpetui anathematis. Quod ut magis fixum & ſtabilitum æternaliter maneat, manu propriâ firmavimus, & conſedentibus nobis firmandum tradidimus.

Ego Frotharius Epiſcopus, à me facto teſtamento, relegi & ſubſcripſi.
Ego Leutmundus primicerius ſubſcripſi.
Ego Berhardus presbyter ſubſcripſi.
Ego Hautfarius presbyter ſubſcripſi.
Ego Nivultus presbyter ſubſcripſi.
Ego Lohel presbyter ſubſcripſi.
Ego Ocrengaudus presb. & bibliothec. ſubſcripſi.
Ego Ermentrannus Levita ſubſcripſi.
Ego Euſtardus Diaconus ſubſcripſi.
Ego Herbertus Levita ſubſcripſi.

Actum Tullo in plenaria Synodo ſub die iduum Octobrium anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo trigeſimo octavo indict. 3. Imperante Ludovico Sereniſſimo Auguſto anno XXV.

Calmet Tomo IV. Probationum Hiſtor. Lotharingiæ pag. 484. 485.

MORINENSIS SYNODUS.

In qua Cœnobium S. Audomari, Abbatis S. Bertini Imperio ſubditur.

Anno Chriſti DCCCXXXIX.

HOc (839.) vel ſequenti anno (*a*) Synodum quandam celebratam fuiſſe in Morinis uno tantum verbo aſſerit *Joannes Iperius in Chronic. S. Bertini*, vulgato *à P.P. Martene & Durand. Anecdot. Tom. III.* Ibi enim *cap.* 12. *part.* 1. *col.* 511. legimus, Hugonem, Caroli magni filium, qui Monaſterium S. Bertini anno Ludovici Pii XXI. Chriſti DCCCXXXIV. regendum ſuſceperat, anno regiminis ſui ſexto Ludovici XXVI. (quæ annorum data in inſtrumento ejuſdem Hugonis legitur) Monaſterium S. Audomari, quod ab anteceſſore ſuo canonicis ſæcularibus traditum fuerat, obedientiæ utcumque Monaſterii S. Bertini reſtituiſſe; cujus rei gratia à Ludovico Imperatore privilegium obtinuiſſe, quod ait Author, *in plena Synodo confirmatum & publicatum fuit.* Quæ Synodus hæc fuerit, ubi locorum celebrata, ignorare me fateor. Interfuiſſe huic videtur S. Folquinus qui Morinorum Epiſcopatum anno 816. vel 815. regendum ſuſcepit, ut patet ex data ejuſdem inſtrumenti, quod conſignatur anno præſulatus Folquini XXIII. Concilium illud collectores fugit. Verba Iperii hæc ſunt: " Hugo noſter Abbas, cui ordinatio " Fridogiſi ſui prædeceſſoris præjudicare " non potuit, cum par in parem " non habeat Imperium, de dicta ordinatione " privilegium ſuum conceſſit, " conſenſu Imperatoris antedicti, quod ſic " incipit. Quidquid ob amorem Dei exigentes " rei brevitatem, &c. actum anno " Domini DCCCXXXIX. Indictione " ſecunda. Imperii autem Ludovici Regis " anno XXVI. præſulatus quoque " almi præſulis Folquini anno XXIII. (*b*) " & noſtri regiminis anno ſexto. Ego " Hugo Abbas, conſenſu Domni Ludovici " Imperatoris hæc voluntariè " firmavi, ipſumque ut ſubſcriberet " rogavi. Hac etiam ordinata ſubjectione " authoritate regia, & Imperiali, " ſanctique *Folquini* Epiſcopi privilegio " roborata, & utriusque collegii capitulari " ſententia concordata, ac in *plena* " *Synodo confirmata & publicata*, noſter " Hugo Abbas æditum ibidem conſtituit " hujus loci monachum, nomine " Morum, ordinationem exequens antedictam,

Manſi Supplementi Conciliorum Tomo I. pag. 897.

Ex Martene & Durand Anecdotorum Tom. III. Cap. 12. *Part. I. Columnâ* 511.

DD. Canonici Audomarenſes diploma iſtud de ſubjectione Monaſterii Sithivenſis ſub Bertinico Monaſterio, cui ante Fridogiſum ſubjectum jam fuerat, volunt eſſe ſuppoſititium, cum inde à Fridogiſo Abbate Prædeceſſore Hugonis ſemper ſui juris fuerint, & ab eo Præpoſitos ſuos accerſierit. *Malbrancq. de Morinis Tomo I. pag.* 235.

(*a*) Cl. Manſi in ſuis ad *Pagium animadverſionibus* ad annum Chriſti 839. hanc animadverſionem de hac Synodo inſeruerat.

(*b*) In Eccleſia S. Mariæ XII. Kal. Julii præſente *univerſali Synodo* ego Folquinus ex conſenſu & præcepto Domini Hludovici Imperatoris hæc voluntariè firmavi, & cum Epiſcopali interminatione ſubſcripſi. Ego Maximus Archi-Diaconus ſubſcripſi. Ego Hugo Abbas ſubſcripſi. Signum Adalardi Monachi. S. Amalberti III. S. Hunroci Comitis. S. Odgrini Advocati. S. Everucci Militis. S. Berarii Militis. Ego Gontbertus Levita & Monachus, juſſu D. Folquini Præſulis, hanc Chartam ſcripſi, & ſubſcripſi. *Hæc clauſula eſt P. Jacobi Malbrancq S. J. Tomo II. de Morinis L. V. pag.* 235. *diverſa ab illa, quam Manſi ex Yperio refert.*

CON-

CONCILIUM IN ENGILENHEIM.

Imperator Lotharius cum assensu variorum Episcoporum restituit Ebonem, anno 835. in Synodo Theodonis Villæ depositum, Ecclesiæ Remensi.

Anno Christi DCCCXL. Gregorii IV. Papæ XIV. Lotharii Imp. XXI. & I.

IGitur Ebo post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conversatus usque ad obitum Ludovici Imperatoris, qui contigit anno Incarnationis Dominicæ DCCCXL. Quo Imperatore defuncto, Lotharius ab Italia in Franciam venit: cui Ebo ad Wormaciam civitatem occurrit, eique Lotharius post aliquot dies sedem, & Diœcesim Remensem per edictum imperiale restituit. Cujus edicti habetur exemplar.

" In nomine Domini nostri Jesu " Christi Dei æterni. Lotharius DIVINA " ordinante providentia Imperator Augustus. Quia confessio delictorum " non minus in adversis necessaria est, " quàm in prosperis, & cor contritum " & humiliatum Deus non despicit; " gaudium etiam esse Angelorum in cœlo super uno peccatore pœnitentiam " agente non dubitamus: nos mortales " in terris eos nequaquam despicimus, " pro quibus gaudere Angelos in cœlo " DIVINO testimonio non ignoramus. " Accusantes & reprehendentes in excessibus semetipsos DIVINA nos benig" nitas non condemnare sed recreare do" cuit, qui meretricem non solum à le" gali damnatione eripuit; verum eti" am publicanum humiliatum, & ac" cusantem se non condemnavit; sed " magis justificando exaltavit; qui non " dixit: omnis, qui se humiliat, con" demnabitur; sed exaltabitur. Pote" statem ergo, quam pro causa nostra " raptus perdidisti, repetentibus Eccle" siæ tuæ filiis, præsentibus quoque ad" stantibus, ac decernentibus præsuli" bus, sedem ac Diœcesim Remensis " urbis tibi, Ebo, restituimus, ut pri" stino sanctæ largitatis Apostolorum " pallio indutus concordiam atque gra" tiam DIVINI officii nobis, cum humi" li satisfactione expleta solenni nostra à " largitate recipiendo exerceas. Drogo " Episc. assensi. Otgarius Archi-Episco" pus. Hecti Archi-Episcopus, Amal" winus Archi-Episc. Audax Archi" Episcopus, Joseph Episcopus, Ada" lulphus Episc. David Episc. Rodin" gus Epis. Giselbertus Episc. Flotarius " Episc. Badaradus Episc. Hagano Episc. " Hartgarius Episc. Ado Episc. Samuel " Episc. Rambertus Episc. Haiminus " Episc. Ratoldus Presbyter vocatus " Episc. Amalricus vocatus Episc. cum " cæteris plurimis presby. ac Diac. pub" licè assistentibus. Actum in Engi" lenheim palatio publico, in mense " Junii (*a*) VIII. Kalend. Julii, regnante " & imperante Domno Lothario Cæ" sare, anno reversionis ejus I. Succes" sor factus Patris in Francia; Indictio" ne III. Cui restitutioni præfatæ, quæ Suessionis (*b*) habita est, contradixit Synodus, asserens, quod damnatus à se atque à XLIII. Episcopis, à minori numero restitui non valuit. Quod edictum Remis Ebo secum detulit, & apud ipsos & plures illud diversæ professionis, & ordinis divulgavit, & in Ecclesia Remensi publicè recitari fecit. Ita eo tempore, quo Lotharius Carolum à regno expulit, & ultra Sequanam fugavit, Ebo sedem Re-men-

(*a*) Cointius & Pagius errorem hìc notant; cùm enim Ludovicus Pius hoc anno XII. Kal. Julii mortuus sit, quo tempore Hlotharius adhuc in Italia erat, qui lento gradu in Germaniam venit: hinc reponunt *in mense Augusto*, *VIII. Kal. Septembr.*

(*b*) Anno 853. VI. Kal. Maji Synodus celebrata Suessione, an canonicè restitutus Ebbo fuerit anno 841. & an ordinari ab eo Clerici legitimè ordinati fuerint?

menſem poſt ſex annos ſuæ depoſitionis recepit ; & Epiſcopale miniſterium agere cœpit. Sicque ordinationes celebrans quoſdam clericos ordinavit, & per *totum circiter annum* hoc Epiſcopium tenuit: donec Carolus (*c*) reſumptis viribus in Belgicam reverſus eſt. Quod audiens Ebo, relicta ſede Remenſi, ad Lotharium profectus eſt, & in ejus familiaribus manſit obſequiis : donec una cum Drogone Metenſium præſule Romam (*d*) petiit ; ubi à Sergio Papa reconciliari, ac pallium ſibi tribui poſtulavit. Cui idem Papa communione tantum conceſſa, dare pallium renuit. (*e*)

Flodoardus Hiſtoriæ Remenſis L. II. Cap. XX.

Alia ſeries Epiſcoporum, qui ſubſcripſerunt huic Synodo.

Epiſcopi, qui in Conventu Ingelheimenſi reſtitutioni Ebonis Remenſis ſubſcripſerunt, ſeu vi, ſeu metu Hlotharii, ſeu partium ſtudio, hi recenſentur apud Ducheſne.

Drogo Epiſcopus Metenſis, Archi-Capellanus, & Regis Frater.
Hecti Archiep. Treverenſis.
Otgarius Archiep. Moguntinus.
David Archiep.
Amalcoinus Archiep.
Joſeph Archiep.
Audax Archiep.
Adalulfus Epiſcop.
Erminius Epiſcop.
Badierada Ep. Paderbornenſis.
Agario Ep. Bergomenſis.
Samuel Epiſcopus Wormatienſis.
Rodingus Epiſcopus.
Frotharius Ep. Tullenſis.
Giſlebertus Ep. Noviomenſis & Tornacenſis.
Ado Epiſcopus.
Strampertus Epiſc. Brixienſis.
Ratulfus vocatus Epiſcopus.
Harcarius vocatus Epiſc.
Amalricus vocatus Epiſc. Comenſis.
Boſo Abbas.

cum aliis quamplurimis Abbatibus, Presbyteris, atque Diaconibus, remiſſus eſt autem à jam dicto Imperatore Lothario, ſeu à præfato Concilio, ad ſedem propriam, Remenſem ſcilicet Eccleſiam, ad quam veniens VIII. Idus Decembris receptus eſt ab Epiſcopis Suffraganeis ſuis.

Hactenus *Ducheſne Tomo II. Scriptor. Franciæ pag.* 341. *ex codice MS. Atrebatenſi.*

Goldaſtus Tom. I. & Eckhartus L. XXIX. rerum Franciæ Tomo II. pag. 334. *variam Lectionem nominum habet è Quercetana Editione.*

Hardouin. Tomo IV. Concilior.

(*c*) Anno 841. VII. Kal. Julii, Carolus Calvus & Ludovicus Germanicus contra fratrem Lotharium Imperatorem prælio decretorio victoriam ad Fontanitum referunt, quâ victoriâ Carolus Metis potiebatur, Ebo pulſus ad Hlotharium refugit. *Annales Bertiniani, Fuldenſes, Metenſes. Ademarus in Chronico Aquisgranenſi.*

(*d*) Ebbo Remenſis, & Bartholomæus Narbonenſis, cum Ludovico Hlotharii Imp. Filio Romam petierunt anno 844., ubi à Sergio II. Papa conſecrato IV. Idus Februarii anni hujus coronatus fuit Rex Longobardiæ XV. Junii in Baſilica S. Petri : Duo Epiſcopi Eccleſiæ reconciliari, & Pallium orârunt Papam. Sergius Papa edixit, eos communione intra Clerum indignos eſſe, & laicorum ſolam communionem conceſſit. *Eckhart. rerum Franc. Lib. XXX. §.* 13. *pag.* 374.

(*e*) Anno 8 . Ebo ad Synodum Pariſinam citatus non comparuit coram Hincmaro Præſide confirmato in Sede Remenſi anno 847, igitur jam 2da aut 3tia vice à Sede Remenſi deponitur, & ejus ordinationes anno 840. declarantur irritæ. *Eckhart. loco citato.*

(*f*) Poſt Rembertum II. Epiſcopum Hildeſienſem anno 847. defunctum Ebo gratiâ Ludovici Germanici, eo anno amici Hlotharii, fit Epiſc. Hildeſienſis uſque ad 851, quo, teſte Frodoardo, defunctus eſt XIII. Kal. Februarii, adeoque quinquennio Hildeſii ſedit. Errat Catalogus Leibnitii eidem dans annos XII. in Cathedra Hildeſina.

SYNO-

SYNODUS INCERTI LOCI EPISCOPORUM GERMANIÆ ET FRANCIÆ.

Anno Chriſti DCCCXLI. Gregorii IV. Papæ XV. Lotharii Imp. XXII. & II.

In qua decretum fuit: victoriam à Ludovico Germanico & Carolo Calvo obtentam apud Fontanetum contra Lotharium Imp. eſſe JUDICIUM DEI pro cauſa vera Ludovici & Caroli.

Decretum 2do: à Victoribus Fratribus, quod à perſecutione fugientium ceſſandum ſit. Omnes tam ſuaſores, quam effectores prælii pro ſola juſtitia & æquitate decertaviſſe.

Decretum 3tio: preces pro occiſis amicis & inimicis ſolvendas, & triduanum jejunium pro omnibus mortuis injunctum.

PRælio quidem, (a) uti præfatum eſt, ſtrenuè peracto, quid de palantibus perageretur, Lodhuvicus & Karolus in eodem campo deliberare cœperunt. Et quidam ira correpti, perſequi hoſtes ſuadebant: quidam autem, & maximè Reges, miſerantes Fratris, plebiſque, & ut *Judicio Dei*, & hac plaga repreſſi ab iniqua cupiditate reſipiſcerent, & Deo donante, deinceps unanimes in vera juſtitia devenirent, piis viſceribus, ſolito more, optabant. In quo negotio, Dei miſericordia ut præſtolaretur, ſuadebant. Quibus cætera multitudo aſſentientes à prælio & præda diſceſſerunt, & fere mediante die, ad caſtra redeunt: quid deinceps conſultius acturum videretur, deliberaturi. Fuit quidem ingens numerus prædæ & ingens cedæ, (b) inſuper ammirabilis immo & merito notabilis miſericordia tam Regum, quam & univerſorum. Nam diverſis pro rebus diem Dominicum inibi acturos ſe deliberarunt, in quo Miſſa peracta, amicos & inimicos, fideles & infideles pariter ſepulturæ tradebant. Plaga correptos ac ſemivivos eodem modo pro viribus ex animo refovebant. Poſt hos, qui fuga evaſerant, miſerunt offerentes, ſi revera ſana fide vellent, omnia delicta remitti. Poſt hæc Reges populiſque ſuper fratris populóque Chriſtiano dolentes, percontari Epiſcopos cœperunt, quid agere ſuper hoc negotio deberent? Quamobrem unanimes ad Concilium omnes *Epiſcopi* confluunt, inventúmque *in Conventu publico* eſt, quod pro ſola juſtitia & æquitate decertaverint, & *hoc Dei judicio* manifeſtum effectum ſit: ac per hoc immunis omnis Dei miniſter in hoc negotio haberi tam ſuaſor, quam & effector deberetur. At quicunque conſcius ſibi, aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certe quolibet vitio quiddam in hac expeditione ſuaſit, vel geſſit, eſſet vere confeſſus ſecretè (d) ſecreti delicti, & ſecundum modum culpæ dijudicaretur. Verumtamen in veneratione ac laude tantæ declarationis juſtitiæ, pro remiſſione delictis mortuorum fratrum ſuorum in eo, quod imperfecti peccatis intervenientibus ſe noverant, ut in multis volentes nolentéſque delinquebant, ut ſuo adjutorio ab his exuti liberarentur. Inſuper autem uti hactenus in juſtitia adjutor & protector illi Deus exſtitit, ità ut deinceps ubique exiſteret: proque his omnibus triduánum jejunium inventum, immoque libenter ac celebre celebratum eſt.

(a) Apud Fontanetum (aliis Fontaniacum oppidum eſt Franciæ, non procul Autiſiodoro ſitum) VII. Kal. Julii prælium cruentum inter tres fratres fuit. Hlotharius Filius primogenitus Ludovici Pii Auguſti nolebat acquieſcere diviſioni Regnorum factæ à Patre Wormatiæ anno 838.

(b) Forte *cædis* aut *cæſorum*.

(c) Communis persuasio omnium Francorum & Germanorum hoc sæculo, in privato duello & publico bello, per victoriam à Deo declarari innocentiam victoris contra victum.

(d) Ecce usum secretæ Confessionis pro peccatis internis. Licet enim victoris causa justa fuerit, attamen si intervenisset ex parte privatorum hominum vel ambitio, vel ira, aliúsve perversus finis, secretâ Confessione se expurget, & pœnam secundùm modum culpæ à judicio Sacerdotis accipiat.

Nithardus de Dissensionibus Filiorum Ludovici Pii Libro III. pag. mihi 463. ex Editione Pithoei.

AQUISGRANI CONSULTATIO EPISCOPORUM ET SACERDOTUM

De Regno Franciæ inter Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum dividundo, excluso Lothario Imperatore.

Anno Christi DCCCXLII. Gregorii IV. Papæ XVI. Lotharii Imp. XXII. & II.

LUdovicus & Karolus Lotharium à Regno suo abiisse certis indiciis cognovêre: Aquis Palatium, quod tunc sedes prima Franciæ erat, petentes: sequenti vero die, quid consultius de populo ac Regno, à Fratre relicto, agendum videretur, deliberaturi.

Et primum quidem visum est, ut rem ad Episcopos & Sacerdotes, quorum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum consultu, velut Numine Divino harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur, commissum est. Quibus ab initio gesta Ludharii considerantibus, quomodo Patrem suum Regno pepulerit: quoties populum Christianum perjurum sua cupiditas effecerit: quoties idem ipse hoc, quod Patri Fratribúsque juraverat, frustraverit: quoties post Patris obitum fratres suos exhereditare atque delere temprâsset: quota homicidia, adulteria, incendia, omnigenáque facinora universalis Ecclesia sua nefandissima cupiditate perpessa sit; Insuper autem neque scientiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet invenire posse ferebant.

Quibus ex causis non immerito, sed JUSTO DEI omnipotentis JUDICIO primum à prælio, & secundum à Regno suo fugam illum iniisse ajebant.

Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta Dei illum ejecerit, Regnúmque fratribus suis, melioribus se, justè ad regendum tradiderit.

Veruntamen haud quaquam illis hanc licentiam dedêre, donec palàm illos percunctati sunt: Utrum illud *Regnum* per vestigia fratris ejecti, an secundùm Dei voluntatem regere voluissent?

Respondentibus autem: in quantum nôsse ac posse Deus illis concederet, secundùm suam voluntatem se & suos gubernare & regere velle, ajunt: Et *authoritate Divina*, ut illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.

Nithardus Lib. IV. de Dissensionibus Filiorum Ludovici pag. mihi 476. 477.
Binius Tomo III. Concil. Part. I. p. 340.
Eckhart. Tomo III. rerum Franc. p. 347.
Beeck. Historiæ Aquisgrani Cap. X. pag. 225.

SYNO-

SYNODUS FRISINGENSIS

Anno Chriſti DCCCXLIII. Gregorii IV. Papæ XVII. Lotharii Imp. XXIV. & IV.

Traditio & veſtitura variorum bonorum facta à Baldrico in manus Erchanberti, Epiſcopi Friſingenſis, pro ejuſdem Eccleſia Cathedrali.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Notum ſit omnibus, Chriſtianam Religionem colentibus, quod *Erchanbertus Frigiſienſis* Eccleſiæ Epiſcopus annuente gratia divina cum Paldricho viro venerando ſe coadunavit talium rerum, ut ſequens ratio per ordinem demonſtrat, hoc eſt, quòd idem Epiſcopus, idémque vir nominatus convenerunt in loco nuncupante Dungeih, quod eſt juxta civitate Viriduna, ubi trium fratrum Hludhary, Hludowici, & Karoli facta eſt concordia, & diviſio Regi (*a*) ipſorum. Condixerúntque, quòd præfatus Baldricus proprietatem, quam haberet in finibus Bajowariorum, pro pecunia valente libras CCL. tradidiſſet ad domum ſanctæ Mariæ, & ut Erchanbertus jam dictus Epiſcopus nepos ſuus Reginbertus videlicet eandem proprietatem uſque ad exitum vitæ ipſorum ad proprium haberent, cenſúſque ab eis annuis temporibus ad jam dictam domum Dei veniret de argento ſolidi II. hoc eſt, de cuique illorum unus interdum cùm viverent. Poſt hæc acceſſit prænotatus Baldricus, & tradidit in capſas Sanctæ Mariæ, ac in manus Erchanberti Epiſcopi, & nepotis ſui Reginberti, atque advocati illorum Eparhary talem proprietatem, quam haberet in exercitu Bajowariorum in locis nominatis Tannara, Helidkereshuſir, Chleninawa, Munninpah cum omnibus ad hæc pertinentibus, hoc eſt, curtem cum domo, mancipiis, territoriis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarúmque decurſibus, mobile & immobile, totum, & integrum cum omni integritate, & juſtâ inquiſitione pertinente ad loca vocata. Iſti ſunt teſtes per aures tracti ſecundùm legem Bajowariorum: Fritilo Palatinus Comis, Cundpald Comis, alius Cundpald Comis, Rotolt Comis, Herilant Comis, Orendil Comis, Adalperht, Managolt, Reginperht, Adalhoh, Irinc, Hunolf, Cundalperht, Cundperht, Kejo, Piligrim, Aeriperht, Meginolt, Canto, Kepahart, Liuthart, Folmot, Petto, Regino, Reginperht, Eparheri, Otperht, Altol, Adalo, Eginolf, Althrih, Willihelm, Kepahoh, alius Kepahoh, Tozzi, Hringolf, Sigiwart, Cozzolt, Waldfrid, Alphrih, Mahtperht, Rihperht, Willihart, Rocholf, Kernod, Tozzilo, Kartheri, Job, Friduperht, Reginhart, Immo, Tagaperht, Hiltikern, Hludowic, Erchanbert, Irmfrid, Regindeo, Chuniperht, Manno, Engilpald, Cotaperht, Jacob, Alpkis, Eccho, Aelmuni, Antres, Oadalſcalch, Reginheri, Perhtram, Urolf, Eigil, Ermperht, Offo, Rihheri, Heriperht, Engilrih, Meginperht; & iſti ſunt Frieſoni Vaſalli Dominici: Ermfrid, Waldker, Lantfrid, Germo, Perhtolt, Adalhart, alius Adalhart. Et iſti Vaſalli Paldrici: Sipot, Kerans, Otachar, Camanolf, Folehans, Deotolf, Hiltihram, Kerrih Drudpald, Leipwin, Engilperht, Dincfrid, Magnus, Reginperht, Frumolt, Iſti etiam ſunt fidejuſſores: Sigipoto, Cundpald, à quibus Erchanbertus Epiſcopus, & Advocatus ejus Eparharius una cum nepoti ſui Reginperhto prædictarum rerum XI. Kal. Septembris veſtituram acceperunt coram multis teſtibus, quorum nomina: Adalperht, Cotaperht, Etih, Cundperht, Piligrim, Hitto, Eparheri, Juſiph, Folmot, Willihelm, Waldker, Oadalrih, Iſankrim, Iſanhart, Froimar, Nordperht, Wiſunt, Reginpoto, Perhtrih, Piſin, Jacob, Altolf, Lantperht, Talamot, Erchanolf, Riheri, Hucperht, Frecholf, Paldrih, Ekkiheri, Cozperht, Hrodperht, Rihheri, Lantperht, alius Hitto,

(*a*) Regni.

Hitto, Hiltolf, Hrodlant, Eparhelm, Reginolt, Reginpoto, Anno Incarnationis Domini DCCCXLIII. Indict. VI. Actum die decimo mensis VIII. hoc est IV. Idus Augusti.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Tom. I. Part. II. Instrum. DCXXIX. pag. 320.

EPISTOLA SERGII PAPÆ II. ANNO I. AD EPISCOPOS TRANSALPINOS

Anno Christi DCCCXLIV. Lotharii Imp. XXV. & V.

I. De Prælatione Drogonis (a) *Vicarii Sedis Apostolicæ, Filii Caroli Magni, Patrici Regum Hlotharii, Ludovici, Caroli Calvi.*

II. De ejusdem potestate congregandi Synodos generales in Germania & Galliis.

III. De Provincialinm Synodorum ad eundem relatione facienda.

IV. De potestate Appellantis ad Sedem Apostolicam audiendi.

V. De potestate examinandi Episcopos & Abbates.

OPtaveram equidem, fratres charissimi, tam glorioso certamini nostram corporalem exhibere præsentiam, pro recuperanda tam excellentis ordinis gloria modis omnibus desudare. Sed quia nos cunctarum solicitudo angit Ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more præcedentium nostrorum moderationis nostræ vicarios damnos. Ad nostræ igitur humilitatis vicem, cunctis provinciis trans alpes constitutis. Drogonem Archi-Episcopum Metensem, gloriosi quondam Karoli Imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum Francorúmque concorporavit Imperium, cauta deliberatione constituimus. Ut quia Serenissimi atque piissimi filii nostri magni Imperatoris Hlotharii, ejusque fratrum dilectissimorum filiorum nostrorum Hludouvici, & Karoli regum avunculus est, insuper sanctitate doctrinaque conspicuus, ab hac sede sanctissima Apostolorum Principis auctoritate percepta, vestris necessitatibus vice nostra idoneus ubique minister exsistat. Et quia omnium vestrorum solicitudinem illi gerere præcepimus, omnium volumus obedientia comitari. Decet sane, fratres, ut qui pro omnibus laborat, cunctorum subsidio fulciatur. Huic ergo in congregandis generalibus Synodis, in omnibus supradictarum regionum partibus nostram commodamus auctoritatem: & quidquid Provinciali Synodo fuerit, ad ejus absque dilatione statuimus notitiam perducendum. Si cui autem ab illis partibus hanc sanctam Sedem appellare opus fuerit, & in nostra audientia se audiri poposcerit, hunc commonemus; ut ad ejus primum audientiam se summittat: & Ecclesiasticorum gestorum in sua regione rationabili digestione prolata, si Episcoporum de eo, qui forte criminibus impetitur, sententia discordaverit, ut ab aliis reus, innocens judi-

(a) Drogonem hunc Metensem Episcopum primum post Bonifacium à Papis Gregorio III. Zacharia & Stephano *Tomo I. pag.* 39. 43. 9. constitutum Vicario generalio Legatum Apostolicum per Germaniam, Bajoariam & Gallias secundum fuisse institutum Vicarium Sedis Apostolicæ ex Hincmaro observat *Sirmondus Tom. III. Concil. Galliæ pag.* 9.

judicetur ab aliis; tunc ipsis gestis ad nos delatis, litteris etiam præfati fratris nostri, cui vicem nostram concessimus commendatus sive ad nos, sive ad beatissimi Petri Sedem securus accedat, nullaque eum in veniendo mora præpediat, quam etiam condicto fratri nostro Drogoni Archi-Episcopo in examinandis ac perquirendis Episcopis & abbatibus, sub hoc tenore hanc nostram licentiam, & auctoritatem concessimus, salvo in hujus omnibus universalis Romanæ Sedis primatu, nostrique præsulatûs honore, vigoreque & exaltatione carissimi, spiritalis filii nostri Domini Hlotharii magni Imperatoris. Nam nobis valde placuit, propter diversas Ecclesiarum perturbationes, hoc necessarium satisque dignum opus explere. Si vero hac admonitione contempta, solâ improbitate se criminibus exuendum existimaverit; noverit à nostra mansuetudine nequaquam se temerariam absolutionem adepturum, nisi primum & Provinciali Synodo, & postmodum generali, prædicti fratris nostri audientia ejus fuerit actio ventilata. Illic enim causa subtilius examinatur, ubi perpetrata dignoscitur. Tamen si se ad nos venire poposcerit, ut ante prædiximus, non teneatur. Si autem vel sui Metropolitani provincialem Synodum evocatus adire noluerit, vel ad generalem præfati Vicarii, Legatique nostri conventum venire contempserit, cùm hæc nostris Apostolicis auribus per suas litteras intimare decreverit, nostra & totius Ecclesiæ Catholicæ se noverit auctoritate judicandum. Quod si violentiam sibi à religiosis filiis nostris regibus quilibet Episcoporum, quominus Canonum statuta custodiat, queritur irrogatam; nos hoc suffugium, annuente Domino, litteris ad eos missis credimus amputandum. Nequaquam enim auditu tolerabile est, ut germanorum fratrum in fide Trinitatis terna societas à sui dilectione, communi juris æquitate dissiliat. Quodsi eorum quilibet post discordiæ principem abire maluerit; nec Catholica fuerit pace contentus, hunc merito, Deo auxiliante, Canonicis authoritatibus, prout melius possumus, castigare studemus. Ceterum, fratres, tamquam sub uno charitatis globo constitutam vestram alloquor sanctitatem, ut idipsum omnes sentiatis, & non sint in vobis schismata; neque per aliquos inanium argumentationum cuniculos, vel vobis ipsis, vel populo vobis commisso, veritatem subducatis, quæ absque refragationis diverticulo vera prosequitur, dicens: *Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* At contra, qui bella volunt, quia diaboli filii sint, palam datur intelligi. Sed nos in eo, qui vincit mundum, beato Petro Apostolo intercedente, confidimus, quod nullo typho sæcularis audaciæ vestra succumbit auctoritas: tamen etsi ad tempus prævaluerint, quia in æternum damnabuntur, ambiguum non est. Vos autem etsi persecutionem patimini propter justitiam, beati. Deus vos incolumes custodiat, fratres, Amen.

Sirmondus Tom. III. Concilior. Galliæ ex Codice S. Arnulphi Metensis.

Epistola Sergii Papæ, ut Sergio II. adscriberemus, erat enim ἀνεπίγραφος, fecit authoritas Hincmari, qui Drogonem à Sergio prælationem obtinuisse scribit Epistola VI. adeptum autem anno DCCCXLIV. intelligi licet ex Cap. II. Synodi Vernensis. *Sirmondi Nota.*
" De Prælatione (*b*) Reverendissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi exspectandum, quam maximus cogi potest, Galliæ, Germaniæque Conventum; & in eo Metropolitanorum, reliquorúmque Antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus, nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, & non alia, quam quæ prætenditur, latet causa: illi potissimum convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & Excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.

(*b*) Hic est Canon XI. Concilii in verno Palatio celebrati, anno 844. unde relucet potestatem Vicarii Pontificii à Sergio II. Drogoni collatam non fuisse in usum inductam ante consensum Antistitum Germaniæ & Galliæ: & hic consensus nuspiam datus fuisse legitur.

CONCILIUM AD THEODONIS VILLAM.

Capitula, quæ acta sunt in Synodo secus Theodonis Villam habita, in loco, qui dicitur Judicium, quando tres Fratres gloriosi Principes, Hlotharius videlicet, Hludouvicus & Carolus, simul convenerunt, cui Synodo Drogo Metensis Episcopus præsedit, consensu eorumdem Regum: quæ & ipsi Principes ante se, Fdelésque eorum relecta Capitula approbaverunt, & se eadem servaturos, auxiliante Domino, promiserunt, mense Octobri, Indictione VII. (*)

Anno Christi DCCCXLIV. Sergii II. Papæ I. Ludovici Germaniæ Regis XI. (*a*) à morte Patris IV.

TITULI CAPITULORUM.

I. Ut Principes mutuam inter se caritatem & concordiam habere studeant.

II. Ut Episcopi ordinentur in viduatis sedibus, & suos recipiant, quæ his privatæ sunt.

III. Ut Monasteria laicis concessa, Religiosis deinceps viris, seu feminis, committantur.

IV. De rebus Ecclesiasticis non pervadendis, præter subsidium, quod exinde offertur Reipublicæ.

V. Ut locorum Religiosorum, quod laici tenent, curam interim & providentiam gerant Episcopi.

VI. Ut ordo Ecclesiasticus antiquum vigorem recipiat, judicium & justitia omnibus reddatur, & pœnitentia de præteritis agatur.

PRÆFATIO.

NAvis Sanctæ Ecclesiæ ab exordio suo variis sæpe perturbationibus mersa, sed excitato fidelium precibus gubernatore suo Christo nunquam est usquequaque demersa. Quæ quondam etiam, ut nunc videtur, pæne collapsa, Progenitorum vestrorum studio & devotione est authore Deo juxta modum divinitus concessum recuperata. Unde immensas Domino Deo nostro laudes referimus, qui & corda vestra ad intentionem similem excitavit, & post vestigia Patrum vestrorum, quibus per temporale regnum ad æternum perveniatis, ire velle docuit & inspiravit. Vestræ nihilominus nobilissimæ Dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus: quia ad evitandum & vestrum & nostrum periculum, & ad communem totiusque periculi providendam salvationem, bonam & bene placitam Dei voluntatem subsequi, & divinum consilium secundum præceptum Domini, quo dicitur: *Interroga* (b) *Sacerdotes legem meam: & interroga* (c) *Patres tuos, & annuntiabunt tibi.* à nobis quamquam indignis Christi tamen Vicariis quærere, & benigna devotione, velut revera ex ore ipsius

(*) Indictio in Caroli regno & diplomatibus plerumque à Natali Christi inchoatur judice *Eckharto Tom. II. pag.* 379, inde Indictio VII. retinenda.

(*a*) Ludovicus Germaniæ & Bajoariæ Rex triplex habet Regnorum suorum initium, primum à Ducatu Bajoaria, quem Pater Ludovicus Pius anno 833. ei concesserat. Secundum à morte Patris Ludovici Pii, quæ anno 840. obtigit, Tertium ab anno 839. ut ostendit *Mabillon. de re Diplomatica, & in Annalibus Benedictinis Tomo II. Lib. XXXIII. Cap.* 31. Nos prima Epocha ducta ut anno 833. duntaxat utemur. Chartæ Bavaricæ ab anno 825. æram Ludovici numerant, judice *Hansitzio.*

(*b*) Aggæi II. 2. (*c*) Deuteron. XXXII. 7.

ipſius Dei, exſpectare dignamini. Quod humilitatis veſtræ ſupernum donum Sancta Eccleſia cum tanto gaudio ſuſcipit, ut de vobis etiam in conſolatione ſua ſibi dictum à Domino aptare velit: *Pro Patribus* (d) *tuis nati ſunt tibi filii.* Id eſt, pro iſtorum Progenitoribus, qui te paterno affectu ditaverunt, & ampliaverunt, ac coluerunt, nati ſunt tibi iſti filii, qui in te & paterna munera reſarciant, recuperent, & conſervent; & te fideli devotione, ut bonæ indolis adoleſcentes, me ſuper eos intendente, eisque manum ſolatii porrigente, tueantur & excolant.

CAPITULA

I.

His ita præmiſſis, Nobiliſſimi Domini, ut cum pace veſtra dicamus, quia conſtat hanc Sanctam Eccleſiam ſanguine Chriſti redemptam, & Prædeceſſorum veſtrorum multo labore redintegratam ac adunatam, atque gubernatam, veſtra diſcordia eſſe diſciſſam & perturbatam atque afflictam; videtur nobis, ſi & in præſenti feliciter regnare, & in futuro cupitis eſſe ſalvi; & ab hac eadem Eccleſia vobis ad gubernandum commiſſa, pro qua ex miniſterio regali reddituri eſtis Regi Regum rationem in die judicii, tam multiplices ac pernitioſas corruptionis peſtilentias vultis amovere; & vigorem regium ac ſeniorale, & ſuper veſtros, & ſuper impugnantes poteſtatem veſtram optatis habere; caritatem illam, quam Apoſtolus docuit: *De corde* (e) *puro*, *&* *conſcientia bona*, *&* *fide non ficta*, inter vos ſtudete habere; & quia ſic habeatis, & fidelibus & infidelibus veſtris omni virtute & puritate curate manifeſtare; ſicut Dominus docuit, dicens: *In hoc cognoſcent* (f) *omnes*, *quia mei eſtis Diſcipuli*, *ſi dilectionem habueritis*, *ad invicem.* Quæ non tantum verbo & lingua, ſed potius remoto quolibet modo, omni occulta nocendi machinatione, aut quod abſit, aliena à caritate aperta impugnatione, quocumque quis indiget, pro viribus vero conſilio, & prompto auxilio ab altero adjuvetur: quoniam ſcriptum eſt: *Frater*, *qui adjuvatur* (g) *à fratre*, *quaſi civitas firma.* Et ita in populum commendatum, pro iſta quæ hactenus operante per membra ſua diabolo verſata eſt diſcordia, pacem illam diſſeminate, quam Chriſtus in cœlum aſcendens fidelibus ſuis munere magno reliquit, dicens: *Pacem* (h) *relinquo vobis*, *pacem meam do vobis.* Sine qua nemo videbit Deum.

II.

Quia bene noſtis ab illo, qui ſolus merito & Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Eccleſiam diſpoſitam eſſe, ut Pontificali authoritate & regali poteſtate gubernetur: & ſcriptum eſſe liquido pervidetis: *Ubi non eſt gubernator*, (i) *populus corruit.* Et tanto periculoſius, quanto anima eſt plus pretioſa, quam corpus: Canonum etiam irrefragabilis authoritas ſuper Epiſcoporum ordinatione, & in populi ad cuſtodiendum ſuſcepti vigilantia, ac ſedium ſuarum tenaci ſtabilitate evidentiſſimè præcipiat: ferventiſſimè Dei legatione fungentes monemus, ut ſedes, quæ veſtra diſcordia ulterius nec nominanda, ſine ſacro Epiſcopali miniſterio, & ſine Epiſcopis viduatæ manent, ſubmota funditus peſte Simoniacæ hæreſeos, ſine dilatione, juxta authoritatem Canonicam, aut Epiſcopos à Deo datos, & à vobis regulariter deſignatos, & gratia Sancti Spiritus conſecratos accipiant: aut quæ ſuis Epiſcopis quacumque occaſione privatæ ſunt, Canonicè eos ſine aliqua excuſatione aut tarditate recipiant.

III.

Sacrum quoque monaſticum ordinem à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſſimis & Sanctiſſimis Patribus excultum, atque per iſtud imperium à veſtris piæ memoriæ Prædeceſſoribus propagatum, & quædam etiam loca ſpecialius venerabilia, contra omnem auctoritatem, & rationem, ac Patrum veſtrorum, ſeu Regum præcedentium conſuetudinem, laicorum curæ & poteſtati, in maximo veſtro periculo, & illorum perditione, & Dei ac Sanctorum non modica ad iraſcendum provocatione, vos commiſiſſe dolemus. Quapropter pro Chriſto devotiſſimè obſecramus, ut tam magnam offenſam & juſtam

T 2

(d) Pſal. XLIV. 7. (e) I. Timoth, I. 5. (f) Joannis XIII. 35.
(g) Proverb. 18. u9. (h) Joannis 14. 27. (i) Proverb. XI. 14.

juſtam reprehenſionem, atque periculoſam ſine exemplo præcedentium præſumptionem, ab animabus veſtris, & à felicitate regni veſtri pellatis, & loca venerabilia, & habitum ac ordinem ſacrum, eis, qui ad hoc vocati ſunt, viris ſcilicet, qui ex Clericali, & Eccleſiaſtico vel Monaſtico ordine, religioſis, ſeu & in ſuo ſexu feminis Deo dicatis atque devotis, & in ſchola Chriſti eruditis, ad cuſtodiendum & providendum committatis, qui & quæ Dei ſunt, Deo, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddant. Qui ſi minus perfectè, & in Divina Religione, & in Reipublicæ utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum ſubſtituantur; & non propter pravorum nequitiam ordo religionis, & loca ſacratiſſima eis, quibus licitum non eſt, committantur: cum manifeſtiſſimè Scriptura demonſtret Ozam (*k*) morte damnatum, qui arcam Domini quaſi cadentem relevare voluit, quam vel contingere illicitum ei fuit.

IV.

Occaſionem etiam, & fomitem, unde ordo Eccleſiaſticus & Canonica forma, atque Monaſtica Religio ſæpe à longe ſuperiori tempore, cùm minus religioſos Principes habuit, titubavit, & iterum, cùm devotos, & in Dei zelo ferventes Principes accipere meruit, reſurrectione quadam revixit, & vigorem recepit, atque ſui proceſſus tempore ambulavit (quod non ſine dolore gravi, & metu ultionis Divinæ dicimus) in veſtri regiminis tempore *in deſtructionem* (*l*) *non in ædificationem*, ſicut Paulus docuerat, accidiſſe conſpicimus. Quod & noſtris peccatis, qui diſpenſatores Eccleſiarum eſſe debuimus, veraciter imputamus: & eorum, quorum factione res iſta adeo malè pullulavit, & excrevit, alia præcedentia peccata hoc meruiſſe pro certo aucthoritate Divina cognoſcimus; ut qui nocebant, ſicut ſcriptum eſt, nocerent adhuc, & qui *in ſordibus* (*m*) *erant, ſordeſcerent adhuc*: unde Deum gravius ad iracundiam provocarent; & ſanctos, quos interceſſores ſuis peccatis habere debuerant, inſenſos haberent; & Sacerdotes ac viros religioſos ſeu Chriſti pauperes, quos oratores & reconciliatores ſibi de ſuo promereri neceſſe fuerat, proclamatores adverſum ſe fieri irritarent; & ad cumulum ſuorum peccatorum etiam illa peccata, unde in conſpectu Dei rationem in die terribilis judicii redderent, augerent, quæ illi commiſerunt, qui eadem iſta peccata per interceſſionem fideliſſimarum oblationum deleverunt, quibus Eccleſiaſticarum rerum pervaſores inconſulte, & in pernitiem ſui ſine reverentia abutuntur. Quod ità verum eſſe, ut dicimus, Dominus proteſtatur, dicens: *Peccata* (n) *populi mei comedunt.* peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem Divinam res Eccleſiaſticas indebite pervadunt; & nec interceſſionis ope, nec prædicationis conſilio, vel quocumque Divino auxilio, pro peccatis eorum, qui eas dederunt, laborant; nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inſervire permittunt. De quo periculoſo facto vos, Chriſtianiſſimi Principes, venerabiliter admonemus, & devotiſſime obſecramus; ut memores ſalutis veſtræ, præſentis ſcilicet, & æternæ, memores etiam largitatis progenitorum veſtrorum erga ſanctas Eccleſias, propter quam feliciter regnarunt, & ſibi contrarios ſuperaverunt, memores ſiquidem, cum quanta religione etiam ante Chriſti ſanguinem, & in tempore famis in Ægypto diſcretione ſancti Joſeph apud nefandum regem Pharaonem *terra* (o) *Sacerdotalis* exſtitit. Innumera quoque Scripturarum exempla, ut lacte Eccleſiæ nutriti, & ſcientiæ ipſius ſufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Chriſti, qui vos elegit, & exaltavit, quam nec milites auſi fuerunt ſcindere, tempore veſtro quantocius reconſuite, & reſarcite: & nec violenta ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione, res ab Eccleſiis vobis ad tuendum, & defendendum, ac propagandum commiſſis auferre tentate: ſed ut ſanctæ memoriæ avus, & pater veſter eas gubernandas vobis fautore Deo, dimiſerunt, redintegrate; & præcepta regalia, earumdem Eccleſiarum conſervate ac confirmate: ne ſicut intentavit Samuel Propheta ad Roboam filium Salamonis in *conſciſſione Pallii*, (p) præſens regnum, quod abſit, vobis patrum labore acquiſitum,

(*k*) II. Regum VI. 7.
(*n*) Oſeæ IV. 8.
(*l*) II. Corinth. III. 10.
(*o*) Geneſ. XLVII.
(*m*) Apocalypſ. XXII. 11.
(*p*) III. Regum XI, 10.

ſitum, & hæreditate relictum, à vobis ipſe Chriſtus dividat, & æternum regnum, quod promiſit, non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies conſideretis: quia ſi ad tempus illis diſplicueritis, cum vos Deo placebitis, in vobis ille, quod promiſit, implebit: *cum placuerint* (inquiens) *Domino* (q) *viæ hominis, omnes inimicos ejus convertet ad pacem.* Quod ut commodius valeatis implere, unuſquiſque vir Eccleſiaſticus, & interceſſionis adjutorium, & ſolatii, quo res publica indiget ſubſidium, juxta quantitatem rerum Eccleſiæ ſibi commiſſæ, ſalvo jure, quod exinde Divinis diſpenſationibus debet impendi prompte, & ex animo parare, & impigre, ſicut tempore anteceſſorum veſtrorum conſueverat, ſtudebit offerre.

V.

Et quia ſancta Eccleſia, in arca trituræ Dominicæ docta, quædam novit redarguenda, quædam diſſimulanda quædam etiam gemenda uſque ad tempus perficienda; perſpeximus, eo ferventiori zelo, quo majora corrigenda ſunt, veſtram poteſtatem, & ſacerdotalis conſilii auctoritatem, quædam ad præſens ex aſſe non valere corrigere. Et ideo de Canonicorum Monaſteriis & Sanctimonialium, quæ ſub eadem forma vivere dicuntur, conſideramus, ſicut Apoſtolus Paulus dicit: *Secundum* (r) *indulgentiam, non ſecundum imperium*, ut ſi propter imminentem reipublicæ neceſſitatem laicis interim committuntur, Epiſcopi providentia, in cujus parochia conſiſtunt, adjuncto ſibi aliquo Abbate viro religioſo, ſtudeatur, qualiter reſtauratio locorum, & ſtudium, ac cuſtodia officii & religionis, atque ſubſidium temporalis neceſſitatis, in eiſdem locis degentibus, juxta qualitatem & quantitatem moderationis, adhibeatur. Et qui eadem loca tenuerint; eis inde, ſicut & de aliis Chriſtianæ religionis negotiis, pro Chriſti, & veſtra reverentia obediatur. Quodſi quis non fecerit proviſorum curæ erit, ut ad veſtram hoc notitiam referant: & veſtra Dominatio, ſecundum ſibi à Deo commiſſum miniſterium, pro modo culpæ, quæ emendanda ſunt, corriget. Per loca etiam monaſtica ejuſdem ordinis proviſores neceſſe erit diſponere, cum veſtra auctoritas eos, qui vices Chriſti ſecundum regulam divinitus dictatam in Monaſteriis agant, ſtuduerit ordinare.

VI.

Petimus tandem, ut ordo Eccleſiaſticus, in quibuſcumque ei fuerit neceſſe, rigorem ſalutis humanæ exſerere, per poteſtatem veſtram, & per miniſterium miniſtrorum dominationis veſtræ, ſecundum antiquam conſuetudinem ſuum vigorem recipiat. Et populi generalitas una, cum Eccleſiaſtica devotione judicium, quod honor Regis diligit, & juſtitiam, qua thronus ejus firmatur, per diſpoſitionem veſtram ſuſcipiat; ſeu admonitione atque conſilo ſacerdotali veſtra ſublimitas, & quiſque in quolibet ſtatu vel ordine, de rapinis, & ceteris, quæ diſcordiæ malo acciderunt, præteritis erroribus pœnitudinem gerat, & Domini reconciliationem expoſtulet. Quam facile omnis, qui quæſierit, inveniet, ſi in loco diſcordiæ plantata fuerit caritas, quæ cooperit multitudinem peccatorum: eumque potius quam nos in conſilio non noſtro, ſed Dei attendatis, qui dixit: *Qui* (s) *vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Binius. Sirmondus. Hardouin.

ADNOTATIO P. SIRMONDI.

In Concilio Meldenſi Synodus hæc præponitur Lauriacenſi. Prius enim Capitula memorat, quæ apud Theodonis Villam ſtatuta fuerant, tum quæ apud Lauriacum. Conſtat autem utramque Synodum uno eodem menſe habitam, hanc in Caroli regno, illam in Lotharii.

(*q*) Proverb. XVI. 17. (*r*) I. Corinth. VII. 6. (*s*) Lucæ X. 26. Matth. X. 20.

CONVENTUS IN PATERBRUNNEN.

Anno Christi DCCCXLV. Sergii II. Papæ II. Lotharii Imp. XXV. & V. Ludovici Germaniæ Regis VII. (a)

Acta in hoc Conventu pro Statu Ecclesiæ per Saxoniam formando & reparando temporum injuria perierunt. Supersunt tres donationes Regiæ Corbeiensibus factæ in hoc Conventu.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hludovicus divina favente gratia Rex. Cum in nomine unicæ & perpetuæ Trinitatis pro Regimine S. Matris & universalis Ecclesiæ etiam & pro statu regni nobis divinitus & paterno jure commissi Patherbrunnen pervenimus, aderant inter cæteros fideles nostros quidam Monachi cum venerabili eorum Præposito Walanæ (b) ex Monasterio, quæ nova Corbeia nuncupatur, coramque familiaribus Consiliariis nostris in præsentiam culminis nostri adducti attulerunt Domini ac Genitoris nostri Hludovici Excellentissimi Imperatoris quoddam Præceptum, in quo continebatur, qualiter idem Christianissimus Imperator præfatum Monasterium in honorem S. Stephani Proto-Martyris Christi super fluvium Wisera in Villa Regia, in loco dudum nuncupante Hucxeri Adalhardo cuidam seni Abbati germanoque suæ Walanæ (c) construi ac fabricari præcepisset, obsecrantes clementiam Serenitatis nostræ, ut pro majori firmitate ac certiori studio securitatis, nostræ mansuetudinis super hoc præceptum paterno ac regali affectu confirmari deberet. Quorum petitioni justæ & rationabili aurem libenter accommodavimus, ac præscriptam villam Hucxeri, (d) quam Serenissimus Augustus ad præfatum Monasterium tradiderat, cum omnibus finibus vel terminis suis terrísque, silvis, aquis, aquarúmve decursibus, seu cunctis adjacentiis, nec non apendiciis suis sive res & possessiones, quæ à Deum timentibus, vel gratiam divinam diligentibus ibi conlatæ sunt, (e) etiam & res, quæ ad Corbeiam antiquiorem; ex cujus vocabulo illud Monasterium nomen usurpat, traditæ fuerunt, infra fines regni Saxoniæ terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, propriis vel communibus ædificiis, prius habitis vel postea constructis, mancipiis quoque diversi generis vel conditionis, mobilibus & immobilibus datum vel traditum erat cum omni integritate præfato Monasterio, & Monachis ibidem Deo soli (f) militantibus ad possidendum fruendúmque per hanc nostram auctoritatem in eleëmosynam præfati piissimi Genitoris nostri, ac nostram confirmare ac stabilire decrevimus. Libuit etiam nostræ Celsitudinis Pietatem erga Divæ memoriæ Genitoris nostri Nobilissimi Augusti institutionem, quando divina vocatione Abbas (g) prædicti Monasterii vitam finierit mortalem, quamdiu ipsi Monachi inter se talem invenire hujusce vitæ quiverint, qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti, primi instructoris illius normæ, regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbatem, quatenus ipsos servos Dei, qui illic uni Deo diu noctúque serviunt, pro nobis proleque nostra & stabilitate regni à Deo nobis conlati jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Illud vero inserere hoc præcepto nostræ placuit regiæ auctoritati, ut licentiam habeant Rectores & Ministri ejusdem Monasterii, cum quibuslibet homi-

(a) Annum VII. Ludovici Regis Franciæ Orientalis computat Schatenus ab anno 839, quo adjutus à Saxonibus & Thuringis Alemanniam & Franciam Orientalem sibi vendicavit. *Schatenus ad h. annum.*

(b) MS. *Walone.* (c) MS. *Walone.* (d) MS. *Huxeri.*

(e) MS. *fuerant* pro *sunt,* (f) *soli* aberat à MS. (g) *Abba* MS.

hominibus liberis res & mancipia legaliter commutare, videlicet ut quidquid pars justè & rationabiliter alteri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant, atque possideant, & quidquid exinde facere voluerint, libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostræ per diuturna tempora inviolabilem, atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

(L.S.) HLUDOVICI Gloriosissimi Regis.

Dominicus Notarius ad vicem Radleici recognovi.

Data IV. Idus Decembris. Anno Christo propitio septimo Regni Domni Hludovici Regis in Orientali Francia. Indictione VII. Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter. Amen.

Schatenus Annal. Paderbornens. Lib. II. pag. 130. *ad hunc annum ex Originum literis Corbeiensibus.*

Secunda Donatio Corbeiæ facta, eodem die & Concilio, uti & tertia eodem mense, sed non eodem loco Corbeiæ novæ facta donatio, cum nihil singulare contineant dignum publica Germanicarum Ecclesiarum scientiâ, legi possunt apud *Schatenum loco citato.*

SYNODUS TREVIRIS INDICTA, INDEQUE TRANSLATA PARISIOS.

AD ANNUM 847.

Cùm anno superiore Ebbonis quondam Remensis Archi-Episcopi recruduisset, instigante Sergium Lothario adversus Hincmarum Ebboni in Cathedra suffectum, disceptandæ controversiæ Treviris indicta Synodus, quo & Ebbo, & Hincmarus cum primariis Galliarum Episcopis evocati. Dederat ad Carolum Regem & Guntboldum Rothomagensem Archi-Episcopum Sergius Papa literas, ut post diem Sanctæ Domini Resurrectionis cum cæteris Episcopis Treviri adesset, judicium de Ebbonis depositione repararet, Hincmarum ibidem sisteret. Verùm postquam Legati, qui à Sergio exspectabantur, tempori non affuere, Synodus Lutetiam translata: ubi Ebbonis causa, judicum horum tribunal effugientis, iterum jugulata, favente quoque Leone novo Pontifice, Hincmari honoribus.

Brower. Annal. Trevir. pag. 1. *ad h.a. ex Flodoardi Hist. Rhem. Eccl. L.* 3. *C.* 2.

CONCILIUM MOGUNTINUM PROVINCIALE.

SUB RABANO ARCHI-EPISCOPO,

PRO JURIBUS ET IMMUNITATIBUS ECCLESIASTICIS CELEBRATUM ANNO DOMINI DCCCXLVII. LEONIS IV. PAPÆ I. LOTHARII IMP. XXVIII. & VIII. LUDOVICI GERMANIÆ REGIS XV.

Domino Serenissimo & Christianissimo Regi Ludovico (*) *veræ Religionis strenuissimo Rectori ac Defensori Sanctæ Dei Ecclesiæ, una cum uxore & prole sua ejúsque Fidelibus, vita & salus, honor & benedictio cum victoria sine fine mansura.*

Dignissimæ Reverentiæ vestræ patefecimus nos humillimi famuli vestri Rabanus videlicet Moguntiacensis Ecclesiæ indignus Archi-Episcopus, cum Co-

(*) Ad Ludovicum Germaniæ, Franciæ Orientalis, Bajoariæ Regem Ludovici Pii Augusti Filium directa est hæc Synodalis Epistola ex hoc Provinciali Concilio Moguntino.

Coepiſcopis meis, quæ ad prædictæ Eccleſiæ Diœceſim pertinent, hoc eſt, Samuele, (a) Egobaldo, (b) Baturato, (c) Hebone, (d) Gorbratho, (e) Hemmone, (f) Waltgario, (g) Ansgario, (h) Otgario, (i) Latone, (k) Salomone (l) & Gebehardo, (m) cum reliquis collegis noſtris Chorepiſcopis, Abbatibus, Monachis, Presbyteris, & cæteris Eccleſiaſticis Ordinibus: quia venimus ſecundùm juſſionem veſtram in civitatem Moguntinam: ibique pariter adunati, poſt triduanum jejunium, quod cum Litaniis celebravimus, Divinam ſuppliciter poſtulantes Clementiam, quatenus ſancta gratia ſua conventum, & actionem ipſius Synodi ſibi acceptabilem facere dignaretur, & Chriſtiano populo proficientem ad ſalutem, & vitam perpetuam, vobiſque ad æternum honorem & gloriam. Ubi etiam decrevimus, ut ſingulis Parochiis per Epiſcopos & Clericos, per Abbates & Monachos, oratio pro vobis, & pro veſtra conjuge, ſimul prole nobiliſſima fieret: (n) cujus orationis ſumma eſt, Miſſarum tria millia & quingenta, & pſalteriorum mille ſeptingenta: hoc omni devotione poſtulantes, ut Deus omnipotens diuturnam vobis ſanitatem & proſperitatem concedat; regnumque veſtrum diu ſtabiliat ab omni hoſte defenſum in terra, poſtque hujus vitæ terminum in regno cœleſti vobis gloriam ſimul cum Sanctis ſuis concedat ſempiternam. Tunc verò confidentes in clauſtro Sancti Albani martyris, ſecundum morem illum, quo priſcis temporibus, (o) ſub Carolo Imperatore Hildebaldus, Richolphus cum ceteris Epiſcopis, Abbatibus illuc convenientibus fecerunt, & cœpimus in Dei nomine communi conſenſu, & voluntate tractare pariter de ſtatu veræ religionis, atque utilitate & profectu Chriſtianæ plebis. Convenit inter nos de noſtro communi collegio clericorum atque monachorum duas facere turmas, ſicut & fecimus: ità ut in una turma conſiderent Epiſcopi cum quibuſdam notariis, legentes atque perſcrutantes ſanctum Evangelium; nec non Epiſtolas, & actus Apoſtolorum: Canones quoque, ac diverſa Sanctorum Patrum opuſcula, cum cæteris ſacris dogmatibus: diligenti ſtudio perquirendo, quibus modis ſtatum Eccleſiæ Dei, & Chriſtianæ plebis profectum ſana doctrina, & exemplis juſtitiæ inconvulſum, largiente gratia Dei, perficere & conſervare poſſent. In alia vero turma ſederunt Abbates ac probati Monachi, regulam ſancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum atque augmentum cum Dei gratia perducere poſſent; & ubicumque per negligentiam atque deſidiam rectorum regularis ordo dilapſus fuiſſet, rurſum ſecundum normam regulæ ſancti Benedicti ad integrum reſtitueretur. His ergo ità diſpoſitis atque peractis, primo decrevimus unicuique perſonæ vel ſexui congruum honorem impendere ſecundum dictum ſancti Petri primi Paſtoris Eccleſiæ, quo ait: (p) *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi, ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis: hæc eſt enim gratia in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Cui paria doctor gentium ad Timotheum diſcipulum ſuum ſcribens: ait: *Attende* (q) *tibi & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt. Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem; juvenes, ut fratres: anus ut matres: juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate.* Inſuper congruum etiam eſſe viſum eſt, ut Sacerdotes & Eccleſiæ Dei (r) jure legitimo inconvulſo honorarentur: de quibus Do-

(a) Samuele, Wormatienſi. (b) Egorbaldo, Gotzbaldo, Herbipolenſi, legit *Eckhart.*
(c) Paderbornenſi. (d) Hildeſienſi.
(e) Curienſi, *Gerbracho* Eckhartus & Schatenus. (f) Halberſtadienſi.
(g) Verdenſi. (h) Hammburgenſi. (i) Otgario, Eichſtadenſi.
(k) Lantone, Auguſtano. (l) Salomone, Conſtantienſe. (m) Gebehardo, Spirenſi.
(n) Actio prima hujus Concilii erat, oratio pro Rege, & determinatio Orationum & Sacrificiorum offerendorum à Clero per univerſum Regnum Ludovici Germaniæ, Bajoariæ, Alſatiæ, & Lotharingiæ partis Regis.
(o) Vide Tomi I. noſtri paginam 405., & in ea Concilii Aquisgranenſis anni 813. Præfationem.
(p) I. Petri II. (q) I. Timoth. IV.
(r) Actio ſecunda. Decretus, honor & reverentia debita Epiſcopis & Eccleſiis, & Eccleſiaſticis bonis contra invaſores & raptores.

Dominus ait: *Qui* (*s*) *vos audit, me audit, & qui vos recipit, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit.* Et Apostolus ad Hebræos: *Obedite,* (t) inquit, *præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Nam de reverentia Ecclesiarum Dominus ait: *Domus* (*u*) *mea Domus orationis vocabitur cunctis gentibus:* Unde etiam legitur in Evangelio, quod ipse Dominus, cùm venisset ad Jerusalem, & introisset in templum, eos, qui negotia terrena & emptiones, & venditiones illicitas in eodem exercebant, quasi flagellum de funiculis faciens, omnes inde ejecerit. Proh dolor, his temporibus nec loca sancta venerantur: neque ministri Dei condigne honorantur: sed versa vice illi, qui honorari debuerunt, flagellantur, spoliantur, atque diversis calumniis franguntur. Unde necessitas magna nos coëgit pro hac re ad vos reclamare & petere, ut sicut apud Antecessores vestros Reges & Imperatores, qui ante vos fuerunt, honorem Sancta Dei Ecclesia habuit, & per immunitatem eorum possessiones Ecclesiasticæ inconvulsæ perstiterunt, manentesque in eis semper illæsi perseveraverunt; ità apud vos modernis temporibus incontaminatæ permaneant. Zelo enim Dei oportet vos defendere Ecclesias Christi, qui vobis regnum in terra, & Dominationem tribuit: ut per nullius suggestiones iniquas vestram concessionem, quam in eleemosynam vestram Ecclesiis Christi contulistis, sinatis permutari. Quia inhonestum est, ut hoc, quod non solum Christianis temporibus, à Christianis Imperatoribus, sed etiam à paganis regibus tempore gentilitatis ad honorem Dei collatum est, vestris temporibus in vestro regno permutetur. Nam legimus apud Esdram, quod Artaxerxes Rex Esdræ scribæ legis Dei per Epistolam mandaverit, ità dicens: *Ego* (x) *Artaxerxes Rex statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit à vobis Esdras Sacerdos scriba legis Dei cæli, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne forte irascatur contra regnum Regis, & filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus ac universis Sacerdotibus, & Levitis & Cantoribus, & Janitoribus, Nathinæis, & Ministris domus Dei hujus, ut vectigal & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices & præsides, ut judicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet, qui noverunt legem Dei tui; sed & imperitos docete libere. Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exsilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.*

De Christianis vero Regibus, & Imperatoribus non necesse est aliqua exempla ponere; cùm omnes, qui rectæ fidei, & sani dogmatis fuerunt, à Constantino Imperatore, qui primus Imperatorum Christianam religionem defendere, atque honorem Ecclesiarum Dei amplificare cœpit, usque ad vos semper in hoc studio solerter laboraverint, ut Ecclesia Dei pacem, & tranquillitatem haberet, quatenus cultus Dei incontaminatus foret, & servi ejus sine impedimento Deo delectabiliter deservirent: qualis autem vindicta illis, qui contra mandata Dei, & contra jussionem vestram Ecclesiæ Christi per avaritiam molestiam inferunt, conveniat, in sequentibus per Sanctorum Patrum Canones, & per doctrinam Divinarum Scripturarum congruo loco demonstrabimus. Non enim formidamus, juxta exemplum Domini Salvatoris, corruptoribus templi Dei, & contaminatoribus sacrorum locorum, judicium congruum inferre: quia, si illi à Christo Domino ejecti sunt foras de domo Dei, qui per cupiditatem terrenam violabant sanctum locum; non est iniquum insolentibus, & se corrigere nolentibus canonicum inferre judicium: ut sentiant correpti, quod ante noluerunt sentire leniter admoniti. Deus omnipotens vos in sua justitia confortet, & illæsum ab omni hoste protegat.

V TITU-

(*s*) Luc. X. Matth. X. (*t*) Hebræ. XIII. (*u*) Isai. LVI.
(*x*) I. Esdræ VII.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA

I.

INitium actionis nostræ de fide esse decrevimus, quæ bonorum est omnium fundamentum: & quamvis *sine* (y) *fide*, ut dicit Apostolus, *impossibile sit placere Deo*; fides tamen indiget opere, *quia* (z) *fides sine operibus mortua est.* Ideo beatus Gregorius: " Ille, inquit, vere " credit, qui exercet operando, quod " credit. Quapropter de fide nostra omnes omnino Christianos alterutrum inter se jugiter admonere & docere oportet: maximè tamen Domini Sacerdotes in eo certamine laborare decet, ut firmiter ab omnibus teneatur.

II.

Cum igitur omnia *Concilia Canonum*, (*a*) qui recipiuntur, sint a Sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea eis sit vivendum & prædicandum; necessarium duximus, ut ea, quæ ad fidem pertinent, & ubi de exstirpandis vitiis, & plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur, & bene intelligatur, ut in populo prædicetur. Et quilibet Episcopus homilias (*b*) continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur: id est, de fide Catholica, prout capere possint: de perpetua retributione bonorum, & æterna damnatione malorum, de resurrectione quoque futura & ultimo judicio, & quibus operibus possit promereri beata vita, quibusve excludi. Et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanorum linguam (*c*) Theotiscam, (*d*) quo facilius

(*y*) Hebr. XI. (z) Jacob. II.
(*a*) Concilia Canonum recepta in Ecclesiis Germaniæ & Galliæ erant hoc Sæculo; Primò Concilia in codice Romano à Dionysio collecta, & Carolo M. data, & per eum his Ecclesiis communicata. 2dò Concilia Germaniæ & Galliæ Nationalia, Provincialia, & quædam Diœcesana, in & ab Episcopis Germaniæ & Galliæ celebrata.
(*b*) deest *habeat*, aut aliquid ejusmodi.
(*c*) *Rustica Romana lingua* est ex Latina & Germanica mixta, qualis hodie Gallis usitata est.
(*d*) Lingua Theotisca sui generis propria, nec extraneis mixta est nostra Germanica. Homilias & Catecheses Theotiscas hujus Sæculi collegerunt *Goldastus*, *Eckhart*, *Schilter*, *Schertzius*.

lius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur.

III.

Sacramenta itaque Baptismatis volumus, ut concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conserventur: id est, scrutinium ad ordinem Baptismatis, sicut in *decretis Leonis Papæ* sub duobus continetur Capitulis: "In Capitulo quinto: hæc " duo tempora, id est, Paschæ & Pentecostes ad baptizandum à Romano " pontifice legitima sunt præfixa. Item " in Capitulo sexto: non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Et Siricius: In qualibet necessitate fuerit opus sacri unda baptismatis, " omni volumus celeritate succurri. Debent igitur Episcopi cum magna diligentia presbyteris sui tradere baptismi " Sacramentum, & quid in eodem renuntiandum quidve credendum sit. Renunciatur enim diabolo & operibus ejus. Opera vero diaboli, opera carnis esse intelliguntur: quæ sunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his similia; quæ diabolico instinctu prius cognitione mentis concipiuntur, quam opere perpetrentur. Pompæ vero ejusdem sunt, superbia, jactantia, elatio, vana gloria, fastus, & alia quam plurima, quæ ex his oriri videntur.

IV.

Sanè opus est, ut pax & concordia sit atque unanimitas in populo Christiano, quia unum Deum Patrem habemus in cœlis, & unam Matrem Ecclesiam, unam fidem, unum baptisma: ideo in una pace & unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam & veram hereditatem regni cœlestis cupimus pervenire: *Quia* (e) *non est dissensionis Deus, sed pacis*, ut ipse ait: Igitur si inter omnes fideles pax, & concordia habenda est, dicente Apostolo: *Pacem* (f) *sequimini cum omnibus, & Sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*: multo magis inter Episcopos, & Comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ità enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum rectè explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint.

V.

Si vero pax & concordia summum inter homines, & maxime Christianos bonum judicatur, & præmio summo remunerandum, id est, ut ejus merito filii Dei vocemur, nonne è contrario discordiæ, & dissensionis summum est malum, & summa pœna plectendum? Ità ut Sapiens dicat, animam Domini illum detestari, qui inter fratres discordias seminat: atque ideo filius diaboli non immerito nominetur. Unde statuimus, atque auctoritate Ecclesiastica confirmamus, eos, qui contra Regem vel Ecclesiasticas dignitates, sive Reipublicæ potestates in unoquoquo ordine legitimas (g) dispositiones constitutas, conjurationes & conspirationes rebellionis, & repugnantiæ faciunt, à communione & consortio Catholicorum veram pacem amantium summovendos; & nisi per pœnitentiam, & emendationem paci se Ecclesiasticæ incorporaverint, ab omnibus filiis pacis sancimus extorres.

VI.

Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo consecratas, atque ad honorem Dei sub Regiæ immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, quasi invasor, & violator domus Dei excommunicetur. Decet etiam, ut indignationem ipsius Domini Regis sentiat, cujus benevolentiæ contemptor, & constitutionis prævaricator exstitit. Nihilominus tamen Rex suæ concessionis immunitatem ab omnibus ditioni suæ subjectis illæsam conservari præcipiat: assensum vero non præbeat improvide affirmantibus, non debere esse res Dominicas, id est, Domino dominantium deditas, ita sub defensione Regis, sicut propriæ suæ sunt hereditates: magisque advertat, quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est Divina causa mortalium possessione. Quocirca decipitur, quisquis plus in pro-

V 2

(e) I. Corinth. XIV. (f) Hebr. XII. (g) *forte* legitima dispositione.

propriis quam in Dominicis rebus gloriatur: quarum divinarum rerum defensor, & custos divinitus statutus, diligenti cura non solum eas servare, sed etiam multiplicare debet; magisque illa, quæ diximus præstantiora, quam sua defendere illum oportet, & augmentare. Si quis igitur insanus importunitate improbitatis Regem à recto proposito avertere tentaverit, nullisque remediis mitigari posse visus fuerit; licet obsequiis aliquibus transitoriis sit necessarius, abjiciendus ab eo projiciendusque est, juxta illud Evangelium: *Si pes* (g) *manus, oculusve tuus scandalizet te, erue illa, & projice abs te.*

VII.

Ut Episcopi potestatem habeant (h) res Ecclesiasticas providere, regere, & gubernare, atque dispensare, secundum Canonum auctoritatem, volumus: & ut laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias, viduas, & orphanos defendendos: & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam: consentientesque sint Comites, & judices præsulibus suis: & nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium, lex justa in aliquo depravetur.

VIII.

In Concilio Carthaginensi (i) scriptum est, ut Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros vel quæcumque prædia suo nomine comparant, tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprii aliquid libertate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito conveniat. Quod si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni tamquam reprobi judicentur. Presbyteri vero non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis, non habentes necessitatem. Nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ rem tituli sui nomine usurpare.

IX.

In Concilio Carthaginensi (k) ità continetur: de manumissionibus in Ecclesia celebrandis: si id nostri consacerdotes per Italiam facere reperiuntur, nostræ etiam erit fiduciæ istorum ordinem sequi: data plane licentia misso legato, ut quæcumque digna fide pro statu Ecclesiæ, & salute animarum agere potuerint, nos sciant laudabiliter in conspectu Domini accepturos.

X.

Volumus, ut decimæ, quæ singulis dantur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à Presbyteris ad usus Ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur. Quatuor autem tam de reditibus, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta Ecclesiæ fabricis applicanda juxta constitutionem Episcopalem. Admonendum tamen est, ut decima Deo omnino dari non negligatur, quam Deus ipse dari sibi constituit: quia timendum est, si quis Deo suum debitum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

XI.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec aliis possessionibus pro novis Oratoriis sine consensu & consilio Episcopali, priventur.

XII.

Quicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omnino deponatur: (l) quod contra Ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium Presbyterum legitimè ad Ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit; eámque sibi taliter vindicaverit, quod vitium late diffusum summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur Clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero

(g) Matth. XVIII.
(h) Concilii Moguntini anni 813. Capite VIII. Tomo I. pag. 407.
(i) Canone XXXII. vide Tomi I. nostri pag. 204.
(k) Canone XXXI. pag. 214. Tomi I. & pag. 217. Cap. 49.
(l) Concilii Chalcedonensis Cap. II. vide pag. 176. Tom. I.

bytero præſumat dare Eccleſiam ſine licentia & conſenſu Epiſcopi ſui.

XIII.

Providendum neceſſario eſt unicuique Epiſcopo, qualiter Canonici vivere debeant; nec non & Monachi, ut ſecundum ordinem regularem vivere ſtudeant, ut ait Apoſtolus: *Unusquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat:* & ut à negotiis ſæcularibus omnino abſtineant: multa ſunt enim negotia ſæcularia: de his tamen pauca perſtrinximus. Ad quæ pertinet omnis libido, non ſolum immunditia carnis, ſed etiam in omni carnali concupiſcentia, quidquid plus juſto appetit homo: turpe lucrum, munera injuſta accipere, vel etiam dare pro aliquo ſæculari, cum quæſtu pretio aliquem conducere, contentiones & lites, vel rixas amare, in placitis ſæcularibus diſputare, exceptâ defenſione orphanorum aut viduarum: conductores aut procuratores eſſe ſæcularium rerum, turpis verbi vel facti jaculatorem eſſe, vel jocum ſæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens propoſito ſuo quærere, in delitiis vivere velle, gulam & ebrietatem ſequi, pondera injuſta vel menſuras habere, negotium injuſtum exercere (nec tamen juſtum negotium eſt interdicendum propter neceſſitates diverſas, quia legimus Sanctos Apoſtolos negotiatos eſſe; & in Regula Sancti Benedicti præcipitur prævidere, per quorum manus negotium Monaſterii tranſeat) canes & aves ſequi ad venandum, in commeſſationibus & vinolentiis nimiis incumbere, ſuperfluitatem in quibuslibet rebus nolle fugere. Quæ omnia Miniſtris altaris interdicimus, hortantes eos ſervare illud Apoſtolicum: *Nemo* (n) *militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*: conſiderare quoque ſententiam Domini dicentis: *Attendite* (o) *ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate:* moderare cibum & potum, ut juxta Apoſtolum, ſobrii ſint, parati ad ſervitium Domini: ante ſe joca ſæcularia vel turpia fieri non permittere, ſed pauperes & indigentes ſecum ad menſam habere, & lectionem Divinam ibidem audire, & ſumere cibum cum benedictione & laude Domini: ſecundum Apoſtolum dicentem: *Sive* (p) *manducetis, ſive bibatis, omnia in laudem Dei facite.*

XIV.

Nullus Monachorum aliquid proprietatis habeat, & res ſæculares, quibus renuntiavit, nullatenus ſibi uſurpet: nec Parochias Eccleſiarum accipere præſumat, ſine conſenſu Epiſcopi. De ipſis verè (q) titulis, in quibus conſtituti fuerint, rationem Epiſcopo, vel ejus Vicario reddant, & convocati ad Synodum veniant.

XV.

In decretis Gregorii Papæ ſcriptum eſt: Si quis ex Clericis laxaverit comam, anathema. Unde ſancimus, ut ejuſmodi coërceantur ad priſtinum ſtatum reverti.

XVI.

Abbatiſſa, (r) quæ in civitate Monaſterium habet, nequaquam de Monaſterio egrediatur, niſi per licentiam Epiſcopi ſui, aut qui ejus vicem obtinet, niſi forte regali juſſione cogatur. Et ſi quando foras pergit, de Sanctimonialibus, quas ſecum ducit, curam & vigilantiam habeat, ut nulla eis detur peccandi licentia ſive occaſio. Sed & cum pergit, in Monaſterio talem in vice ſua conſtituere debet, quæ de Sanctimonialium animabus curam & vigilantiam gerat. Habeat etiam Abbatiſſa ſtudium in ædificando ea, quæ ad Sanctimonialium neceſſitatem pertinent, & in reſtaurando. Sanctimoniales vero in Monaſterio conſtitutæ habeant ſtudium in legendo & in cantando, in Pſalmorum celebratione ſive oratione: & horas Canonicas, matutinam videlicet, primam, tertiam, ſextam, nonam, veſpertinam, completorium pariter celebrent: & omnes, exceptâ, quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad conſolationem veniant: & ut cetera ſervent, quæ in regula Sanctimonialium continentur, & quæ à Sanctis Patribus illic conſtituta ſunt.

XVII.

Monemus Regiam Pietatem de oppreſſione pauperum liberorum, ut non à potentioribus per aliquod malum ingenium

(n) II. Timoth. II.
(o) Luc. XXI.
(p) I. Cor. X.
(q) *forte* verò.
(r) Confer Cap. VII. & ſequentia de Abbatiſſis in Concilio Aquisgranenſi Tom. I. p. 530.

nium contra justitiam opprimantur; vel cogantur, ut res suas vendant sive tradant; ne forte parentes eorum contra justitiam fiant exheredati, & regale obsequium minuatur, & ipsi propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur: & ut sæpius non fiant manniti (s) ad placita, nisi sicut in Dominico Capitulari olim facto præcipitur.

XVIII.

Propter provisiones pauperum, quorum curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nullúsque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentium, emere, aut tollere audeat: sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus, & cum ratione hoc faciat: ubicumque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendari per regiam convenit jussionem.

XIX.

Qui verò ad subvertendam justitiam à duobus munera accipiunt, hoc est, ab eo, qui quod sibi injuste ablatum est, juste requirit, & ab eo, qui eadem injuste invasit, admonendi sunt, & fortiter increpandi, ne regnum Christi, quod omnibus justè facientibus patet, sibi sine ulla retractatione secludant.

XX.

Parricidium autem, quàm sit detestabile crimen, in judicio facto inter Cain & Abel fratrem suum Dominus ostendit ipse: cùm ad Cain parricidam ait: *Maledictus* (t) *eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.* In quo etiam posuit signum, hoc est, ut tremens & gemens profugus semper viveret, nec auderet sedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi currunt per diversa, & variis vitiis, atque gulæ illecebris deserviunt, melius nobis videtur, ut in uno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte à Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, & nuptiis vel conjugiis copulari, quia sacri Canones hoc eis non consentiunt.

XXI.

" De mulieribus, quæ fornicantur, " & partus suos necant, vel quæ agunt " secum, ut utero conceptus excutiant, " antiqua quidem definitio usque ad exi- " tum vitæ eas ab Ecclesia removet, hu- " manius autem nunc definimus, ut eis " decem annorum tempus secundum " præfixos gradus pœnitentiæ largiatur. " Item in *Concilio Eliberitano* Cap. LXIII. " scriptum est de his, qui filios ex adul- " terio necant: si qua per adulterium " conceperit, idque post facinus occide- " rit, placuit vix in fine ei dandam esse " communionem, eo quod geminaverit " scelus." Item in *Concilio* (*) *Herdensi* Capite secundo scriptum est de his, quæ abortum faciunt, vel natos suos extinguunt. " Hi vero, qui male conceptos ex adul- " terio fetus, vel editos necare studue- " rint, vel in ventribus matrum potio- " nibus aliquibus colliserint, in utroque " sexu adulteris post septem annorum " pœnitentiæ curricula communio tribua- " tur: ità tamen ut omni tempore vitæ " suæ fletibus & humilitati insistant.

XXII.

" In Concilio *Ancyrano*, Cap. XXI. " (u) de homicidis ita scriptum est: Qui " voluntariè homicidium fecerint, pœni- " tentiæ quidem jugiter se submittant, " perfectionem vero circa vitæ exitum " consequantur. In *Concilio Agathensi* (x) " Cap. XXXVII. de homicidis & falsis " testibus ita legitur: Itaque censuimus " homicidas & falsos testes à communio- " ne Ecclesiastica submovendos, nisi " pœnitentiæ satisfactione crimina admis- " sa diluerint. Item in *Concilio Agathensi* " Cap. LXII. scriptum est de his, qui " servos extra judicem necant: Si quis " servum proprium sine conscientia ju- " dicis occiderit, excommunicatione vel " pœnitentia biennii reatum sanguinis " emundabit. Item in *Concilio Eliberitano* " Cap. V. scriptum est, de Domina, quæ " per zelum ancillam suam occiderit: Si " qua femina furore zeli accensa flagel- " lis verberavit ancillam suam, ita ut in- " tra tertium diem animam cum cruciatu effun-

(s) id est viritim *vocati*. (*) Ilerdensi *lege*. (t) Genesis IV. (u) Vide Tom. I. pag. 148.
(x) Concilium Agathense in Gallia Narbonensi anno DVI. celebratum fuit.

" effundat, eo quod incertum ſit voluntate an caſu occiderit: ſi voluntate, " poſt ſeptimum annum: ſi caſu, per " quinquennii tempora acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quodſi vero intra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

XXIII.

In Concilio *Ancyrano cap. XXII.* (y) ſcriptum eſt: " De homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem definitio " poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit; ſecunda " vero quinquennii tempus explere.

XXIV.

Qui Presbyterum occidit, XII (z) annorum ei pœnitentia ſecundum ſtatuta priorum imponatur: aut, ſi negaverit, ſi liber eſt, cùm XII. juret: ſi autem ſervus, per XII. vomeres ferventes ſe purget. Convictus vero noxæ, uſque ad ultimum tempus militiæ cingulum deponat, & uxorem admittat.

XXV.

Nuntiatum eſt nobis, quod aliqui qui olim dixerunt ſe fuiſſe Sacerdotes, & poſtea degradati pro ſuis peccatis, pœnitentiam agendo ſuffragia ſanctorum per diverſa loca tranſeuntes quæſierunt, trucidati ſunt. Hujuſcemodi interfectionibus omnem Eccleſiaſticam communionem denegamus, donec dignam pœnitentiam pro reatu ſuo ſecundùm judicium Epiſcoporum exſolvant.

XXVI.

Ab infirmis in mortis periculo poſitis, per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda: & cum amicorum orationibus, & eleëmoſynarum ſtudiis, pondus pœnitentiæ ſublevandum: ut ſi forte migraverint, ne obligati excommunicatione, alieni ex conſortio bene fiant: à quo periculo ſi divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum à ſuo confeſſore impoſitum diligentes obſervent. Et ideo ſecundum Canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clauſa videatur, orationibus, & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra cum unctione Dei animati, ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.

XXVII.

Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad Eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & Miſſæ celebrandæ, an non. Quibus reſpondimus: ſi omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pænitentibus communio in fine ſecundum canonicum juſſum danda eſt, cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt? Scriptum eſt enim: *Non* (a) *vindicat Deus bis in idipſum*: Nam ipſe Dominus ait: *In* (b) *quocumque die converſus fuerit peccator, peccata ejus non reputantur ei.* Et iterum: *Nolo* (c) *mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegat, & deſperat de clementia Dei, qui eam ad ſubveniendum morienti ſufficere vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet: cùm eſſet in pœna, pœnituit; & per unius ſermonis profeſſionem, habitaculum paradiſi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum mente potius æſtimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter aſſerente: *Cum* (d) *converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.*

XXVIII.

Ut Epiſcopi inceſtuoſos penitus inveſtigare ſtudeant, omnino decrevimus: qui ſi pœnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur. Quod ſi Sacerdotum noluerint admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus, oportet eos per ſæcularis pœnitentiæ diſciplinam à tam prava conſuetudine coërceri.

XXIX.

(y) Vide Tomi I. pag. 149.
(z) Vide hujus Tomi Concilii Triburenſis C. III. p. 23. & Ingelheimenſis C. II. p. 37.
(a) Nahum I. ex græco. (b) Ezech. XXXIII. (c) Ibidem.
(d) Ezech. XXXIII. ex græco.

XXIX.

Si quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit: aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum Patre & Filio: item si quis relictam fratris, quæ pæne prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit: si quis neptem in conjugium acceperit: si quis novercam, aut nurum suam duxerit: si quis consobrinæ suæ impudice se sociaverit, vel relictæ sive filiæ, avunculi, aut Patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu pollutus, vel hujuscemodi conjunctionis attactu maculatus fuerit: eos disjungi, & ulterius numquam conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri volumus.

XXX.

Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur. Sane eadem, quæ in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrimque parentela esse credenda est: sicut scriptum est: *Erunt* (e) *duo in carne una.*

XXXI.

Modus tempusque pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per Sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet à Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Sed discretio servanda est inter pœnitentes publice, & qui absconse pœnitere debeant. Nam qui publice peccat, oportet ut publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem Canonum pro merito suo & communicetur, & reconcilietur. Pœnitentes vero tam expletionem constituti temporis, quam facinoris remissionem desiderent: nec eis sufficiat, si à quarumdam rerum perceptionibus abstineant, nisi etiam à noxiis delectationibus subtrahant: declinantes autem à malo faciant bonum, inquirant pacem, ac sequantur illam.

Multa quidem alia per diversas quæstiones coram nobis illata sunt, sed pro brevitate temporis in præsenti Concilio omnibus respondere, & ea absolvere non potuimus. Hæc vero, quæ vobis transmissa sunt, petimus ut vestra auctoritate firmentur: & si quis adversarius illis exsistere voluerit, prævalere non permittatur. Dei enim cooperatores vos esse debetis, & adjutores Sanctæ ejus Ecclesiæ: quatenus Religio Christiana incontaminata temporibus Regni vestri usque in finem servetur.

Binius Tomo III. Concilior. Parte I.
Harduinus Tomo V. Concilior. pag. 5. 6.

ACTIO III. *Castigatio Thiotæ, Pseudo-Prophetissæ, in eodem Concilio.*

PEr idem tempus mulier quædam de Alamanniæ partibus, nomine Thiota Pseudo-Prophetissa Moguntiacum venit: quæ Salomonis Episcopi *Constantiensis* Parochiam suis vaticiniis non minimum turbaverat. Nam certum consummationis sæculi diem, aliáque perplura solius Dei notitiæ cognita, quasi divinitus sibi revelata, scire se fatebatur: & eodem anno ultimum diem mundi imminere prædicabat. Unde multi Plebæi utriusque sexus timore perculsi ad eam venientes munera illi ferebant, séque orationibus illius commendabant, &, quod gravius est, sacri ordinis viri doctrinas Ecclesiasticas postponentes, illam quasi Magistram cœlitus destinatam sequebantur.

Hæc in præsentiam Episcoporum apud S. Albanum *Moguntiæ* deducta, & diligenter de suis assertionibus requisita, Presbyterum quendam sibi ea suggessisse, & se talia questûs causâ narrâsse professa est.

Quapropter Synodali judicio, publicis cæsa flagellis ministerium prædicationis, quod irrationabiliter arripuit, & sibi contra morem Ecclesiasticum vindicare præsumpsit, cum dedecore amisit, suísque vaticiniis tandem confusa finem imposuit.

Annales Metenses & Fuldenses. Annales Francorum Pithoeani ad h. an. pag. mihi 42. ex quibus Binius Tomo III. Concilior. P. I.

(e) Genes. II. Matth. XIX.

ACTIO IV. Conjunctio Episcopatus Hammaburgensis & Bremensis in hoc eodem Concilio Moguntino incepta : nam Hammaburgensis veluti suppressa Verdensi Episcopo attribuebatur. Anno 848. in Concilio Moguntino perfectior conjunctio determinata fuit.

CUm cella supradicta Turholt (*a*) in partem concessisset Venerandi Regis Caroli, (*b*) ipse eam à servitio, quod Pater suus disposuerat, amovit, & vobis bene cognito dedit Reginario. Pro qua re, cum à Fratribus suis gloriosissimis Regibus, & à multis quoque aliis sæpius fuisset admonitus, & ipse eorum petitioni nullatenus assentiret, jam dictus Pater noster *Ansgarius*, tunc cœpit atteri (*c*) necessitatibus & indigentiis. Unde contigit, ut & fratres vestri, qui tunc cum eo hic aderant, ad vestram societatem redierint, & multi quoque alii causa paupertatis eum dereliquerint.

Ipse tantum cum paucis, qui cum eo substiterant, prout poterat, se agebat, & licet in paupertate degens, injunctum sibi officium nequaquam deserere voluit.

Dominus quoque humilitatem ejus & patientiæ fortitudinem conspiciens, quia cor Regis in manu Domini est, Christianissimi Domini, & Senioris nostri Ludovici Regis, qui post Patrem suum hujus regni gubernacula suscepit, ad hoc animum incitavit, ut quærere inciperet, unde ei solatium subsistendi facere posset, quo Legationis suæ mandatum perficere posset.

Et quia in hac Provincia Cellam nostram huic Legationi habebat congruam : erat autem ibi juxta Episcopatus Bremensis Ecclesiæ tunc desolatus Pastore, (*d*) illum ei dare disposuit.

Unde in publico Conventu Episcoporum, cæterorúmque Fidelium suorum, tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere Canonica auctoritate liceret ? Dominus enim & Pastor noster hoc sibi periculosum esse aliquo modo formidans, & ne à quibuslibet nævo cupiditatis reprehenderetur, cautè providens non facile huic dispositioni assentiebat.

Jubente itaque Rege *Ludovico* hæc eadem res in Concilio Episcoporum ventilata est. Qui multis præcedentibus exemplis probaverunt, bene fieri posse, ut quia Diœcesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat (*anno* 831.) admodum parva erat (nam nonnisi quatuor baptismales habebat Ecclesias) & hæc ipsa multotiens jam barbarorum incursibus devastata *Hammaburgensis*, ista *Bremensis* ei causa solatii adjungeretur.

Verum, ne in aliquo scrupulum Ferdensis pateretur Episcopus *Waltgarius*, quod etiam partem de suo Episcopatu ultra Albiam sumptam ipse cum Bremensi tota simul Parochia retineret, statuerunt, ut sicut tempore Domni Ludovici primo fuerant, Episcopatus ipse & Bremensis, & Ferdensis restituerentur. Et ipse *Anscharius* teneret Bremen[illegible]m, ex qua major pars Diœcesis suæ sumpta erat, quæ etiam tunc 847. erat præsentia Pastoris desolata. Quo decreto ita ab Episcopis constituto, Ipse jubente Rege Bremensem suscepit Diœcesin gubernandam. Porro partem Parochiæ, quæ ultra Albiam ad se pertinere debebat, Waltgarius recepit, tunc Ferdensis Episcopus.

Quod cum ita aliquamdiu esset, iterum diligentius ipsâ re in alio (*e*) Concilio

(*a*) Vide pag. 59. hujus Tomi, Ludovici Pii donationem cellæ Turholt pro subsistentia Anscharii tunc consecrati Hammburgensis Episcopi.

(*b*) Anno 843. ex nova partitione trium Fratrum Carolo Calvo obtigit Francia Occidentalis, in qua Turholt, ereptáque Anschario alterius Regni Episcopo, & data Reginario Comiti.

(*c*) igitur ab 843. ad 847. caruit Anscharius necessariis alimentis : unde à sociis derelictus fuit.

(*d*) Leudericus Tertius Bremensis Episcopus circa vel ante 847. defunctus erat, successit enim anno 837. Willerico Bremensi & nonnisi octo annos sedit *Adam Bremens.*

(*e*) *Eckhartus* credit anno 849. Moguntiæ Concilium ea de causa coactum ex his causis: quia Leudericus Episcopus Bremensis nonnisi anno 849. obierit. 2dò. Quæ age-

cilio Episcoporum ventilatâ, visum est eis non bonum esse, ut sedes, ad quam ille ordinatus fuerat, ab alio Episcopo teneretur (nam *Hammaburg* tunc in partem cesserat *Waltgarii*) potestatem quidem Regis esse dicentes, ut Diœcesin parvam & admodum captivatam augeret; locum tamen ad Episcopalem dignitatem auctoritate Apostolica firmatum (*f*) nullatenus immutandum. Unanimo ergo consensu cum voluntate Regis prædicti Piissimi *Ludovici*, Episcopi ibi constituti censuerunt, ut sedem, ad quam consecratus fuerat, Pater noster Anscharius reciperet, & se quid ultra Albiam ex Ferdensi ipse retineret Diœcesi, ex Bremensis Ecclesiæ Parochia illius sedis restitueret Episcopo. Quod ita & Regio jussu, & Synodali Episcoporum decreto, ipsius quoque Waltgarii memorati Ferdensis Episcopi voluntate & assensu perfectum est.

Rembertus Biographus S. Ansgarii, ex pleniore editione Henschenii, ad diem 3. Februarii.

batur annus Ludovici Germanici IX. quando introductus est in Sedem Bremensem S. Anscharius. Sed Hagiographi rectius sentiunt primam partem hujus narrationis spectare ad Concilium Moguntinum anni 847, alterum seu 2*dum* Concilium fuisse Concilium Moguntinum 848. Vide Tomum I. Februarii pag. 392. 393. & pag. 417. Leudericus probabilissime obiit 846. aut ante 845. ut in nota (*d*) dictum. Ludovici Germanici annus nonus cadit in 848. si incipias annos regni in Saxonia ab 839. anno uno ante mortem Patris, uti Schatenus computat. Nulla ergo necessitas Moguntini Concilii ad annum 849. statuendi.

(*f*) Gregorius IV. PP. qui sedit ab 827. ad 843. confirmavit S. Anschario Archi-Episcopatum Hammaburgensem.

Bulla extat in Actis SS. Tomo I. Februarii pag. 406. & in Appendice Triapostolatûs Philippi Cæsaris pag. 179.

CONCILIUM MOGUNTINUM II.
NATIONALE SUB RABANO.

In quo Gothescalcus, Monachus Prædestinatianorum, hæresis convictus damnatúsque Metropolim est remissus.

Anno Christi DCCCXLVIII. Leonis IV. Papæ II. Ludovici Germaniæ Regis XVI. Lotharii Imp. XXIX. & IX.

SYnodi hujus circa Kalendas Octobris, & Gothescalci in ea damnati, mentio est in Annalibus incerti auctoris, *anno DCCCXLVIII. Gothescalcus quoque quidam Presbyter de prædestinatione Dei prave sentiens, & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter à Deo prædestinatos esse affirmans, in Conventu Episcoporum apud Moguntiacum rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Remis transmissus est: prius tamen juramento confirmans, ne in regnum Hludovici ultra rediret.* Meminit Synodi ejusdem cum aliis sæpe locis Hincmarus, tum maxime in Capite II. posterioris operis adversus Gothescalcum, & prædestinatianos scripti. Ubi & Synodalem Epistolam profert à Rabano Episcopo ad se missam

Præter Gothescalci examen convictionem, condemnationem & legationem extra Regnum Ludovici, aliam actionem referunt, *Francorum Annales Pithoeani pag. mihi* 43. Homines etiam Hrabani Episcopi adversus Dominum suum conspirantes, publicè convictos Ludovicus Germaniæ Rex cum eo pacificavit.

Eodem loco aliam politicam actionem eodem tempore & loco habitam, iidem Annales referunt eadem *pag.* 43.

Legatos Fratrum suorum, Hlotharii Imperatoris, Caroli Calvi Regis Franciæ, & Nordmannorum (Danorum) Sclavorúmque suscepit, audivit & absolvit.

missam de Gotheſcalco. *Gotheſcalcus, inquit, ex Metropolis Eccleſiæ Remorum Monaſterio, quod Orbacis dicitur, habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & inter ſuos mobilitate noxia ſingularis, de omnibus, quæ perverſe tunc temporis ſenſa cognoverat, quatuor ſibi elegit Capitula, omnium pæne perverſitatum illarum fœditas, & cænulentas fæces in ſe continent: & à Monaſterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, in Moguntina civitate habitæ Synodo, & Rabano Archi-Epiſcopo, libellum ſui erroris porrigens damnatus cum litteris Synodalibus Remorum Metropolim eſt remiſſus. Quarum litterarum exemplar ita ſe habet.*

RABANI EPISCOPI EPISTOLA SYNODALIS, AD HINCMARUM ARCHI-EPISCOPUM REMENSEM.

DE GOTHESCALCO.

Reverentiſſimo Fratri, & Conſacerdoti Hincmaro Archi-Epiſcopo, Rabanus Servus Chriſti & Servorum ejus, in Domino Salutem.

NOtum ſit Dilectioni veſtræ, quod quidam Gyrovagus monachus, nomine Gotheſcalc, qui ſe aſſerit Sacerdotem in veſtra Parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntinam, novas ſuperſtititiones, & noxiam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens, quod prædeſtinatio Dei, ſicut in bono, ſit ità & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore, & peccato ſe corrigere; quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ego opinionem nuper *in Synodo* apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piiſſimo Rege noſtro Hludovico, decrevimus eum cum pernicioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in veſtra Parochia, unde primum inordinate receſſit: & non ſinatis eum amplius errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum: quia jam multos, ut audivi, ſeductos habet, & minus devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt: quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? Quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, numquam illam evadam: ſi autem male egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis ſcripſimus, intimantes qualem ejus doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore ejus, quod ſentit, plenius audire, & quod inde agendum juſte ſit, decernere. Dominus omnipotens ſanctitatem veſtram bene valentem, & pro nobis orantem, in æternum conſervare dignetur.

Recuſa eſt hæc Epiſtola Tomo II. operum Sirmondi Venetiis 1728. unà cum tribus aliis ejuſdem Rabani Epiſtolis prolixioribus de hoc eodem errore Gotheſcalci nempe, una ad Hincmarum Remenſem Archi-Epiſc.: altera ad Notingum Veronenſem Ep. 3tia ad Heberardum Comitem in Italia.

Binius Tomi III. Concilior. Parte I. eruditis & prolixis Notis hanc Synodum illuſtrat, tum ex Annalibus Pithoeanis, tum ex Epiſtolis Rabani ad Hincmarum; & Hincmari Rhemenſis ad Hincmarum Laudunenſem.

Alia Actio hujus Synodi Moguntinæ fuit, confirmata restitutio Decimarum Ecclesiæ Osnebruggensi ereptarum à Cobbone Comite, & Gozberto Sueonum Episcopo, eo tempore, quo Geswinus Episcop. Osnabrugensis suæ infidelitatis in Ludovicum Pium conscius latebat in Monasterio Fuldensi, ab Episcoporum consortio semotus.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Hludowicus Divinâ favente Rex. Omnibus Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrísque præsentibus scilicet, & futuris notum sit, qualiter Vir Venerabilis Osnebruggensis Ecclesiæ Episcopus, nomine Egibertus, Serenitatis nostræ clementiam Apostoli præceptum sequens arguendo, increpando, obsecrando, & juventutem nostram non parum incusando, adiit querimoniam faciens, Episcopium suum à Cobbone Comite, & Gozberto Sueonum Episcopo, quibus dum Gesuuinus suæ infidelitatis in Patrem nostram conscius, & pro perjurio ab Episcoporum consortio semotus fugitivus abscederet, tuendum commisimus, in decimarum direptione sibi debite pertinentium esse decurtatum, & huc usque non sine nostra culpa indecens, & informe quasi pecus mutilum permansisse. Et, ut inde justitiam accipere, & se suáque firmius & securius habere valuisset, nostræ immunitatis & libertatis præceptum conscribi preciperemus, postulavit. Cujus reclamationi assensum nostro solo consilio præbere non censentes, præfato Episcopo suísque adversariis Franconofort, ubi Principibus nostris convenire statutum est, ut & ipsi venirent, præcepimus. Ibi in nostra, ceterorúmque fidelium nostrorum præsentia præfatus Episcopus litteras magni & admirabilis Karoli avi nostri Imperatoris Augusti ipsius sigillo assignatas in palam proferebat. His in nostra, cæterorúmque considentium præsentia recitatis Osnebruggensem Ecclesiam Adriani Papæ consilio & consultu ab eodem magno & illustri viro Karolo primitus in Provincia Westfala fundatâ, & à Venerabili Egilfritho Leodicensi Episcopo consecratâ, & eisdem decimus, (*a*) quia alia ibi tunc temporis non erant donaria, dotatam. Et privilegiis paparum ante nos relectis omnem hominem, qui hæc sancita aliquo modo irritaverit, anathematizatum constare absque ulla ambiguitate didicimus. Qua de causa ob amorem Domini nostri Jesu Christi, & Sancti Petri Principis Apostolorum & preciosissimorum Martyrum Crispini & Crispiniani, quorum corpora illuc translata sunt, assensum libenti animo præbentes ita fieri decrevimus. Et hoc præceptum inde conscribi jussimus præcipientes, ut sicut reliquæ Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ in Regno nostro immunitatis tuitione antecessorum nostrorum videlicet Regum auctoritate confirmantur: ita jam dicta Ecclesia perpetuo per hoc nostrum præceptum, Domino opitulante, stabilita consistat. Ita ut nullus Judex, publicus Dux, vel Comes, neque aliqua alia judiciaria potestas, nisi illius loci Episcopus, & suus Advocatus aliquid in rebus sibi pertinentibus potestatem habeat agendi, vel homines illius dijudicandi, quod eorum lingua Obarzala dicitur. Sed idem Episcopus, suíque successores decimas infra terminum sui Episcopii, cæterásque res suæ Ecclesiæ, quas modo possidet, vel deinceps adquisierit, quieto ordine optineat & gubernet. Exceptis decimis Dominicalium, Monachis & Sanctimonialibus pertinentium, quod nos Foravuerch vocamus, quas Pater noster Hludouvicus de eodem Episcopatu per cambiatum adquisivit. Et ad pauperum sustentationem & peregrinorum receptionem jam dictis Monasteriis tradidit. Servi autem ipsorum, & liberi, & cujuscunque conditionis coloni decimas, ut cæterorum in Saxonia jus est Episcoporum secundum Karoli institutionem Episcopo pleniter offerant. Et ut hæc auctoritas nostra firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem. Manu nostra sub subtus eam roborantes annulo nostro jussimus sigillari.

(L.S.) DOMNI HLUDOUVICI Gloriosissimi Regis.

Comeatus Notarius ad vicem Radleici recognovi & (L.S)

Data

(*a*) *Lege:* decimis.

Data IV. Id. Novembr. anno Christo propitio. XV. Regni Domni Hludouvici Gloriosissimi Regis in Orientali Francia. Indictione XII. Actum Mogontia Civitate. In Dei nomine feliciter Amen.

Hoc Diploma ex ipso Autographo Ecclesiæ Osnabrugensis descriptum servatâ primigeniâ ortographia edidit P. Ludovicus Henseler Soc. Jesu anno 1717. in appendice Diplomatis Carolini pro Scholis Latinis & Græcis Osnabrugensibus criticè expensi, *pag.* 107. 108.

CONCILIUM MOGUNTINUM III. SUB RABANO.

Sejunctum à Comitiis Regis & Optimatum, fuit in eadem civitate.

Anno Christi DCCCLII. Leonis IV. Papæ VI. Ludovici German. Regis XII. Lotharii Imp. XXII. & XII.

SUMMARIUM.

Habita est Synodus ex voluntate atque præcepto Serenissimi Principis in civitate Moguntia, Metropoli Germaniæ, præsidente Hrabano Venerabili ejusdem urbis Archi-Episcopo, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Saxoniæ, Franciæ & Bajoariæ: Et illi quidem de absolvendis quæstionibus Ecclesiasticis tractatum habebant: Rex verò cum Principibus & Præfectis Provinciarum publicis causis, litibúsque componendis insistens, postquam Synodalia eorum Decreta suo judicio comprobavit, & Legationes Bulgarorum, Slavorúmque audivit & absolvit, Bajoariam reversus est.

Annales Fuldenses Francorum. Binius, Serarius L. I. Hist. Mog. Cap. 33.

Actio I. Concilii Moguntini anni DCCCLII.

LUDOVICUS

GERMANIÆ REX, MONASTERIO RHINAUGIENSI

Confirmat electum Abbatem Gobbertum, dat Abbati potestatem eligendi Advocati & Defensoris, idem Monasterium sub banno regali constituit.

IN nomine Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia Rex. Quoniam Principem, ac Defensorem Ecclesiarum nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur gratiæ, servicium suum augmentare, Ecclesias ditare, bene & opportune constructas defendere, destructas verò nos oportet restaurare. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter Rabanus Metropolitanus Moguntiensis, & Salomon Episcopus Constantiensis, nec non *Folcwinus venerabilis Abbas Augiensis* cum multis aliis Principibus, in generali Concilio Moguncíæ celsitudinem nostram adierunt, & quendam nobilem virum de Alemannica in pago Turgowe in Comitatu Adalhalmi ob laudes divinas, & regulares disciplinas construxerant, obtutibus nostris præsentaverint, humiliter deprecantes, quatenus mo-

nachum quemdam nomine Gohbertum, quem idem Wolvene à fratribus & à se electum dixerat, in præfato Locelo Abbatem constitueremus, quod & ità fecimus, eâ videlicet ratione, quod monachos suos regulariter regat, nulli calumniam sine justo judicio inferat, res Monasterii intus, & bene ordinet, omnia juxta sapientis architecti dispositionem decenter, congrue, & utiliter gubernet.

Hic talis atque successores à nullo eliciantur, nisi tali, quod absit, facinori involvantur, quod Ecclesiastici viri eos inter se non patiantur; tunc primo in Concilio generali Constantiensi, vel Moguncienfi justo conregularium judicio deponantur. Postquam verò aliquis eorum sic depositus fuerit, vel de hac luce, quod magis cupimus, migraverit, non aliunde Abbas constituatur, nisi, quod absit, inter eos nullus idoneus inveniatur. Præterea Principes supradicti nobis flebiliter sunt conquesti, quod & nos satis audivimus, & veraciter scimus, scilicet plerosque eorum qui Ecclesiarum vocantur Advocati, debita potestate in tantum abuti, ut qui deberent esse modesti defensores, impudenter effecti sint rapaces & injuriosi exactores. Quapropter nostræ placuit providentiæ, in præfati Abbatis suorumque successorum, & fratrum videlicet Monachorum loco perpetualiter ponere potestate, ut sapientium usi consiliis, & eis, quos inter potentes sæculi esse noverint æquitatis modestiæ amatores, eligant suo competenter loco Advocatos & Defensores, nec quisquam omnium sibi hanc curam, vel potestatem præsumat vindicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo jure debitam invadere, nisi quem Abbatis Electio, & Monachorum consulta approbatione velint admittere. Cujuscunque autem fidei Abbas ejusdem Cœnobii advocatiam non timet committere, eidem nos & successores nostri bannum regale debemus contradere, eo videlicet tenore, ut quandocunque sui commissi prævaricator in rebus vel hominibus, quod vulgò *Balmunt* dicitur, existat, vel si aliquem Advocatum, sive exactorem præter se sine Abbatis permissione sibi uspiam constituat, semel, secundo, & tertio commonitus, si non emendaverit, statim sine mora, & sine præjudicio advocatiam cum omnibus commodis perdat. Idem Advocatus in præfato loco nullum jus habeat placitandi, vel aliquam judiciariam potestatem exercendi, nisi fortè ab Abbate vocatus advenerit, & tunc voluntati sive petitioni ipsius satisfaciat. Quæcunque autem potens, vel impotens Persona hoc statutum bonæ memoriæ Caroli avi nostri, ac piæ recordationis Hludowici patris nostri una cum nostra confirmatione aliqua temeritate transgredi, & infringere præsumpserit, sexaginta Libras auri, medietatem Palatio nostro, medietatem Abbati persolvat. Et ut hæc confirmationis nostræ authoritas nunc & semper stabilis, & inconvulsa permaneat, manu propria illam firmantes sigillo nostro consignari jussimus.

Hadebertus Subdiaconus ad vicem Grimaldi Archi-Capellani recognovi.

Datum anno ab Incarnatione Domini 852. Regni Domini Hludewici Regis (*a*) primo. Indictione XV. Actum Moguntiæ coram multis Principibus *in generali Concilio* feliciter. Amen.

Mansi Supplementi Conciliorum Tomo I. pag. 925. 926. *descripsit.*
Ex Galliæ Christianæ Tomo V. pag. 507.

(*a*) Sic Mansi edit: At Indictio XV. quæ h. a. ad Septembrem currebat, coincidit anno XIII. Ludovici Germanici, si à morte Patris ducatur anni 840. Epocha; anno X. si à divisione Virdunensi anni 843. exordians.
Demum, si ab initio Ducatûs Bavarici anno 825, numerabis XXVII. uti Hansitzius, annus erit XXVIII: sed Eckhartus *Tom. II. Histor. Franc. Orient. pag.* 472. ab anno 833. refert Bavaricam Epocham Ludovici Germanici, quod eo anno à Patre Ludovico Pio præfectus fuerit Bavariæ, & ab eo anno vult S. Anscharium *L. de Miraculis S. Willebadi* annum Christi 860. computâsse, annum XXVIII. Ludovici nostri Germanici.

Con-

Concilii ejusdem Actio II.

LUDOVICUS REX

I. Donat novæ Corbeiæ, Meppiam & & Eresburg.
II. Herifordiæ donat Bugimthi in Osnabrugensi Diœcesi.
Hreni in Monasteriensi Diœcesi.
III. Determinat visitanti Episcopo portionem mansionatica.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ludovicus Divina favente gratia Rex. Si petitiones servorum Dei justas & rationabiles ad effectum perduxerimus, & ad humanam vitam feliciter transigendam, & perpetuam felicius promerendam procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus, quomodo venerabilis Abba Warinus adiit Excellentiam nostram, suppliciter orans, ut nostra munificentia prospiceremus Monasteriis illi commissis, quorum unum est monachorum, nova Corbeja nominatum, ubi & ille primum regulari electione Abbas extitit, & alterum est Sanctimonialium, Herifordt dictum, & propriæ Abbatiæ, cujus nomen Addila, subjectum, sed juxta consuetudinem, quod ancillarum Dei congregationibus procurari solent Præpositi ex Ecclesiastico ordine, jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in disciplina Abbatissam juvare, quam in cunctis negotiis, quæ familiæ Christi pro sexu, & professione suâ exequi non possent, ipsarum provisor, & patronus existeret. Is ergo petiit Celsitudinem nostram recordari, quod pie memoriæ Genitor noster Hludovicus Imperator ambo hæc Monasteria extrui jussit, ad normam videlicet præcipuorum in Gallia Monasteriorum, novam utique Corbejam ad similitudinem antiquæ Corbejæ, Herifordense verò Cænobium ad exemplum Monasterii Sanctimonialium in Suessionis civitate existentium, & ut in eleëmosynam suam hoc totius generis sui institutionem earundem perfectio expleretur, cellam juris sui, quæ vocatus *Meppia* cum decimis, & possessionibus undique ad eam pertinentibus, & Ecclesiam *Eresburg*, quam Avus noster Carolus primo exstruens in Saxonia decimis dotavit circumquaque habitantium, per duas Saxonicas rastas, præfatus noster Genitor ad novam Corbejan tradidit. Ad Herfordiensis autem Monasterii adjumentum dedit, in Episcopatu quidem Osnabrugensi Ecclesiam *Bugimthi* (a) cum subjectis sibi Ecclesiis in Parochia vero Mimigerfordensi, Ecclesiam *Hreni* (*b*) cum iis, quæ ad eam pertinent, Ecclesiis. Ita sanè, ut decimarum aliarúmque redituum proventiones præfatis cederent Monasteriis, & ab ipsis vicissim procurentur subjectæ plebes in Baptismate, in Ecclesiastia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda. Et Presbyteri, qui principales ex his Ecclesias tenerent, Archi-Presbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quæ solet fieri ab Archi-Presbyteris Episcoporum. Cum autem ipsi Episcopi circuitiones suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur, quod in Capitularibus (*c*) antecessorum nostrorum præscriptum habetur. Nos igitur rata esse volentes certa omnia, tantum expensas ad ministerium Episcopi propter ægritudinem & senectutem ei, quæ

(*a*) Bugimthi, hodie dum Bomte, prima statio est Osnabruga Hanoveram euntibus.
(*b*) Hreni, hodie Rhenen, oppidum est Diœcesis Ultrcjectinæ ad Rhenum.
(*c*) In Capitularibus Regum Francorum, quæ nunc habemus non invenitur, determinata quantitas annonæ debitæ Episcopo visitanti Monasterio. *Eckhartus ex codice Sæculi IX. Bibliothecæ Geubacensis Loc. cit. describit hunc notabilem locum.* Servitium plenum Episcopi de una Matre Ecclesia modii II. farinæ, porci II. porcellus I. pulli IV. anser I. ova XXXIII. aceti tertia pars sextarii. De melle similiter. De cera denaratæ II. De sale sextarius I. De pipere unciæ II. De vino tonnæ II. De avena excussa modii X. & garbæ XL. De fœno tertia pars carradæ. De stramine similiter, sed Gozberto Wurceburgensi Episcopo ob senectutem servitium auctius à Rege & Concilio Moguntino concessum. *Hactenus Eckhartus.*

quæ nunc eſt Gozberti augere debemus. Id juxta petitionem ſæpè dicti Abbatis Warini ità moderari placuit, ut deſcripto, quantum ſatis ſit, ad ſervitium Epiſcopi, hoc nullo modo ſubtrahatur, & Epiſcopus viciſſim ampliora non requirat, nec cum pluribus veniat, quàm ut ei ſufficere poſſint. In quibus ſatis eſſe conſenſit præfatus Epiſcopus coram nobis, *Archi-Epiſcopo noſtro Hrabano, cæteriſque cum eo in Synodo agentibus.* Item ut dentur ad ſingulas Eccleſias porci quatuor, valentes ſinguli denariis duodecim, & octo arietes, qui eadem pene ſumma, quod quatuor porci æſtimarentur, tres procelli, quatuor aucæ, octo pulli, viginti ſitulæ de medone XX. de mellita cereviſia XL. de non mellita. CXX. panes. C. modii de avena, manipuli DC. ſitque in poteſtate Epiſcopi, utrum hæc per ſingulas Eccleſias ad unam *manſionaticam*, an ad duas velit habere. Ne autem in ſumma debiti his plus aut minus compleatur, hoc authoritatis noſtræ præcepto cum *conſenſu Synodali* decernimus atque jubemus. His etiam adjungere placuit liberam utrique loco conceſſionem eligendæ de propria congregatione in regimen ſuis, per futura ſemper tempora, congruæ perſonæ. Et ut omnis hinc dubietas tollatur, manu propria hæc roborantes annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

(L.S.) HLUDOVICI Sereniſſimi Regis.

Hadelbertus Subdiaconus ad vicem Baldrici Abbatis recognovi.

Data XI. Cal. Junii, anno Xmo regni glorioſiſſimi Regis Hludovici in orientali Francia regnantis, Ind. I. Actum in palatio Regio Franconeford, in Dei nomine feliciter. Amen.

Binius. Tomi III. Concilior. Partis I. Sectione II. pag. 384.
Pithoeanam Eclogam deſcripſit poſt Baronium & Serarium.
Manſi. Tomo I. Supplementi Concilior. pag. 923. 924.
Ex Lunigii Spicilegii III. Parte pag. 66.

Henricus III. Rex anno 1039. eadem prædia confirmavit Abbatiæ Corbeienſi: teſte *Eckharto Tom. II. rerum Franciæ L. XXX. pag.* 418. 419.

Circa annum Chriſti 844. *apud Toloſam civitatem in regno Caroli Provinciæ Regis hæc definita leguntur:*

CAPUT II. Ut unum modium frumenti, & unum modium hordei, atque unum modium vini cum menſura, quæ publica & probata, ac generalis, ſeu legitima per civitatem & pagum, atque vicinitatem habetur, Epiſcopi à Presbyteris accipiant, & Friſchingam ſex valentem denarios, aut ſex pro ea denarios, & non amplius exigant. Et ſi hæc non accipiunt, accipiant, ſi volunt pro his omnibus duos ſolidos in denariis: ſicut in Toletano (VII.) & Bracenſe (II. C. 2.) conſenſu Epiſcopi conſideraſſe dicuntur.

Extat igitur, ſecus ac Eckhart ſupra ſcripſerat, in Capitularibus Francorum jam ante determinata quantitas manſionaticæ. Hæc manſionatica nunc vocatur procuratio Viſitatorum Diœceſeos.

Baluz. Tom. II. Capitularium pag. 2. 22.
Regino Canonem ex Concilio Triburienſi refert Lib. 1. *Cap.* 12.

Mabillon. Sæculi IV. Benedictini Parte I. & Schatenus Annal. Paderborn. Tom. II. ad 853. refert hoc Diploma ad annum ſequentem 853: quo Francofurti Diploma expeditum fuit; ſed Synodus, in quo donatio Regia & diſpoſitio collaudata fuit ab Epiſcopis, non Francofurti, ſed Moguntiæ anno 852. celebrata fuit. *Eckhart. T. II. p.* 419. Annus X. Regni Ludovici in Francia Orientali exordiendus à diviſione nova Virduni anni 844. cæterum Ludovici Germaniæ Regnum ab anno 840. ducendum eſt. *Schatenus.*

SYNO-

SYNODUS MOGUNTINA.

Anno Christi DCCCLVII. Benedicti III. Papæ III. Ludovici II. Imp. IX. VIII. III. Ludovici Germ. Regis XVIII.

HAbita est Synodus apud Moguntiacum circa Kalendas Octobr. præsidente Carolo (*a*) Archi-Episcopo, ubi inter alia, quæ ventilata sunt de JURE ECCLESIASTICO, præsentata est Epistola Guntharii, Coloniensis Episcopi, ad Altfridum (*b*) directa, in qua legebatur contigisse Coloniæ XVII. Kal. Octobris, terribilem valde tempestatem: populo cuncto præ nimio horrore in Basilicam Sancti Petri confugiente, & signis Ecclesiæ concrepantibus unanimiter Dei misericordiam implorante subito fulmen informe, ignei Draconis instar Basilicam scidisse ac penetrâsse, atque ex omni illa multitudine tres homines, diversis quidem locis, sed uno ritu in mortem dejecisse, Presbyterum scilicet juxta altare Sancti Petri, Diaconum vero ad altare S. Dionysii, Laicum autem ad altare S. Mariæ. Alios etiam numero sex eodem impetu ita prostravisse, ut elati semivivi vix convalescerent.

Annales Francorum Pithoeani ad h. a.
Annales Hildenesheimenses Leibnitii Tom. I. rerum Brunsvicensium pag. 716.
Lambertus Schaffnaburgensis ad h. a.

(*a*) Pippini, Regis Aquitaniæ Filio, Caroli Magni nepote, anno 856. in Cathedram Moguntinam evecto.
(*b*) Altfridum, Episcopum Hildenesheimensem.

CONCILIUM WORMATIENSE

TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

Anno Christi DCCCLVII. Benedicti III. Papæ III. Ludovici Germaniæ Reg. XVIII. Ludovici II. Imp. III.

ACTIO I. Consensus Archi-Episcopi Coloniensis Guntharii ab Anschario, Regibus & Patribus quæritur pro Sede Bremensi suffraganea conjungenda Hamburgensi, & à Gunthario datur sub obtinendo consensu Sedis Apostolicæ.

ACTIO II. Legatio Romam destinatur à Regibus & Synodo.

CUm hæc agerentur (anno 847. 848. conjunctio nempe Bremensis Ecclesiæ cum Hammaburgensi vastata, in gratiam Anscharii) Colonia civitas, ad quam Bremensis Parochia Suffraganea erat, eo tempore absque benedictione Episcopali degebat: quod quia diuturnum extitit, illud etiam sine illius loci Pontificis præsentia necessario decernendum fuit. Postea tamen consecrato ad eum locum venerabili Præside Gunthario, hoc ipsum Dominus & Pastor noster (*Ansgarius*) ei suggerere statuit, ut sua quoque auctoritate firmaretur, cui tamen rei ipse admodum contrarius extitit.

Qua de causa postmodum (hoc anno 857.) in Wormatia civitate positis duobus Regibus, Hludovico scilicet & Hlothario coram multa Episcoporum utriusque Regni frequentia, præsente Venerabili Patre nostro hæc eadem res exposita est.

Quod cum ab omnibus bene ita ordinatum probaretur, ut prædictus Pontifex Guntharius hoc ipsum sua auctoritate firmaret, cuncti rogarunt. Qui primo quidem fortiter his reniti cœpit, justum non esse multipliciter asserens, ut Sedes Suffraganea in Archi-Episcopalem verteretur, non se debere honorem suæ sedis in aliquo minuere. Postremo tamen & ipsis Regibus, & cunctis simul Episcopis ibi aggregatis pro hoc ipso eum rogantibus, & omnino causâ necessitatis id licitum fore, dicentibus, respondit. Si Apostolica auctoritate firmaretur, ex se quoque ratum esse.

Quo responso accepto, cum etiam omnes Suffraganei ejus hæc eadem consensissent, piissimus Rex Hludouvicus cupiens & Patris sui eleëmosynam in omnibus augmentare, & quod ipse disposuerat, per omnia ratum fieri, Reverendissimum Salomonem Constantiæ civitatis Episcopum pro hoc ipso ad sedem direxit Apostolicam: cum quo etiam Dominus & Pater noster Ansgarius, quia ipse per se non poterat, filium suum fratrem suum Nordfridum Presbyterum misit.

Vita S. Ansgarii edita à Philippo Cæsare.
Acta Sanctorum ad diem III. Februarii.

Miror Pagium, qui in *Critica* anno 858. & Concilio *Moguntino* hanc unitionem ratificatam adscribit, cum Biographus Anscharii *In Wormatiensi Concilio factam* narret. Cùm 2dò Guntharium Moguntino Concilio hujus anni interfuisse non constet, imò absens verosimillime fuit, ob ejus literas ad Altfridum scriptas & recitatas in Moguntino. Wormatiensi certo interfuit, teste Anscharii Biographo.

NICOLAUS PAPA

I. Per Salomonem Episcopum, Legatum Ludovici Germaniæ Regis, decretam in Synodo Wormatiensi conjunctionem Ecclesiarum Bremensis & Hammaburgensis confirmat.

II. Creat Anscharium, Archiepiscopum Nordalbingorum, & Legatum ad gentes Danorum: eximit à Coloniensi Metropoli.

III. Pallium eidem mittit & usum docet.

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentis temporis scilicet & futuris. Quisquis Dominum, & Redemptorem nostrum Jesum Christum de sinu patris ad terram pro demonstranda cordibus hominum vera & certa fide descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes, qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt & præcipue nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum retinemus, hominibus debere lucrandis insistere, & per universas gentes verbi semina serere, & solatia serentibus ministrare. Nunc autem quia Ludowicus sublimissimus Rex per Salomonem venerabilem Episcopum civitatis Constantiæ nostro studuit Apostolatui intimare, quod piæ memoriæ Ludowicus Imperator Genitor suus quendam monachum, nomine Ansgarium de Monasterio Corbeia tulisset, & collocasset eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum & Slavorum, sive Saxonum, in castello Hammaburg, inter duos Episcopatus, Bremen & Verde, de quibus tollens Ecclesias & decimas ad sustentationem provehendi jam fati Episcopi, Clericorumque ejus, condonasset in prædicto loco, annuente ac solemnia Sedis Apostolicæ privilegia præbente prædecessore nostro beatæ memoriæ Papa Gregorio; cujus etiam auctoritate in supradicto Nordalbingorum populo sedes constituta est Archi-Episcopalis in castello superius memorato Hammaburg; & in eadem quoque sede Archi-Episcopus, accepto à Sede Apostolica pallio primus est ordinatus Ansgarius, cui à præfato Pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei, & animas lucrandi Deo. Cujus delegationis & auctoritatis & pallii acceptionis pagina nobis est à præfato filio nostro Ludowico Rege per jam dictum Salomonem Sanctissi-

tissimum Episcopum destinata, juxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ebullata; per cujus tenorem paginæ hæc ità fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam fati Regis per fidelem virum Salomonem scilicet Episcopum intimavit. Unde nos vestigia tanti pontificis, & prædecessoris nostri sequentes Gregorii, omnemque ibidem Deo dignam statutam providentiam agnoscentes, magnorum Principum votum, Ludowici videlicet, divæ recordationis Augusti, & æquivoci ejus filii excellentissimi Regis, tam hujus Apostolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam pallii datione, more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus. Quatenus tantâ fundatus auctoritate prænominatus Ansgarius primus Nordalbingorum Archi-Episcopus, & post ipsum successores ejus lucrandis plebibus insistentes adversus tentamenta diaboli validiores existant: ipsumque filium nostrum jam dictum Ansgarium Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum sive Danorum, nec non etiam Slavorum vel in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis Divina pietas ostium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem, ipsamque sedem Nordalbingorum Hammaburg dictam, in honorem Sancti Salvatoris Sanctæque ejus intemeratæ Genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, Archi-Episcopalem deinceps esse decernimus: atque ut strenui prædicatoris Episcopi, post discessum (*a*) crebro dicti Ansgarii Archi-Episcopi, persona tantoque officio apta eligatur semper successio, sub Divini judicii obtestatione statuimus. Verum quia Karolus Rex, frater sæpe dicti Regis Ludowici, post discessum (*b*) Imperatoris patris sui piæ memoriæ Ludowici, abstulit à prælato loco, qui dicitur Hammaburg, Monasterium quod appellatur *Turholt*, utpote quod post partitionem inter fratres suos in regno suo conjacere videbatur, situm in occidentali Francia, quod illic Genitor suus ad supplementum, & victum Episcopo & Clericis ejus dederat; cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere, deficientibus quippe necessariis sumtibus, ab ipsis recesserunt gentibus, & eadem ad gentes legatio per hujusmodi factum defecit: ipsaque Metropolis Hammaburg pene deserta facta est. Igitur dum hæc agerentur; mortuus est Bremensis Diœcesis Episcopus, quæ huic contigua esse dicitur: cumq; sæpe dictus Rex, & hanc diœcesin vacantem, & illam novellam institutionem deficientem, insuper, & utramque hanc Ecclesiam, Dei permittente occulto judicio per barbarorum sævitiam admodum attenuatam, (*c*) quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ quoque novellæ Archi-Episcopali uniretur, ac subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto: unde per sæpe nominatum Missum Salomonem videlicet Constantiæ civitatis Episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos igitur id subtili perpendentes examine animo advertimus propter instantem necessitatem, & animarum lucra in gentibus demonstrata utile fore. Omnia enim, quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, & Divinis non resultant præceptionibus, licita & facienda esse non dubitamus; maxime in tam novellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent eventus contingere. Quamobrem omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri ac Pauli, & hoc nostro decreto, decernimus secundum Reverendissimi Ludowici votum ipsas prædictas diœceses, Hammaburgensem & Bremensem scilicet, non deinceps duas, sed unam esse, & vocari subdique sedi, quæ prædecessoris nostri decreto Archi-Episcopali est munere sublimata, restituta duntaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus Episcopatui Verdensi parte inde ante ablatâ. Nullus vero Archi-Episcopus Coloniensis ullam sibi deinceps in eadem diœcesi vindicet potestatem: quinimo & ipsis & omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, ut sacra hac legatione fungentibus adjutorio & solatio sint; quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo, qui dixit: *Ite docete omnes gentes*, & , *quicunque receperit vos, me recipit.* Itaque omnia à dilecto filio nostro Rege Ludowico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quo-

(*a*) *Crantzius legit* decessum.
(*b*) decessum *Crantzius.*
(*c*) cerneret *Crantzius rectè addit.*

quoque adverſantem vel contradicentem, atque piis his noſtris ſtudiis quolibet modo inſidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica ſorte damnamus: ut culmen Apoſtolicum more prædeceſſorum noſtrorum, cauſamque Dei pro affectu zelantes ab adverſis hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia te, chariſſime fili Ansgari, Divina Clementia nova in ſede primum diſpoſuit eſſe Archi-Epiſcopum, noſque Pallium tibi ad Miſſarum ſolemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti & Eccleſiæ tuæ perpetuo ſtatu manentibus privilegiis uti largimur. Quocirca hujus indumenti honor morum à te vivacitate ſervandus eſt. Si ergo paſtores ovium ſole geluque pro gregis ſui cuſtodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore quantaque cura debeamus eſſe pervigiles, nos qui paſtores animarum dicimur, attendamus, & ne ſuſceptum officium in terrenis negociis aliquatenus implicare debeamus, admonemus. Vita itaque tua filiis tuis ſit via; in ipſa; ſi qua (*d*) fortitudo illis ineſt, dirigant; in ea, quod imitentur, aſpiciant, in ipſa, ſe ſemper conſiderando, proficiant, ut tuum poſt Deum videatur eſſe bonum quod vixerint. Cor ergo tuum neque proſpera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa dejiciant: diſtrictum mali cognoſcant, pium benevoli ſentiant. Inſontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat, reum gratia non excuſet, viduis ac pupillis injuſtè oppreſſis defenſio tua ſubveniat. Ecce frater cariſſime, inter multa alia iſta ſunt Sacerdotii, iſta ſunt pallii, quæ ſi ſtudioſe ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Veruntamen iſta omnia ſuperius annexa ab Apoſtolica Sede Beatitudini tuæ indulta agnoſce, ſi à fide & decretis ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ in nullo penitus declines. Quod ſi à fide & inſtitutis aut ſanctionibus te tanto ſublimantis honore Sedis Apoſtolicæ declinare ſtudioſe præſumſeris, his noſtris tibi collatis careas beneficiis. Porro te Pallio uti non niſi more ſedis concedimus Apoſtolicæ, ſcilicet ut ſucceſſores tui per ſemetipſos vel per legatos ſuos, & ſcriptum, fidem nobiſcum tenere, ac ſanctas ſex Synodos recipere, atque decreta omnium Romanæ ſedis Præſulum & Epiſtolas, quæ ſibi delatæ fuerint, venerabiliter obſervare atque perficere omnibus diebus ſuis ſcripto ſe & juramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ Notarii Regionarii, & ſcriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Majo, Indictione duodecima, Bene valete. Data pridie Calend. Junii per manum Tiberii Primicerii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Imperante Domino Piiſſimo Auguſto Ludowico à Deo coronato magno Imperatore, Anno quinto decimo, indictione duodecima.

Lambecius L. II. rerum Hamburgenſ. poſt Crantzium, Henſchenium, Philippum Cæſarem.

Hanc Nicolai I. Confirmationem ad annum 858. refert Henſchenius Tomo I. Februarii, quo anno currebat Indictio VI. non XII. & Ludovici II. Imperatoris annus à morte Patris Hlotharii erat annus tertius.

Cl. Manſi Supplementi Conciliorum Tom. I. hanc Nicolai Confirmationem refert ad annum 864. & Synodum Wormatienſem, è qua ea petita fuit, ad 863. cujus probationes reſervamus confutandas in *Digreſſione ad hoc Sæculum nonum.*

Epocha Concilii *Wormatienſis* ad annum 857. ex *Annaliſtis Francorum* pæne coævis certa eſt, ſtatuta ab Henſchenio & Pagio. Poſt hanc Synodum hæc Confirmatio à Nicolao Papa data eſt certò; nec ulla veroſimilis cauſa hujus petitæ Confirmationis ad Sexennium differendæ. Igitur corrigenda Indictio XII. in VI., quo anno currebat Ludovici II. annus ab adoptione Patris anno 849. decimus: ab anno Coronationis ſuæ 850. nonus: à morte Patris Lotharii 855. tertius. *Reliqua Digreſſioni reſervo.*

(*d*) *Crantzius rectè legit* tortitudo.

CON-

CONCILIUM TULLENSE AD SAPONARIAS.

Anno Christi DCCCLIX. Nicolai I. Papæ I. Ludovici Germaniæ Regis XIX. Caroli Calvi XIX. Nepotum Fratrum IV.

Index eorum, quæ in hac Synodo continentur.

TITULI CANONUM.

HÆC VENTILATA, DEFINITA, ATQUE OBTENTA SUNT IN SYNODO XII. PROVINCIARUM, QUÆ HABITA EST ANNO INCARNATIONIS DOMINI DCCCLIX. INDICTIONE VII. IN TERRITORIO TULLENSI, SUB PRINCIPIBUS CAROLO, LOTHARIO, ET ITEM CAROLO.

I. De concordia inter fratres Ludovicum, & Carolum Reges reformanda.

UT charitas fraterna, & concordia pacis reformetur inter fratres; Principes scilicet ac gloriosos Reges nostros Hludowicum, & Carolum: qualiter & schisma, quod ortum est nuper in Ecclesia, ad unitatem benignitatis valeat redintegrari, & status Ecclesiæ pene

pene collapſus reſtitui, & pax ac juſtitia in populo Chriſtiano valeat procurari, & qui à fidelitate debita defecerant, judicio & juſtitia per rectam rationem, & rationabilem miſericordiam poſſint ſalvari, & à perverſo conamine ad ſalubriora converti.

II. Ut Epiſcopi mutuo ſe conſilio, & auxilio adjuvent; & Synodos frequentent.

Epiſcopi namque, ſecundum illorum miniſterium, ac ſacram auctoritatem, uniti ſint, & mutuo conſilio atque auxilio Reges regnorumque primores, atque populum ſibi commiſſum in Domino regant, & corrigant. Et nemo ſe à ſolatio mutuo ſubtrahat, ſed Synodales Conventus ſecundum juſſionem Canonicam frequentare procurent: quatenus ordo Eccleſiaſticus, qui quaſi obliteratus jam fuerat, quoniam Synodi propter diſcordiam Regum frequentari non poterant, Epiſcopali collatione ad neceſſarium ac debitum ſtatum reduci prævaleat. Unde etiam conſenſum apud Reges expetitum obtinuerunt.

III. De ſtabili unione Principum Caroli, & Lotharii, atque Caroli regum.

Reges nihilominus ac Principes noſtri, Carolus, & Hlotharius, atque item Carolus, ad Dei voluntatem, atque Sanctæ Eccleſiæ ſtatum, ſuamque ſalutem, & populi ſalvationem, gratias Deo, uniti & in eadem ſalutari unitate firmati ſunt.

IV. De Tortoldo Diacono, qui Epiſcopalem poteſtatem in Baiocenſium urbe occupârat.

Perventum eſt ante conventum Epiſcoporum quemdam Diaconum, cui Tortoldus nomen eſt, Epiſcopalem poteſtatem in urbe Baiocacenſium occupaſſe, & pollicitationibus atque minis ſollicitare multos ac perturbare. Unde definivit ſancta Synodus, ut Wenilo Senonum Archi-Epiſcopus, cujus Diaconus fuit, adjunctis ſecum tribus aliis, memoratum Diaconum evocatum audiant, & ſecundum auctoritatem Canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali poteſtate venire ad audientiam compellatur. Quod ſi hanc quoque declinaverit, anathemate feriatur.

V. De Anſcario Subdiacono, qui Lingonum ſedem vivo ejus Epiſcopo pervaſerat.

De quodam etiam Subdiacono Anſcario, qui vivo & incolumi Epiſcopo civitatis Lingonum ſedem pervaſit, ſimili eſt ſententia definitum. Sed intervenientibus legatis ejuſdem Subdiaconi humanior eſt prolata ſententia: videlicet ut Sacramento confirmet, ſe nunquam talia hujuſmodi præſumptione facturum. Cujus Sacramenti tenorem huic capitulo ſubnectere dignum duximus. " Ego *Anſcarius* Subdiaconus confiteor coram Deo, & ſanctis angelis ejus, reverentiæ ſanctæ paternitatis veſtræ, contra Dei voluntatem, & contra Canonica ſtatuta temere me feciſſe in Iſaac venerabilem Pontificem, uſurpando ſedem Eccleſiæ Sanctæ ſibi commiſſæ Lingonicæ, & ſollicitando Clericos & Vaſallos ejus, omnemque familiam. Atque ideo, pro tantæ præſumptionis exceſſu, per Sacri Miniſterii veſtri vobis largitam à Domino poteſtatem, veniam mihi pœnitenti largiri ſuppliciter deprecor. Deinceps vero, nec in eumdem Antiſtitem nec in alium quemlibet, nec in illa, nec in alia Eccleſia, hujuſmodi præſumptionem facere tentabo: & neque illi, aut alicui ſuorum Clericorum, aut laicorum, in aliqua re impedimentum faciam pro hac cauſa, in qua me graviter deliquiſſe confiteor, neque inſidias eis ullius inquietudinis parabo; neque per me, neque per meorum aliquem propinquorum, nec per quemcunque hominem: ſed potius adjutor pro viribus & intelligentia ipſi ſuiſque ero prout ſibi placuerit, & qui ſibi pro hoc ipſo inimici ſunt, quos ipſe voluerit, ſi potuero, eidem conciliari procurabo. Si me Deus adjuvet, & iſtæ Sanctorum reliquiæ.

Statuit etiam Sancta Synodus, ut numquam ad eandem Lingonenſem Eccleſiam, ſive ad Januenſem, quam jam pridem pari modo afflixerat, debeat adſpirare: & ſi ità ut præmiſimus juſſis Epiſcopalibus obedire refugerit, ſententiam ſuperius Diacono datam incurrat.

VI. De proclamatione Caroli Regis adverſus Wenilonem Archi-Epiſcopum Senonenſem.

Deinde glorioſus Rex Dominus Ca-

Carolus Sacræ Synodo libellum appellationis, Electorumque judicium inter se & Wenilonem Senonum Archi-Episcopum, qui ab eo defecerat, & proclamationis diploma porrexit. Unde secundum sacram auctoritatem & induciæ ac dierum dilatio est concessa, & certa accusatio per Episcopos, & Synodicas litteras præfato Archi-Episcopo & intimata secundum regulas divinitus promulgatas.

VII. De Attone Virdunensium Episcopo, qui contra regulas Ecclesiasticas profectus dicebatur.

Mota etiam quæstio de Attone Viridunensium Episcopo, quod oblatione regulari, unde petitio ibidem est præsentata, in Monasterio Sancti Germani Autisiodorensium extiterit, & contra regulas Ecclesiasticas inde discedens, minus provise, quam sacra auctoritas doceat, ad ordinem Episcopalem pervenerit. Unde etiam definitum est, dari sibi commeatus veniendi ad aliam Synodum, sicut sacra sancit auctoritas.

VIII. De litteris Synodi ad Episcopos Brittonum, qui à Metropolitano suo desciverant, & cum excommunicatis communicabant.

Ad Episcopos siquidem Brittonum, qui à Metropoli sua moliuntur discindere, Synodus litteras secundum auctoritatem sacram direxit, quatenus ad suam Metropolim redeant, eique debito jure se subdant, nec à Canonica & Episcopali communione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacræ decernunt regulæ, nequaquam communicent: & Salomonem commoneant, ut promissam fidem glorioso Regi Carolo observet, & ipse & Brittones excommunicatis communicantes ipsi se Sacra Communione non priyent.

IX. De litteris Synodi ad Brittones excommunicatos, quibus, nisi se corrigant, anathema intentatum.

Ad memoratos quoque excommunicatos Sancta Synodus litteras dirigit, eisque usque ad proximam futuram Synodum corrigendi spatium tribuit, monens Ecclesiastica pietate, ut convertantur & vivant: quia nisi se correxerint, in futura Synodo generali unanimitate anathemate terribili ferientur.

X. De Capitulis quibusdam in Synodo relectis, de quibus inter Episcopos erat controversia.

Relecta sunt denique in eadem Synodo quædam capitula, super quibus quorundam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter Episcopos, ut Deo favente pace ac tranquillitate recuperata simul conveniant, & prolatis Sanctarum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt, concordi unanimitate sequantur.

XI. De conservando privilegio Monasterii S. Benedicti.

Tandem postulavit humiliter generalis Synodus, se ad terram usque prosternens ante Carolum Regem, & Rodulfum Biturigum Archi-Episcopum, obsecrans, & adjurans per crucem, & Christi sanguinem, ut privilegium Monasterii S. Benedicti, quod annuente præfato Rege firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat, qui præfatam Abbatiam inregulariter retinebat, ratum, & inconvulsum servare studerent. Quod si Abbas negligens, & sacris regulis inconveniens, per directos Missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius, qui dignus repertus fuerit, substituatur, & privilegii regularis auctoritas in eodem Monasterio quacumque occasione non destituatur.

XII. De aliis, quæ specialius in eadem Synodo statuta sunt.

Hæc de præcipuis in eadem sacra Synodo fuere statuta. Ceterum specialia de quibusque parochiis, prout visum fuit, secundum Ecclesiasticam auctoritatem definita, & Episcopis in propriis parochiis ad exequendum sunt commissa.

XIII. De precibus, quas inter se condixerunt Episcopi, qui ad hoc Concilium convenerant.

Placuit omnibus, ut creditur instinctu divino, qui ad universale Concilium in vicinia Tullensium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quo invenirent aliquid, ubi consolationis gratia respirarent. Statuerunt itaque, ut pro se invicem omnes dum ad-

adviverent preces hujusmodi frequentarent. Scilicet ut ſinguli pro cunctis, per ſingulas hebdomadas feria IV. Miſſam celebrarent. Poſt vocationem autem cujuslibet eorum, ſuperſtites obtineant, ut pro eo, qui deceſſerit, in ſedibus ſeptenæ Miſſæ, totidemque Vigiliæ Domino perſolvantur. A Presbyteris autem Monaſteriorum, ſive villarum, tres Miſſæ, totidemque Vigiliæ dependantur. Exitus autem uniuſcujusque viciſſim piis currentibus litteris innoteſcat. Præſentes etiam Abbates in tam profutura ſocietate recepti eadem ſe conditione junxerunt.

Antonius Auguſtinus, Baronius, Binius, Sirmondus Tom. III. Concilior. Galliæ. pag. 136.

Concilii Tullenſis apud Saponarias

§. II. LIBELLUS PROCLAMATIONIS

DOMNI CAROLI CALVI REGIS,

ADVERSUS WENILONEM ARCHI-EPISCOPUM SENONUM ELECTIS JUDICIBUS REMIGIO LUGDUN. EIRARDO TURON. WENILONI ROTHOMAGENS. ET RODULPHO BITURIGUM ARCHI-EPISCOPIS IN SANCTA SYNODO XIII. PROVINCIARUM APUD TULLENSEM PAROCHIAM IN SUBURBANO EJUSDEM URBIS, QUOD DICITUR SAPONARIAS, PROPRIA IPSIUS MANU PORRECTUS. ANNO INCARNAT. DOMIN. DCCCLIX. INDICT. VI. XVIII. KAL. JUL.

CAPUT I.

QUia, ſicut dixit Sanctus Gregorius, & ex conſuetudine olitana cognoſcitis, in Francorum regno Reges ex genere prodeunt, mihi à Domno & Genitore meo, piæ memoriæ Ludovico Auguſto pars regni inter fratres meos, Reges, divina diſpoſitione eſt tradita, in qua parte regni vacabat tunc Paſtore Metropolis Senonum, quam juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum, Weniloni tunc Clerico meo in capella meá mihi ſervienti, qui more liberi Clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem Sacramento promiſerat, conſenſu Sacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis ad gubernandam commiſi, & apud Epiſcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archi-Epiſcopum ordinarent, obtinui.

II.

Poſt hæc de diviſione regni inter me, & fratres meos ratio eſt exorta notiſſima, unde partem diviſionis cum mutuis, noſtris ſcilicet, noſtrorúmque fidelium Sacramentis, ſicut etiam Primores totius Regni invenerant, tenendam, & gubernandam ſuſcepi. Quam diviſionem inter me, & fratres meos de cætero à me ſubſtantialiter tenendam, ſicut & alii, qui ibi adfuerunt, Epiſcopi, Wenilo mihi, fratribúſque meis propriâ manu juravit: pacem etiam & mutuum adjutorium inter me, & præfatum fratrem Ludovicum Wenilo Sacramento firmavit.

III.

Sed & poſt hoc, electione ſuâ, aliorúmque Epiſcoporum, ac cæterorum fidelium regni noſtri voluntate conſenſu, & acclamatione cum aliis Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis Wenilo in diœceſi ſuâ apud Aurelianis civitatem in Baſilica Sanctæ Crucis me ſecundum traditionem Eccleſiaſticam, Regem conſecravit, & in regni regimine chriſmate ſacro perunxit, & diademate, atque regni ſceptro in Regni ſolio ſublimavit. A qua conſecratione vel regni ſublimitate ſupplantari vel projici à nullo debueram, ſaltem ſine audientia & judicio Epiſcoporum, quorum Miniſterio in Regem ſum conſecratus, & qui throni Dei ſunt dicti, in quibus Deus ſedet, & per quos ſua decernit judicia; quorum paternis correptionibus, & caſtigato-

gatoriis judiciis me ſubdere fui paratus, & in præſenti ſum ſubditus.

IV.

Denique cum ſeditiones in regno noſtro per homines irreverentes cæperunt crebreſcere, conſenſu Epiſcoporum, ac cæterorum noſtrorum chirographum invicem conſcripſimus, qualiter ego erga eos cooperante Domino agere vellem, & qualiter mihi conſilio, & auxilio, iidem fideles noſtri ab inde poſtmodum ſolatium ferre debuiſſent; cui ſcripto Wenilo Bajernam Villam propria manu ſubſcripſit, ſicut in præſenti videre poteſtis.

V.

Deinde, cum contra paganos ad Inſulam loci, qui Oſcellus dicitur, cum fidelibus noſtris, in terreno ac navigio, ſicut ſcitis, perrexi, quidam à nobis deficientes fugâ lapſi ſunt. Wenilo autem ſe pro infirmitate ſua illuc ire non poſſe dicens, ad ſedem ſuam reverſus eſt. Dum autem in procinctu eo infirmi degeremus, frater noſter Ludovicus, ſicut ſcitis, cum manu hoſtili, & ſeditioſis hominibus, ex regno ſuo regnum noſtrum irrupit. Ad cujus colloquium, ſine mea voluntate atque licentia, Guenilo venit, quem ſupplantatorem meum eſſe cognovit, quod nemo Epiſcoporum ex regno noſtro alius fecit.

VI.

De cætero, cum contra prædictum fratrem meum, & inimicos meos, ac vaſtatores Eccleſiæ, & depopulatores regni, qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac noſtris perrexi, nec per ſe ipſum, nec per debitum ſolatium, quod anteceſſores mei Reges, & ego ipſe ex Eccleſia illi commiſſa habere ſolitus eram, aliquid adjutorii præbuit, præſertim cum hoc devote ab illo petierim.

VII.

Cum autem ratio & neceſſitas mihi accidit de villa Brerna, ut à prædicto fratre meo ſecederem. Et ipſe frater meus Ludovicus ad hoc rediit in partem regni mei, ut mihi meum nepotem ſubriperet, & homines meos mihi ſubtraheret, ac fideles meos vaſtanter imprimeret, Guenilo, cum quo potuit ſolatio, ad prædictum fratrem meum Ludovicum in meam contrarietatem venit, cum quo erant excommunicati iſtius regni, & ſeditioſi, de quorum excommunicatione Coepiſcoporum ſuorum literas accepit, & miſſas publicas fratri meo, cum quo ipſi ſeditioſi erant, in palatio meo Attiniaco, & parrochia, & provincia alterius Archi-Epiſcopi fideles noſtri ſine licentia ac Coepiſcoporum conſenſu Guenilo excommunicatis, vel excommunicatorum participibus celebravit. Et in eo Concilio, atque conſilio fuit, quo nepos meus Lotharius per mendacia, quantum ex deductoribus ſuis ſubriperetur, & debitum ac ſacramento promiſſum ſolatium ac adjutorium ex illo mihi ſubtraheret.

VIII.

Prædicti nihilominus fratris mei conſiliariis, & publicis ac ſecretis tractatibus Guenilo cum ſpecialibus familiaribus, & inter priores ejus familiariter cum Epiſcopali judicio, ut diximus, excommunicatis, & judicio regni dijudicatis interfuit, quatenus partem regni, quam idem frater meus, & Guenilo me Regem ſacraverat, ſæpefatus frater meus obtineret, & ego illam perderem.

IX.

Wenilo in eo conſilio & tractatu fuit, ut Epiſcopi, qui mihi fidei promiſſæ debitores erant, & conſilium atque auxilium manu propria confirmatum ferre debuerant, deficerent, & ad fratris mei Ludovici obſequium, & ſubditionem ſe verterent.

X.

De Abbatia Sanctæ Columbæ, & rebus vel honoribus regni mei apud Ludovicum fratrem meum præceptum obtinuit, & litteras ad miſſos, qui eandem Abbatiam revocarent, Echardum & Theodoricum impetravit.

Sed in eiſdem litteris ad præfatos miſſos juſſionem fratris mei Ludovici Guenilo obtinuit, ut de muro Caſtelli Meloduni, quod jus regiæ eſt poteſtatis, petras haberent licentiam prendere. Unde conſtat, quæ in plebe iſtius regni mihi à Deo collati eum ſtudebat colere, & ſatagebat tenere.

XI.

Guenilo in eo conſilio, & tractatu cum præfatis exccommunicatus fuit, ubi

ubi consideratum est, quatenus illi homines, qui mihi fideles erant, & mihi Sacramento fidelitatem promiserant, sive nolentes sive volentes fratri meo Ludovico jurarent, ut ei adjutorium ferrent, qualiter regnum meum contra me obtinere potuisset: & non solum consilio Guenilo interfuit, sed & ipse hoc idem consilium fratri meo Ludovico contra meam fidelitatem, quam mihi promisit Sacramento, donavit.

XII.

Wenilo per se, & per familiares suos supradictos scilicet excommunicatos apud fratrem meum Ludovicum obtinuit, ut vacans Episcopatus Bajocacensis scilicet civitatis propinquo suo Clerico meo nomine Toutoldo, qui mihi se commendavit, & fidelitatem Sacramento promisit, donaretur, qui eundem Episcopatum in mea infidelitate & contra infidelitatem mihi promissam consensu Ludovici fratris mei accepit.

XIII.

Tandem postquam mihi Deus vires recuperandi mei per solatium fidelium meorum contra fratrem meum donavit, perrexi prope de civitate Guenilonis, qui me contra fratrem meum ad recuperandum regnum meum pergere scivit, & nullum adjutorium vel per se promisso, ac subscripto consilio, vel per militiam, quæ ex Ecclesia sibi commissa solet exire, adiutorium aliquod præstitit.

§. III. EPISTOLA SYNODALIS TULLENSIS. AD WENILONEM ARCHI-EPISCOPUM.

Dilecto & Venerabili Weniloni Senonum Metropolitano, Remigius Lugdunensium Metropolitanus Episcopus, Rudolphus Biturigum Metropolitanus Episcopus, Guntarius Agrippinensium Metropolitanus Episcopus, Hincmarus Remorum Metropolitanus Episcopus, Arduicus Vesontionum Metropolitanus Episcopus, Teutgaudus Treverorum Metropolitanus Episcopus, Wenilo Rotomagensium Metropolitanus Episcopus, Herardus Turonum Metropolitanus Episcopus, Immo Noviomagorum Episcopus, Jonas Æduorum Episcopus, Ungerus Trajectensis Episcopus, Ebbo Gratianopolitanus Episcopus, Fredebertus Basiliensis Episcopus, Arnulphus Tullensis Episcopus, Rothadus Suessionum Episcopus, Ermenfridus Bellovacensis Episcopus, Adventius Metensis Episcopus, Atto Virdunensis Episcopus, Abbo Antisiodorensis Episcopus, Æneas Parisii Episcopus, Rataldus Argentariensis Episcopus, Erpuinus Silvanectensium Episcopus, Gissebertus Carnotensis Episcopus, Guntbertus Ebrocensis Episcopus, Ratbertus Valentinensis Episcopus, Franco Tungrensis Episcopus, Agius Aurelianorum Episcopus, Hildegardus Meldensis Episcopus, Hincmarus Laudunensis Episcopus, Erchanraus Caralaunensis Episcopus, Robertus Cenomanensis Episcopus, Erloinus Constantiæ Episcopus, Abbo Maurogensis Episcopus, Hildebrandus Sagensis Episcopus, Airardus Lexoviensis Episcopus, Waltbertus Abrincatensis Episcopus, Godelsadus Cabilonensis Episcopus, Hilmeradus Amvianensis Episcopus, & multi alii Episcopi, qui ad universale Concilium in Suburbano Tullensi convenerunt, in Domino salutem. De instauratione pacis totiusque status Ecclesiastici redintegratione conferentibus nobis, gloriosus Rex Dominus noster Carolus XVIII. Kal. Julias submissè unanimitatem nostram abiit implorans, ut quæ à vobis vehementer indebitè passus esset cognosceremus, & maculam nostri ordinis justo judicio tergeremus. Imputat, quod cum jurejurando fidei à vobis accepto Senonum præsulatum vobis largitus sit, & in divisione regni juramentum cum aliis feceritis, pacis & alterni adjutorii inter se & fratrem Hludovicum perpetuitate, Sacramento prius à vobis firmata: cumque vestra electione, & aliorum Episcoporum, ceterorúmque Fidelium consensu, in Regem à vobis sit Divina gratia consecratus, ac chirographo, quod vestræ fidei qualitatem & immobilitatem erga se continet, illius vero in vos firmam benevolentiam, ad omnes sinistras suspiciones utrimque abolendas composito subscrip-

feritis

feritis, quod omnes absque recusatione fecerunt dumtaxat fideles. Post repetita toties Sacramenta, in procinctu contra Paganos vestro cum vestrorúmque destitueritis auxilio, & Hludouvico fratri, impulsu seditiosorum regnum invadenti, soli omnium Episcoporum sponte accedentes, ejus injussu fueritis conlocuti. Se vero contra eumdem fratrem, & vastatores patriæ proficiscentem, consueta Ecclesiæ vestræ privaveritis militia, quam supplex ipse à vobis poposcerat, & post discessum à Breona, ad fratrem, cum quo erant excommunicati, in ejus damnum accesseritis, & in eo concilio fueritis, quo Lotharius Rex nepos confictis mendaciis ejus auxilio subtrahebatur: & familiariter interfueritis Hludouvici fratris consiliis publicis & privatis, quibus ei partem Regni parabat subripere, pro qua obtinenda uterque vestrum ei juraverat. Ei quoque, in quo tractabatur, ut Episcopi à se deficerent, & ad dominationem Hludouvici transirent. Imputat præterea, quod Monasterium S. Columbæ à Hludouvico impetraveritis, & de assignatione ejus litteras ad Missos Echardum & Theodoricum. Saxa quoque muri Meledunensis castelli à Hludouvico poposceritis. Unde satis claruerit eum potius Principem, quam se illo vos tempore adprobasse atque duxisse. Quod id etiam consilium dederitis, ut fideles ejus Sacramento constringerentur, quo occupatum regnum Hludouvico contra se tuerentur: & quod vacantem sedem Bajocacensium Tortoldo propinquo vestro à Hludouvico obtinueritis, & postquam se virtus divina annisu fidelium in regnum restituerit, & id adversus fratrem sibi cœperit vindicare, nullum ei per vos, aut militares Ecclesiæ vestræ, præstiteritis suffragium. Hæc plenius in libello comprehensa gloriosus Rex nobis obtulit, quæ strictim vobis fide integra expressimus, ne ex improviso objecta amplius perturbarent. Elegit autem terminandæ querelæ judices me Remigium & Wenilonem Rotomagensium, & Herardum Turonum, & Rodulfum Biturigum Episcopos, ceteris nostrum judicium suo consensu adprobaturis. Proinde, Frater carissime, à tempore, quo litteras has acceperis, post diem XXX. quocunque evocatus fueris; ita canonicè instructus occurre, ut defensionis tempore ac loco accepto, si conscientiæ, quod plurimum optamus, confidis, suffragante veritate probabiliter objecta dissolvas: sin autem in defensione defeceris, sententias à majoribus institutas excipias.

Accusatus Episcopus, quemadmodum sit evocandus, ex Concilio Carthaginensi. Cap. XXX.

Aurelius (a) Episcopus dixit: Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem Provinciæ ipsius causam deferat accusator: nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc est infra spatium mensis, ex ea die, qua eum litteras accepisse constiterit. Quod si aliquis veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem integram habeat facultatem. Verum tam diu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad Concilium universale anniversarium occurrere voluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se damnationis suæ sententiam dixisse judicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel Parochia communicet. Accusator autem ejus, si numquam diebus causæ dicendæ defuerit, à communione non removeatur. Si vero aliquando defuerit subtrahens se restituto in communionem Episcopo, ipse removeatur à communione accusator: ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem occurrere voluisse, sed non potuisse probaverit. Illud vero placuit, ut cum agere cœperit in Episcoporum judicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen Ecclesiasticas, afferere voluerit. *OBJECTIO.* In tua conspiratione vita mea periclitata est: & nisi mihi Dei pietas subvenisset, etiam viventi fœda regni accidisset amissio. *Primo.* Ex Concilio Carthaginensi quærendum est in judicio, cujus sint conversationis & fidei is qui accusat, & is qui accu-

(a) Tomo nostro primo pag. 202.

accuſatur. Deinde oſtendendum Canonicè inſtructam cognitionem. *Ex Concilio eodem.* Felix (*b*) Epiſcopus dixit: Suggero ſecundum ſtatuta veterum Conciliorum, ut ſiquis Epiſcopus, quod non optamus, reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare; ne in crimine remaneat, à XII. Epiſcopis; Presbyter à VI. Epiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur, & Diaconus à tribus. *Tum niſi efficax ei occurrat defenſio, inferendum judicium.* Ex Concilio Calchedonenſi Cap. XVIII. Conjurationis (*c*) vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei Eccleſia, ne fiat, admonere conveniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis, aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

OBJECTIO. Celebrâſti Miſſas excommunicatis præter conſenſum Epiſcoporum, qui eos propter crimina ab Eccleſia removerunt. *Item, niſi probabilis reddatur defenſio, ſequitur judicium.* Ex Concilio Carthaginenſi Cap. IX. Auguſtinus Epiſcopus (*d*) dixit: Hoc ſtatuere dignamini, ut ſi qui forte merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, & ſive ab aliquo Epiſcopo, vel Presbytero, fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugiens ſui Epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, omnibus placet. *OBJECTIO.* Sacramenta in cauſis, quæ tibi opponuntur, ſæpiſſimè violaſti. *Niſi protexerit recipienda defenſio, ſequitur judicium.* Ex decretis Papæ GELASII. Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota diſcretione ſummota, non ſolum de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere, ſed nec aliqua correctione penitus ſuccedente ad Divinum miniſterium, honorémque conſcendere. Nonnullos autem in ipſis ordinibus conſtitutos, gravibus delinquentes facinoribus non repelli. Cum & Apoſtolus clamet, *nemini cito manus imponendas*, nec communicandum peccatis alienis; & majorum veneranda conſtituta pronuncient hujusmodi etiam ſi forte ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere depelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos, prævaricatores ſancti propoſiti procul dubio ſummovendos. *De Accuſato, & Accuſatore.* Ex Concilio Carthaginenſi. Item (*e*) placuit, ut accuſatus vel accuſator in eo loco, unde eſt ille, qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes perducere, ubi cauſa finiatur. *De Contemptu Judicii.* Ex Epiſtola Papæ BONIFACII. Probat vera eſſe illa, quæ adverſum ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult: & nullus dubitat, quod ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur, qui eſt innocens quærit. Sed aſtuta cavillatio eorum, qui verſutis agendum credunt eſſe conſiliis, numquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quisquis ſubterfugere judicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur in medium: nec proderit illi toties latuiſſe, toties ſubterfugiſſe, quem ſui actus & commiſſa, quocunque fugerit, ea quæ objiciuntur illi, ſi vera ſunt, crimina proſequuntur. Ut ſi adeſſe voluerit, præſens, ſi confidit, ad objecta reſpondeat: ſi vero adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia, quæ dicta ſunt, comprobentur, cum ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia. *Concilium Sardicenſe.* Gaudentius (*f*) Epiſcopus dixit: Addendum ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Romana, alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non

(*b*) Tomo I. noſtro pag. 201. Cap. XII. Carthaginenſ.
(*c*) Tomo I. pag. 179.
(*d*) Tomo I. noſtro pag. 200.
(*e*) Tomo I. noſtro pag. 203. Can. XXX.
(*f*) Tomo I. noſtro pag. 190. Can. IV. Sardicenſi.

non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. *Ex Concilio Toletano.* Dignum est, ut vita innocens nulla maculetur pernicie accusatoris. Ideo quisquis à quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio detur, quam accusator præsentetur, atque Legum & Canonum sententia, exquiratur. Quod si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non judicetur, nisi ubi pro capite Regiæ Majestatis causa versatur.

Sirmondus Tomo III. Conciliorum Galliæ.

§. IV. EPISTOLA SYNODICA
CONCILII TULLENSIS APUD SAPONARIAS,
AD BRITANNIÆ (*a*) EPISCOPOS,
Ut obediant Archi-Episcopo Turonensi, nec excommunicatis ab eo communicent.

SYnodus universalis collecta ex Galliâ & Germaniâ, in suburbio Tullensi, villa Saponarias, Remigius Lugdunensium, Wenilo Rotomagensium, Herardus Turonensium, Rodulphus Biturigum, Hincmarus Remorum, *Guntarius Agrippinensium*, Arduicus Vesontionis Metropolitani Episcopi, cum multis aliis Episcopis Fastcario, Wernario, Garurbrio, Felici, in Domino salutem.

Quò plura emergunt in populo Dei noxia, & Episcopali diligentiâ rescindenda, ad hoc plures, & frequentius convenire necesse est Episcopos, ne ministerii sacerdotalis nomen frustra comprobentnr gestare. Hâc intentione confluximus ad memoratum locum, ut fidâ collocutione, quid nobis in tantis periculis, & tribulationibus agendum sit, sollicitè quæreremus, & Spiritu Sancto demonstrante inveniremus. Ad hanc conlocutionem vos præsertim evocatos non comparuisse molestius tulimus. Decuerat enim, ut quorum unum est officium, par studium probaretur. Sacris instituti canonibus non ignoramus, Metropolitano, vestro, carissimo fratri nostro Herardo, competentem reverentiam vos debere: ità, ut præter ejus præsentiam, aut consensum nullus in Regione vestrâ Canonicè possit ordinari Episcopus, nec vos generale aliquid sine ejus consensu posse sancire. De qua reverentiâ, salubriter & à gente vestrâ, & à vobis Metropolitano impendendâ, tempore Nomenoii Ducis, & Reverendissimi Papæ Leonis, & successoris ejus Benedicti, scripta docuerunt, & refragantibus Apostolicæ Authoritati dignam excommunicationis protulerunt sententiam. Movet etiam nos, quod iis, quos vester Metropolitanus cum aliis Episcopis propter diversa crimina excommunicavit, indifferenter vos communicare comperit. In Canonibus autem divinitus institutis socii excommunicatorum eorundem sententiâ feruntur. Proinde monemus sanctam, nobisque amabilem fraternitatem vestram, ut ab his excessibus ulterius temperetis, & vestrâ instantiâ, opitulante Dei gratiâ, gentem vestram ad olim traditæ disciplinæ, ac totius Ecclesiasticæ Religionis observantiam invitetis, & unanimiter, & constanter absque dilatione reducatis. Siquidem etiam illis observandum est, ne damnatorum illicitâ societate sententiam damnationis incurrant. Quæ autem à nobis diligentiore tractatu reperta sunt, atque decreta, venerabilis Coepiscopi Herardi relatione discetis. Verum si, quod non optamus, ab ejusdem Metropolitani sollicitudine ulterius resilieritis, & nostris ex charitate manantibus exhortationibus vos constiterit reluctari, ministerii necessitate canonicam in vos cogemur proferre sententiam. Bene valete, & orate pro nobis.

Pithoeus inter Annales Francorum pag. mihi 496.
Martene & Durand Tomo III. Anecdotorum pag. 857. 858.

(*a*) Minoris, in qua Dolensis Episcopus Festiniarius subtrahere se voluit obedientiæ debitæ Herardo Turonensi Archi-Episcopo suo Metropolitæ, nam Salomon Britanniæ minoris Dux, qui pro *Rege* se gerebat, ausus fuit petere Pallium pro Dolensi *Episcopo.* Ea Controversia fere annos CCC. tenuit, demum anno MCXLIV. Dolensis Turonensi Metropolitæ subjectus à Papa declaratur.

§. V. INDICULUS, QUIBUS DE REBUS SALOMONEM (a) COMMONERE DEBEANT.

PLacuit *universali Concilio*, ut *Salomoni*, qui Britannorum tenet Regionem suggeratis, ut quæ pro ejus salute mandamus, obedienter audiat, si Deum habere propitium, & nostræ unanimitatis tenere consortium. Ut permittat totius Britanniæ Episcopos debitam reverentiam Metropolitano inferre. Ut facultates Ecclesiasticas nec ipse Deo auferat, nec aliis auferre permittat. Ut consideret, quanto animæ suæ periculo Britannorum Dominationem invaserit, cùm Domino nostro Regi Carolo fidelitatem prius juraverit. Ut recordetur gentem Brittannorum Francis ab initio fuisse subjectam, & statutum dependisse tributum, ac per hoc ne dedignetur ad nuper omissam reverti consuetudinem. Ut proprietates à parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter acquisitas justos possessores habere permittat. Nisi enim se ab hac audaciâ, & impietate retraxerit, & Divinâ pœnitudine deleverit, quod deliquit, nostræ authoritatis affectu, nobis admonentibus, cito ei Deus usurpatam auferet potestatem, & debitam inferet ultionem. Ut pro diversis Canonicè excommunicatos ne recipiat, suadere; ostendentes, Divino Judicio, si id præsumpserit, pari cum vindictâ constringi.

Pithoeus inter Annales Francorum pag. mihi 497.

Binius Concilior. Tom. III. Sirmondus.

(a) Salomon Brittonum Rex non erat, sed quia circulo aureo & purpura ex Caroli Calvi concessione utebatur, ideo Regis nomen usurpabat. *Martene in Notis.*

§. VI. EPISTOLA SYNODI TULLENSIS AD SAPONARIAS, AD BRITONES PROPTER VARIA SCELERA EXCOMMUNICATOS.

Ut desistant, ne, si perstiterint, anathemati subjiciantur.

UNiversalis Synodus ex diversis partibus in nomine Domini ad vicinum locum Tullensi urbe, qui dicitur Saponarias, congregata, utinam bonis filiis, Rotberto, Odoni, Heriueo, Truando, Ingelboldo, Frotmundo, item Heriueo, Magenardo, Cadoloni, & ceteris in vestra societate conjunctis, salutarem conversionem, propter defensiones, & diversas contentiones, quæ in vestris Regionibus exortæ sunt. Longum tempus est, quod voluimus venire in unum, & dolorem nostrum ostendere: quod propter vestram omnium perversitatem talem vindictam ponit Deus super nos, qualis non est audita ante nos, postquam Deus sua gratia potestatem dedit Regibus, & genti Francorum. Ipse Deus nos in unum ad hoc adduxit, ut vel flagellati diversis tribulationibus recogitemus peccata nostra, ut nos primum convertamur ad ipsum, & alios ad eum nostra prædicatione, & exemplo adducamus. Et oramus omnes cum gemitu, & nimio dolore, & qui possumus cum lacrymis, ut respiciat nos ultimos servos suos ad se volentes redire, & dignetur nobis præstare, ut quod aliis prædicamus ipsi quoque faciamus. Quia sic dicit ipse Salvator noster, *Non (a) omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in regnum Cælorum.* Hæc est nostra intentio. Vos nolite attendere, quod reprehensibiles sumus: sed quod ministri Dei sumus in his, quæ bene vobis dicimus, audite Dominum præcipientem: *Quæ (b) dicunt facite.* In his quæ male facimus, audite iterum ipsum præcipientem, *Quæ faciunt, facere nolite.* Doctrina enim Dei à nobis indignis benevolis adnuntiata, si obedieritis, vobis proderit, quasi ex beato Petro Principe Apostolorum eam audieritis, & erit vobis salvatio: nobis

(a) Matth. 7. 21. (b) Matth. 23. 3.

bis autem, si non observaverimus, quod aliis præcipimus, erit damnatio. In commune deseruimus cultum Dei. Quidam ex nobis mandata Dei, & minas ejus, atque promissiones cognoscimus sed non timemus, neque amamus: quidam neque dignamur cognoscere. Ut utrique sumus magno periculo, nisi convertamur, antequam moriamur. Mors nostra incerta est unicuique nostrum, & certa est vindicta Dei & in proximo, nisi conversio & pœnitentia nobis subvenerit: Propterea nos humiliamus, licet omnes tales non sumus, ut vos nobis cum ad Dominum adtrahamus. Fratres audite & intelligite quid Deus dicat omnibus suis fidelibus: *Vigilate*, [c] *quia nescitis diem, neque horam.* Quod propterea dicit, ut suspectam semper habeamus mortem, quam effugere non valemus, & ad eam vincendam semper præparemur, quam scimus nulli esse præcognitam, & omnibus adventuram. Peccata nostra quotidiana sunt, unde quotidie dicimus: *Dimitte* (d) *nobis debita nostra*: sed non debent esse mortifera, id est criminalia, de quibus dicitur per Prophetam; *Anima* [e] *quæ peccaverit, ipsa morietur*, & per & Apostolum Paulum, *Quoniam* (f) *quia talia agunt, regnum Dei non consequuntur.* Fratres & filii, audite nos nunc pie monentes, ne in judicio Dei, quando non pœnitentiæ locus, audiatis, quod ipse Deus avertat, juste & veraciter accusantes. Primo cognoscite, quia in discordia estis, & discordia tam grande est malum, quod oblatio, quæ solet alia peccata delere, non recipitur à Deo, donec discordia deponatur, & ad bonam concordiam redeatur. Hoc vobis notum est ex Evangelio. Etiam sapientes mundi intellexerunt, & bene docuerunt, quia parvæ res per concordiam crescunt, & maximæ res per discordiam corruunt. Quod verum esse probatur in nobis, qui regnum Francorum cum in concordia esset, magnum vidimus, & nunc, cum est in discordia, jam pene nullum videmus. Carissimi, videte ne de tanto malo vos sitis capita, ne pro ea cogamini debita sustinere tormenta. Deus dicit in Evangelio: *Quisquis* (g) *scandalizat unum ex pusillis, melius erat ei, ut alligata mola mergeretur in profundum maris.* Vos scandalizatis innumerabilem multitudinem. In quanto, & in quam incomparabili estis periculo & judicio Dei qui alios inquietatis, & opprimitis? In præsenti vita nec habetis quietem, nec ullam securitatem: in futuro autem habebitis inevitabilem damnationem. Quæritis quæ sit illa damnatio? Ignis est æternus, quo omnes impii punientur. Sic enim dicit Deus se dicturum impiis, *Ite* [h] *in ignem*, & non stetit, ut finiret sententiam: sed addidit, *æternum*, ut quem non terret tanti supplicii attrocitas, mittat eum in pavorem numquam finienda supplicii perpetuitas. Per Isaiam de impiis Deus dicit, *Vermis* (i) *eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, & per aliam scripturam: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Anima impiorum, credite nobis auctoritatem Divinam vobis explanantibus, patietur vermem, id est morsum infructuosæ pœnitentiæ; & corpus impiorum ad augmentum tormenti patietur vermis corporalis morsum, & ignem ipsum corpus semper succendentem, & nunquam finientem. Attendite actus vestros. Nulla lege vivitis: nec illa, quam homines ad conservandam præsentem pacem præfixerunt: nec illa, quam ad tenendam præsentem justitiam, & ad promerendam cælestém gloriam Divinæ litteræ docuerunt. Omnes absque reverentia rapinam facitis, & Apostolus Paulus dicit. *Quia rapaces* (k) *regnum Dei non possidebunt.* Et dives purpuratus non propterea ardet in inferno, quod salvator eum referat crudeliter aliena rapuisse, sed misericorditer propria indigenti non tribuisse. Unde existimate, quanta pœna cruciabitur, qui aliena diripit, si inferni igne damnatur, qui petenti propria denegavit. Plurimi vestrum, abjecto timore Dei, templa violant, vasa Dei & in diversis speciebus thesaurum auferunt, & deposita, id est commendata propter paganorum incursionem ab aliis Ecclesiis, in suos usus transferunt, & sacrilegium jam publice sine timore committunt. Possessiones Ecclesiæ, id est villas, quæ datæ sunt Deo ab his, qui ante vos Christiani fuerunt propter redemptionem animarum &

(c) Matth. 25. 13. (d) Matth. 6. 12. (e) Ezech. 18. 20.
(f) Gal. 5. 21. (g) Matth. 8. 6. (h) Matth. 25. 41.
(i) Es. 66. 24. (k) 1. Cor. 6. 10.

& propter templorum Dei instaurationem, & eorum victum, & vestimentum, qui sine cessatione laudes Deo persolvunt, & propter stipendium pauperum, & si opus esset redemptionem captivorum, vos Deo aufertis, & quia statim non vindicat, quasi cum securitate possidetis. Domini est terra & plenitudo ejus, & quicunque Deo aliquid obtulit, nihil ei dedit, nisi quod ab eo accepit. Ut tamen sciamus eum nostram devotionem non fastidire, quasi nostrum accipit, quod ipse dedit. Sic enim dignatur promittere se dicturum pietatem impendentibus proximis: *Hospes fui* (*l*) *& suscepistis me: nudus, & operuistis me, esurivi, & dedistis mihi manducare sitivi, & dedistis mihi bibere.* Quasi ea ex suo largiantur, qui hæc manifeste Divino munere perceperunt. Tam nefarium scelus, quo præsentibus, & futuris nocetis, jam vindicaret quia justus est, nisi esset & patiens. Sed utinam omnes talia agentes ejus patientia ad pœnitentiam adducat, quia in præsenti tempore secundum Apostolum Paulum, patientia Dei ad pœnitentiam vos invitat. Sed si in his & similibus facinoribus perduraverimus, quanto nunc est mitior ejus patientia, tanto erit durior postea inflexibilis vindicta. Dei vox est. *Tacui*, (*m*) *numquid semper tacebo*? Id est, in hac vita quiesco, in altera vindicabo. Vindictam in laturus quidem dicturus est, audistis me præcepisse: *Non* (*n*) *concupisces rem proximi tui* rem proximi vestri si concupistis, quia non ausi estis, aliquando non abstulistis, meam non solum concupistis, sed ad meum contemptum audacissime vobis vindicastis: & plus timuistis servum, quam me Dominum. Ergo meus contemptus, & vestra, quæ radix fuit omnium malorum, cupiditas vos mergit in tartarum. Non permittat Deus, ut hæc audiatis in futuro, sed potius audiatis in præsenti, nobis dicentibus in auribus vestris, Dominum dicentem in cordibus vestris, *convertimini ad me, & salvi eritis*. Plurimi vestrum fornicationes, & adulteria sine timore Divino, & sine humana verecundia faciunt. Audiant Apostolum dicentem: *Fornicatores* (*o*) *& adulteros vindicabit Deus*, id est damnabit. Audiant etiam eundem dicentem: *Horrendum* (*p*) id est timendum, *est incidere in manus Dei viventis.* Homicidia crudelissime exercent, & creaturam dissipant, quæ facta est ad imaginem Dei, ad ejus injuriam qui creavit Sancti Dei, qui ante nos Ecclesiam rexerunt, eos, qui voluntarium homicidium fecerint, pœnitentiam quam diu viverent facere statuerunt, & ut nunquam acciperent sanctam communionem, nisi in fine pro viatico, decreverunt. De uno homicidio hoc ab illis est confirmandum: nobis quid faciendum est, quibus nuntiatur multos à singulis trucidatos? Incendiarii Christianorum villas incendunt, & plurimorum damnis atque mortibus faciunt se dignos incendio sempiterno, Episcopos ad matrem Ecclesiam revocantes non auditis, ministros eorum affligitis, monachos & Sanctimoniales penuria opprimitis: agricolas, quorum labore vivitis, fame torquetis, à Deo, & bonis operibus, his & aliis inauditis sceleribus vos separatis. Sed video cui vos jungitis. Deus dicit: *Beati* (*q*) *pacifici, quia Filii Dei vocabuntur.* Si pacifici estis, Filii Dei estis & eritis: si pacifici non estis manifestum est, quia nec Filii Dei estis. Salvator dicit, *Qui est ex Deo*, (*r*) *verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Si verba Dei aure corporis audistis, & aure mentis percipitis, ut opere compleatis, ex Deo estis: ex Deo autem non estis, si ista negligitis. Absit, ut inter eos immoremini, quibus ipse Dominus dicit: *Vos ex patre diabolo estis.* Deus si obedientibus dabit se ipsum, ut intelligatur, & habeatur, & sit gaudium sempiternum in regno cælorum. Diabolus sibi obedientibus hoc præstabit, ut cum eo mergantur in ignem æternum. Charissimi, dum tempus est, fugite seductorem, & sequimini Salvatorem. Sitis illius, qui vos fecit, non illius qui vos decepit. Dominus dicit. *Quid prodest homini*, (*s*) *si lucretur universum mundum se ipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat?* Quod propterea dicit, quia nihil prodest homini, sed multum nocet, si adquirat totum mundum, & perdat se ipsum. Quod sine offensione Dei habere non possu-

(*l*) Matth. 25. 35.
(*m*) Es. 42. 14.
(*n*) Exod. 20. 17.
(*o*) Hebr. 13. 4.
(*p*) Hebr. 10. 30.
(*q*) Matth. 5. 9.
(*r*) Joh. 8. 47.
(*s*) Matth. 16. 26.

possumus, ut Dei amatores habere nolimus. Ista, quæ in hoc seculo videntur, secundum auctoritatem Divinæ Scripturæ temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Ne peccemus in superflua dilectione temporalium, ne amittamus beatitudinem æternorum. Unicuique nostrum Deus dicit: *In omnibus (t) operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Si imparati fuerimus, ab his, quæ licitè amamus, invitè abstrahemur; & quæ suavia nobis sunt, erunt asperrima. Nihil proderit pompa sæculi, non adjuvabunt propinqui, nec ulli carnales amici, & magna peccata, quæ non deleverimus per pœnitentiam, compellent nos sustinere æternam vindictam. Paterna pietate minas Dei, & promissiones vobis proponimus, ut ab omnibus vitiis, quæ pacem præsentem, & futuram gloriam tollunt, cum festinatione recedatis, & ad Dominum ex toto corde conversi faciatis bona opera, quibus spem salutis habere possitis. Pro criminibus, quæ superius exposita sunt, vos excommunicatos à quibusdam Episcopis comperimus. Sed ipsis intercedentibus damus spatium, ut ad nostram piam admonitionem deponatis mortiferam societatem, & peccatorum consuetudinem: ne forte si in vestra contumacia perstiteritis, cogamur vos anathemate generali contra nostram voluntatem propter ministerii necessitatem ferire.

Sirmondus Tomo III. Conciliorum Galliæ.

Subjiciebantur his Decreta, seu Canones Synodi *Lingonensis*, & Capitula aliquot ex Synodo *Valentina* in hac Synodo à Tullensi apud Saponarias relecta. Verùm, cùm eæ duæ Synodi Gallicanæ fuerint, & à solis Galliarum Episcopis celebratæ, judicavi, eas Germanicis inserendas non esse.

(*t*) Eccl. 7. 40.

CONCILIUM METENSE.

Anno Christi DCCCLIX. Caroli Calvi Regis XIX.

Occasio Synodorum Carisiacensis & Metensis contra Ludovicum Germaniæ Regem, & Legationis ad eum destinatæ.

LUDOVICUS, Germaniæ, Bajoariæ Rex, anno 858. à Proceribus Caroli Regis Aquitaniæ (Hlotharii Augusti Filii) invitatur ad Regnum Aquitaniæ tutandum & suscipiendum his causis, 1. Quia Carolus pro libitu suo, nec secundùm Regum leges viveret. 2. Exactionibus populum gravaret. 3. Nec à Normannis Regnum diripientibus eos tutaretur: & hoc ipso anno infeliciter adversùs Normannos pugnavit, & à suis undique desertus fuit. Mense Julio anni hujus Adalardus Abbas Sithiensis, & Odo Comes Blesensis Francofurtum ad Ludovicum veniunt, suppetias orant, & defensionem contra Normannos, quam apud legitimos suos & orthodoxos Dominos invenire non possunt: Tyrannidem Caroli se diutius ferre non posse: Normannos resistente nemine prædas agere in regni meditullio, captivos facere, & vendere, cædes perpetrare, incendiis grassari: quod reliquum, Carolum Regem subdole sæviendo disperdere, nec quemquam in omni populo jam esse, qui promissionibus & juramentis ejus ampliùs fidat. Ludovicus Rex dubius an fratri & nepoti parceret, vel populo supplicanti opem denegaret; demum metuens, ne auxilium populis oppressis præstitum ad cupiditatem alieni occupandi quis interpretaretur (*cùm cuncti consiliorum Regis conscii veraci sermone testati sint Ludovicum ab alieni regni ambitione alienissimum fuisse*, *ut Annales Fuldenses ajunt*: statuit demum, præstare, ut multorum saluti consulat, quam unius hominis libidini & contumaciæ tot mala regni permittat: igitur Legatis promittit auxilium, & exercitum ad liberandam Galliam à Normannis, ac pacandam Aquitaniam de facto mittit. Exercitu Wormatiæ medio mense Augusto congregato per Alsatiam transit, atque ad regiam pagi Pertensis villam Pontigonem Calendis Septembris venit, ubi eum primores regionis illius suscipiunt, paucis exceptis, qui Carolo adhuc adhærebant.

ANNALES BERTINIANI.

Wenilo Archi-Episcopus Senonum ad Ludovicum venit, & Concilia cum eo confert pro liberatione, & conservatione Provinciæ Aquitaniæ contra Regem Carolum, ubique à Normannis invasum, fugatum & fugientem. Anno 858. Ludovicus Germanicus Galliam ingress-

ingreſſus, Epiſcopos Gallicanos invitat ad Conventum in urbe Remenſi ad VIII. Kalendas Decembris à ſe indictum.

858. Menſe Novembri, Synodus Cariſiacenſis Epiſcoporum Remenſis & Rotomagenſis Provinciæ ſcribunt primò Ludovico Germanico excuſatorias, quod in Conventu indicto Remis non comparuêrint, ſecundò prolixam dehortatoriam à bello eidem Regi ſcribunt, imò excommunicationem eidem vel infligunt, vel comminantur, niſi à bello contra Regem Aquitaniæ Carolum deſiſtat, & mala Eccleſiis per exercitum illata reparet.

Anno 859. V. Kal. Junii, Carolus Calvus & Lotharius Reges, Conventum Metenſem habent, & Legatos deſtinant ad Ludovicum Germaniæ Regem, qui pœnitentiam ſuadeant, & abſolutionem, & pacem offerant ſub conditionibus præſcriptis.

De Indulgentia Ludovici Regis.

HÆC CAPITULA TRACTATA ET CONFIRMATA SUNT AB EPISCOPIS IN SYNODO HABITA APUD METTIS CIVITATEM DE INDULGENTIA HLUDOUVICI REGIS, PRO SEDITIONE ET EXCESSIBUS IN REGNO FRATRIS SUI KAROLI PERPETRATIS.

COMMONITORIUM EPISCOPIS AD LUDOVICUM REGEM LEGATIS A SYNODO METENSI.

Dilectis in Chriſto Fratribus & Conſacerdotibus noſtris, Legatis videlicet Divinæ pacis, ac noſtræ unanimitatis, Hincmaro, Erchanrao, Epiſcopis, quorum nomina ſubter habentur adſcripta: qui favente Domino, & annuentibus glorioſis Principibus noſtris Karolo & Hlothario, in Mediomatricum civitatem, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. Indictione VII. V. Kalendas Junias Synodali Decreto convenimus.

CAPUT I.

NOta, & pro dolor nimis eſt nota diſcordia atque calamitatis pernicies, quæ factione quorundam ſeditioſorum hominum, nuper inter fratres Reges noſtros Hludovicum, & Karolum accidit. Unde tanta ac talia in Eccleſia nobis ad regendum Divina dignatione commiſſa, & in hoc regno perpere ſunt admiſſa, ut ipſa etiam auditu horribilia cognoſcantur. Et ſi hæc diſcordiæ peſtilentia diutius operante humani generis antiquo hoſte duraverit, quam exitiabilis & mortifera exiſtat, melius ipſi ſcitis. Qua de re memores quid veritas miſſis prædicatoribus juſſerit, ut divinus Paulus dicit: *Legatione* (a) *pro Chriſto fungentes vos*, fratres chariſſimi, legatos Deo amatæ pacis, quoniam exinde jam glorioſos Principes noſtros Karolum, & Hlotharium Epiſcopali auctoritate monuimus, ad Dominum Hludovicum Regem glorioſum mediante Domino ordinamus, ſicut Salvator dicit: *In quamcumque*, (b) inquiens, *domum intraveritis, primum dicite, pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem, ad vos revertetur.* Quia aut erit quiſque prædeſtinatus ad vitam, & cæleſte verbum ſequetur, quod audiet: aut ſi nullus audire voluerit, ipſe prædicator ſine fructu non fuerit, quoniam ei à Domino pro labore ſui operis merces recompenſabitur.

II. Poſt

Legati tres Archi-Epiſcopi, Hincmarus Remenſis, Wenilo Senonenſis, Guntharius Agrippinenſis: ſex Epiſcopi, Erchanraus, Herluinus, Hildegarius, Adventius, Abbo, Hincmarus.

(a) II. Corinth. V, 20.

(b) Matth. X, 11.

II. Poſt prædicatam verò, & poſtulatam pacem, legatio veſtræ fraternitatis hujusmodi erit conditionis, ut iisdem Rex nobis, & utinam Deo ſemper amabilis admiſſorum indulgentiam conſequatur.

III. Videlicet, ſi ſe de omnibus, quæ per eum malitioſorum hominum perſuaſione, atque ſeductione, in parochiis noſtris fratrumque noſtrorum perpetrata ſunt, veraciter recognoverit, ſicut ſcriptum eſt: *Juxta (c) eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde*, & *Sacrificium Deo (d) eſt Spiritus contribulatus*, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Et ſicut hi, qui fictè Deum quærunt, invenire numquam merentur, ità prope eſt Dominus omnibus invocantibus ſe in veritate.

IV. Et ſi poſt veram recognitionem puriter confeſſus fuerit: quia iterum dicit Scriptura: *Qui (e) abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Et ſi (f) confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

V. Poſt puram autem confeſſionem, ſi promiſerit, quæ malè geſta ſunt, per dignos pœnitentiæ fructus, præveniente, adjuvante, & ſubſequente Divina gratia, ſe pro viribus emendaturum. Quia ſcriptum eſt: *Facite (g) fructus dignos pœnitentiæ*, ut tanto majora quærat bonorum operum quisque lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. Quoniam & illi beati, quorum tecta bonis operibus ſunt peccata. Et ut ſcriptum eſt, quia peccavit & populum peccare fecit, tanta ſint bona, quæ tanta operiant mala.

VI. Deinde ſi ſpoponderit, ad pacem, & concordiam præſentaliter in corde & ore, & quantocius rationabiliter & poſſibiliter, atque convenienter ex communi ſenſu fieri poterit, etiam præſentia corporis ad pacem, & concordiam cum fratre ſuo Karolo ſe rediturum, & in pace, & caritate Deo placita, cum præfatis principibus noſtris Karolo atque Hlothario, ſi ipſi eandem pacem, & concordiam erga eundem ſervaverint, permanſurum, & in ſe peccantibus debita dimiſerit, ſicut ſua à Deo debita ſibi cupit dimitti. Quia ibidem ſcriptura dicit, *Pacem (h) ſequimini cum omnibus, & Sanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Et cum mala cuncta bonis ſequentibus diluantur, tantum eſt diſcordiæ malum, quæ niſi extincta funditus fuerit, bonum nullatenùs ſequi Evangelio teſte permittat. Et caritas eſt, quæ operit multitudinem peccatorum: ſine qua etiamſi quis corpus ſuum tradat ad ignem, nihil ei niſi damnationis judicium proderit. Et Dominus dicit: *Si (i) non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.*

VII. Poſt hæc ſi promiſerit, quod jam ulterius tale vel ſimile ſchiſma in hac Sancta Dei Eccleſia, atque in iſta Chriſtianitate non reiteret. Unde ſcriptum eſt: *Qui (k) baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: ſed poſt baptiſma mortuum tangit, qui culpas poſt lacrymas repetit. Et iterum ſcriptum eſt: *Canis (l) reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Quia qui peccatum poſt pœnitentiam repetit, quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum volvit: quia dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ipſas etiam lacrymas ante Dei oculos ſordidas facit.

VIII. Tunc demum promittat ſe ab illorum perditorum hominum tuitione atque favore, per quos tam graviter Deum offendit, disjungere; & qui quaſi ad ejus fidem, ſed potius infideliter ad eum venerunt, ad rectam rationem in proximo placito ante fratrem ſuum Karolum, & nepotem ſuum Hlotharium, ſicut Deo teſte jam apud *Marſnam (m)* propria manu firmaverat, venire

(c) Pſ. XXXIII, 19. (d) Pſ. L, 19. (e) Prov. XXXVIII, 13.
(f) I. Timoth. I, 9. (g) Luc. III, 8. (h) Hebr. XII, 14.
(i) Matth. VI, 15. (k) Eccl. XXXIV, 30. (l) II. Petr. II, 22.
(m) Anno 847. Tractatus Pacis & diviſio Regnorum inter Fratres & Nepotes apud Marſnam tertia poſt mortem Ludovici Pii. Prima anno 842. apud Strasburg olim Argentaria convenerunt Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus, & ſacramento diviſionem regnorum ſanciverunt, Ludovicus Romana, Karolus Teudiſca lingua loquentes. Secunda anno 843. apud Virdunum, Tractatus Pacis & diviſio Regnorum. *Nithardus de Diſſenſionibus Filior. Ludovici Lib. III.*

nire ſi potuerit faciat, & quemcunque illorum recta ratio dignificaverit, digno honore ſuo fruatur: & qui per rectam rationem erga ſeniorem ſuum juſtificari non potuerit, & rationabilem miſericordiam pro eo expetierit, eandem rationabilem miſericordiam illi obtineat. De illo verò, quem recta ratio & juſtum judicium condemnaverit, ut Rex Chriſtianus cum Rege Regum Chriſto concordet, & alienæ perditioni ſe non commiſculet. Quia ut Paulus dicit, *Non (n) ſolum qui faciunt, ſed etiam qui male facientibus conſentiunt, digni ſunt morte.* Unde S. Innocentius dicit, quia non multum intereſt inter committentis animum, & conſentientis favorem. Addo amplius, plerumque dediſcit errare, cui nemo conſentit. Et iterum S. Paulus cum talibus hominibus nec cibum ſumere permittit. Et S. David, dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur, quod cum malis concordiam nòn teneret, dicens, *Nonne, (o) qui oderunt te, Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos: inimici facti ſunt mihi.* Et inimicos etiam Dei perfecto odio odiſſe, eſt id quod facti ſunt diligere, & quod faciunt, increpare. Hinc Phinees peccantium civium gratia coeuntes cum Madianitis percuſit, & iram Dei iratus placuit. Et Joſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, cui à Domino per Prophetam dicitur: *Impio (p) præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris; ſed bona opera inventa ſunt in te.* Hinc Sacri Canones Sancto promulgati Spiritu dicunt, ut hi, qui poſt excommunicationem vel interdictum cum communicatis communicaverint, condemnati anathema habeantur. Et S. Cyprianus Regis Miniſterium eſſe dicit impios de terra perdere, homicidas, perjuros, adulteros, veneficos, ſacrilegos non ſinere vivere. Et in libro Regum ſcriptum eſt, dicente Domino per Prophetam: *Quia (q) dimiſiſti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Et quam noxia ſit indebita erga iniquos miſericordia, monſtratur in opere Saul ac Samuëlis: quoniam cui Saul pepercit offendens Dominum, Samuel Propheta in fruſta concidit. Nam ſicut quisque in ſe peccantibus debet propter Deum dimittere, ita in Deum peccantes, & Eccleſiam conculcantes, & regni pervaſores, & in Chriſtianitatis depopulatores, & in pacis perturbatores, & in patriæ proditores debet miniſter Domini Rex debitam vindictam propter Deum exercere. Qua propter ſciat Rex nobis amabilis, quia ſicut infirmus ſanari non poteſt, qui à medico coquitur, quamdiu ferrum ignitum in illius tenetur corpore: ità & nemo ſanari poteſt à peccato, quandiu in peccato manſerit, vel quandiu in peccato manenti ſcienter, & libenter communicaverit.

IX. Tandem ſi ſe promiſerit adjutorem & cooperatorem Dei pro viribus de cetero, & rationabiliter futurum, qualiter Eccleſia Dei, quæ in ſuo regno ac regnis noſtrorum Principum una eſt, ſicut & unum Sacerdotium, ſecundum qualitatem periculoſi temporis in unoquoque ordine reſtituatur, & Sacerdotes Dei debita privilegia, & Eccleſiaſticum vigorem obtineant, & populus juſtitiam, & pacem habeat: congregatis vobis, & noſtro immo Divino Spiritu, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem illi peccata, in noſtris parochiis per illum, & ab illo commiſſa, Eccleſiaſtica pietate, & Canonico more dimittite, eique indulgentiam poſtulanti donate: atque illum Sacræ Communioni, qua ipſe ſe privaverat excommunicatis communicans, reſtituite.

X. Et licet multorum annorum, ſecundum præfixos à Sacris Canonibus gradus, pœnitentia hæc perpetrata facinora indigerent, tamen confiſi de Dei miſericordia, apud quem non ſic acceptatur menſura temporis, ut doloris, nec abſtinentia ciborum, ſicut mortificatio vitiorum, non præjudicantes Patrum ſententias, quæ de hujusmodi decreverunt, ſed potius eorum ſequentes humaniorem definitionem, hæc ſcribimus. Ait Sancta Synodus Africana: (*) Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ

(n) Rom. I, 32. (o) Pſ. CXXXVIII, 21. (p) II. Par. XIX, 2.
(q) III. Reg. XX, 42. (*) Vid. Tom. I. pag. 209. Canonem X. African.

tiæ tempora discernantur. Et S. Leo Apostolicæ Sedis Pontifex his, inquit, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant; nec satisfactio indicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur veniæ moras confessio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: *Cum conversus* (r) *ingemueris, tunc salvus eris.* Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Et item: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: *Ne* (s) *forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Et S. Gregorius in Evangelii homilia dicit, veniat foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator: venientem verò foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

XI. His perpensis, fratres carissimi, si ut diximus, jam dictum Regem à nobis amabilem ità contemperatum Divinæ voluntati, & Sacræ auctoritati inveneritis, secundum Ministerium vobis à Deo traditum eum vestra unanimitate absolvite. Sin alias, vos ullo modo cum eo, quem absolvere non poteritis, ligare nolite: quoniam nec coram Deo nec in Synodo nos inde auctores habebitis, si agere aliter, quod absit, præsumpseritis, vosque, & in Synodo, & coram Deo, pro facto irrito dabitis rationes.

XII. Et si ipse, quod Deus longe faciat, ea, quæ egit, unde illum nunc commonere vos mittimus, reiteraverit, omnia & ante Divinos oculos, & ad Ecclesiastica judicia, redivivo vulnere curanda vel amputanda noverit reveniire. Si quid quoque contra Sanctam auctoritatem præsumptum aut subreptum, sive extortum fuerit, non solum in Divinis examinationibus, verum nec in Divinis legibus quippiam prævalebit. Et non sit de cetero immemor idem Rex gloriosus, quod dicit sanctus Gregorius: " Sciendum est, inquiens, quia quis-
" quis inlicita nulla commisit, huic jure
" conceditur, ut licitis utatur; sicque
" pietatis opera faciat, ut tamen, si no-
" luerit ea, quæ mundi sunt, non relin-
" quat. Quilibet verò tanto à se licita
" debet abscindere, quanto se meminit
" & inlicita perpetrasse. Neque enim
" par fructus esse boni operis debet ejus,
" qui in quibuslibet facinoribus cecidit:
" sed tanto quisque majora quærat bo-
" norum operum lucra per pœnitenti-
" am, quanto graviora sibi intulit damna
" per culpam. " Unde à vobis nostra, quin potius Dei voce commoneatur, ut sic studeat præteritorum pœnitens, & imminentia atque futura cavens, Deo militare in regno terreno, quatenus mereatur conregnare Christo in regno cælesti.

Sirmondus Tom. III. Concilior.

(r) Es. CXLIV, 26. (s) II. Tim. II, 26.

CONVENTUS WORMATIENSIS.

ANNO DCCCLIX. PRIDIE NONAS JUNII, LUDOVICI REGIS GERMANIÆ ET PAUCORUM EPISCOPORUM REGNI SUI. II. LEGATORUM EX CONVENTU METENSI ET CARISIACO AD LUDOVICUM GERMANICUM CONVENTIO.

Hæc, quæ sequuntur, Episcopi peractâ Legatione renuntiarunt.

DE indulgentia sua nobis Hludovicus Rex pridie nonas Junias *in Wormatia* dixit: Volo vos precari, ut si in aliquo vestros animos offendi, ut hoc mihi perdonetis, ut in antea securus vobiscum loqui possimus. Ad hæc Hincmarus,

marus, qui primus in ordine ex ſiniſtra parte illius ſtetit, reſpondit dicens: Iſta cauſa cito ad effectum pervenire poteſt, quia quod nos offerimus, hoc vos petitis, & monente Grimoldo (*a*) ac Theoderico (*b*) Epiſcopo, iterum ipſe Hincmarus dixit: Nihil contra me feciſtis, unde noxium rancorem in mente contra vos teneam, quia ſi facerem, ad altare ut Domino ſacrificarem, accedere non auderem. Iterum monentibus eiſdem Grimoldo, & Theoderico ac Salomone, (*c*) dicente ipſo Theoderico hæc verba: Facite ſicut ſenior noſter precatur, parcite illi: reſpondit ipſe Hincmarus hæc eadem verba. Quod in me, id eſt, in mea perſona, offendiſtis, & peperci, & parco: de hoc autem, quod in Eccleſia mihi commiſſa, & in populo male eſt factum, voluntarie vobis dono conſilium, & ſecundum Deum præſto auxilium, ut inde ſalvi ſitis, ſi vobis placet. Et præfati viri reſponderunt. Certe bene dicit. Et ceteri fratres noſtri in hæc verba & ſenſerunt, & proſecuti ſunt. Tanta & talis indulgentia illi largita fuit, & non altera, neque amplius. De ſcripto autem, quod confirmandum nobis eſt traditum, nec ipſe à nobis quiddam quæſivit, nec nos illi aliquid diximus: quoniam necdum cum illo ex hujusmodi in ratione eramus. Ipſe autem poſt hæc & alia, dixit nos egiſſe, quod non egimus, ex hoc materiam ſumens, quod Guntharius illi familiariter, ut eum inſtrueret, & ad ſatisfactionem provocaret, ſcriptum relegit, ità inquiens: Vos mihi transmiſiſtis veſtram Epiſtolam cum Capitulis: vos veniſtis cum cauſa facta. Nos non ſumus hic niſi duo vel tres, qui ſine aliis huc exilivimus. In illas cauſas intrare non poſſum, antequam cum noſtris Epiſcopis inde tractemus, quia Deo gratias nihil ſine illorum conſilio feci: & poſtea inde reſpondeam. Nos autem expectabamus, ut conſilium à nobis de ſua ſalute oblatum ipſe quæreret: & tunc ei ſecundum illud ſcriptum donaremus conſilium. Ipſe autem de ſuo gradu reſpondit, quod in illud ſcriptum non intraret, antequam cum ſuis Epiſcopis conſideraret. Et ſic, quicquid in generali cauſa Eccleſiæ & populi egit, penes illum remanſit.

Sirmondus Tom. III. Concil.

Exitus Conventus Wormatienſis hic fuit. Legati Gallicani Caroli Calvi re infectâ diſceſſerunt, Ludovicus enim eorum literis nec reſpondere dignatus eſt, *è ſuo gradu;* id eſt, è ſuo throno. Mirabatur enim Excommunicationem ſibi intentari ab iis, qui nec ſpiritualem, nec temporalem ullam jurisdictionem in ejus perſonam habebant. Secundo nihilominus aſſeveravit ſe reſponſurum auditis Epiſcopis Regni ſui.

Interea Carolus Calvus, & Carolus Aquitaniæ Rex varios & novos Conventus tentant, primo in Inſula Rheni inter Andernacum & Confluentes, nullo effectu. Poſt Baſileæ ſub Autumnum Conventus indicitur nullo effectu.

Ludovicus Germanicus, laſſus audiendis tot arbitris & judicibus rerum ſuarum, mittit acta ſua pro liberanda Aquitania à Tyrannide Caroli Summo Pontifici Nicolao, & Hlothario Auguſto Imperatori per Thiotonem Abbatem Fuldenſem. Thioto honorificè ab utroque excipitur. Bellum à Ludovico ad inſtantiam ſubditorum illatum facilè excuſat, & à Pontifice & Imperatore abſoluto Regi litteras à Pontifice refert. *Annales Pithoeani ad hunc annum.* Ità omnis Excommunicatio Ludovico Germanico intentata evanuit & in auras abiit. Imo ipſe Wenilo Archiep. Senonenſis, licet à Rege Carolo accuſatus in Synodo Tullenſi, ſtatim in gratiam rediit Regis, ut Annales Bertiniani teſtantur. Hinc annis proximè ſequentibus intereſt Synodis & ſubſcribit. *Eckhartus Tomo II. L. XXX. N. 47. 48.*

(*a*) *Abbas, Archi-Capellanus.* (*b*) *Mindenſis.* (*c*) *Conſtantienſis.*

RHABANI MAURI
ARCHI-EPISCOPI MOGUNTINI
EPISTOLA,
AD HERIBALDUM EPISCOPUM ANTISSIODORENSEM.

CAPITULA SEQUENTIS LIBELLI.

I. De homicidiis ſponte commiſſis.

II. Item

RHABANI MAURI (e)
ARCHI-EPISCOPI MOGUNTINI
EPISTOLA,
AD HERIBALDUM EPISCOPUM
ANTISSIODORENSEM. (f)

Dilecto fratri Heribaldo Alcedronensi Antistiti Rhabanus peccator, & Servorum Dei vilissimus servus in Christo salutem. Capitula quædam in pittatio scripta

(a) Qui se excusant, quasi insontes ab homicidio in prœlio commisso jussu Principum. Codex Metropoliticæ Coloniensis Ecclesiæ.

(b) qui C.M. (c) sive commatrem.

(d) quod Corpus Domini, postquam comeditur, in secessum emittatur, more aliorum ciborum. C. M.

(e) Rhabani Archi-Episcopi Moguntini varia Opuscula ad Canones Ecclesiasticos, & statum juris sacri in Ecclesiis Germaniæ Sæculo nono vigentis, diversis temporibus prodierunt, nos cum singulorum certam Epocham assignare non valeamus, ea nunc sub unum conspectum edimus post annum mortualem 856. diem 4. Februarii: vitam & cætera vide in Præfatione Tomi primi nostri. Contulimus editionem Baluzii cum codice MS. Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ No. 118.

(f) Heribaldus Episcopus Antissiodorensis, sed juxta antiquos Codices & nostrum Metropolitanum *Alcedronensis* dictus fuit XXXVI., hujus Ecclesiæ Episcopus; anno 841. adhuc superstes. *Roberti Gallia Christian.*

ta per nuntium Cunurdi Comitis mihi allata ſunt; quæ de diverſis quæſtionibus me vobis reſpondere coëgerunt. Sed quia ſigillatim omnibus reſpondere non valui, ſtrictim ea denotare curavi. Fuerunt enim ibi loca quædam, quæ de homicidio facto interrogabant, quædam de fornicatione, & adulterio, quædam etiam de his, qui ante gradum ſe libidine polluerunt; quædam autem de illis, qui poſt gradum acceptum ſe coinquinaverunt, & tamen ab officio Eccleſiaſtico, & Miniſterio Altaris ſe prohibere noluerunt: præter cætera quoque alia capita ibi inveni ſcripta, de quibus me reſpondere poſtulaſtis. Ego autem ea, quæ in Sacris Canonibus inde explicita reperi, in præſenti Epiſtola inſerere non tardavi. Vos autem inde facite, quod juſtum vobis videtur, & quod Sacra Scriptura vos agere docet. In libris enim veteris, & novi Teſtamenti, quàm abominabilia ſint homicidia coram Deo, fornicationes, avaritia, maleficia, & magicæ artis ſcelera, omneſque malorum operum actiones, manifeſtiſſimè declaratur. De quibus pauca hìc inſerere curavi. Cæterum autem de ipſis divinis libris, ſi colligere intentè volueritis, & eis obedire decernitis, quid vobis agendum, & ſalubre ſit, per voſmetipſos valetis inveſtigare, & utile documentum inde accipere. Deus autem dirigat cor veſtrum, & ſtudium in omne opus bonum; ut præſenti vita ea doceatis, atque agatis, quæ ſibi ſunt placita, ſicque per ejus gratiam ad mercedem plenam, & ad vitam perveniatis æternam.

Prohibentur enim in lege Domini homicidia, & adulteria, ſicut ſupra ſcriptum eſt, omniaque vitia. Unde in Levitico ſcriptum eſt, quod Dominus juſſerit populo ſuo dicens: *Sanctificamini* (g) *& eſtote Sancti, quia ego Sanctus Dominus Deus veſter. Nolite facere iniquum aliquid in Judicio, in regula, in pondere. Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui. Non oderis fratrem in corde tuo, ſed publice argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Qui* (h) *maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Patri, matrique qui maledixerit, ſanguis ejus ſuper eum. Si moechatus fuerit quis cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur & moechus, & adultera. Qui dormierit cum noverca ſua, & revelaverit ignominiam patris ſui, moriantur ambo, & ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, & uterque operatus eſt ſcelus, morte moriantur; ſanguis eorum ſuper eos. Si quis dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur, quia ſcelus operati ſunt. Sanguis eorum ſuper eos. Qui ſuper uxorem filiam duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt. Sanguis ejus ſuper eos. Vivus ardebit cum eis. Nec permanebit tantum nefas in medio veſtrum. Qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier quæ ſuccubuit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo, Sanguis ejus ſuper eam. Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, vel viderit turpitudinem ejus, illaque conſpexerit fratris ignominiam; nefariam rem operati ſunt. Occidentur ambo in conſpectu populi, eò quod turpitudinem ſuam mutuò revelaverunt, & portabant iniquitatem ſuam. Qui coïerit cum muliere menſtruata, & revelaverit turpitudinem ejus; ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficiantur ambo de medio populi. Turpitudinem amitæ, & materteræ tuæ non diſcooperies. Qui hoc fecerit, ignominiam carnis ſuæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem ſuam. Qui coïerit cum uxore patrui vel avunculi ſui, & revelaverit ignominiam cognationis ſuæ, portabunt peccatum ſuum, abſque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui revelavit. Abſque liberis erunt.* (i) *Ne polluatis animas veſtras in pecore, & in avibus, & cunctis, quæ moventur in terra, & quæ vobis oſtendi polluta eſſe. Vir ſive mulier in quibus pythonius vel divinationis fuerit ſpiritus; morte moriantur. Lapidibus obruent eos. Et ſanguis eorum ſit ſuper eos. Cuſtodite leges meas atque judicia, & facite ea, ne & vos evomat terra, quam intraturi eſtis, & habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum in* (k) *vos.*

Sed hoc non ſolum in veteri Teſtamento, ſed etiam in novo, cultoribus Dei ſimiliter agere omnino vetatur. De concupiſcentiis verò carnalibus Paulus ad Galatas ſcribens ità loquitur: *Dico* (l) *autem,*

(g) Levit. XX.
(h) Levit. XX. ſed non ſervato continuo ordine vulgatæ lectionis.
(i) Ibid. v. 25. & ſeqq.
(k) C.M. *ante vos.*
(l) Gal. V, 16. & ſeqq.

autem: spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur; ut non, quæcunque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, (m) *hæreses, invidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est Lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Si vivimus Spiritu, Spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes.* Et paulo post: *Nolite* (n) *errare. Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus.* (o)

Cum enim illa omnia vitia, quæ supra nominata sunt, tam à legislatore, quam etiam ab Apostolo noxia (p) (*) prohibentur, & cultoribus Dei Divina authoritas prohibet facere, pœnamque eis, qui hæc agunt, minatur perpetuam, è contrario verò spiritalia dona laudat Apostolus, hortaturque per omnia sequenda, bonum est, ut caveamus omne peccatum, & omne scandalum, quantum Dominus nos posse donaverit, & faciamus, quæ sibi sunt placita, & lex Domini nobis mandat; quia sic & in præsenti, & in futuro ejus misericordiam, & protectionem inveniemus. Si enim juxta historiam, legislator transgressoribus mandatorum Dei minatus est carnis mortem, & præsentis vitæ terminum; quanto magis nobis juxta mandatum Salvatoris, & Evangelicam (q) doctrinam formidanda est mors animæ, & pœna perpetua, quàm illa, quæ finem quodammodo habuit? ista autem sine termino cruciabit noxios. Unde necesse est, ut in præsenti vita juxta Apostolum, (r) *Mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram*, hoc est desideria carnis nostræ, & voluptates terrenas in nobis extinguere contendamus, vitiaque omnia, quantum nos Dominus posse concedit, procul expellamus, Deique voluntati, & mandatis ejus obtemperare satagamus; quoniam sic mortem perpetuam evadere, & ad vitam æternam Domino largiente pervenire possumus: dehinc quoque ad interrogata, quantum possumus, breviter juxta Canonum instituta respondere curemus.

De Homicidiis sponte commissis.

CAP. I.

PRimùm ergo de homicidii perpetratione, quid Sacri Canones sanciant; & qualiter pœnitentia his agenda sit, qui (s) hoc commiserint, breviter denotare curavimus. In Concilio Ancyrano (t) cap. XXI. de homicidiis scriptum est: qui (u) voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.

Item de homicidiis, & falsis testibus.

CAP. II.

In Concilio (x) Agathensi cap. XXXVII. de homicidis & falsis testibus scriptum est: Itaque (y) censuimus homicidas, & falsos testes à communione Ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

De

Bb

(m) *hæc vox non extat apud Paulum.*
(n) Galat. VI, 8.
(o) non deficientes. C.M.
(p) esse probentur. C.M.
(*) *forte* probentur.
(q) atque Apostolicam C.M.
(r) Coloss. III.
(s) Pœnit. Rhab. C. 12.
(t) Tom. I. nostro pag. 148. Liber *Pœnitentium* Rhabani hic allegatus constat Capitib. XL. hujus Libelli Capitulis valde affinibus & quandoque iisdem: impressus fuit Coloniæ 1532. in 8vo. & in folio inter omnia Rhabani opera Coloniæ anno 1627.
(u) Regino Lib. 2. C. 10.
(x) Pœnit. Rhab. C. 12.
(y) Regino Lib. 2. C. 12.

De his, qui servos suos extra judicem necant, & de Domina, quæ per zelum ancillam occidit.

CAP. III.

Item in Concilio Agathensi (z) cap. LXII. scriptum est de his, qui servos suos extra judicem necant: Si quis (a) servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit. Item in Concilio Eliberitino (b) cap. V. scriptum est: de Domina (c) quæ per zelum ancillam occiderit, ità ut infra diem tertium animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntate an casu occiderit, si voluntate, post septem annos, si casu, per quinque annorum curricula acta legitima pœnitentia ad communionem admitti placuit. Quod si infra tempora constituta fuerit infirma, accipiat communionem.

De homicidiis non sponte commissis, & de his, qui quemlibet occidunt jussu Principis.

CAP. IV.

In Concilio Ancyrano cap. XXII. scriptum est de his, (d) qui sponte homicidium commiserint: De homicidiis (e) non sponte commissis prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit; secunda vero quinquennii tempus explere.

Quod autem (f) quidam homicidium, quod nuper in seditione & prælio (g) principum nostrorum perpetratum est, excusant, quasi non necesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eo quod jussu principum nostrorum peractum sit, & *Dei Judicio* ità finitum. scimus enim, quod Dei Judicium semper justum est, & nulla reprehensione dignum. De quo etiam scriptum est: *Justus* (h) *Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. Qui judicat orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Sine quo nec passer cadit super terram. Sed nemo judicia Dei penetrare potest: quoniam scriptum est: *Judicia* (i) *tua abyssus multa.* Unde oportet eos considerare; qui hanc necem nefariam defendere cupiunt; utrum illos coram oculis Dei, quasi innoxios, excusare possint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, & idolorum servituti comparatur, atque propter favorem Dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt, & mandata illius spernentes, non casu, sed industria homicidium perfecerunt. Nam de his legimus, qui homines non sponte interficiunt, Deum per legislatorem urbes refugii deputasse; ad quas confugientes salvarentur ab ultore sanguinis proximi sui, & non morerentur. Unde in Deuteronomio scriptum est: *Hæc* (k) *lex homicidæ erit, cujus vita servanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, & heri & nudius tertius nullum odium contra eum habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit, hic ad unam urbium supradictarum confugiat, & vivat, ne proximus ejus, cujus sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam ejus.* De eo vero, qui per industriam aliquem occiderit, in exodo ita præceptum est: *Si quis* (l) *per industriam & per insidias occiderit proximum, ab altari meo eum evelles, ut moriatur.* Et in Deuteronomio: *Si quis,* (m) inquit, *odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus: & percusserit eum surgens, & mortuus fuerit, & fugerit, ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores illius civitatis,*

(z) Pœnit. Rhab. C. 14. (a) Regino Lib. 2. C. 26.
(b) Pœnit. Rhab. ibid. (c) Reg. Lib. 2. C. 58.
(d) Vide Tomum I. pag. 148. Cap. XXII. Ancyrani.
(e) Pœnitent. Rhab. C. 15. (f) Pœnit. Rhab. ibid. Reg. Lib. 2. C. 50.
(g) Hic est sermo de prælio ad Fontanetum anno 841. & de judicio Episcoporum de cæsis hoc prælio indiscriminatim Deo commendandis, etsi victoria hujus prælii de exercitu Caroli Calvi *Judicium* Dei visum & æstimatum fuerit ex usu illius temporis. Victis tamen nulla pœnitentia fuit imposita *ex Synodo loci incerti anno* 841. igitur post hoc tempus hic liber scriptus fuit.
(h) Psal. 144. (i) Psal. 35.
(k) Deuter. 19. (l) Exod. 21.
(m) Deuter. 19.

tis, & eripient eum de loco refugii, & tradent eum in manus proximorum ejus cujus ſanguis effuſus eſt; & morietur; nec miſereberis ejus. Si ergo eum, quem Dominus dignum morte judicavit, reum non eſſe quis (*n*) dicat; quomodo contrarius legi Dei non exiſtit, qui hoc, quod Dominus præcepit, caſſum eſſe contendit? Videndum ergo illi, ne forte ipſe in illorum numero ſit, quibus per Prophetam dicitur: *Væ vobis,* (*o*) inquit, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum, lucem tenebras, tenebras lucem, vel amarum dulce, dulce amarum.* Tales ergo mortificant animas, quæ non moriuntur, & vivificant, quæ non vivunt.

Qui ergo malorum ſine condigna pœnitentia quemquam veniam à Deo percipere dixerit, penitus errat, & cum deceptus, alios decipere feſtinat, duplici noxa conſtringitur, hoc eſt, proprii erroris, & alienæ deceptionis. Sed inter hæc ſciendum eſt, quod magna diſtantia eſt inter legitimum principem, & ſeditioſum Tyrannum, inter eum, qui ſubvertere nititur Chriſtianæ pacis tranquillitatem, & illum, qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem. De quo plurima ſub lege vetere, & ſub novo Teſtamento fortium virorum exempla inveniuntur, quæ poſſunt nos inſtruere, quid de hujusmodi debeamus ſentire.

De adminiſtratoribus, & his, qui preces criminales dictant.

CAP. V.

De Adminiſtratoribus autem, (*p*) qui judicia ſecularia ſecundum legem majorum ſuorum exercent, quid Sacri Canones ſentiant, facile eſt invenire. Nam in Decretis Innocentii Papæ cap. XXIII. ita legitur: quæſitum eſt etiam ſuper his, qui poſt baptiſmum adminiſtraverunt, aut tormenta ſua exercuerunt, aut etiam protulerunt capitalem ſententiam. De his nihil legimus à majoribus diffinitum. Meminerant enim à Deo poteſtates has eſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, Dei miniſtrum datum eſſe in hujuſmodi vindicem. Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod authore Deo viderent eſſe conceſſum? De his ergo ita, ut hactenus ſervatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam evertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur. Ipſis autem in ratione reddenda geſta ſua omnia ſervabuntur.

Item in eisdem decretis (*q*) cap. XXV. ſcriptum eſt, quod, qui preces criminales dictant, habeantur immunes: Illud etiam ſciſcitari voluiſti, an preces dictantibus liberum concedatur, utique poſt baptiſmi regenerationem, à principibus poſcere mortem alicujus vel ſanguinem de reatu? Quam rem principes nunquam ſine cognitione concedunt; ſed ad judices commiſſa ipſa vel crimina ſemper remittunt, ut cauſa cognita judicentur. Quæ cum quæſitori fuerint allegata, aut abſolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur. Et dum legum in improbos exercetur authoritas, erit dictator immunis.

De populi neceſſario commiſſo.

CAP. VI.

De populi autem (*r*) neceſſario commiſſo, quomodo inultum ſoleat præteriri, idem Papa quibusdam Epiſcopis de Macedonia ad interrogata reſpondens, ita ſcribit dicens. Provideat ergo (*s*) dilectio veſtra hactenus talia tranſiſſe, & advertite, quod utique, ut dicitis, neceſſitas imperavit, in pace etiam Eccleſias conſtitutas non poſſe præſumere, ſed ut ſæpe accidit, quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſolere tranſire. Priora ergo dimittenda dico Dei Judicio, de reliquo maxima ſollicitudine præcavendum. Non enim hic, ut mihi videtur, iſte Doctor Apoſtolicus dicit non neceſſarium eſſe populo pro malè commiſſis agere pœnitentiam: ſed quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, priora dimittenda Dei Judicio; de reliquo maxima ſollicitudine præcavendum, ne fiant.

(*n*) *non addit* C. M.
(*o*) Eſai. 5.
(*p*) Pœnitent. Rhab. C. 16.
(*q*) Pœnitent. Rhab. ibid.
(*r*) Pœnitent. Rhab. C. 17.
(*s*) Decreta Innoc. I. C. 56.

De Parricidio.

CAP. VII.

Parricidium autem (*t*) quam ſit deteſtabile crimen, judicio facto inter Cain, & Abel fratrem ſuum Dominus ipſe oſtendit, cum ad Cain parricidam ait: *Maledictus* (u) *eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem Fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus. Vagus & profugus eris ſuper terram.* In quo etiam poſuit ſignum, hoc eſt, ut gemens, & tremens, & profugus viveret ſemper, nec uſpiam (*x*) ſedes haberet quietis. Sed quia modernis temporibus parricidæ profugi diſcurrunt per diverſa loca, & variis vitiis, atque gulæ illecebris deſerviunt, melius mihi videtur, ut in uno loco manentes pœnitentiâ diſtrictâ ſemetipſos caſtigent, ſi forte à Domini bonitate indulgentiam facinoris ſui percipere mereantur. Non (*y*) enim eis licebit ultra cingulum militiæ ſumere, & nuptiis, atque conjugii copula uti, quia ſacri Canones hoc eis non concedunt, ſicut poſtmodum de pœnitentibus pro culpis gravibus decreta Synodica decernere oſtenſuri ſumus.

De his, qui partus ſuos ex fornicatione perimunt.

CAP. VIII.

Itaque (*z*) in Ancyrano Concilio cap. XX. ſcriptum eſt de his, quæ partus ſuos ex fornicatione conceptos diverſis modis interimunt: de mulieribus (*a*) quæ fornicantur, & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem diffinitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſiâ removeri juſſit, humaniùs autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ largiamur. (*b*)

Item (*c*) in Concilio Elibertino cap. LXIII. ſcriptum eſt de his, quæ filios ſuos ex adulterio necant: ſi qua (*d*) per adulterium abſente viro conceperit, idque poſt facinus occiderit, placuit vix in fine dandam eſſe communionem, eò quod geminaverit ſcelus.

De his, quæ aborſum faciunt.

CAP. IX.

Item (*e*) in Concilio Hilerdenſi cap. II. ſcriptum eſt de his, quæ aborſum faciunt, vel natos extinguunt: hi (*f*) verò, qui male conceptos ex adulterio factos vel editos necare ſtuduerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliſerint, in utroque ſexu adulteris poſt ſeptem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen, ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus & humilitati inſiſtant.

De his, qui poſt ſacrum ordinem capitalia crimina committunt, & eorum pœnitentia ſeu excommunicatione.

CAP. X.

De his (*g*) ergo viſum eſt vobis conſcribi, qui ſacros ordines habent, & ante vel poſt ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus ſe eſſe profitentur. In quibus (*h*) ut mihi videtur, hæc diſtantia debet eſſe, ut hi, qui deprehenſi vel capti fuerint publice in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus, ſecundùm Sacrorum Canonum inſtituta à gradu proprio deponantur: quia ſcandalum eſt populo Dei tales perſonas ſuper ſe poſitas habere: quas ultra modum vitioſas eſſe conſtat. Nempe inde homines detrahunt Sacrificio Dei, ſicut quondam filiis Heli precantibus feciſſe leguntur, & rebelles hinc atque contrarii exiſtentes, eorum pravis exemplis cotidie pejores fiunt. Qui autem de prædictis (*i*) vitiis per occultam confeſſionem mala abs ſe abſconſè commiſſa coram oculis Dei præſente etiam ſacerdote,

(*t*) Pœnit. Rhab. C. 11. Reg. L. 2. C. 28.
(*u*) Gen. 4.
(*x*) *nec audiret* addit C. M.
(*y*) Regino Lib. 2. C. 29.
(*z*) Pœnitent. Rhabani C. 11. Vid. Tomum noſtrum I. pag. 148.
(*a*) Regino Lib. 2. C. 63.
(*b*) *ſecundum præfixos gradus* addit C. M.
(*c*) Pœnitent. Rhab. ibid.
(*d*) Regino Lib. 2. C. 65.
(*e*) Pœnit. Rhab. C. 11.
(*f*) Regino Lib. 2. C. 64.
(*g*) Pœnit. Rhab. C. 1. Burchard. Lib. 10. C. 150. Ivo Parte 6. C. 400.
(*h*) Gratian. Diſt. 50. Cap. De his.
(*i*) Vetus collectio Canonum MS. in Bibliotheca Regia: peccatis abſconditè à ſe admiſſis per occ. con. coram oc. D.

dote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos graviter deliquisse (k) accusant, si veraciter pœnituerint, & se per jejunia, & eleemosynas, vigiliasque, atque sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint, his etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.

Nam de illis, qui (l) ad honorem Presbyterii sine examine provecti sunt, in Concilio Nicæno cap. IX. (m) scriptum est: Si qui presbyteri sine examine provecti sunt, vel cum discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt: tales regula non admittit: quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

Item (n) in Neocæsareensi Concilio cap. IX. de his ità scriptum est: Presbyter (o) si præoccupatus corporali peccato provehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem suam deliquerit, oblata non consecret; manens in reliquis officiis propter bonum studium. Nam reliqua peccata plerique dixerunt, per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se ipso non fuerit confessus, & argui manifeste non potest, potestatis suæ judicio relinquatur.

Item (p) in eodem Concilio cap. X. simili modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii detrahatur.

De illis (q) qui post acceptum gradum peccaverint, tertio (r) Apostolorum Canone ità legitur: Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: Non (s) judicabit Dominus bis in idipsum.

Item (t) in Canone Apostolorum cap. XXIX. Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus projiciatur.

Accusationem autem (u) adversus sacri ordinis viros facile non recipiendam, sed prius causam diligenter examinandam, & postea judicium inferendum, Apostolus docet scribens ad Timotheum: *Accusationem*, (x) inquit, *adversus presbyterum non recipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant.*

Quales (y) autem ipsi testes esse debeant, in Africano Concilio manifestatur; ubi cap. (z) VI. & XV. ita scriptum: " Placuit, ut omnes servi vel " proprii liberti ad accusationem non " admittantur, vel omnes, quos ad ac" cusanda publica crimina leges publicæ " non admittunt; omnes infamiæ ma" culis aspersi, id est, histriones, ac " turpitudinis subjectæ personæ. Hæ" retici etiam, sive pagani, sive Judæi. " Sed tamen omnibus, quibus accusa" tio denegatur, in causis propriis ac" cusandi licentia deneganda non est.

Item (a) in eodem cap. XCIX. testes non admittendos ad testimonium, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam, quos ipse accusator de domo sua produxerit. Ad testimonium autem intra annos XIV. ætatis suæ non admittatur.

Item (b) cap. XCVII. placuit, quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cætera non admittatur.

De his autem (c) quorum occulta sunt peccata, nec manifeste ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis confessionem coram Episcopo, sive Presbytero occulte faciunt, bonum

(k) C.MS. *queruntur.*
(l) Pœnitent. Rhab. Ibid.
(m) Vid. Tom. nostri I. pag. 138.
[n] Pœnitent. Rhab. ibid.
[o] Tomi I. nostri pag. 151.
[p] Pœnit. Rhab. ibid. Tom. I. nostro pag. 151.
[q] Pœnitent. Rhab. ibid.
[r] Canone mihi XXV. Tomo nostro I. p. 133.
[s] Nahum. 1.
[t] Pœnit. Rhab. ibid. Tomo I. pag. 133.
[u] Pœnit. Rhab. ibid.
[x] 1. Tim. 5.
[y] Pœnit. Rhab. ibid.
[z] Canon. African. mihi XCV. Tom. I. pag. 229.
[a] Pœnit. Rhab. ibid. Canone Africano mihi XCVIII. Tom. I. pag. 229.
[b] Pœnit. Rhab. ibid. Tomo I. nostro pag. 229.
[c] Pœnit. Rhab. ibid. Burchard. Lib. 19. C. 151. Ivo parte 15. C. 160.

bonum mihi videtur, ut ſecundum id, quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo ſive Presbytero, pœnitentiam agant non tepide, non tarde, ſed ferventer, & ſollicite; ac ſic ſe veniam (*d*) à Domino percepturos & gradum recuperaturos confidant. Quod etiam beatus Gregorius Papa in Epiſtola, quam ad Secundinum ſervum Dei incluſum ſcripſit, ita probat, dicens: Nam (*e*) tua ſanctitas à nobis requiſivit, ut tibi reſcriberem de ſacerdotali officio poſt lapſum reſurgendi authoritates, dum dicis de hoc Canones diverſos te legiſſe, diverſáſque ſententias inveniſſe, alias reſurgendi, alias nequaquam poſſe. Nam nos generaliter à Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quia ipſam ſequentes cæteræ in cunctis unanimes concordant. Nos ergo præcedentes nos patres ſequimur, quia authore Deo, ab illorum doctrina non diſcordamus. A capite itaque incipientes, uſque in quartum altaris miniſtrum hanc formam ſervandam cognoſcimus, ut ſicut minorem major præcedit in honore, ita & in crimine, & quem major ſequitur culpa, major ei implicetur vindicta, & ſic poſtea pœnitentia credatur fructuoſa eſſe. Quid enim prodeſt triticum ſeminare, & fructum illius non colligere? aut domum inſtruere, & illic non habitare? Poſt dignam enim ſatisfactionem credimus poſſe redire ad honorem, Propheta dicente: *Numquid* (f) *qui cadit, non adjiciet ut reſurgat?* & qui averſus eſt, non revertatur? Idem & peccatori ait: *In* (g) *quacunque die converſus ingemueris, ſalvus eris.* Unde & Pſalmiſta ait: *Cor* (h) *mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me &c.* Dum enim petit, (*i*) ne abjiciatur pro lapſus culpa (alienam quippe Rex ſimul & Propheta rapuiſſe uxorem (*k*) ſe expavit) Propheta judicante flagitium ſuum, pœnitentiam agens addidit: *redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Si enim Deo dignam pœnitentiam non feciſſet, nequaquam aliis prædicaret: *Docebo iniquos vias tuas.* Dum enim peccata ſua proſpexit Propheta mundata per pœnitentiam; non dubitavit prædicando caſtigare aliena. Et ſic Sacrificium ſemetipſo offerre ſtuduit, cum dicebat: *Sacrificium* (l) *Deo Spiritus contribulatus.* Ad hæc iſta ſufficerent. Sed omnis ſententia, quo plus Sacræ Scripturæ teſtimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim Propheta ait: *Nolo* (m) *mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur, & vivat.* De hoc peccantibus dicitur: *Peccator in quacunque die converſus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in oblivionem tradentur.* Si enim Redemptor noſter, qui peccatores non perdere, ſed vivificare venit, in oblivione delicta peccantium derelinquit; quis hominum condemnanda reſervet, cùm Apoſtolus dicat: *Si Deus juſtificat, quis eſt, qui condemnet?* Ad fontem miſericordiæ revertentes, Evangelicam proferamus ſententiam. *Gaudium* (n) *eſt Angelis*, inquit, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente plus, quam ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.* Et ovem perditam, nonaginta novem non errantibus relictis, humero ad ovile reportavit. Si ovis errans poſt inventionem ad ovile reportatur, cur iſte poſt pœnitentiam ad Eccleſiæ miniſterium non revocetur? Quid eſt ergo gravius carnale delictum admittere, ſine quo non multi, ſed pauci inveniuntur; aut Filium Dei timendo negare? In quo peccato ipſum beatum Petrum Principem Apoſtolorum, ad cujus nunc corpus indigni ſedemus, lapſum eſſe cognoſcimus. Sed poſt negationem pœnitentia ſecuta eſt, & poſt pœnitentiam miſericordia data: quia illum ab Apoſtolatu non dejecit, qui ante ſe ipſum negare prædixit.

Tibi hæc Fili chariſſime, dicta ſufficiant, ut illum, quem conſpicis delicta fletu delere, in conſpectu divinitatis non dubites miſericordiam conſequi: quia nullum peccantem reverſum deſpicit, qui peccantes ſuo ſanguine redimere venit.

Hinc (*o*) etiam beatus Auguſtinus ad Petrum Diaconum de fide ſcribens ait: Omni (*p*) homini in hac vita eſſe poteſt

[*d*] *peccatorum* addit C. M.
[*f*] Pſal. 40.
[*h*] Pſal. 50.
[*k*] *tremefactus* addit C. M.
[*m*] Ezech. 18.
[*o*] Pœnit. Rhab. ibid.
[*e*] S. Gregor. Lib. 7. Indict. 2. Ep. 53.
[*g*] Ezech. 3.
[*i*] *à Deo.*
[*l*] Ibid.
[*n*] Luc. 15.
[*p*] Auguſt. in Lib. de fide ad Petrum C. 3.

poteſt utilis pœnitentia; quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annoſus, ſi ex toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis in conſpectu Dei, non ſolum corporis, ſed etiam cordis lacrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus Prophetico eloquio promittit, dicens: *Si* (q) *converſus fuerit, & ingemuerit, ſalvus erit*: & alio loco dicitur: *Fili*, (r) *peccaſti? Non adjicias iterum; ſed de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur.* Nunquam eſſet peccanti indicta pro peccatis deprecatio, ſi deprecanti non eſſet remiſſio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodeſt, ſi eam in Eccleſia Catholica quis gerat, cui Deus in perſona Beati Petri Apoſtoli ligandi, ſolvendique tribuit poteſtatem, dicens: *Quæ* (s) *alligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis; & quæ ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.* In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum ſuorum pœnitentiam egerit, & vitam ſuam Deo illuminante correxerit, non privabitur indulgentiæ munere: *Quia* (*t*) *Deus*, ſicut per Prophetam dicit: *non vult mortem peccatoris* (*u*) *tantum ut revertatur à via ſua mala, & vivat anima ſua.* Veruntamen nullus hominum debet ſub ſpe miſericordiæ Dei in ſuis diutius remanere peccatis, cum & in ipſo corpore nemo velit ſub ſpe futuræ ſalutis diutius ægrotare. Tales enim, qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt, & ſibi de Deo veniam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec converſionis tempus, nec beneficium remiſſionis inveniant. Ideo unumquemque noſtrum Sancta Scriptura præmonet dicens: *Ne* (*x*) *tardaveris converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Dicit etiam Beatus David: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Cui quoque Beatus Paulus concordat his verbis: (*y*) *Fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo vivo; ſed adhortamini vosmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Obdurato igitur corde, vivit, qui ſe non convertit, deſperans de indulgentia peccatorum, ſive qui ſic miſericordiam Dei ſperat, ut uſque in finem vitæ præſentis in ſuorum perverſitate criminum remaneat. Proinde diligentes miſericordiam Dei, metuentesque juſtitiam, nec de remiſſione peccatorum deſperemus, nec remaneamus in peccatis, ſcientes, quia illa omnium hominum debita ſit exactura æquitas juſtiſſimi judicis, quæ non dimiſerit miſericordia clementiſſimi redemptoris. Sicut enim miſericordia ſuſcipit, abſolvitque converſos, ita juſtitia repellet & puniet obduratos. Hi ſunt, qui peccantes in Spiritum Sanctum, neque in hoc ſæculo, neque in futuro remiſſionem accipient peccatorum.

Nam (z) & de hoc Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ad inquiſitionem Maſonis (*a*) Epiſcopi ita ſcribit dicens: Verum, quod (*b*) ſequenter venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla eſt in ejuſmodi ſententiis decretorum diverſitas intelligenda: quod alibi legitur in lapſu "corporali reſtaurandum honoris gradum " poſt pœnitentiam, alibi poſt hujusmodi delictum nequaquam reperandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diverſitas hoc modo diſtinguitur. Illos enim ad priſtinos officii gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præceſſit ſatisfactio. (*c*) At contra hi, qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipſum carnale peccatum, quod admittunt, etiam vindicare quadam ſuperſtitioſâ temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita eſt dirimenda utraque ſententia, ut neceſſe ſit illos reſtaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt divinæ pietatis. Hi, nec immerito, conſequuntur adeptæ dignitatis ſtatum, qui per emendationem pœnitentiæ recepiſſe noſcuntur vitæ remedium. Id enim, ne forte ſit magis

[*q*] Eſai. 30.
[*r*] Eccli. 21.
[*s*] Matth. 18.
[*t*] Ezech. 33.
[*u*] *quantum* C.M.
[*x*] Eccl. 5.
[*y*] Hebr. 3.
[*z*] Pœnit. Rhab. Cap. I.
(*a*) *Manſonis* C.M.
(*b*) *in Epiſtolis* addit C. M.
(*c*) *vel digna peccatorum confeſſio* C.M.

gis ambiguum, divinæ authoritatis ſententia confirmetur. Ezechiël enim Propheta ſub typo prævaricantis Hieruſalem oſtendit, poſt pœnitentiæ ſatisfactionem priſtinum reſtaurari honorem poſſe: *Confundere* (d) *O Juda, & porta ignominiam tuam.* Et poſt paululum, *& tu*, inquit, *& filii* (e) *tui revertimini ab* (f) *iniquitate veſtra.* Quod dixit, confundere, oſtendit poſt confuſionis, & deprecationis opus debere quemquam erubeſcere, & pro admiſſis ſceleribus verecundam frontem humi proſtratam demergere, pro eo, quod dignum confuſionis perpetraverit opus. Deinde præcepit, ut portet ignominiam depoſitionis ſuæ, lugens cum humilitate, quod peccaverit, ſicque revocari ſecundum Prophetam ad priorem ſtatum poterit. Item Joannes Evangeliſta Angelo Epheſi Eccleſiæ inter cætera ſimile quiddam ſcribit: *Memor* (g) *eſto*, inquit, *unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Alioquin veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ejus.* In Angelo Eccleſiæ præpoſitum utique, id eſt, Sacerdotem, oſtendit, juxta Malachiam, qui dicit: *Labia* (h) *Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquiram de ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Præpoſitus ergo lapſus in vitium, per Evangeliſtam monetur, ut memor ſit, unde ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, ut non moveatur candelabrum ejus. Nam candelabrum Angeli doctrina ſacerdotalis, vel honor poteſtatis, quem geſtat, intelligitur. Juxta quod ſcriptum eſt apud Samuëlem in damnatione Heli: *Oculi* (i) *ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate Sacerdotali pollens, juſtitiæ claritate fulgebat; quam extinctam Propheta aſſerit, dum ob ſcelera Filiorum Sacerdotis poteſtatem, meritorumque lumen amiſit. Candelabrum ergo, ſive lucerna ſacerdotis, quæ intelliguntur chariſmata honoris, tunc penitus juxta Joannem extinguitur & movetur, quando poſt delicti caſum, neglecta pœnitentia, admiſſa ſcelera non deflentur. Non enim dixit, pro eo, quod cecidiſti, movebo candelabrum tuum de loco ſuo; ſed: *Niſi pœnitentiam egeris, movebo candelabrum tuum.* Ergo quemque præpoſitum peccantem, ſi prævenerit pœnitentia delicti, utique ſequetur & meriti. Et in proverbiis ſcriptum eſt: *Qui* (*k*) *abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur. Qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Nam & ipſum, quod Canonum cenſura poſt ſeptem annos remeare pœnitentem in ſtatum priſtinum præcepit, non hoc electione proprii arbitrii Sancti Patres, ſed potius ex ſententia divini Judicii ſanxerunt. Nam legitur, quod ſoror Aaron Maria, dum obdurationis adverſus Moyſen incurriſſet delictum, illico ſtigmate lepra perfuſa eſt. Cumque peteret Moyſes ut emundaretur, præcepit eam Dominus extra caſtra ſeptem diebus egredi, & poſt emundationem rurſus in caſtra admitti. Maria ergo ſoror Aaron, caro intelligitur Sacerdotis: quæ dum ſuperbiæ dedita, ſordidiſſimis corruptionum contagiis maculatur, extra caſtra ſeptem diebus, hoc eſt, extra collegium ſanctæ Eccleſiæ ſeptem annis projicitur, ubi poſt emundationem vitiorum loci, ſive priſtinæ dignitatis recipiet meritum. Ecce! in quantum valui, Concilii Ancyrani antiquam plane, & plenam authoritate ſententiam ſacris teſtimoniis explanavi, oſtendens eum poſſe reſtaurari proprio honore, qui per pœnitentiæ ſatisfactionem novit propria delicta deflere; eum vero non poſſe reſtaurari, qui nec luget, quæ agit, & lugenda ſine ullo pudore religionis, vel timore divini judicii committit. Hucuſque Iſidorus.

Auguſtinus ad Bonifacium: ut (*l*) inquit, in Eccleſia ſanciretur, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum diſciplinæ. Alioquin contra claves Eccleſiæ datas diſputaretur, de quibus dictum eſt; *Quæ* (m) *ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Sed ne forſitan de

(*d*) Ezech. 16.
(*e*) *filiæ tuæ* C.M.
(*f*) *ad antiquitatem veſtram* C.M.
(*g*) Apoc. 2.
(*h*) Malach. 2.
(*i*) Reg. 3.
(*k*) Prov. 28.
(*l*) Auguſt. Epiſt. 50.
(*m*) Matth. 16.

de criminibus ſpe honoris Eccleſiaſtici intumeſcens animus ſuperbi ageret pœnitentiam ſeveriſſime placuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo ſit clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis, medicina verior & major eſſet humilitatis. Nam & David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo permanſit. Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſterior diligentia; qui, ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutius muniretur; experti, credo, aliquorum ficts pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim invenire multas medicinas multorum experimenta morborum.

In Concilio Ilerdenſi (*y*) Cap. V. de his, qui altario deſerviunt, ſi ſubito flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti ſacrificium Deo offerant, maneat in poteſtate Epiſcopi vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab Eccleſiæ corpore ſegregare, ita tamen, ut ſi officiorum ſuorum loca retineant, non poſſint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod ſi iterato velut *canes ad vomitum* reverſi fuerint, non ſolum dignitate officii careant, ſed etiam ſanctam commnionem niſi in exitu percipiant.

Item (*z*) in Concilio Carthaginenſi cap. XXVII. ſcriptum eſt, quod Presbyteri & Diaconi in graviore culpa convicti, manus impoſitionem tanquam laici nequaquam ſuſcipiant: confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyter vel Diaconus in aliqua graviore culpa convicti fuerint, ob quam eos à miniſterio neceſſe eſt removere, non eis manus tanquam pœnitentibus imponatur, vel tanquam fidelibus laicis, neque permittendum eſſe, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

De Presbyteris, qui uxores acceperunt vel fornicati ſunt.

CAP. XI.

Item de Presbyteris, qui uxores acceperunt, vel fornicati ſunt, in Concilio Neocæſarienſi cap. V. ſcriptum eſt: Presbyter, (*a*) ſi uxorem acceperit ab ordine deponatur, ſi verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Item (*b*) ex Decretis Innocentii Papæ cap. XXVI. propterea quod dignum & pudicum, & honeſtum eſt, tenere omnino Eccleſia debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant, quia miniſterii quotidianis neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim: *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter.* Nam priſcis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant. Quibus (*c*) utique propter ſobolis ſucceſſionem uxoris uſus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex ſemine Aaron, ad Sacerdotum nullus fuerat præceptus accedere. Quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, quo vel à Sacrificiis divinis vel Baptiſmatis officio vacent. Nam ſi Paulus ad Corinthios ſcribens ait: *Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, & hoc utique Laicis præcepit, multo magis Sacerdotes, quibus & ordinandi, & ſacrificandi jugiter officium eſt, ſemper debent ab hujusmodi conſortio abſtinere. Qui ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo pudore vel ſacrificare forſitan uſurpabit? aut qua conſcientia, quove merito exaudiri ſe credit, cum dictum ſit: *Omnia* (*d*) *munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum.*

Item in Decretis Leonis Papæ cap. XVII. ſcriptum: Lex (*e*) continentiæ eadem eſt altaris miniſtris, quæ Epiſcopis atque Presbyteris: qui, cum eſſent Laici ſive Lectores, licite & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm pervenerunt ad prædictos gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali fiat ſpiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quaſi non ha-

C c

(*y*) Pœnit. Rhab.
(*z*) Pœnit. Rhab. ibid. Tomo noſtro I. pag. 203.
(*a*) Regino Lib. 1. C. 84. Tomo primo Canone I. mihi pag. 150.
(*b*) Regino Lib. 1. C. 88.
(*c*) Decreta Innoc. I. C. 21.
(*d*) Tit. I.
(*e*) Regino Lib. 1. C. 96.

habeant, ſic habere; quo & ſalva ſit caritas connubiorum, & ceſſet operatio nuptiarum.

Item in Carthaginenſi Concilo cap. XXV. Aurelius [f] Epiſcopus dixit: addimus (g) fratres cariſſimi, præterea, cum de quorundam clericorum, quamvis Lectorum, erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit, quod & diverſis Conciliis confirmatum eſt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, ſed & Epiſcopi, ſecundum priorum ſtatuta, etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ut tanquam non habentes eſſe videantur. Quod ſi non fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, niſi maturiori ætate.

De his, qui pœnitentiam violantes rurſum prævaricantur.

CAP. XII.

In Concilio (h) Aureliano cap. VII. ſcriptum eſt de his, qui pœnitentiam violant: Hi vero, qui ſuſceptam pœnitentiam religionemque ſuæ profeſſionis obliti, ad ſæcularia relabuntur, placuit eos à communione ſuſpendi, & ab omnium Catholicorum conviviis ſeparari. Quod ſi poſt interdictum cum eo quiſquam præſumpſerit manducare, & ipſe communione privetur.

In Concilio (i) Toletano cap. LV. quicunque ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam, ſe totonderunt, & rurſus prævaricantes Laici effecti ſunt, comprehenſi ab Epiſcopo ſuo, ad pœnitentiam, ex qua receſſerunt, revocentur. Quod ſi aliqui per pœnitentiam irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertuntur, poſtea coram Eccleſia anathemate (k) condemnentur, non aliter, quam hi, qui detonſi à parentibus fuerunt, aut ſponte ſua amiſſis parentibus, ſe ipſos religioni devoverunt, & poſtea ſæcularem habitum ſumpſerunt, iidem à Sacerdote deprehenſi, ad cultum religionis, acta prius pœnitentia revocentur. Quòd ſi reverti non poſſunt, [l] apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjiciantur. Quæ forma ſervabitur etiam in viduis virginibusque ſacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutaverunt, aut ad nuptias tranſierunt. Ex (m) Decretis Siricii Papæ cap. X. de his verò non incongrue dilectio tua Apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & lubricas voluptates & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodidere. De quibus etiam, quia (n) ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint, à Dominicæ autem menſæ convivis ſegregentur; ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplùm tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen quia carnali fragilitate cecidere, viatico munere, cum ad Deum cœperint proficiſci per Communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.

Item in Concilio Arelatenſi cap. II. Pœnitentes, quæ defuncto viro aliis nubere præſumpſerunt vel ſuſpecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerunt, cum eodem ab Eccleſiæ limine arceantur. Hæc etiam de viro in pœnitentia poſito placuit obſervari.

Quod pœnitentibus in cæna Domini ſit remittendum.

CAP. XIII.

Item (o) ex decretis Innocentii Papæ Cap. VII. ſcriptum eſt: De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.

(f) *Aurelianus* C. M.
(g) Tomo I. noſtro pag. 203. Regino Lib. I. C. 92.
(h) Concil. Aurel. I. C. 11. Pœnit. Rhab. C. 37.
(i) Pœnit. Rhab. ibid.
(k) *Anathematis ſententia* C. M.
(l) *Ut à poteſtate* C. M.
(m) Decreta Siricii C. X.
(n) *jam* addit C. M.
(o) Pœnit. Rhab. C. 35.

ſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit ſatis congruam ſatisfactionem. Si quis autem in ægritudinem incidit, atque uſque ad deſperationem venerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.

Quod nulli ultima pœnitentia ſit deneganda.

CAP. XIV.

In (*p*) Decretis Cæleſtini Papæ cap. XV. ſcriptum eſt, quod nulli ultima pœnitentia ſit deneganda. Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari. Nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore [*q*] animæ ſuæ cupiunt ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore convertenti ſuccurrere ac periclitantem ſub onere peccatorum hominem (*r*) pondere, quo ſe ille expedire deſiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, atque animam ſua (*s*) credulitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere, cum Deus ad ſubveniendum paratiſſimus, invitans ad pœnitentiam ſic promittat: *Peccator* (t) *in quacunque die converſus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, ſed tantum ut convertatur, & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit. Et deſperavit de clementia Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere, vel momento poſſe non credidit. Perdidiſſet latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet. Cùm eſſet in pœna, pœnituit, & per unius ſermonis (*u*) profeſſionem habitaculum paradiſi, Deo promittente promeruit. Vera (*x*) ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum mente potius æſtimanda eſt, quam tempore, Propheta taliter hoc aſſerente: *Cum converſus ingemueris, ſalvus eris.* Cum ergo Dominus ſit cordis inſpector, quo tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cum ſe obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

Ut qui pro illicitis veniam petit, etiam à multis licitis ſe abſtineat; nec tempore pœnitudinis lucra negotiationis exerceat.

CAP. XV.

In (*y*) Decretis Leonis Papæ cap. XXII. ſcriptum eſt, quod oporteat eum, qui pro illicitis veniam poſcit, etiam à multis licitis abſtinere. Aliud quidem eſt juſta debita repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet etiam à licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: *Omnia* (*z*) *quidem licent, ſed non omnia expediunt.* Unde ſi pœnitentes habent cauſam, quam negligere forte non debeant, melius expedit Eccleſiaſticum, quam forenſe judicium.

Item (*a*) in eiſdem Decretis cap. XXIII. ſcriptum eſt, quod pœnitenti nulla lucra exercere conveniat negotiationis. Qualitas (*b*) lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit, quia eſt honeſtus quæſtus, & turpis. Veruntamen pœnitenti utilius eſt diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi. Quia difficile eſt inter ementis, & vendentis commercium non intervenire peccatum.

Iſidorus in libro officiorum: Hi qui pœnitentiam gerunt, capillos & barbam nutriant, ut demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, ſicut ſcriptum eſt: *Et crinibus peccatorum ſuorum unusquisque conſtringitur.*

Ne quis poſt pœnitentiam redeat ad militiam.

CAP. XVI.

Item (*c*) in eiſdem Decretis cap. XXIV. ſcriptum eſt, quod aliquis ad militiam

Cc 2

(*p*) Pœnit. Rhab. C. 38.
(*q*) *hoc remedio* addit C. M.
(*r*) *pondere* omittit C. M.
(*s*) *crudelitate* C. M.
(*t*) Ezech. 18.
(*u*) *promiſſionem* C. M.
(*x*) Regino Lib. 1. C. 110.
(*y*) Pœnit. Rhab. C. 39.
(*z*) 1. Cor. 6.
(*a*) Pœnit. Rhab. ibid.
(*b*) Regino Lib. 1. C. 313.
(*c*) Pœnit. Rhab. C. 40.

litiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non debeat: contrarium eſt omnino Eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem; cum Apoſtolus; dicat: *Nemo* (d) *militans Deo applicat ſe ſecularibus negotiis;* Unde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe militia mundana vult implicare.

Quod quibusdam pœnitentibus priſtina concedantur conjugia.

CAP. XVII.

In (*e*) Concilio Toletano (*f*) ſcriptum eſt, quod quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur conjugia: Antiqui & Sanctiſſimi eſt Patris ſententia Papæ Leonis, ut is, qui ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi eſt jugatus, & forte fuerit incontinens, ne poſtea adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci, temporis maturitate, ſtatum continentiæ. Quod nos de fœminis judicamus, ſimiliter de viris cenſemus, non quidem generaliter & legitime præceptum, ſed conſtat à nobis pro humana fragilitate indultum, ea duntaxat ratione, ut ſi is, qui pœnitentiæ legibus non eſt deditus, antea ab hac vita diſceſſerit, quam ex conſenſu ad continentiam (*g*) veniant, ſuperſtiti non liceat denuo ad uxoris tranſire amplexus, ſi autem illius vitæ extiterit ſuperſtes, qui non accepit pœnitentis benedictionem, nubat, ſi continere non poteſt, & alterius uxoris conſortio fruatur. Quod de utroque ſexu pari modo à nobis manifeſtum eſt decerni, ita videlicet; ut in his omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, juxta quod ætatem aptam perſpexerit continentiæ, abſolutionis vel diſtrictionis tribuat legem.

De Perjurio.

CAP. XVIII.

Perjurium in lege divina omnino prohibetur, dicente Legislatore: *Non aſſumas nomen Domini Dei tui in vanum. Non enim inſontem habebit eum Dominus, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra.* Unde ipſa veritas dicit in Evangelio: *Nolite jurare omnino, neque per cælum, neque per terram.* &c. Hinc & in Canone ſcriptum eſt: quicunque [*h*] vero ſciens ſe perjuraverit, annos ſeptem ſe pœnitentiæ ſubdat, & ita deinceps ad communionem revertatur.

Item (*i*) Ecbertus Anglorum Epiſcopus diffinit ita dicens: qui juramentum in Eccleſia fecerit, aut in Evangelio, ſive in reliquis Sanctorum, ſeptem annos. Alii judicant undecim. Si vero [*k*] in manu Epiſcopi, aut Presbyteri vel Diaconi, ſeu in Cruce poſita conſecrata, unum annum pœniteat. Alii ſeptem annos judicant. Et in Cruce non conſecrata, unum annum pœniteat; vel ſeptem menſes, ut alii judicant. Qui autem ſeductus ignorans, & poſtea cognoſcit, unum annum vel tres quadrageſimas pœniteat. (*l*) coactus, pro qualibet neceſſitate, tres quadrageſimas. Alii annos tres, unum ex his in pane & aqua, ut alii judicant. Item perjurium tres annos pœniteat. Qui (*m*) ſuſpicatur, quod perjurus in juramentum ducitur, ſed tamen per conſenſum jurat, duos annos pœniteat.

De Epiſcopis ſive Presbyteris, qui per pretium gradum, & Eccleſiam acquiſierunt.

CAP. XIX.

Sed quia in multis locis ab his, qui per avaritiam terrenæ profeſſionis, & Eccleſiaſtici ordinis pretium dant, ut terrenarum rerum abundantiam ſibi inde acquirant; ſæpe perjurium fit illis, qui hoc ſcandalo decipiuntur, juſtum eſt, ut illis, qui hoc faciunt, condicta vindicta retribuatur. Nam de talibus ita ſtatutum eſt in Canonibus.

(*n*) In Synodo Remenſi Cap. XXI. ſcriptum eſt: quicunque Presbyter per pretium gradum (*o*) acquiſierit, deponatur. (*p*) Ex Concilio Aurelianenſi Cap. X. ut

(*d*) 2. Tim. 2.
(*e*) Concil. Tolet. 6. C. 8.
(*f*) *titulo VI.* addit C. M.
(*g*) *eorumdem fuerit regreſſus*, addit C. M. omittit *veniant.*
(*h*) Regino Lib. 2. C. 324.
(*i*) *Eigbertus* C. M.
(*k*) Regino Lib. 2. C. 331. & ſeq.
(*l*) Regino Lib. 2. C. 332.
(*m*) Regino Lib. 2. C. 326.
[*n*] *Hic incipit Cap. XIX.* C. M.
(*o*) & *Eccleſiam* addit C. M.
(*p*) *illa verba* omittit C. M. uſque ad illa (*q*) In Concilio Turonenſi.

ut nullus Presbyter ad introitum Ecclesiæ Xenia. (q) In Concilio Turonensi sive Moguntinensi cap. XV. scriptum est: quicumque [r] Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omni modo deponatur; quoniam & ille contra Ecclesiasticæ Regulæ disciplinam agere dignoscitur. Item & ille deponatur, qui alium presbyterum legitime ad Ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi totaliter vendicaverit. Quod vitium late diffusum summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur Clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi.

De incestis conjunctionibus, & de eo, qui filiolam suam vel matrem duxerit uxorem.

CAP. XX.

De incestis (s) autem conjunctionibus in Concilio Agathensi Cap. LXI. ita scriptum est: Incestis conjugiis (t) nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo conjugii nomine censendos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit. Si quis fratris germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ se suæ sociaverit. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt ante nos constituta, non dissolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut Patris Filiæ vel privignæ suæ concubitu polluitur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

Item [u] de iisdem in Concilii Aurelianensis cap. XIV. scriptum est: ne (x) frater super thorum defuncti fratris ascendat, ne quisquam, amissa uxore, sorori audeat se sociare. Quod si fecerit, ab Ecclesiastica districtione feriatur.

Item [y] de iisdem in Concilio [z] Ilerdensi cap. IV. qui se incesti pollutione commaculant, placuit, quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseverant, usque ad Missam tantum Catechumenorum in Ecclesia permittantur; cum quibus etiam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut Apostolus jussit, oportet.

Item [a] de his in Ancyrano Concilio cap. XXIV. quidam sponsam habens, sororem ejus violavit, & gravidam reddidit; postmodum desponsatam sibi duxit (b) uxorem. Illa vero, quæ corrupta est, laqueo se peremit. Omnes, qui ejusmodi fuerunt conscii [c] decem annos in pœnitentiam redigantur secundum Canones constitutos.

In Decretis Siricii Papæ C. IV. omnimodis prohibemus, ne quis sponsam alterius ducat uxorem; quia illa Benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

Desponsatas [d] puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illa constiterit.

De his (e) quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint, in Neocæsariensis Concilii cap. II. ita dictum est: mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Veruntamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit vir, aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

Item [f] de his qui duabus sororibus copulantur in Elibertino Concilio cap. LXI. ita scriptum est: si quis post obitum uxoris suæ sororem ejus duxerit uxorem, & ipsa fuerit fidelis, quinquennium

(r) Conc. Tur. III. C. 15. Conc. Mogunt. anno 847. sub Rhabano C. 12. hoc Tom. II. Regino Lib. 1. C. 338. Vide Capitulare Theodulfi C. 16.
(s) Pœnit. Rhab. C. 2.
(t) Regino Lib. 2. C. 185.
(u) Pœnit. Rhab. ibid.
(x) Regino Lib. 2. C. 191.
(y) Pœnit. Rhab. ibid.
(z) *Hilerdensi* C. M.
(a) Tomo I. nostro pag. 149. Pœnit. Rhab. ibid. Regino ibid. C. 192.
(b) *sororem* C. M.
(c) *gradus pœnitentiæ constitutos* C. M.
[d] Regino Lib. 2. C. 155.
(e) Tomo nostro I. pag. 150. Pœn. Rhab. C. 2.
(f) Pœnit. Rhab. ibid.

um à communione placuit abstinere, nisi forte velocius dari pacem necessitas coëgerit infirmitatis.

Item [g] de muliere, quæ duos fratres sumit in conjugio in Canonibus Martini Episcopi sic scriptum est: si qua (h) mulier duos fratres, aut si quis duas sorores duxerit, à Communione abjiciantur usque ad mortem. In morte ejus communio propter misericordiam detur. Si vero supervixerint communione accepta, & de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

Qui (i) duas in conjugium sorores acceperint, vel filiam fratris, clericus esse non poterit.

De eo (k) vero quod interrogasti, si ille, qui filiolam suam, quam de sacro fonte Baptismatis suscepit, & de [l] eo, qui concubuit cum matre sua spiritali, & de illo, qui filium suum baptizavit, & cujus uxor eum de fonte suscepit, si postea in tali copulatione permanere possent, omnino illicitum esse judicamus. Nam in Concilio Mogontinensi cap. LV. de talibus scriptum est: nullus proprium filium aut filiam à fonte Baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem suam suscipiat uxorem, nec illam, cujus filium aut filiam ad confirmationem duxerit. ubi autem factum fuerit, separentur.

Item [m] in Synodo Mogontiensi cap. LVI. si quisquam viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari & disjungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri.

Quam [n] detestabile, & quam execrabile scelus sit unicuique Christiano filiolam suam sibi ad libidinem jungi, testatur Sanctus Gregorius Papa in dialogis suis, ubi refert quendam hominem constuprasse filiolam suam, & tribus diebus reservatum esse ad satisfactionem pœnitendi. Sed ille miser sperans peccatum suum aut latere Deum, aut oblivioni misericorditer datum, neglexit pœnitentiam agere. Sed non longe post miserabili morte correptus expiravit, ita ut sepulchrum ejus igne consumeretur. In hoc opere apparuit ineffabilis Dei clementia, quæ ipsum hominem reservare voluit ad indulgentiam, si ille non tardaret converti.

Item [o] in Synodo Mogontiensi de incestis conjugiis scriptum est: Si quis fornicatus fuerit cum duabus Sororibus, vel cum noverca sua, vel cum amita sua, vel cum commatre sua, vel cum filiola sua, quam de fonte Baptismatis suscepit, vel ante Episcopum ad confirmationem tenuit, vel si qua mulier simili modo fornicata fuerit, abstineat se ab ingressione Domus Dei uno anno, & eodem anno nisi festis diebus, & præcipuis, solummodo pane & aqua & sale utatur, arma pugnatoria non ferat, osculum nulli præbeat, Sacrificium, nisi pro Viatico, minime sumat, sex deinde annis ingrediatur domum Dei, sed carnibus & vino ac sicera minime utatur, nisi festis præcipuisque diebus: de armis vero & osculo sive sacrificio, sicut supra dictum est, faciat. Postea vero duobus annis, quando carne vescitur, à potu omni, qui potest inebriare, se contineat. Quem potum si biberit, non carne vescatur absque præcipuis festis diebus. De armis vel osculo & sacrificio modum teneat jam dictum. Inde usque ad obitum suum, nisi prædictis festis diebus, à carne abstineat tres legitimas ferias in omni hebdomada, & tres Quadragesimas in anno legitime custodiat. De armis vero, sicut jam dictum est, faciat, & nunquam conjugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda est parricidis, & fratricidis, vel consanguineis, nec non & his, qui sponte per fraudem & avaritiam hominem innoxium occidunt. Quod Theodisca lingua morchidum dicitur.

De his, qui adulterium committunt.

CAP. XXI.

Adulterium [p] autem non solum lex damnat, sed etiam Evangelica authoritas omnino fieri vetat. Unde & sancti

(g) Pœnit. Rhab. ibid.
(i) Canon. Apostolorum C. 19.
(l) Regino Lib. 2. C. 196.
(n) Regino Lib. 2. Cap. 198.
(p) Pœnit. Rhab. C. 3.
(h) Collectio Martini Bracar. C. 79.
(k) Pœnit. Rhab. ibid.
(m) Regino Lib. 2. Cap. 197. hoc Tom. II. pag. 160.
(o) Regino Lib. 2. Cap. 199.

ἀi Patres, magiſterio cœleſti imbuti, de hoc quid ſervandum ſit, ſanxerunt. Nam in Concilio Ancyrano Cap. [*q*] XVII. ſcriptum eſt: [*r*] cujus uxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annis in pœnitentia completis, oportet eos perfectionum ſecundum priſtinos gradus conſequi.

Item [*s*] in Africano Concilio Cap. LXIX, de his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut maneant ſic, ita ſcriptum eſt: placuit [*t*] ut ſecundum Evangelelicam & apoſtolicam diſciplinam, ut neſiue dimiſſus ab uxore, nec dimiſſa à marito, alteri conjungantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. Item [*u*] in Decretis Innocentii Papæ Cap. XXIV. ſcriptum eſt, quod viri adulteris fœminis non conveniant: & (*x*) illud deſiderandum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in conſortio adulterotum virorum manere videantur. Super hoc Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant. Non enim habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt. Et ideo mulieribus, prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commiſſo non facile aliquis ex ſuſpicionibus abſtinetur. Qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum, probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit.

Item [*y*] in ejuſdem Papæ Decretis Cap. XXVII. (*z*) ſcriptum eſt: de (*a*) his etiam requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii ſe matrimonio copulaverunt: quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui vero vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri in tantum, ut etiam hæ perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundum illud, quod legimus in Evangelio: Qui dimiſerit uxorem ſuam & duxerit aliam, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Et ideo omnes à communione abſtinendos. De Parentibus autem & propinquis eorum nihil tale ſtatui poteſt, niſi ſi incentores illiciti conſortii fuiſſe detegantur.

In (*b*) Concilio quoque [*c*] Elibertino Cap. IX. de Fæminis, quæ adulteros maritos reliquerunt, & aliis nubunt, ſcriptum eſt: Fœmina (*d*) fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alii nubit, prohibeatur, ne ducat. Si duxerit, non prius accipiat communionem, niſi, quem reliquit, ſi ſeculo exierit, niſi forte neceſſitas infirmitatis dare compulerit.

De his, qui mœchantur.

CAP. XXII.

Item [*e*] in Concilio Elibertino Cap. XXX. de mœchis ſcriptum eſt: Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerint mœchati, eo quod poſtmodum per ſurreptionem ad ulteriorem gradum forſitan promovebantur. Qui autem ſunt in tempore præterito ordinati, amoveantur.

Item (*f*) in eodem Concilio Cap. XXXI. de adoleſcentibus, qui poſt lavacrum mœchantur, ſcriptum eſt: Adoleſcentes, qui poſt fidem lavacri ſalutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti.

Item (*g*) in eodem Concilio Cap. XLVII.; de eo, qui uxorem habens, ſæpius mœchatur ſcriptum eſt: Si quis [*h*] fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpe, fuerit mœchatus, in fine mortis

(*q*) *XVIII.* C M. & Tom. I. pag. 148.
(*r*) Regino Lib. 2. C. 99.
(*s*) Pœnit. Rhab. ibid.
(*t*) Regino Lib. 2. Cap. 104. & Tom. I. pag. 224.
(*u*) Pœnit. Rhab. ibid.
(*x*) Regino Lib. 2. C. 139.
(*y*) Pœnit. Rhab. C. 3.
[*z*] *XXVI.* C. M.
(*a*) Regino Lib. 2. C. 101.
(*b*) Pœnit. Rhab. C. 3.
(*c*) *Eliberitana* C. M.
(*d*) Regino Lib. 2. C. 103.
(*e*) Pœnit. Rhab. C. 4.
(*f*) Pœnit. Rhab. ibid.
[*g*] Pœnit. Rhab. ibid.
(*h*) Regino Lib. 2. C. 137.

tis est conveniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus, rursus mœchatur, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

De Virginibus sacratis, sive sæcularibus, si mœchaverint.

CAP. XXIII.

Item (*i*) in Concilio eodem Cap. XIII. de Virginibus sacratis scriptum est, si mœchaverint: Virgines, quæ se Deo dicaverint, sic pactum perdiderunt Virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes, quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia lapsæ, tempore vitæ suæ hujusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere.

Item (*k*) in eodem de Virginibus sæcularibus si mœchatæ fuerint: Virgines (*l*) quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint & tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverunt, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ sint, placuit post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia admitti eas ad communionem.

Item [*m*] in Concilio Ancyrano Cap. IX, de his, quæ Virginitatem professæ sunt, & de his, quæ sub sororis habitu cum aliquibus commorantur scriptum est: Quotquot (*n*) Virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos computentur. Virgines autem, quæ tanquam sorores cum viris habitare volunt, ab eorum consortio prohibemus.

De his, qui se sacris Virginibus sociant, & de Virginibus non velatis si mœchaverint.

CAP. XXIV.

In (*o*) Decretis Gelasii Papæ Cap. XX. de his, qui se sacris Virginibus sociant scriptum est [*p*] Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere: quos protinus æquum est à sacra Communione detrudi. Et nisi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi. At his viaticum certe de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

Item (*q*) in Decretis Innocentii Papæ Cap. XX. de Virginibus non velatis, si deviaverint, scriptum est: Hæ vero, quæ necdum sacro velamine tectæ tamen in proposito Virginali semper se simulaverunt permansisse, licet velatæ non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est: quia sponsio earum à Domino tenebatur. Nam si apud homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, quomodo solvi sine vindicta poterit. Nam si Apostolus illas, quæ à proposito viduitatis discesserunt, dixerit habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potius Virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ?

De his, quæ inter se fornicantur; & de his; quæ semen Virorum suorum, pro libidine, cibo vel potui miscent.

CAP. XXV.

De (*r*) feminis, quæ inter se fornicantur in Ancyrano Concilio scriptum est: si mulier (*s*) cum muliere fornicata fuerit, annos tres pœniteat. Item: si mulier more fornicationis ad alteram conjunxerit, tres annos sicut Fornicator pœniteat. Sic & illa, quæ semen Viri sui, in cibo miscens, ut inde plus ejus amorem accipiat, pœniteat. Mulier sola, si cum se ipsa coitum habeat, tres annos pœniteat.

De

(*i*) Pœnit. Rhab. C. 4.
(*k*) Pœnit. Rhab. ibid.
(*l*) Regino Lib. 2. C. 151.
(*m*) Pœnit. Rhab. ibid. Tom. I. p. 148. C. XVIII. mihi.
(*n*) Concil. Ancyr. C. 18.
(*o*) Pœnit. Rhab. C. 5.
(*p*) *& fœdera incerta commiscent, quod communicare non possint, nisi forte publicam pœnitentiam gesserint, dictum est.* addit C. M.
(*q*) Pœnit. Rhab. ibid.
(*r*) Regino Lib. 2. C. 363.
(*s*) Ivo parte 9. C. 87.

De his, qui se Gentibus vel Judæis junxerunt.

CAP. XXVI.

Item de his, quæ ſe gentibus vel judæis junxerunt in Concilio Arelatenſi ſcriptum eſt: Puellæ fideles, quæ gentilibus junguntur, placuit, ut aliquanto tempore à communione ſeparentur.

Item in Concilio Elibertino Cap. LXXVIII. de fidelibus conjugatis, ſi cum judæa vel gentili mœchaverint, ſcriptum: Si quis (t) fidelis habens uxorem cum judæa vel gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod ſi alius eum ſeduxerit, poſt quinquennium, acta legitima pœnitentia, poteſt Dominicæ communioni ſociari.

De his, qui cum Judæis veſcuntur.

CAP. XXVII.

Item (u) in Concilio Elibertino de Chriſtianis, qui cum judæis veſcuntur ſcriptum eſt: Si vero quis Clericus vel fidelis cum judæis cibum ſumpſerit, placuit eum à communione abſtineri, ut debeat emundari.

Item (x) In Concilio Toletano Cap. XIV. ſcriptum de judæis: Suggerente Concilio id Glorioſiſſimus Dominus noſter Canonibus inſeri præcepit, ut judæis non liceat Chriſtianas habere uxores vel concubinas, neque mancipium Chriſtianum in uſus proprios comparare; ſed filios, qui ex tali conjugio nati ſunt, aſſumendos eſſe ad baptiſmum.

Nulla officia publica eos opus eſt agere, per quæ eis occaſio præbeatur pœnam Chriſtianis inferre. Si qui vero Chriſtiani ab eis judaiſmi ritu maculati ſunt, vel etiam circumciſi, non reddito pretio, ad libertatem & religionem redeant Chriſtianam.

De his, qui uxorem ſimul & concubinam habent.

CAP. XXVIII.

Item (y) de his, qui uxorem habent, ſi concubinam habuerint, in Concilio Toletano Cap. XVII. ſcriptum eſt: Si quis habens uxorem fidelis, ſi concubinam habeat, non communicet. Cæterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur. Tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, ſit conjunctione contentus. Aliàs vero vivens abjiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam revertatur.

De Conjugatis, qui nubere non poſſunt.

CAP. XXIX.

Quod (z) autem interrogaſti de his, qui matrimonio conjuncti ſunt, & nubere non poſſunt, ſi ille aliam vel illa alium ducere poſſit, non cum authoritate, ſed de quorundam ſtatutis reſpondemus, in quibus ſcriptum eſt: Vir & mulier, ſi ſe conjunxerint matrimonio, & poſtea dixerit mulier de viro, quod non poſſit ei nubere, ſi poteſt probare per juſtum judicium, quod verum ſit, accipiat alium.

De his, quæ menſtruum ſanguinem aliis in cibo vel potu dant. Et de his, qui magicam artem, divinationem, & auguria obſervant.

CAP. XXX.

De his (a) etiam, ſuper quibus interrogaſti, id eſt, de (b) illa fœmina, quæ menſtruum ſanguinem ſuum miſcuit cibo vel potui, & dedit viro ſuo, ut comederet, & de illa, quæ ſemen viri ſui in potu bibit, & de ea, quæ teſtam hominis combuſſit igni, & viro ſuo dedit pro infirmitate vitanda, quali pœnitentia ſint plectendæ; ut nobis videtur, tali ſententia feriendi ſunt, ſicut magi & arioli, qui magicam artem exercuiſſe noſcuntur. Nam (c) de his, qui magicam artem exercent, & auguria attendunt, & divinationes obſervant, Theodori Archi-Epiſcopi gentis Anglorum conſtitutiones habemus, in quibus ſcriptum eſt: qui immolat dæmoniis in minimis, unum annum pœniteat. Mulier, ſi qua ponit filiam ſuam ſupra tectum vel in fornacem pro ſanitate febris, ſeptem annos pœniteat. Qui ardere facit grana, ubi mortuus

D d

(t) Regino Lib. 2. C. 141.
(x) Pœnit. Rhab. ibid.
(z) Regino Lib. 2. C. 242.
(b) Burchard. Lib. 19. C. 152.
(u) Pœnit. Rhab. C. 26.
(y) Pœnit. Rhab. C. 10.
(a) Regino Lib. 2. C. 362.
(c) Regino Lib. 2. C. 360. 361.

tuus eſt homo, pro ſanitate viventium & domus, quinque annos pœniteat. Si (*d*) mulier incantationes vel divinationes fecerit, unum annum vel tres quadrageſimas, vel quadraginta dies, juxta qualitatem culpæ pœniteat.

De hoc in Concilio Ancyrano Cap. XXII. dicitur: Qui auguria, auſpicia, ſive ſomnia, vel divinationes quaslibet ſecundum mores gentium obſervant, aut in domos ſuas hujuſmodi homines inducunt in exquirendis aliqua arte maleficis, aut ut domos ſuas luſtrent; hi ſi de clero ſunt, abjiciantur; ſi vero ſæculares, quinquennio pœniteant. Qui cibum immolatum comederit, & deinde confeſſus fuerit, ſacerdos conſiderare debet perſonam, in qua ætate, vel quomodo edoctus, aut qualiter contigerit. Et ita authoritas ſacerdotalis circa infirmum moderetur, & hoc in omni pœnitentia ſemper, & confeſſione omnino, in quantum Deus adjuvare dignetur, cum omni diligentia conſervetur.

De ſortilegis & auguribus.

CAP. XXXI.

Item (*e*) in Concilio Agathenſi de ſortilegis vel augurium ſervantibus ſcriptum eſt: Ne de eo fortaſſe videatur omiſſum, quod maxime fidem Catholicæ Religionis infeſtat, qua Sanctorum ſortes divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque Scripturarum inſpectione futura promittunt. Hoc quicunque clericus vel laicus detectus fuerit vel conſulere vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus.

De his, qui fornicantur irrationabiliter.

CAP. XXXII.

Item (*f*) in Concilio Ancyrano Cap. XV. ſcriptum eſt de his, qui irrationabiliter, id eſt, cum (*g*) pecoribus & maſculis fornicantur: De illis, qui irrationabiliter verſati ſunt ſive verſantur, quotquot ante vigeſimum ætatis annum tale crimen commiſerint, (*h*) XVI. annos acta pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis Sacramenta contingant. Diſcutiatur autem vita eorum, quales tempore pœnitudinis extiterint, & ita miſericordiam conſequantur. Quod ſi inexplebiliter his hæſere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus inſumant. Quotquot autem poſt viginti annos ætatis, uxores habentes, in hoc peccato prolapſi ſunt, viginti quinque annos pœnitentiam agentes, ad orationis communionem recipiantur: In qua quinquennio durantes tunc demum oblationis Sacramenta percipiant. Quod ſi & uxores habentes, & tranſcendentes quinquageſimum ætatis annum ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam conſequantur.

Item (*i*) in eodem Concilio Cap. XVI. eos qui irrationabiliter vixerint, & lepra injuſti criminis alios polluerint, præcepit Sancta Synodus inter eos orare, qui ſpiritu periclitantur immundo.

De Euchariſtia.

CAP. XXXIII.

Quod (*k*) autem interrogatis, utrum Euchariſtia, poſtquam conſumitur, & in ſeceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat, antequam in altari conſecraretur, ſuperflua eſt hujuſmodi quæſtio, cum ipſe Salvator dixerit in Evangelio: *Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Sacramentum corporis & ſanguinis id eſt, ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur, ſed inviſibilem tam corporis, quam animæ efficit ſanctificationem. Quæ eſt enim ratio, ut hoc, quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur, iterum in ſtatum priſtinum redeat, cum nullus hoc unquam fieri aſſeruerit. (*l*) Nam quidam nuper de ipſo Sacramento

(*d*) Reg. Lib. 2. C. 357. & Tom. I. noſtr. p. 149.
(*e*) Pœnit. Rhab. C. 23.
(*f*) Pœnit. Rhab. C. 6.
(*g*) Reg. Lib. 2. C. 255. & Tom. I. noſtr. p. 148.
(*h*) XV. annos C. Metrop.
(*i*) Pœnit. Rhab. ibid. Regino ibid. C. 256.
(*k*) Iſta ſententia contraria eſt ſententiis Clementis Papæ, & aliorum multorum Sanctorum Patrum, qui dicunt Corpus Domini non cum cæteris communibus cibis per aqualiculos in ſeceſſum mitti.
(*l*) Sæculo nono & decimo agitata fuit quæſtio, quid fieret ſpeciebus panis & vini ſumptis cum corpore & ſanguine Chriſti? utrum in ſtomacho divina virtute vel annihilentur vel auferantur alio, vel convertantur in ſanguinem & carnem noſtram, vel denique an excernerentur more aliorum ciborum. Qui hoc poſtremum aſſerebant,

mento corporis & sanguinis Domini non rite sentientes dixerunt hoc ipsum corpus & sanguinem Domini, quod de Maria virgine natum est, & in quo ipse Dominus passus est in cruce; & resurrexit de sepulchro [idem est, quod sumitur de altari] cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de corpore ipso, quid verè credendum sit aperuimus. Dicit enim de corpore & sanguine suo Dominus in Evangelio: *Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Hanc ergo vitam non habet, qui illum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam illam temporalem vitam sine illo homines utcunque in hoc sæculo habere possunt, qui non sunt per fidem in corpore ejus, æternam verò nunquam, quæ Sanctis promittitur. Ne autem putarent sic in isto cibo & potu, quem carnaliter sumunt, & spiritaliter non intelligunt, in fide promitti vitam æternam, ut qui (*m*) eam sumerent, nec anima nec corpore morerentur, huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam cum dixisset: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* continuo subjecit & dixit: *Ego resuscitabo eum in novissimo die,* ut habeat interim secundum spiritum vitam æternam. In novissimo ergo die, quando anima incorruptum corpus suscipiet, tunc anima & corpus cujuscunque Sancti in unum sociata habebunt vitam æternam, quia adunantur simul caput & membra. Et sic totum corpus Christi gaudebit in perpetuum. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cum enim cibo & potu id appetebant homines, ut non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa Sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta.

De restitutione Ebonis Episcopi.

CAP. XXXIV.

(*n*) De Ebonis autem Remensis Episcopi depositione atque restitutione, non necesse esse æstimo tuæ interrogationi respondere. Videant illi, qui hoc egerunt, utrum justè an injustè hoc fecerint. Ego dum in Episcopatu Moguntiensi Ecclesiæ indignus constitutus sum, (*o*) inveni eum in Hiltineshaim in Saxonia Episcopalem sedem habere. Nec eum prohibui præsulis officium gerere, quia audivi ab Apostolica Sede in locum suum restitutum esse. Sicque ad finem vitæ in suo officio remansit. Rogantibus autem quibusdam fratribus, Hincmaro Episcopo nuper pro hoc ipso Epistolam direxi, quia audivi eum illos, quos Ebo post restaurationem suam consecravit, à sacerdotali (*p*) atque clericali officio removisse. Postquam autem mihi inde responsum opportunum redditum fuerit, tibi intimare curabo.

EPILOGUS.

Hæc igitur tibi, Sancte Frater, juxta postulationem tuam ad interrogata, quantum ægritudo infirmi corporis mei sinebat, & commoditas temporis permisit, juxta sanctorum canonum instituta, & Sanctorum Patrum sententias respondere curavi. Tu autem, qui sospes es, & multorum librorum copiam acquirere & legere vales, si quid melius & congruentius invenire poteris, meæ parvitati in Epistolari scriptura intimare non grave-

Dd 2

(quos inter Herigerus Abbas Rhabanum hic numerat) vocantur ab Erigero, Algero & Guitmundo *Stercoranistæ*, sed Rhabanum nunquam de carne & sanguine Christi sed de solis speciebus vel symbolis id opinatum fuisse ostendit *Mabillonius in Præfatione Partis II. Sæculi IV. Benedictini.* Sana igitur Rhabani doctrina est.

(*m*) *eum.*

(*n*) Ebbonem Remensem suo & Theodonis Villani Concilio ab Episcopatu remotum fuisse anno 835. Post mortem Ludovici Pii à Hlothario, non ab Apostolica sede restitutum per annum Remensem Ecclesiam administrâsse: circa annum 846. Hildesheimensem Episcopum beneficio Ludovici Germanici nominatum fuisse, ac demum circa 851. mortuum variis in locis adnotasse me memini.

(*o*) Scripsit ergo hunc libellum post 847. cujus anni VI. Kal. Julii Archi-Episcopus Moguntiæ ordinatus fuit.

(*p*) In Concilio Suessionensi anno 853.

graveris: (q) sciasque, quod quantum possum & sapio, devotus tibi per omnia permanere curabo. Hoc, quod ante omnia peto, ut mei peccatoris per temetipsum, tuósque confratres & domesticos in sacris orationibus memor esse digneris: illud deprecans, ut omnipotentis Dei clementia in hac vita in fide recta & bona spe atque plena dilectione me servare dignetur, & post hujus vitæ terminum remissis omnibus peccatis ad æternam beatitudinem sua gratia me pervenire concedat.

Ex editione Baluzii Parisiis 1671.

(q) *Hoc additamentum habet solus codex Metropoliticus Coloniensis N. CXVIII. non Baluzius.* Collata est hæc editio Baluzii cum codice MS. Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, sed Baluzii Codex MS. plenior est, quam noster Metropoliticus.

RHABANI ABBATIS FULDENSIS EPISTOLA,

AD REGIMBOLDUM EPISCOPUM MOGUNTINUM, RESPONSORIA AD QUÆSTIONES PROPOSITAS AB EODEM.

Reverentissimo, atque in Divino cultu Religiosissimo Christi Sacerdoti Regimboldo, Hrabanus in Domino Salutem.

Nuper ad nos quidam frater venit de monasterio, quod dicitur *Herolvesfeld* (a) vicino nobis, portans in pittatio quasdam quæstiunculas conscriptas, petensque ex tuo nomine, quatenus eas nostris responsionibus solveremus. Cujus petitioni libenter aurem accommodavimus, & quantum potuimus, *ex patrum* sententiis eas solvere cœpimus.

I. Primum ergo ibi quæsitum est, quale judicium ille sustinere debeat, qui flagellando uxorem suam, duos filios suos in partu occidit, ita, ut ad baptismi gratiam pervenire non potuerint, tertium vero filium ita debilitavit, ut post partum mox baptizatus vitam finierit. Ubi liquido patet quod propter immoderatam correptionem in crimen cecidit parricidii. Quid autem de homicidio Sacri Canones sanciant, tibi non ignotum est, cum in Ancyrano Concilio (b) ita scriptum est: Qui voluntarie homicidium fecerit, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. De homicidiis (c) non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere. Ubi etiam consideranda est infirmitas personæ pœnitentis & modus pœnitentiæ. Qui fervide pœnitentiam de peccatis suis gerit, citius indulgentiam per Domini misericordiam obtinebit.

II. Secunda quæstio est de eo, quem canis furens in pede laceravit morsu, ob cujus remedium quidam ei nescienti dederunt jecur ejusdem canis ad manducandum, quasi sanus inde fieri posset. Ubi humanus error delicti noxam peperit in his, qui volentes sanum mederi, vim medicinæ nescierunt. Sunt ergo hujusmodi ab hoc errore corrigendi, ne ultra tale facinus perpetrent, & pro facto, quod commiserunt, aliqua disciplina vel jejunio corripiendi, ut cæteri metum habentes tale scelus post hæc committere non præsumant.

III. Tertia quæstio de eo fuit, qui cani feminæ irrationabiliter se miscuit; & quarta de illo, qui cum vaccis sæpius fornicatus est. Quid de hujusmodi hominibus judicandum sit, & de hujusmodi animantibus & partu earum faciendum.

(a) Brun, Abbas Hersfeldensis, obiit anno 846. qui fundamenta Ecclesiæ S. Wigberti anno 831. jecerat. Brunoni Brunwart successit. Hic Concilio Wormatiensi anni 868. interfuit & subscripsit. Sub uno ex his Abbatibus Rhabanus consultus fuit.

(b) *Tomo I. Cap. XXI. pag.* 148.

(c) Ibidem Canone XXII.

dum? Ubi dementia humanæ mentis & miſeria patet maxima; eoque deteſtabilius eſt illud factum, quo ſcelus in eo apparet maximum, cum animal rationale contra naturam irrationabili per libidinem ſe commiſcet animanti. In lege ergo Dominus tale crimen judicio mortis puniendum eſſe decrevit, ita dicens: *Qui (d) cum jumento & pecore coierit, morte morietur. Pecus quoque occidite. Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficiatur cum eo. Sanguis eorum ſit ſuper eos.* Sed ſi aliquis quærendum putat, quomodo ſit reum pecus, cum ſit irrationale, nec ullo modo legis capax, intelligat, inde pecora juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam replicant facti memoriam, neque humano uſui ſunt digna, ubi abominatio claret maxima. Sacri autem Canones de eis, qui fornicantur irrationabiliter, id eſt, commiſcentur pecoribus, aut cum maſculis polluuntur, ita (e) præcipiunt " ut quotquot ante viceſimum annum tale crimen commiſerint, " quindecim annis exactis in pœnitentia " communionem mereantur orationum; " deinde quinquennio in hac communione perdurantes, tunc demum oblationis Sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis " tempore pœnitudinis extiterit. Et ita " miſericordiam conſequantur. Quod " ſi inexplebiliter hæſere criminibus, ad " agendam pœnitentiam prolixius tempus inſumant. Quotquot autem peracta XX. annorum ætate, aut uxores " habentes, hoc peccato prolapſi ſunt " XXV. annis pœnitudinem gerentes, " in communionem ſuſcipiantur orationum; in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis Sacramenta ſuſcipiant. Quod ſi qui & " uxores habentes, & tranſcendentes " quinquageſimum annum ætatis ita " deliquerint; ad exitum vitæ communionis gratiam conſequantur.

IV. De vitulis quoque, qui à vaccis illis pollutis nati ſunt, neſcio, quid obſit, ne eorum uſus hominibus deſerviat. Sed ſi ſcrupulum eſt alicui, utrum eorum lac aut carnes comedi poſſint, & propter pollutionem matris eorum ſcandalum aliquod oriatur, ſimul cum matre occidantur, vel paganis vendantur, ne turpitudinis priſcæ memoria ſcandalum fiat. Dicit enim Apoſtolus: (f) *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia munda ſunt. Sed malum eſt homini, qui per offenſionem manducat.*

V. Quod autem quinto interrogaſti de illo, qui avunculum ſuum nolens ſive volens interficit: quid pati debeat, jam ſuperius de homicidio ſatis dictum eſt juxta id, quod Sacri Canones continent. Sed manifeſtum eſt, quod parricidii crimen majori ſubjicitur vindictæ. Unde ſancti Patres ſanxerunt, quod parricidæ deponentes militiæ cingulum, omni tempore vitæ ſuæ in pœnitentia perſiſtant, ſive in monaſterio Deo ſerviant.

Hæc ergo omnia ſecundum id, quod in Scripturis Sacris, vel in Canonibus patrum expreſſum invenimus, conſcripſimus. Tu autem, ſanctiſſime, (h) ſecundum id, quod videas unicuique expedire, ita temperes judicium, diſcretionem in omnibus ſervans, quia diſcretio mater eſt omnium virtutum. Dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum, qui bene certanti, & gregem ſuum diligenter cuſtodienti æternum cum ſanctis paſtoribus in cœli regno daturus eſt præmium.

Ex veteri codice Oratorii Trecenſis edidit Stephanus Baluzius, in appendice ad Tomum II. Capitularium Regum Francorum pag. 1378. 1379.

(d) Levitici CXX, 15, 16.
(e) Conc. Ancyran. Cap. XV. Tom. I. p. 148.
(f) I. Corinth. VIII, 13.
(g) Roman. XIV, 15, 20.
(h) Reginboldus erat duntaxat Chorepiſcopus Moguntiæ ſub Otgario Archiep. Moguntin.

INCIPIT EPISTOLA CANONICA
RHABANI ARCHI-EPISCOPI
A D
REGINBALDUM EPISCOPUM.

Reverentiſſimo atque amantiſſimo fratri Reginbaldo Chorepiſcopo, Hrabanus exiguus ſervorum Dei ſervus in Domino ſalutem.

POſtquam Sanctitas tua noſtræ parvitati repræſentari voluit, tui deſiderium iterum videndi valide nobis ingeſſit, ita ut cogitantes gravitatem morum, honeſtatem locutionis, humilitatem habitus, hilaritatemque vultus, quam dilectio tua nobis exhibuit, præſentia tua non vellemus carere, ſi quomodo eam poſſimus continuam habere. Sed quia veræ charitatis eſt ratio, ut quod corporaliter ſecum habere non poteſt, ſpiritaliter nunquam habere ceſſet: licet corpore abſens ſis, ſpiritu tamen præſens eſſe nobiſcum conſiſtis: quod eo uſque fiet, donec per Dei gratiam eruti à corpore præſentes erimus apud Dominum. Hoc tamen adipiſci nos poſſe magis Divini eſt muneris, quam humanæ facultatis, Sed ſpe jam ſalvi facti ſumus. Qui autem in Domino ſperat, beatus eſt. De cætero quoque, quia Veneratio tua quædam Capitula mihi in cartula tunc oſtendit ſcripta, in quibus flagitabas me tibi reſpondere de his, quæ ibidem continebantur;

Relegi quantum licebat volumina Divinorum teſtamentorum atque Sanctorum Patrum ſententias, & quantum tempus permittebat, ea, quæ ad hoc reſpondendum neceſſaria erant, in unum colligebam. Hludovici Regis adventus, quod te ſcire non ambigo, nobis imminens urgebat, ut ad ejus ſuſceptionem occupati eſſemus, nec jam licuit ſecuræ lectioni inſiſtere, quando ipſe animus ſentiebat ſe in multas partes diviſum eſſe. Sed quia tui amoris fervor ineſt, tibi parcere (*a*) cogebat in mundanis ſollicitudinibus temperatio, quantum fragilitas humanæ mentis ſinebat, potiſſimum tuæ decrevimus conſentire voluntati. Quorum Capitulorum hæc fuit ſeries.

PRIMO interrogabas, quid de eo faciendum eſſet, qui hominem Chriſtianum ſollicitando furatus fuerit, & ad paganam gentem tradendo vendiderit? à quibus ultra ille venditus ſe eruere non poſſit.

Ad quod tunc reſpondi, homicidii reatum ipſum hominem ſibi contrahere mihi videri. Quod & poſtea legens Divinam Sanctionem in Deuteronomio ita probaviſſe reperi, cum homicidæ & furi hominem vendenti parem vindictæ modum impoſuiſſet. Nam ſicut ibi legitur: Animam pro anima homicidam reddere oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Sic & ipſum hominem, qui deprehenſus fuerit ſollicitâſſe fratrem ſuum de filiis Iſraël, & vendidiſſe accipiendo pretium, jubet interficere, & ita auferre malum de medio populi ſui. Unde mihi videtur, ſicut par ſententia in lege Divina eſt conſtituta de homicida & fure hominem vendente: ſic & canonica auctoritate pari modo plectendum eſſe, qui fratrem ſuum furando atque ſollicitando vendiderit, & illum, qui proximum ſuum hoc eſt Chriſtianum hominem injuſtè peremerit: & eo gravius, quo eum in paganas gentes tradiderit, nec de animæ ſuæ ruina ullam compaſſionem habuerit. In Concilio ergo Ancyrano ita ſcriptum eſt. "Qui voluntarie homicidium fecerit, "pœnitentiæ jugiter ſe ſubmittant, perfe-"ctionem vero circa vitæ exitum conſe-"quantur. De homicidiis non ſponte "commiſſis, prior quidem definitio poſt "ſeptem annorum pœnitentiam perfectio-"nem conſequi præcepit: ſecunda vero "quinquennii tempus explere." Sed in omnibus judiciis temperanda eſt ſententia juxta intentionem & ſtudium pœnitentis. Si quis enim veraciter pœnitentiam egerit cum lacrimis, jejunia & orationes ſolvens & eleemoſynas largiter expendens, hujus itaque habet ſacerdos pote-

[*a*] *forte* parere.

potestatem mitigare judicium. Qui autem mentis est duræ, & negligens est ad agendam pœnitentiam in hoc omnino decretum est tempus servandum.

SECUNDO. De infantibus, qui mortui inveniuntur cum patre & matre, & non apparet, utrum ab eis oppressus sit ipse infans sive suffocatus? an propria morte defunctus?

Non debent inde securi esse, nec sine pœnitentia ipsi parentes: sed tamen in eis consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas sed eventus mortis causa fuit. Si autem eos non latet ipsos ejus esse interfectores; scire debent graviter se deliquisse, quod in Ancyrano (*b*) Concilio hoc modo probatur. "De mulieribus, " quæ fornicantur, & partus suos necant, " vel quæ agunt secum, ut de utero con-" ceptos excutiant: antiqua quidem defi-" nitio usque ad exitum vitæ eas ab Eccle-" sia removet. Humanius autem nunc " definimus, ut eis decem annorum tem-" pus secundum præfixos gradus pœniten-" tiæ largiamur:" sed alii trium annorum pœnitentiam hujusmodi hominis judicant esse debere; hoc est, qui infantem suum incaute oppresserit, quorum unum ex eis exigat cum pane tantum & aqua, abstineat se ab omni luxuria tempore pœnitentiæ suæ.

TERTIO. De eo vero, qui viduam proximi sui in conjugem duxit, illud considerandum est, quota generatione connubia ipsa inter propinquos legitime fieri possint? Et sic de utroque sexu judicium æquum agendum, quia alii tertia vel quarta generatione hoc fieri posse judicabant, alii quinta, alii sexta. Sed illud præcipue considerandum est, quid lex Divina inde præcipiat. Super quo Capitulo HUMBERTO (*c*) Episcopo sciscitanti jam respondimus, cujus responsionis formulam ad te jam nunc tibi direximus. Manifestum est enim, quod Sacri Canones ei anathema dicunt, qui de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem: & ideo tibi summa cautela est habenda: ne forte pro incesti noxa æterna damnatio sequatur.

QUARTO. De eo autem, quod interrogabas, si pater & filius, vel si duo fratres avunculus & neptis (*) cum una muliere fornicaverint, quid inde faciendum esset.

Manifestum est, quod gravi vindicta plectendum erit, quod grave facinus esse reperitur. Omnis enim mœcha interdicitur: ubi scriptum est, non mœchaberis: quanto magis cum cognata vel cum conjuge seu concubina cognati. Quid autem Dominus in lege in vindicta talium jusserit, liber Leviticus demonstrat, ubi ita scriptum est. "Si mœchatus fue-" rit quis cum uxore alterius, & adulte-" rium perpetraverit, cum conjuge pro-" ximi sui, morte moriantur, & mœchus, " & adultera. Qui dormierit cum nover-" ca sua, & revelaverit ignominiam Patris " sui, morte moriantur ambo: sanguis " eorum sit super eos. Si quis dormierit " cum nuru sua, uterque moriantur, qui " scelus operati sunt: sanguis eorum sit " super eos; Qui supra uxorem filiæ duxe-" rit matrem ejus, scelus operatus est, " vivus ardebit cum eis, nec permanebit " tantum nefas in medio vestrum. Qui " acceperit sororem suam, filiam patris sui, " vel filiam matris suæ, & viderit turpitu-" dinem ejus, illaque conspexerit fratris " sui ignominiam, nefariam rem operati " sunt, occidentur ambo in conspectu po-" puli, eo quod turpitudinem suam mutuo " revelaverint & portabunt iniquitatem " suam. Turpitudinem materteræ & ami-" tæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, " ignominiam carnis suæ nudabit, porta-" bunt ambo iniquitatem suam. Qui co-" ierit cum uxore patrui vel avunculi sui, " & revelavit ignominiam cognationis " suæ, portabunt ambo peccatum suum: " absque liberis morientur. Qui duxerit " uxorem fratris sui, rem facit inlicitam: " turpitudinem fratris sui revelavit, absque " filiis erunt." His enim indiciis patet, quantum Domino displiceat omnis incestus & pollutio coitus inliciti, quia mortis judicio hujusmodi scelus puniendum esse judicavit. Nec enim filium cum uxore patris, nec patrem cum uxore filii licet concumbere, quia dormire cum noverca seu cum nuru prohibuit. Sed neque ducere uxorem fratris convenit: quia hujusmodi absque filiis fieri, hoc est, mortis reus esse judicatur. Si enim Dominus in lege turpitudinem incestûs mortis sententia vindicare jussit, quomodo in Evangelio, ubi summa justitia est,

(*b*) Tomo I. nostro pag. 148.
(*) *Lege*: nepos, ita Codex Metropol. MS.
(*c*) Wurceburgensi.

est, incestuosus pœnam peccati evadet? Maxime cum ibi pœna temporalis decernitur, his gehennæ ignis perpetuus prædicitur. Qui discretionem sentiens Apostolus ad Hebræos scribens: "Irritam qui fecerit legem Moysi, sine ulla "miseratione sub duobus vel tribus testibus morietur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei "conculcaverit, & sanguinem testamenti "pollutum duxerit, in quo sanctificatus "est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit." Proinde valde necessarium est, ut duram judicii sententiam mitigare studeat peccator per condignam pœnitentiam, ne forte scelus incorrectum ultio puniat perpetua. Unde & Joannes Baptista in Evangelio turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab eo, exhortatus est dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira! facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sacri autem Canones, quid de incestuosis præcipiant, facile est agnoscere. Nam in Cæsariense Concilio ità scriptum est: "Mulier (*b*) si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque "ad mortem. Verumtamen in exitu "propter misericordiam, si promiserit, "quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur." Quod si defecerit vir aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Unde patet, qnod æque malum est, hoc, quod mulier duobus fratribus nupserit, & illud, cum vir duas sorores duxerit. Aut pater & filius cum una muliere fornicati fuerint, aut avunculus aut nepos, si cum una muliere dormierint, aut aliquid hujusmodi factum est, ut taliter peccantes usque ad finem vitæ pœnitentiam agant: nisi forte propter nimium fletum & compunctionem validam, devotamque pœnitentiam aliquid humanius Sacerdos apud pœnitentem agendum esse decreverit. Quia, cujus Dominus cor in compunctione lacrymarum & amaritudine fletuum visitaverit, hujus breviandi tempus pœnitentiæ potestatem Sacerdos habebit: sicut scriptum est in Laodicensi Concilio. "De "his (*c*) qui diversis facinoribus peccaverint, & perseverantes in oratione "confessionis & pœnitentiæ conversionem habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus post pœnitentiæ tempus impensum, propter clementiam "& bonitatem communio concedatur.

In Ancyrano quoque Concilio de adulterio ita scriptum est. Si cujus (*d*) uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.

Igitur *Theodorus* (*e*) judicavit eum, qui incestum fecerit, duodecim annos pœnitere debere. Quid autem cæteri Doctores inde sentiant, in libellis eorum, quos de pœnitentia conscripserunt, inveniri poterit: quam alii XV. annis, alii XII, aiii X. alii VII. de hujusmodi sceleribus judicaverunt. Ut pœnitudinem expendamus. Sed tu priscorum patrum vestigia sequens illis solis pœnitentiæ spatium temperes, qui devote & cum lacrimis pænitentiam egerint: cæteri autem definitum tempus expleant: quia in Salomone scriptum est: *Qui* (*f*) *abscondit scelera sua, non dirigetur;* qui autem conversus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Pius est enim Deus & misericors, & *misericordia* (g) *ejus à progenie in progenies super timentes eum. Fecit potentiam in brachio suo:* dispersit superbos mente cordis sui. Qui autem mentis est duræ in malum corruet: & (h) *qui custodit mandatum custodit animam suam.* Qui autem negligit vias suas, mortificabitur.

Quinto. De servo autem, qui fugerit Dominum suum: interrogabas, si ille in ipsa fuga mortuus fuerit aut psalmodias. (*i*) Hoc in divinis prohibitum: sed tamen scimus ab Apostolis fortissime præceptum, ut servi (*k*) *subditi sint in omni timore Domini, non tantum bonis & mode-*

(*b*) Tomo I. nostro pag. 150. Canon. II. Concil. Neocæsariensis.
(*c*) Tomo nostro pag. 162. Can. II. Laodicenus.
(*d*) Tomo I. pag. 148. Cap. XIX. Ancyrano.
(*e*) Archiep. Cantuariæ floruit A. C. 688.
(*f*) Proverb. XXVIII, 13.
(*g*) Lucæ I, 50.
(*h*) Proverb. XIX, 16.
[*i*] Hiatus hic est in Cod. Metropolit. MS.
(*k*) I. Petri II, 18. Ephes. VI, 5.

modestis, sed etiam discolis, & obedientes illis fiant in omnibus.

In Canone autem Gangrensis (*k*) Concilii ita scriptum est: " Si quis servum sub prætextu divini cultus doceat " Dominum contemnere proprium, ut " discedat ab ejus obsequio, ne ei cum " benevolentia & omni honore deserviat, anathema sit. " Unde datur intelligi, quod si ille anathema meruit, qui docet servum proprium Dominum contemnere, & ab ejus obsequio recedere, quanto magis, qui Dominum suum spernit,& ejus servitio subdi noluerit. Sed tamen distantia est inter eum, qui propter superbiam,& illum,qui propter necessitatem fugit, coactus crudelitate Domini sui. Nam Agar famula Saræ fugam iniit, affligente eam Domina sua: sed Angelo monente, ut reverteretur, & fieret subjecta Dominatrici suæ, reversa est ad Dominam suam. Sic & Honesimus servus Philemonis effugit à Domino suo: sed Paulo Apostolo docente credidit Christo & baptizatus est. Sic per patrocinium Apostoli refutatus est proprio Domino; Admonendus est servus quilibet fugitivus per fideles Christi Doctores,ubicunque fuerit inventus, ut revertatur ad Dominum suum, & fiat ei subjectus,ne forte contemnens præceptum Domini perpetuo anathemate percutiat. Attamen si ipsa fuga obierit, orandum est pro eo, ut, si forte aliquo crimine majori implicetur aut per invidiam devolvatur, unde fructuosa pro eo non possit esse oratio; attamen Augustinus ad Laurentium scribens, ita inter alia ait: Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcunque elemosinarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro valde malis propiciationes sunt, pro valde malis etiam, si nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque tamen vivorum consolationes sunt; quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut, certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

De illo vero, qui presbyterum se esse finxit, cum non esset ordinatus & baptismi officium exercuit, requirendum est, utrum ipse baptizans baptizatus esset, & utrum in nomine Sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptizaverit; quod si ita erat; non est iterum baptizandus, sed per inpositionem manus Episcopalis unctione sacri Chrismatis id quod factum est, confirmandum, quia quod semel in Sacrmento baptismatis est confectum, non licet iterari. Quum unus est Dominus, una fides, unum baptisma. Attamen ille qui præsumptiose agit & non pro necessitate, aliqua Canonica disciplina est coercendus. Igitur, ut beatus Ambrosius testatur, postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ & officia ordinata, aliter composita res est, quam ceperat. Primum enim omnes baptizabant, quibuscunque diebus aut temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsivit aut diem, quo Enuchum baptizaret, neque jejunium inter posuit: neque Paulus & Silas tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omnibus ejus. Neque Petrus clericos habuit, aut diem quæsivit, quando Cornelium cum omni domo sua baptizavit: nec ipse, sed jussit fratribus, qui cum illo erant apud Cornelium in Joppe. Adhuc enim præter septem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo cresceret plebs & multiplicaretur in omnibus, inter initia concessum est, & evangelizare & baptizare & scripturas in Ecclesia explanare. At ubi autem omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores & cetera officia Ecclesiastica ordinata, ut nullus de cætero auderet, qui ordinatus non esset præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum: & cœpit alio ordine & providentia gubernari Ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res & vilissima videretur. Hinc ergo est, unde nunc neque Diaconi in populo prædicant, neque ceteri vel Laici baptizant. Neque quocunque die credentes unguntur, nisi ægri: ideo non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est. Quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta, nam & Timotheum Presbyterum à se creatum Episcopum vocat. Quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente eo, sequens ei succederet. Denique apud Egyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episco-

(*k*) Tom, I, pag, 153. Cap, III. Gangrens.

Epiſcopus: ſed quia ceperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio proſpitientis conſilio. Ut non ordo ſed meritum crearet Epiſcopum multorum Sacerdotum judicio conſtitutum, non indignus temere uſurparet, & eſſet multis ſcandalum. Quod autem unum ſit Chriſti baptiſma, & licet à diverſis miniſtris miniſtretur, non debet iterari vel mutari: Sacrum Evangelium oſtendit, ubi verba Johannis Baptiſtæ poſita ſunt, ita dicentis: "Quia vidi Spiritum deſcendentem "quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum. Sed "qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi "dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic "eſt qui baptizat in Spiritu Sancto, & ego "vidi & teſtimonium perhibui, quia hic "eſt Filius Dei." Quam ſententiam beatus Auguſtinus ita exponit: Quid ergo per columbam didicit Johannes, niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram. ut quamvis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſive juſti ſive injuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi, ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. Petrus baptizat, hic eſt, qui baptizat, Paulus baptizat, hic eſt, qui baptizat, Judas baptizat, hic eſt, qui baptizat. Nam ſi pro diverſitate meritorum baptiſmum eſſet; quia diverſa ſunt merita, diverſa eſſent baptiſmata: ſed unum eſt baptiſma, & ſolus eſt Chriſtus, qui per diverſos miniſtros ſuo baptiſmate baptizat in remiſſionem omnium peccatorum. Ideo ſacri Canones præcipiunt, ut qui ab hæreticis baptizati ſunt, non rebaptizentur, ſed per impoſitionem manus ſola Sancti Spiritus invocatione, quem ab hæreticis nemo accepit, à Catholicis Sacerdotibus Eccleſiæ unitatem conſequantur.

De illis vero, qui in quadrageſima ante Paſcha carnem manducant, vel juramentum in Altare, vel in ſanctis reliquis faciunt, manifeſtum eſt, quod injuſte agunt, quia divinis mandatis contrarii exiſtunt, unde & per Eſaiam Dominus pravorum jejunium reprobans oſtendit, quale jejunium elegerit, ita dicens: "Ecce in die jejunii veſtri invenie"tur voluntas veſtra, & omnes debitores "repetitis. Ecce ad lites & contentiones "jejunatis, & percutitis pugno impie. No"lite jejunare ſic uſque ad hanc diem, ut "audiatur in excelſo clamor veſter. Num"quid tale eſt jejunium, quod elegi per "diem affligere hominem animam ſuam? "Nunquid contorquere quaſi circulum "caput ſuum & ſacco & cinere ſternere? "numquid iſtud vocavi jejunium & diem "acceptabilem Domino? nonne hoc eſt "magis jejunium, quod elegi? diſſolve "conligationes impietatis, ſolve faſciculos "deprimentes: Dimitte eos qui confracti "ſunt liberos, & omne onus diſrumpe, "frange eſurienti panem tuum, & egenos "vagoſque induc in domum tuam: cum "videris nudum, operi eum, & carnem "tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet qua"ſi mane lumen tuum, & ſanitas tua ci"tius orietur, & anteibit faciem tuam "juſtitia tua, & gloria Domini colliget te: "tunc invocabis, & Dominus exaudiet, "clamabis, & dicet, ecce adſum, quia mi"ſericors ſum Dominus Deus tuus." Hinc & in Canone ſanctorum Patrum ſcriptum eſt; quod non oporteat in quadrageſima nuptias aut natalia celebrare, nec jejunium ſolvere, totamque quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conveniat omnem quadrageſimam diſtricto venerari jejunio: non eſt enim dignus, ut, qui Eccleſiæ unitatem ſcindit & ſanctorum Patrum traditionem ſpernit, ſine vindicta exeat, ſed pro hoc pœnas condignas ſolvat. Sacerdotis autem judicio temperanda eſt pœna vindictæ ſecundum modum pœnitentis, quia ut ſupra dictum eſt: qui veraciter pœnitet, & per lacrimarum judicia cordis ſui contritionem manifeſtat, leviori diſciplina tractandus eſt, quia cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit, & in quocunque die peccator perverſus pœnitentiam egerit, & fecerit judicium & juſtitiam vita vivet, & non morietur. Nec temporis longinquitas ſed animi affectus penſandus eſt, quia ſuſcepit Deus triduanam pœnitentiam Ninevitarum, & Petri negationem amariſſimis fletibus ablutam Dominus indulſit, cum eum tertia die reſurgens inter ceteros diſcipulos angelica vocatione ad ſuam præſentiam & reconciliationem venire juſſit. Hæc tibi ſancte, prout opportunitas temporis ſe contulit, feſtinanter dictavi, paratus, ſi quid deeſt in reſponſis, tempore opportuno tibi planius explicare. Tu autem & commendatum tibi gregem diligenter inſtrue,

&

& nos orationibus juva, quatenus aliquod tibi dignum scribamus & de tuo bono opere cotidie congratulemur. Dominus omnipotens in hac vita te bonis meritis augeat, & in futuro mercede remuneret sempiterna.

Ex Codice MS. Metropolitano Coloniensi N. CXVIII.

RHABANI MAURI
LIBER
DE CHOREPISCOPIS,
ET DIGNITATE, ATQUE OFFICIO EORUM.
AD
DROGONEM, EPISCOPUM METENSEM.

Drogoni Summo Pontifici Rhabanus famulus Christi Salutem.

POstquam per nos transeuntes abistis, cogitavi mecum de hoc, quod mihi præsentialiter retulistis, qualiter quidam ex (*a*) Occidentalibus Episcopis senserint de Chorepiscoporum ordine, & quod quidam eorum reordinarent illos, qui temporibus Antecessorum suorum ab Chorepiscopis ordinati sunt, Presbyteros, atque Diaconos, nec non & Ecclesias similiter ab illis consecratas, prophanantes omnem sanctificationem pristinam, quasi non legitimam; quam tamen cum consensu, atque præcepto Episcoporum suorum ipsi Chorepiscopi perpetraverunt. Unde & schismata in Ecclesia oriuntur, cum Rectores populi Dei in doctrina sua ab invicem discrepant; alii dicentes, licere Chorepiscopis cum consensu, atque præcepto Majorum suorum, hoc est, Præsulum Civitatum, sub quibus ipsi degunt, manus baptizatis imponere, ut accipiant Spiritum Sanctum, Presbyterósque, atque Diaconos, nec non & cæteros gradus Ecclesiæ ordinare; alii vero affirmantes, nullo modo eis hoc ministerium competere, sed tantum illis Episcopis, qui urbibus præsunt. Ex quo videlicet excitantur sectæ, invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, contentiones; per quæ multi de populo videntes magistrorum dissensionem, non mediocriter scandalizantur. Non enim hujusmodi litigatores illam concordiam Apostolicam sequuntur, de qua Philippenses Paulus obsecrat, dicens: *Si* (b) *qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non, quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum sunt.* Unde & ipse volens juniores suos auditoribus commendare, & non despectos, sed acceptabiles reddere, Corinthios per Epistolam suam admonet, dicens: *Rogo* (c) *ergo vos, Fratres, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui & filius meus carissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique, & in omni Ecclesia doceo.* Et rursum: *Si* (d) *autem*, inquit, *venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat, deducite illum in pace, ut veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.* Philippensibus quoque de eodem Timotheo ita scripsit, dicens:

[*a*] Occidentalium nomine Hrabanus intelligit eos Episcopos, qui inter Rhenum & Alpes, Pyrenæos montes, Oceanum, & mare Mediterraneum constituti erant. Hanc enim Imperii partem, additâ etiam Cataloniâ Franciam Occidentalem tum vocabant. *Baluzii Nota.*

[*b*] Philipp. II. [*c*] I. Corinth. IV. [*d*] I. Corinth. VI.

cens: *Neminem* (e) *enim habes tam unanimem, qui sincerâ affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non, quæ sunt Jesu Christi. Experimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicut Patri filius, mecum servivit in Evangelio.* Nam & præceptum humilitatis ut daret, ab ipsâ veritate sumpsit, quæ in Evangelio Discipulos de primatu contendentes instruxit, dicens: *Reges* (f) *gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator*, & suo exemplo eos confirmans sequitur, dicens: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat. Filius enim* (g) *hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.*

Habebant enim Apostoli ipsi adjutores in prædicatione Evangelii Christi, qui etiam ordinationes fecerunt ex præceptis eorum. Unde legitur in codice, quem Damasus Papa de Episcopis Romanæ Ecclesiæ petente Hieronymo Presbytero conscripsit, quod Linus, & Petrus ex præcepto Beati Petri ordinationes Presbyterorum fecerint; cum tamen post passionem Petri, non illi, sed Clemens in honorem Cathedræ successerit, ipso eidem tradente Principe Apostolorum, sicut Epistola ejusdem Clementis scripta ex mandato Petri ad Jacobum fratrem Domini testatur. Hinc reor, quod usus Chorepiscoporum primum originem sumpserit, & hactenus in Ecclesia Catholica retineatur, ut ipsi Chorepiscopi à propriis Episcopis suis ordinati, juxta præceptum eorum Diaconos, & Presbyteros, & cæteros gradus ordinent, atque reliqua officia sacerdotalis officii peragant. Unde miror, quomodo isti, qui hanc contentionem movent, ordinem Chorepiscoporum tantum despiciant, ut pene eis nihil amplius dignitate Presbyterorum tribuant, cum hoc nec novorum, nec antiquorum, nec etiam ipsis Apostolorum dogmatibus, consuetudinibúsque conveniat, sed in sensu simul, ac dogmate dissentiat. Claret enim hoc, quod in his non ratio, & humilitas, sed invidia, atque superbia dominentur, ita ut despectis cooperatoribus suis, ipsi soli potentes, ac sanctificatione pollentes videri appetant, & hoc, quod sancti Patres propter concordiam, & unionem singulis dignitatibus conscripserunt, ipsi magis damnationem noxiam, quam discretam dispositionem esse, putent.

Præcipiunt enim sacri Canones, qualiter unusquisque ordo mensuram suam custodiat, à minimo usque ad maximum, & minor gradus majori semper subditus fiat; ita ut Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizare non præsumant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat, & ut gratiam Sacræ Communionis post Presbyteros accipiant, aut Episcopo, aut Presbytero porrigente; sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat, nec etiam coram Presbytero sedere audeant, sed jussione Presbyteri sedeant. Similiter quoque mandant, ut Diaconis honor exhibeatur ab obsequentibus, id est, Subdiaconis, & omnibus Clericis. De Presbyteris vero in decretis Gelasii Papæ, (*h*) ita scriptum est: " Nec minus etiam Presbyteros contra suum modum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, nec conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem; non præsente quolibet Antistite, nisi fortasse jubeantur vel orationis, vel actionis sacræ suppetere sibi præsumant esse licentiam; neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere præsumant; aut venerabilia tractare mysteria; nec sibi meminerint, ullâ ratione concedi sine summo Pontifice Subdiaconum, vel Acolythum jus habere faciendi; nec prorsus dubitent, si quicquam ad Episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exsequendum, continuo se Presbyteri dignitate, & sacrâ communione privari.

De Chorepiscopis autem in *Ancyrano Concilio* (*i*) ita scriptum est: " Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteros civitatis sine præcepto Episcopi, vel literis in unaquaque Parochia. " Attende, quod non dicit, Chorepiscopis non licere penitus Diaconos, & Presbyteros

[*e*] Philipp. II. [*f*] Lucæ XXII. [*g*] Matth. XX.
[*h*] Capite sexto. [*i*] Tomo I. Cap. XII. Conc. Ancyr. pag. 147.

teros ordinare, ſed non aliter licere, niſi ex præcepto Epiſcopi ſui, vel literis in unaquaque Parochia.

Item in *Antiocheno* (k) *Concilio* ſic legitur: " Qui in vicis vel poſſeſſionibus " Chorepiſcopi nominantur, quamvis " manus impoſitionem Epiſcoporum " perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati " ſint, tamen Sanctæ Synodo placuit, " ut modum proprium recognoſcant, & " gubernent ſubjectas ſibi Eccleſias, earúmque moderamine, curáque contenti " ſint. Ordinent etiam Lectores, & " Subdiaconos, atque Exorciſtas. Quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec " Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione eſt ſubjectus. "

Cum autem Chorepiſcopos manus impoſitionem Epiſcoporum percipere dicit, & quod ſicut Epiſcopi conſecrati ſint, cur cum conſenſu Epiſcoporum, quibus ſubjecti ſunt, conſecrationes ſacrorum ordinum eis facere non licet, & cum Chriſmate ſacro fideles conſignare? Vanum eſt enim, quemquam conſecrationem Epiſcopalem habere, ſi miniſterium Epiſcopi ei non licet agere. Ad quid ergo invocatur Spiritus Sanctus ab Epiſcopo ordinatore, ut ſanctificationem perſonæ ordinandæ tribuat, ſi ipſe invocator, & ordinator poſt conſecrationem, quam rite peregit, mox reprehenderit? Nunquid Deum invidet, cujus donum poſcit, cum poſtea ipſud donum ſpreverit? Nunquid hæc calumnia, quia Domini ſanctificationem inludit, ad ipſum autorem ſanctificationis pertingit? Planum eſt ergo, quod in Spiritu Sancto per verbum Dei omnis ſanctificatio adimpletur. Et quare non pertimeſcit blaſphemare, & derogare Spiritus Sancti pœnitentiæ, cum ſcriptum: *Qui* (l) *dixerit verbum, contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Unde Petrus Apoſtolus in actibus Apoſtolorum, cum Cornelium centurionem, & eos, qui ſecum erant, videret accepiſſe gratiam Spiritus Sancti, Judæos contra ſe altercantes pro eo, quod ad gentes introiret, & manducaret cum illis, tali reſponſo refutat dicens: *Si ergo* (m) *eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum, ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum? His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.*

Quem ergo Deus dono Spiritus ſui honorat, non eſt rectum, ut ab hominibus dehoneſtetur; nec debet quiſquam pro calumnia deputare, quod divina diſpoſitione conſtat ordinatum eſſe. Quæ enim ſunt, à Deo ordinata ſunt. Proinde nec inferioribus Epiſcopis dignitas proprii gradus tollitur, cum Metropolitano totius Provinciæ cura delegatur. Nam ſine eo in Provincia Epiſcopum ordinare, nec generale Concilium convocare, nec quicquam aliud cæteris Epiſcopis licet in Provincia agere, niſi quantum conſtat ad ſingulorum Parochias, & Epiſcopatus pertinere. Si enim in Epiſcoporum ordine Chorepiſcopos non liceret habere, nullatenus inter trecentos decem, & octo Patres, qui in Nicæno Concilio adfuerunt, adnumerarentur, in quorum catalogo amplius, quam duodecim Chorepiſcopi inſerti ſunt; ubi nullus Presbyterorum, vel Diaconorum in numero præfinito Patrum, ſed ſolummodo Metropolitani & Epiſcopi, atque Chorepiſcopi nominatim recenſiti inveniuntur.

At quid enim Epiſcopus cujuslibet civitatis Chorepiſcopum ſibi vult, ac decernit ordinare, ſi ipſam ordinationem ſuam nullam efficaciam arbitratur habere? Dicit enim Apoſtolus: *Beatus,* (n) *qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt; quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Hanc quidem ſententiam non ad ciborum ſolummodo qualitatem, & differentiam diſcernendam, ſed ad omnem ambiguitatem, & duplicitatem tollendam, prolatam eſſe intelligimus; *Ut non ſimus* (o) *parvuli fluctuantes in omni vento doctrinæ, ſed ſani, & ſtabiles in fide, & firmi in Apoſtolica doctrina. Vir enim* (p) *duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Et qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quod acci-*

[k] Tomo I. pag. 158. Cap. X. Can. ant. [n] Roman. XIV. [o] Epheſ. IV. [l] Matth. XII. [m] Actor. XI. [p] Jacobi I.

accipiat aliquid à Domino. Ait enim ipſa veritas in Evangelio: *Amen dico vobis* (q) *quicquid orantes petitis, credite, quia accepietis, & veniet vobis.* Omnia enim poſſibilia ſunt credenti. Quia fides vera recte credentem ſalvat, *& juſtus* (r) *in fide ſua vivit*, illa videlicet, quæ per dilectionem operatur.

Hoc enim Sanctorum Patrum prudentia poſteris ſuis prævidit, & ſacra Canonum auctoritas inſtituit, ut diſſenſio, & ſchiſmata in Eccleſia Dei non fierent, ſed magis unitas, & concordia pacis inibi prævaleret; & ideo cuique ordini juxta menſuram ſuam officium delegavit, ut per ſtudium humilitatis, & dilectionis pax Chriſtiana, & concordia in populo Dei perſeveraret. De quo & ipſa Veritas, diſcipulos ſuos ad imitationem ſuî provocans, ait: *Tollite* (s) *jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt.* Hoc jugum per caritatem fideles ſociat, non per contentionem diſſipat; hócque onus non opprimit ſe portantem per ponderis gravitudinem, ſed magis ſublevat, ac ſuſtentat per ſolatii conlationem. Nihil ergo juvat reprehenſores hos, & vaniloquos Magiſtros, quod ad defenſionem erroris ſui illud de actibus Apoſtolorum ſumere nituntur, quod Petrus, & Joannes miſſi ſint ab Apoſtolis, de Hieroſolymis in Samariam, ut imponerent manus illis, qui à Philippo baptizabantur, quatenus acciperent Spiritum Sanctum; quoniam aliter hoc fieri non decebat, quam ut Apoſtoli implerent, & perficerent ea, quæ à miniſtro eorum bene cœpta fuerant. Non enim Philippus hic unus de duodecim, ſed unus de ſeptem Diaconibus erat, qui ab Apoſtolis paulo ante ordinati ſunt, qui & in catalogo ſeptem Levitarum primus poſt Stephanum ante alios adnumeratus eſt. Unde poſt Stephani necem ſtatim ad Philippi actus explicandos ſcriptor hiſtoriæ videtur tranſire, ita dicens: *Facta* (t) *eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis; & omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper illum. Saulus vero devaſtabat Eccleſiam, per domos intrans; & trahens viros, ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. Igitur, qui diſperſi erant, pertranſibant evangelizantes verbum Dei. Philippus autem deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes ſigna, quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant Spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati ſunt. Factum eſt autem gaudium magnum in illa civitate.* Et non multo poſt: *Cum autem*, inquit, *audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quempiam illorum ſupervenerat; ſed baptizati tantum erant in Nomine JESU. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Idem etiam Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, ſicut conſequenter narratur. Et poſt diſceſſum ejus pertranſiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream. De quo Lucas alibi mentionem facit, cum tranſitum Pauli ad Hieruſalem enumeraſſet, ita dicens: *Alia* (u) *autem die profecti venimus Cæſaream; & intrantes domum Philippi Evangeliſtæ, qui erat unus de ſeptem, manſimus apud eum. Huic autem erant filiæ quatuor prophetantes.*

Unde apparet, quod iſte Philippus non fuit Epiſcopus, neque Chorepiſcopus, ſed tantum Diaconus, & Evangeliſta. Si enim Choepiſcopus eſſet, nequaquam ſcriptor hiſtoriæ hoc tacuiſſet. Necdum enim Apoſtoli ab invicem diſceſſerant, ut in ſingulis provinciis ſive civitatibus Epiſcopos, aut Chorepiſcos ordinarent; ſed in Hieroſolymis tantum manentes prædicabant verbum Dei, donec Spiritus Sancti diſpoſitione cogente ad prædicandum gentibus per orbem directi ſunt; ſicque omnis ordo Eccleſiaſticus in ſingulis locis juxta eorum diſpenſationem diſtributus, hactenus in Eccleſia Catholica ſervatur. Et ſicut una fides, unum baptiſma, una religio à Chriſtianis in toto orbe tenetur, ita unius, ejuſdemque Spiritus Sancti diſtributione pax & concordia in electis Dei ubique firmiter corroboratur, omnis-

(q) Mar. XI. (r) Roman. I. (s) Matth. XI.
(t) Actor. VIII. (u) Actor. XXI.

omnisque discordia procul pellitur, quoniam, juxta Apostolum, *quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Unde idem Doctor gentium nos admonet, dicens: *Obsecro itaque* (y) *vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.*

Convenit autem quibusque fidelibus, & membris Corporis Christi, ut honore se invicem præveniant; alterutrum se sufferant, ne contra Apostolum efficiantur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, sed magis unanimes omnes sint in oratione, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, humiles, & nihil agant per contentionem; quia non est dissensionis Deus, sed pacis. Hæc enim tantummodo nobis contendendi regula ex præcepto dominico conceditur, ut *contendamus* (z) *per angustam portam intrare, & arctam viam incedere, quæ ducit ad vitam, non latam, & spatiosam, quæ ducit ad mortem.* Si enim bonæ devotionis & mansuetudinis indicia per humilitatis, atque obedientiæ præbemus officia, veri imitatores Dei effecti, Christi Domini sequemur exempla: qui, cum adhuc peccatores essemus, *pro impiis servis mortuus est, justus* (a) *pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem Spiritu:* Qui destruxit quidem mortem, inluminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium. Excelsus inter Angelos, humilis inter homines, ministrare voluit, non ministrari.

Unde in cœna mystica discipulorum pedes lavit, & linteo, quo erat præcinctus, tersit, peccatores in convivium recepit, & cum publicanis, & peccatoribus manducavit; peccatricem mulierem ad se accedere permisit, & lavare lacrymis, ac tergere capillis pedes suos consensit, nihil veritus Pharisæorum superstitiosam reprehensionem. Propter quod injustis querimoniis eorum ita respondit, dicens: *Dimissa sunt* (b) *ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et item: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* & alibi: *Filius, inquit, hominis venit salvare, quod perierat.* Et rursum: *Non enim venit filius hominis, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

At contra, si despectis cæteris fratribus nostris, atque conservis in sublime volumus extolli, ac soli potentes, ac gloriosi cupimus ab hominibus videri, sine dubio illius imitamur jactantiam, qui despectis cæteris sanctis Angelorum turmis ad similitudinem Dei non per humilitatem, sed jactantiam voluit sublimari, cum dixit: *Ascendam* (d) *in cœlum super altitudinem nubium & ponam thronum meum ad Aquilonem, & ero similis altissimo:* Unde merito de sublimitate angelica projectus in inferni tartarum Draco perfidus traxit secum tertiam partem siderum: ubi & nos, si ejus sequimur vecordiam, propter mentis nostræ superbiam à Sanctorum societate expulsi, pœnas gehennæ cum illo luemus æternas.

Quomodo autem tam prælatis, quam etiam subditis agendum sit, Ecclesiæ Pastor Petrus in Epistola sua ostendendo commonet dicens: *Seniores* (e) *ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testes Christi passionum; qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo; ut, cum apparuit Princeps Pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Quapropter necessarium mihi (*f*) videtur, ut omnes humiliemus nos sub potenti manu Dei, quatenus ipse nos exaltet in tempore visitationis, & quisquis in majore dignitate ex electione divina se positum agnoscit, commilitones suos, ac comministros omni honore dignos arbitretur, & ex mutuâ delectione locum eis præbeat proficiendi, ac bene operandi: quia venient dies, quando non honoris dignitates, sed bonorum operum à nobis requirentur actiones. Filius

(*y*) Ephes. IV. (*z*) Matth. VII, 13. (*a*) I. Petri III. 18.
(*b*) Lucæ VII, 47. (*c*) Matth. IX. XVIII. Joannis III.
(*d*) Isaiæ XIV. (*e*) I. Petri V, 1. (*f*) *forte* videtur.

"lius enim hominis venturus eſt in gloria "Patris ſui cum Angelis ſuis. Et tunc "reddet unicuique ſecundum opera ejus. "Omnes ſimul ſtabimus ante tribunal "Chriſti, ut referat unusquiſque propria "corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſi-"ve malum:" Qui autem inferioris gradus eſt, non majora, & quæ ad ſe non pertinent per elationem appetens tentet; ſed contentus ſit officio, quod ſibi divina ordinatio voluit conferri; & ita rite credendo, & recte docendo, beneque operando, quotidie in Domino proficiat, ut miniſterii ſui bonum præmium conſequatur. Qui enim bene miniſtraverit, gradum ſibi bonum adquirit, unde ipſa veritas ait: *Qui mihi* (g) *miniſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & erit miniſter meus. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cœlis* Et alibi: *Volo*: inquit, *Pater, ut, ubi ſum ego, ibi ſit & miniſter meus.*

Grandis honor eſt, Chriſti miniſtrum eſſe. Unde & grande præmium bene miniſtrantem ſequitur, ita ut cum Chriſto, & ſanctis Angelis ejus in cœleſti beatitudine ſine fine lætetur. Atque ideo non convenit ſervis Chriſti contendere de ſublimitate honoris, ſed magis certare de utilitate ſanæ prædicationis, & aſſiduitate bonæ operationis; ut populus Chriſti audiat ex ore eorum verbum rectæ fidei, & videat in actibus eorum bonum exemplum per humilitatis indicium; quia juxta veritatis ſententiam, *omnis*, (h) *qui ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.*

Qui enim gradum honoris in Eccleſiâ Chriſti acceperunt, quomodo vivere, & quid agere debeant, audiant ipſum Dominum oſtendentem, atque præcipientem: *Sint*, inquit, *lumbi* (i) *veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus; & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis, ut cum venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.* Et quale eos præmium taliter facientes in futuro ſequatur, mox ſubjungit dicens: *Beati ſervi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Et paulo poſt: *quis putas eſt*, inquit, *fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſervus, quem, cum venerit Dominus ſuus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, quia ſuper omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum* Non enim pigris, & hebetibus doctoribus, & de primatu hujus mundi atque divitiis certantibus tale præmium promittitur, ſed bene laborantibus, & digne Deo ſervientibus. Non eſt enim æquum, ut conlatio ſacri ordinis ſervis Chriſti fiat cauſa elationis, & terrenæ voluptatis; quia nec in ipſius magiſtri, nec in diſcipulorum ejus dictis ſive exemplis aliquid hujuſmodi reperiunt.

Quomodo autem de Chriſti moribus nos inſtruat Paulus Apoſtolus, audiamus: *Hoc enim* (k) *ſentite in vobis & quod in Chriſto Jeſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æquale in Deo; ſed ſemetipſum exanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Hic ergo diſcipulis ſuis præcepit dicens: *Nolite ſolliciti* (l) *eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Qui non* (m) *renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim* (n) *voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* & cetera.

Hinc & Petrus exhortans fideles in Epiſtola ſua ait: *Succincti* (o) *lumbos mentis veſtræ, ſobrii, perfecte ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelatione Jeſu Chriſti, quaſi filii obedientiæ, non configurati*

(g) Joannis XII. (h) Matth. XXIII. (i) Lucæ XII.
(k) Philipp. II. (l) Matth. VI. (m) Lucæ XIV.
[n] Matth. XVI. [o] I. Petri I.

rati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis ; sed secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, & ipsi sancti in omni conversatione estote ; quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. De quo & Joannes ait : *Nolite* (p) *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Siquis diligit mundum ; non est caritas patris in eo ; quoniam omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Domini, manet in æternum.*

Hinc & Paulus ait : *Non* (q) *ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus ; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Et iterum : *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis in desideriis.* Et rursum : *Non ergo amplius invicem judicemus ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.*

Et item : *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.*

Si autem secundum hujusmodi doctrinam conformemus nos exemplis obedientiæ, humilitatis, & mansuetudinis Christi, considerantes singuli, non quod nobis, sed quod aliis utile est, nec cupiditatibus istius mundi, atque inlecebris voluptatum operam damus, nulla erit inter nos contentio de sublimitate honoris, & inani jactantia terrenæ potestatis, nec conflictus nequam de quæstu nefando præsentis sæculi ; sed erit firma pax, & concordia inter nos, exercebitúrque unanimiter cultus pietatis, & religio sancta, & immaculata coram Deo & Salvatore nostro sine reprehensione custodietur. Et ita omnia membra corporis Christi erunt in pace, exspectantes supernam gloriam in revelatione Domini nostri Jesu Christi, quem, cum non videmus, diligimus, in quem nunc quoque non videntes credimus, & exultando speramus, quod in adventu ejus percipiamus finem fidei nostræ, salutem animarum nostrarum.

Igitur, quia ordo præteritæ narrationis vestræ, & responsione parvitatis nostræ hoc exigebat, ut contra tam ineptum conflictum Sacerdotum, atque scandalum plebis aliqua de Scripturis Sacris, atque orthodoxorum Patrum sententiis excerperemus, quæ ostenderent, ac declarando manifestarent, quod servos Christi non oportet litigare, sed mansuetos esse ad omnes, dociles, & patientes, fecimus, quod agendum esse censuimus, & in brevi libello hæc omnia comprehendentes, Sanctitati vestræ dirigere curavimus, petentes, ut, si dignum ducatis hunc relegere, ea, quæ ibi recte posita sint, vestra authoritate confirmetis ; si qua autem reprehensione ibi digna videantur, ignorantem vestra prudentia instruatis ; quatenus labor noster per omnia non inanis fiat, & studium doctrinæ vestræ multiplici mercede ab omnium bonorum datore remuneretur.

Sanctitatem vestram omnipotentis Dei gratia in æternum conservare dignetur, venerande Præsul, memorem nostri.

Ex vetustissimo codice Bibliothecæ Regiæ Galliarum edidit Baluzius in appendice Concordiæ Petri de Marca.

Tomo I. pag. 125. exhibuimus Concilium Ratisbonense anni 769. contra Chorepiscopos, nempe interdicendos omni munere Episcopali: pag. 941. exhibuimus Rescriptum Leonis III. PP. ad Legationem directam Romam à Carolo M. per Arnonem Salisburgensem Archiepisc. contra Chorepiscopos. Annis 801. 802. 803. eandem materiam in variis Conventibus agitatam, & semper contra Chorepiscopos, quos solorum Presbyterorum nomine & officio dignabantur. Hincmarus Archiepisc. Remensis, fretus Leonis III. & Conciliorum Germaniæ ac Galliæ decretis totis viribus Chorepiscopos impugnat, omnémque eis Episcopalem functionem adimit : Hrabanus *consuetudine*, quæ neque sæculo hoc nono exoleverat, sed in multis Ecclesiis Germaniæ & Galliæ durabat, tuetur ordinem Chorepiscoporum, eorumque potestatem circa ordines conferendos & cætera Episcopalia munera. *Nota Baluzii.*

(*p*) I. Joann. II. (*q*) Rom. VI. XIII XIV. XV.

RHABANI MAURI
MOGUNTINENSIS ARCHI-EPISCOPI,
QUOTA GENERATIONE LICITUM SIT CONNUBIUM? EPISTOLA.

Domino vere sancto, ac beatissimo Patri Humberto, (a) *gratia Dei Episcopo, Rhabanus vilissimus servorum Dei servus, in Christo salutem.*

Nuper venerunt ad me literæ de tua sanctitate directæ, quæ inter alia ex quibus mecum tua dilectio decrevit tentare, continebant de nuptiis: ut quota generatione legitimum esse posset, tibi edicerem: ubi & commemorabas te quædam capitula legisse Papæ Gregorii ad Augustinum gentis Anglorum Episcopum: nec non & Decreta Zachariæ (b) de eadem re: similiter quoque, quid Isiodorus Hispalensis Episcopus, in Etymologiis suis inde senserit, notum habere: & quid ego super hæc omnia sentirem, tibi à me rescribi postulabas. Unde ego tunc videns quantitatem negotii, breviter respondi: quod tanta res, & spatium temporis & otium scribentis quæreret: nec cito me posse ad ea quæ rogabas, in multis occupatum condigne respondere: sed multorum dicta & sacrorum librorum volumina ante perscrutari velle: & sic ad rescribendum manum mittere. Sed cum postmodum te sentirem ad promissa exequenda avidius anhelare, præoccupavi tempus, & festinanter tuæ voluntati obtemperare decrevi: breviter hæc commemorans, quæ legisse me recordatus sum: vel quæ subito dictanti in mentem venerant. Igitur de nuptiis quid licitum sit vel illicitum, Dominus per legem & Evangelium innotuit; qui bono conjugali uti concessit: atque omnem incæstum & fornicationem omnino prohibuit. Quomodo autem consanguinitas honoranda sit, liber Leviticus (c) ostendit: Locutus est Dominus ad Moysen dicens: *Loquere Filiis Israel, & dices ad eos: Ego Dominus Deus vester: juxta consuetudinem terræ Aegypti, in qua habitastis, non facietis: & juxta morem regionis Chananææ, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis: nec in legitimis eorum ambuletis: facietisque judicia mea & præcepta servabitis & ambuletis in eis. Ego Dominus Deus vester, custodite leges meas atque judicia, quæ homo faciens, vivet in eis. Ego Dominus. Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus, ego Dominus. Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies. Mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis: eo quod caro sit matris tuæ: Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est: nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis: filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, & talis coitus incæstus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies: nec revelabis turpitudinem ejus.* Cum enim Dominus

(a) Episcopo Wurceburgensi; cui & suos commentarios in libros *Judicum* & *Ruth* nuncupaverat Rhabanus: his autem præfixa legitur Epistola Humberti ad Rhabanum Maurum illustrem virum & præstantissimum Patrem.

(b) Decreta Zachariæ Papæ de variorum conjugiis illicitis, lege *Tomo I. nostro* pag. 76. 77. 78. 79. &c.

(c) Capite XVIII.

minus populum ſuum de contaminationibus gentium voluiſſet ſeparare, primum generali vocabulo ad proximitatem ſanguinis prohibuit quenquam accedere, ne revelaret turpitudinem ejus. Deinde ipſam generalitatem ferme in duodecim ſpecies ſubdiviſit: quæ tamen ultra tertiam vel quartam generationem non procedunt: ac ideo reor Dominum GREGORIUM Papam AUGUSTINO interroganti, tertiâ vel quartâ generatione jam licite connubia jungi, reſpondiſſe. Similiter & in Theodori Archiepiſcopi gentis Anglorum capitulis, quæ de neceſſariis rebus conſcripſit, invenimus, quod in tertia propinquitate carnis ſecundum Græcos liceat nubere: in quinta vero ſecundum Romanos. Qui tamen conjugia in tertia propinquitate facta non ſolverent, ſi antea ab inſcientibus compacta fuiſſent: æqualiterque conjungerentur in matrimonia eis, qui ſibi conſanguinei ſunt, & uxoris ſuæ conſanguineis poſt mortem uxoris. Hunc autem THEODORUM Tarſo Ciliciæ natum, (*c*) VITELLIANUS Papa, Romæ Epiſcopum ordinans, Britanniam miſit: unde etiam Orientalium Eccleſiarum conſuetudinibus pleniter inſtitutus fuerat: nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in obſervationibus legitimis Græci vel Romani eo tempore habuerunt: maxime cum in utraque lingua perfecte inſtructus eſſet. Quod autem proximis temporibus Romanorum Pontificum ſcripta contineant, uſque ad ſextam vel ſeptimam generationem conjugii uſum differendum, magis ex conſuetudine humana, quam ex lege divina hoc eos præcepiſſe credendum eſt. Quod ita ſentiens beatus BONIFACIUS Martyr, noſterque Patronus, de eadem re Epiſcopos gentis ſuæ credidit conſulendos, ut ipſi, quid in ſanctorum Patrum ſententiis inde explanatum invenirent, ſibi reſcriberent. Nam quod ISIDORUS in ETYMOLOGIIS ſuis, uſque ad ſextam generationem conſanguinitatis abſtinendum, & ſic legitime connubio conjungendum aſſeruit, inde reor eum feciſſe, quod genealogiæ ſeriem retexens, quouſque ordinem numerando perduxit, eo cognationem ſanguinis ſervandam æſtimavit: ſicque ad no-

vationem generis & amicitiæ ejus confirmandam, redire ad connubium ſancivit, quando jam cognationis ordo numerari deſivit. Cæterum ante omnia conſiderandum eſt, ut ſic cenſura diſciplina temperetur, ne per immoderationem correptionis, peccati cumulus augeatur. Scimus enim, quod, qui in lege cognationis jus obſervare conſtituit, ipſe in Evangelio fœdus conjugii non diſſolvendum præcepit, ita ſane, *ut ſi quis* (d) *dimitteret uxorem excepta cauſa fornicationis, faceret eam mœchari, & qui dimiſſam duceret, mœcharetur.* Sic & Apoſtolus eandem rationem ſequens in Epiſtola ſua, juſſit *mulierem* (e) *à viro non diſcedere: quod ſi diſcederet, manere innuptam aut viro ſuo conciliari.* Si enim ubicunque aliquid proximitatis vel conſanguinitatis licet longinquæ, inter conjugatos inveniri poteſt, ſtatim matrimonium diſſolvitur, ne (reor) quod adulterium & fornicationis ſcelus multiplicetur, qui cum conjugato adoleſcenti vel juveni ſocietas comparis ſuæ denegatur: nec aliquid ei ſolatii impenditur, unde continentiam ſervare poſſit, libidine inflammatus, per Diaboli inſtigationem, multiplici fornicatione forſan polluitur: ac ſic in præcipitium mortis æternæ anima demergitur: Unde Apoſtolus hujuſcemodi vitium amputare volens, ſcripſit dicens: *Bonum* (f) *eſt mulierem non tangere: propter fornicationem autem, unusquiſque uxorem ſuam habeat. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro*: & paulo poſt: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam.* His ergo omnibus conſideratis, bonum mihi videtur, ut legis divinæ conſtitutio inviolata ſervetur: & ſcandalum quantum ad homines pertinet, pro facultate virium declinetur: ubi autem ſine majori detrimento ſcandalum toleretur: quoniam maximum propter . . . . . incaute jam efficiatur.

Igitur, quia à mea parvitate voluiſti, quid ſentirem de hac re, tibi reſcribi, propter infirmitatem inſtantis temporis, reor hoc, quod Theodorus Archiepiſcopus inter Gregorium & Iſidorum medius incedens, in ſuis capitulis diffinivit, magis ſequendum: ut poſt quin-

(*c*) *Lege:* Vitalianus. (*d*) Matth. V. (*e*) I. Cor. VII. (*f*) Loc. c.

quintam generationem jam licitum connubium fiat: quia lex divina hoc non contradicit: nec etiam ſanctorum Patrum dicta hoc prohibent. Si autem & in quinta ab inſciis copula fuerit peracta, melius mihi videtur, ut cum pœnitentiæ humiliatione, ſi ſe exoratus continere non vult, Deo ſatisfaciat: & tamen ei prædicetur, quoniam bonum ſit, ut ab hujuſcemodi copula ſemetipſum abſtineat: ſi forte det illi Deus pœnitentiam, & reſipiſcat à diaboli laqueis, gratamque continentiæ ſuæ ſpontanea voluntate oblationem, poſtmodum offerat Deo: & ſic ni fallor, cautela erit in judicio: atque juſtitia ſervatur in facto.

EPISTOLÆ FINIS.

Ex codice Rhabani impreſſo Coloniæ 1532. *typo Joannis Prael.*

TRACTATUS RHABANI MAURI

MOGUNTINENSIS ARCHI-EPISCOPI,

De Conſanguineorum nuptiis, & de Magorum præſtigiis, falſisque divinationibus.

MAgnorum Virorum & clariſſimorum Doctorum mos ſemper fuit, ad ea, de quibus interrogati fuerant, competenter reſponſum quærere, & adnitentes auctoritati Sanctarum Scripturarum Sanctorumque Patrum ſententiis, ea quæ ab eis poſtulata fuerant, breviter dilucidéque reſerere. (*a*) Sed cum hæc ipſe indoctus, & non tam ſermone, quam etiam ſcientia imperitus, pro modulo meo imitari ſolebam: & his, qui me de aliquibus quæſtionibus pulſabant, per Scripturas Sacras & ſententias Sanctorum Patrum reſpondere curabam: nunc ita apud te, chariſſime virorum & ſolertiſſime cuſtos gregis Dei Bonoſe, (*b*) mihi evenit: quoniam in his, in quibus aliquo modo ſatis egi, tibi nullo modo ſatisfacere potui, ſed ſemper juxta conſuetudinem tuam aſtutius inquirebas, & diligentius inveſtigabas, quomodo ea, quæ prolata ſunt, inviolata conſtare poſſent? Unde modo difficilem exitum in quæſtionibus à te mihi propoſitis invenire potui: eo quod teſtimonia de vetere lege adſumpta, in Epiſtola reſcripta ad Humbertum Epiſcopum, quota generatione liceret cognatis connubia jungere, redarguebas: quaſi non convenientia huic tempori, hoc eſt, religioni Chriſtianæ, ſed quia in novo teſtamento de hoc plane ſcriptum non inveni, neceſſarium æſtimavi, quod Sancti Patres de ipſis ſententiis legis Dei ſenſerint, de opuſculis eorum, tibi exempla proferre: ut qui mihi propter utilitatem meæ perſonæ difficulter credis, ſaltem illis, qui magnæ auctoritatis ſunt; coactus credas. Proponebas enim mihi duas quæſtiones: *Unam* de Conſanguineis, quota generatione eis liceret ſe invicem nuptiis copulare? *Alteram*, quid de his ſentiendum eſſet, qui magicis præſtigiis ſive incantationibus dæmoniacis, dicuntur homines fallere; & à ſtatu ſuo priſtino evertere poſſe?

Unde *Primum* de præfatiis nuptiis, deinde de magicæ artis argumentis, ſcribendum tibi eſſe arbitramur. Sed prius notandum eſt, quod ubi veteris legis præcepta neceſſaria ſunt in teſtimonium adſumenda, non ſunt deſpicienda: quia unus atque idem auctor veteris & novi teſtamenti eſt, Deus. Idcirco ipſe mediator Dei & hominum, de lege & Prophetis exempla ſumens, confirmabat & commendabat doctrinam Evangelicam auditoribus ſuis, ſicut ſcriptum eſt de eo in Evangelio, quod ipſe in Synagoga ſur-

(*a*) *forte:* reſerare vel referre.
(*b*) Bonoſus vel Hatto, Abbas Fuldenſis, legerat priorem Rhabani Epiſtolam, Humberto inſcriptam, variaque in ea reprehendebat, puta, quod Rhabanus ex veteris teſtamenti libris probâſſet matrimoniorum inter Chriſtianos impedimenta.

surrexerit (b) *legere : & datus sit illi liber Esaiæ Prophetæ. Qui cum aperuisset librum, invenit locum, ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me, propter quod unxit me : evangelizare pauperibus misit me. Sanare contritos corde : prædicare captivis remissionem, & cæcis visum : dimittere confractos in remissionem : Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit Ministro & sedit, & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris : & omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius :* & post resurrectionem legitur, quod duobus discipulis secum in via ambulantibus & dubitantibus, dixerit: *O stulti* (c) *& tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam! & incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*, & in aliis pluribus locis idem fecisse invenitur, nec immerito. Nam in monte, ubi coram tribus discipulis transfiguratus est, *Apparuerunt* (d) *Moyses & Helias cum eo loquentes, & dicebant excessum, quem completurus erat in Hierusalem.* Ut intelligeretur eum testimonium habere velle, à lege & Prophetis. Unde & Apostolus, gratiam novi testamenti testificatam asserit à lege & Prophetis : *Quia* (e) *lex spiritalis est & sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum.* Ex quo notandum est, quod ipsa lex in aliquibus locis secundum historiam tantum, in aliquibus vero secundum allegoriam, in aliquibus autem secundum historiam simul & allegoriam, intelligenda est. Quia ut Beatus Ambrosius scripsit, triplex quidem lex est. Ita ut prima pars de Sacramento Divinitatis, sit Dei : secunda autem, quæ congruit legi naturali, quæ interdicit peccatum : tertia vero, lex est factorum, id est, sabbati historica observatio, neomeniæ & circumcisio : quæ spiritaliter, non carnaliter, temporibus gratiæ servanda sunt. Similiter autem est lex naturalis, quæ concordat in multis legi Moysi, tres habet partes. Cujus prima hæc est, ut agnitus honoretur creator : nec ejus claritas & majestas, alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam suam lege frænare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis : ut notitia Dei creatoris, & exemplum mox cæteris tradatur: ut discant quemadmodum (*) creatorem meritum collocetur : hæc est enim vera & Christiana prudentia : & omni Catholico ad discendum, atque ad servandum necessaria, quia per hanc in hoc sæculo vita honesta ducitur, & in futuro ad præmia æterna pervenitur. Igitur, ubi de Sacramento Divinitatis sermo fit, vel de vitandis vitiis ac virtutibus assequendis præcepta dantur, bona est historica & moralis intelligentia. Ubi autem umbra futurorum exprimitur, ut de lege factorum diximus, spiritalis omnino intellectus ibi quærendus est. Cæterum ubi historia narrat transitum filiorum Israël de Ægypto per mare rubrum, & in deserto constructionem tabernaculi, & signa miraculorum, quæ in priori populo Domini jussu facta sunt, præliaque Israelitarum cum Chananæis & cæteris gentibus, hæc quidem historialiter ita facta esse credenda sunt, & tamen in mysteriis veneranda. Unde Paulus Apostolus facta priorum mystice intelligens, ad Corinthios scripsit, dicens: *Nolo* (f) *enim vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autem erat Christus.* Similiter autem & ad Galatas scribens: *Duos filios Abrahæ, unum de ancilla natum, & alterum de libera*, duobus populis per similitudinem comparavit dicens: scriptum est quoniam (g) *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est. Qui autem de libera, per repromissionem : quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta : unum quidem à monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem, quæ sursum*

(b) Lucæ IV, 16, 17. (c) Luc. XXIV, 25. (d) Lucæ IX, 30.
(e) Roman. VII, 14. (*) *fors* apud. (f) I. Cor. X, 1. (g) Gal. IV, 22.

ſum eſt Hierusalem, libera eſt: quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare (h) *ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. &c.* Si ergo ipſa veritas & diſcipuli ejus, ex teſtimoniis legis doctrinam ſuam probaverunt, & auditoribus ſuis commendaverunt, quis eſt, qui ipſam legis aſſertionem audeat reprehendere, quando eam viderit Evangelicæ doctrinæ concordare? Cum enim ſalubria præcepta in lege de charitate, de caſtitate, de continentia, & de miſericordia, cæterisque virtutibus auctoritate Divina proferuntur, omni cum honore ſuſcipienda, & cum magna diligentia ſervanda ſunt: quia in hoc ſe quiſque probat ipſius veritatis devotum eſſe diſcipulum & mandatorum Dei cuſtodem diligentiſſimum, ſi conſentiat legi Dei, & credit illis, quæ in ea ſcripta ſunt. Hinc quoque ipſe ad incredulos Judæos, & contra ſe altercantes, ait: *Si enim* (i) *crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo meis verbis credetis?* Hinc & alibi in Evangelio legitur. Abraham diviti de inferno ad ſe clamanti & poſtulanti, ut Lazarum tranſmitteret in domum Patris ſui, quatenus teſtaretur illis, ne & ipſi venirent in locum ipſum tormentorum, reſpondiſſe. *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* At ille dixit: *Non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Ac ſi patenter diceret: Si legi & Prophetis, juſtitiam & veritatem docentibus non adquieſcunt, nec Chriſto, qui ex mortuis reſurrexit, & evangelicam doctrinam adnuntiat, rite obediunt.

Denique de conſanguinitate Dominus ipſe, qui legem dedit, & poſtmodum Evangelii benedictionem addidit, ut electi ſui ambularent de virtute in virtutem, in Levitico ad Moyſen locutus eſt, dicens: *Loquere* (l) *filiis Iſrael & dices ad eos: Ego Dominus Deus veſter: juxta conſuetudinem terræ Aegypti in qua habitaſtis, non facietis & juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis. Neque in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea & præcepta mea ſervabitis, & in eis ambulabitis: ego Dominus Deus veſter. Cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus: ego Dominus: Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt: non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre ſive ex matre quæ domi vel foris genita eſt: non revelabis: Turpitudinem filiæ filii tui vel nepotis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua eſt. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies, quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro ſit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi adfinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt, nec diſcooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. Quia turpitudo fratris tui eſt. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis: filiam filii ejus, & filiam filiæ ejus non ſumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius ſunt: & talis coitus incæſtus eſt. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illis non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.* Cujus Capituli expoſitionem, ex dictis Beati Patris Auguſtini hic interferendam eſſe cenſuimus; ut lector ſobrius, ejus ſenſui non diffidat credere atque conſentire, quem videt nullo modo à veritatis tramite deviare. Turpitudinem, inquit, Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non revelabis, Turpitudo enim eorum eſt. Prohibet cum matre concumbere. Ibi enim eſt turpitudo patris & matris. Nam propterea prohibet & novercæ, ubi dicit: Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis: turpitudo enim patris tui eſt. Ubi expoſuit, quomodo in matre utriuſque ſit turpitudo, id eſt, patris & matris: in noverca autem, tamen patris. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi vel foris nata eſt, non revelabis. Turpitudo enim earum eſt. Quæ domi nata eſt, intelligitur ex matre: ſi forte de priori viro eam mater ſuſceperat, & cum illa in domum venerat, quando patri

(*h*) Eſa. LIV, 2. (*i*) Joh. V. (*k*) Luc. XVI, 19.
(*l*) Lev. XVIII, 2.

tri ejus nupſerit: quoniam monet Scriptura, ne revelet turpitudinem ſororis ſuæ, hic videtur non prohibuiſſe, & quaſi prætermiſiſſe concubitum cum ſorore de utroque parente nata: non enim dicit turpitudinem non revelabis ſororis tuæ ex patre & ex matre: ſed ex patre aut ex matre. Verum, quis non videat etiam illud eſſe prohibitum multo maxime? Si enim non licet ſororis turpitudinem revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque! Quid eſt autem, quod interpoſita prohibitione concubitus etiam cum ſuis nepotibus ſive de filio, ſive de filia, ſequitur & dicit. *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui non revelabis?* Si enim hucuſque dixiſſet, intelligeremus etiam cum filia novercæ prohibitum fuiſſe concubitum, quam ex priore viro noverca peperiſſet, nec hujus, qui prohibetur, ſoror eſſet vel ex patre, vel ex matre. Cum vero addidit, quæ ex eodem patre ſoror tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus, manifeſtat de ſorore factam eſſe iſtam prohibitionem, cum fuerit ex patre & ex noverca, de qua jam ſuperius dixerat: an ideo iterum hoc apertius voluit prohibere, quia ſuperius ſubobſcurum fuit. Sæpe enim hoc facit Scriptura: *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, & ad uxorem ejus non introibis.* Expoſuit, quid dixerit, Turpitudinem fratris patris tui, id eſt, patrui tui non revelabis, hoc eſt enim, ad uxorem ejus non introibis. In uxore quippe patrui tui, voluit intelligi turpitudinem patris tui. Sicut in uxore patris, turpitudinem patris. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, turpitudo enim fratris tui eſt. Quæritur utrum hoc vivo fratre an mortuo, ſit prohibitum? & non parva quæſtio eſt. Si enim dixerimus de vivi fratris uxore locutam ſcripturam uno generali præcepto, quo prohibetur homo ad uxorem accedere alienam, etiam hoc utique continetur. Quid eſt ergo, quod tam diligenter has perſonas quas appellat domeſticas, propriis prohibitionibus diſtinguit à cæteris? Non enim & quod prohibet de uxore patris, hoc eſt, de noverca vivo patre accipiendum eſſet, & non potius mortuo. Nam vivo patre, quis non videat multo maxime prohibitum, ſi cujuslibet hominis uxor aliena, prohibita eſt maculari adulterio? De his perſonis ergo videtur loqui, quæ poſſent non habentes viros in matrimonium convenire, niſi lege prohiberentur, ſicut fertur eſſe conſuetudo Perſarum. Sed rurſus, ſi fratre mortuo intellexerimus prohibitum eſſe ducere fratris uxorem, occurrit illud, quod excitandi ſeminis cauſa, ſi ille ſine filiis defunctus eſſet, jubet Scriptura eſſe faciendum: ac per hoc collata iſta prohibitione cum illa juſſione, ne invicem adverſentur, intelligenda eſt exceptio, id eſt, non licere cuique defuncti fratris ducere uxorem, ſi defunctus poſteros dereliquit, aut etiam illud eſſe prohibitum, ne licet ducere fratris uxorem, etiam, quæ à fratre vivo per repudium receſſiſſet: tunc enim ſicut Dominus dixit: *Ad duritiam* (m) *Judæorum Moyſes permiſerat dari libellum repudii:* Et per hanc dimiſſionem potuit putari, quod licite quiſquam ſibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, quoniam repudio diſceſſiſſet. Turpitudinem mulieris & filiæ ejus non revelabis, id eſt, ne putet quiſquam licere ſibi ducere filiam uxoris ſuæ. Simul etiam mulieris & filiæ ejus, non licet revelare turpitudinem ejus, id, ambabus miſceri, & matri & filiæ. *Filiam filii ejus & filiam filiæ ejus non accipies*: etiam neptem uxoris de filio vel de filia duci prohibuit uxorem. Super uxorem ſororem ejus non accipies in zelum. Hic non prohibuit ſuperducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis. Sed ſororem ſorori noluit ſuperduci, quod videtur feciſſe Jacob, ſive quia nondum fuerat lege prohibitum, ſive quia ſuppoſita alterius fraude, deceptus eſt. At illa magis de placito veniebat, quam poſterius accepit: ſed injuſtum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait, in zelum: Utrum ideo poſitum eſt, ne ſit zelus inter ſorores, quod inter illas, quæ ſorores non eſſent, contemnendum fuit? an ideo potius, ne propter hoc fiat, id eſt, ne hoc animo fiat, ut in zelum ſororis, ſoror ſuperducatur. Qualiter autem in cognatis jus matrimonii ſervandum ſit, memoratus Doctor oſtendit, dicens: Quod autem poſtea legitur, *Quicunque dormierit cum cognata, turpitudinem cognationis ſuæ revelabit: ſine filiis morientur;* Quæritur, quo-

(*m*) Marci X, 5.

quousque sit intelligenda ista cognatio, cum ex longo gradu licet utique accipere uxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus, quos prohibuit non licere & secundum ipsos dictum. Quicunque dormierit cum cognata sua. Ubi & aliqua non commemorata intelligenda dimisit; Sicut sororem de utroque parente, sicut uxorem fratris matris, id est, avunculi. Nam de uxore patrui primum prohibuit, quamvis hæc non cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, sine (*n*) filiis morientur, cum filii ex hujusmodi conjunctionibus & ante nati sunt & hodie nascuntur? An hoc intelligendum est, lege Dei constitutum, ut quicunque ex eis nati fuerint, non deputentur filii? Id est, nullo parentibus jure succedant. Quod autem quidam reprehendunt rescripta beati Gregorii ad interrogationem Augustini Episcopi gentis Anglorum, qui ab eo sciscitatus est, *usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari*, & novercis & cognatis si liceat copulari conjugio? non caute faciunt, quia, qui irreprehensibilis est in cæteris dogmatibus suis, in hac etiam responsione non potest rite reprehendi, quia legi Dei & sanctorum Patrum sententiis magis studuit concordare, quam nova ex suo sensu condere, qui inter cætera sic ait: Quædam (*o*) terrena lex in Romana Republica permittit, ut sive frater & soror, seu duorum fratrum germanorum vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento discimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere: & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatione fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda quam prædiximus, à se omni modo debet abstinere. Cum noverca autem misceri, grave est facinus, quia & in lege scriptum est: Turpitudinem patris tui non revelabis. Neque enim patris turpitudinem filius revelare potest. Sed quia scriptum est: *Erunt duo in carne una*, qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelabit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerit facta: Pro qua re etiam Joannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio consummatus. Cui non est dictum ut negaret, & pro Christi confessione occisus est. Sed quia Dominus noster Jesus Christus dixerat, *Ego* (p) *sum veritas* pro veritate Joannes occisus est videlicet, & pro Christo sanguinem fudit. In hoc ergo responso facile potest lector diligens agnoscere, utrum hanc relationem ad præcepta legis divinæ, quæ superius commemorata sunt, hic Præsul sedis Apostolicæ referret, an de suo aliquid noviter constituerit: Non enim mihi videnter ejus dicta discordare à supra memoratis sententiis beati Augustini: sed ejus sensui paria sentire.

In Canonibus autem Patrum, quid de incæstis conjugiis decretum sit, inserendum arbitror, ut ibi perspiciatur, utrum eorum sententiæ, ad prædictorum Doctorum scripta concordent, an non. Nam *in Agathensi Concilio* ita scriptum est: In cæstos (*q*) vero nullo conjugii nomine deputandos censemus: quos etiam designare funestum est, id est, si quis relictam fratris, quæ prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: Si quis frater germanam uxorem accipiat: Si quis novercam duxerit: Si quis consobrinæ suæ se sociaverit. Quid ita præsenti tempore, prohibemus, ut ea quæ sunt ante nos constituta, non dissolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ, hæc conjunctio illicita interdicitur. Habebunt enim, ineundi melioris conjugii libertatem. *In Aurelianensi* (r) *quoque* Synodo ita decretum legitur de incestis, ut excommunicentur: Ne superstes super thorum defuncti fratris accedat: neve quisque amissa uxore sorori audeat sociari: quod si fecerit, ab Ecclesiastica districtione feriatur. Item *in Capitulari Orientalium Patrum* quod *à Martino Episcopo* cæterisque Episcopis constitutum est, ita scriptum reperitur: Si (*s*) quæ mulier duos fratres, aut si quis

[*n*] Gratianus XXXV. Qu. VII. *Quid est.*
(*o*) Gratianus C. 35. Qu. 2. C. *Quædam Lex.*
(*q*) Gratianus causa XXXV. Qu. 2. C. *De incestis.*
(*r*) Gratianus causa eadem Qu. 8. Cap. *Incestuosi.*
(*s*) Martinus, Bracarensis Episcop.
(*p*) Joannis VI.

quis vir duas ſorores habuerit, à communione abſtineant uſque ad mortem. In morte eis communio per miſericordiam detur. Si vero ſupervixerint communione accepta, & de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore conſtituto. In Decretis quoque GREGORII PAPÆ, qui apud Romanos à primo ſecundus dicitur, ita ſcriptum eſt: *Si quis fratris (t) uxorem duxerit in conjugio, anathema ſit.* Si quis commatrem ſpiritalem duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio anathema ſit. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis novercam aut nurum ſuam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Non enim hic de trinepote ſive de trinepte aut de trinepotis nepote, ſeu trinepotis nepte aliquid dicitur, aut ſpecialiter enumeratur. Unde magis arbitror hoc ſequendum, quod divina auctoritas in duobus teſtamentis ſancivit: & quod juxta ejus exemplum, plurimorum patrum ſententia in communi conventu ſervandum conſtituit: quam quod quilibet juxta libitum ſuum conjectura propria ſequendum eſſe, decrevit. Veruntamen, ſi quis voluerit ſe continere uſque ad quintam vel ſextam vel etiam ſeptimam generationem, non prohibendus eſt, ſed magis hortandus: quia quanto longior eſt à diſcrimine, tanto ſecurior erit de internecione. Nam Apoſtolo (*u*) teſtante: *Honorabiles ſunt nuptiæ & thorus immaculatus.* Ideo Chriſtianum decet omnia honeſte & ſecundum ordinem facere. Ego quoque, quia ex meo aliquid noviter non auſus ſum proferre, majorum ſcripta vel dicta, ſecundum id quod inveni, ſimpliciter poſui: non præjudicans alteri melius intelligenti. De his ſentiat quiſque quod velit, ita tamen, ut diſcretionem in judicio & veritatem conſervet in facto.

Ex impreſſione Colonienſi anni 1532. *in* 8*vo. typo Joannis Prael.*

(*t*) Tomo primo noſtro pag. 36. 37.

(*u*) Hebr. 13.

DE MAGICIS ARTIBUS.

De magicis autem artibus, atque incantationibus, & de ſuperſtitionibus diverſis, quas gentiles, & falſi Chriſtiani in divinationibus ſuis, & obſervationibus perverſis ſequi videntur, quid Lex Divina ſanciat, in auctoritate veteris teſtamenti ac novi, facile eſt invenire. Deteſtatur enim illos Lex Divina: Quæ in libro Exodi (*a*) ita dicit: *Maleficos in terra tua non patieris vivere*, & item: (b) *Qui immolat*, ait, *Diis occidetur, præter Domino ſoli.* Et in Levitico: (c) *Non comedetis*, inquit, *carnem cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia: & ſuper mortuo non incidetis carnem veſtram: neque figuras aliquas, & ſtigmata facietis vobis. Ego Dominus.* Et item: (d) *Non declinabitis*, ait, *ad Magos, nec ab hariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos.* Et item: (e) *Vir*, inquit, *ſive mulier, in quibus Pythonicus, vel Divinationis fuerit Spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos: ſanguis eorum ſit ſuper eos.* In Deuteronomio quoque (*f*) ſic dicit: *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ſuam ducens per ignem, aut qui hariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, atque auguria. Non ſit maleficus, neque incantator, neque qui Pythones conſulat, neque divinos: & quærat à mortuis veritatem. Omnia autem hæc abominatur Dominus, & propter iſtiusmodi ſcelera, delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures, & Divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Et quid ſequendum ſit vel obaudiendum, mox ſubſequitur dicens: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. Ipſum audies,*

G g

(*a*) Exod. XXII. (*b*) Ibidem. (*c*) Levit. XIX.
(*d*) Ibidem. (*e*) Levit. XX. (*f*) Deut. XVIII.

audies, ut petiſti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei: & ignem hunc maximum amplius non videbo, nec moriar. Et ait mihi Dominus: Bene omnia ſunt locuti: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tuî: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. Propheta autem, qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine aliorum Deorum, interficietur. Quis autem ille Propheta fuerit, cujus ſermones audire debent, & cui tota intentione animi obediendum eſt, patet, cum in Evangelio legitur, quod turba fidelium videns miracula, & ſigna, quæ faciebat JESUS, clamaret dicens: (g) *Vere hic eſt Propheta, qui venturus eſt in hunc mundum.* Et alibi de eo (h) ſcriptum eſt: *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam.* Hic ergo Propheta, & Dominus omnium Prophetarum, qui eſt via, veritas, & vita, conditor utriuſque teſtamenti, non ſolum in veteri, ſed etiam in novo omnes errores & divinationes, atque artes noxias reſpuit, atque condemnat: nec ab alio, quàm à ſe requiri veritatem, aut ſanitatem vult, quia ipſe cum Patre, & Spiritu Sancto, unus, verus, atque omnipotens eſt Deus, faciens mirabilia magna ſolus. Unde & in Evangelio (i) omnes ad ſe invitat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et item: (k) *Ego ſum*, inquit, *lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Hic ergo juxta Pauli ſententiam: (l) *Salvator eſt omnium hominum, maxime fidelium.* De quo & Petrus ait: *Non eſt enim aliquod nomen datum hominibus ſuper terram, in quo oporteat homines ſalvos fieri.* In quo etiam nomine, quotidie ſigna magna, & ſanitates in Eccleſia per orationes fidelium fiunt: quoniam ipſe Diſcipulis ſuis in Evangelio ait: (m) *Ecce ego do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici. Euntes prædicate Evangelium, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite.* De quo etiam Marcus (n) teſtatus eſt, dicens: *Multos enim ſanabat, ita, ut irruerent in eum, ut illum tangerent. Quotquot autem habebant plagas, & ſpiritus immundos, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum: & aſcendens in montem vocavit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit, ut eſſent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia.* Quid ergo neceſſe eſt ſalutem ab alio, quam à medico competente quærere? aut quæ ratio eſt ſcientiam, aut ſapientiam ab alio quolibet diſcere velle, quam ab omni ſcientiæ, ac ſapientiæ fonte? De quo (o) ſcriptum eſt: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & apud illum fuit ſemper, & eſt ante ævum. Harenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſeculi, quis dinumeravit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi, quis menſus eſt? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inveſtigavit? Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo. Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis: & ingreſſus illius mandata æterna.* Qui autem ſine Salvatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia æſtimat ſe prudentem fieri poſſe, non ſalvus, ſed æger; non prudens, ſed ſtultus, in ægritudine aſſidua laborabit: & in cœcitate noxia ſtultus, & demens permanebit: ac proinde omnis inquiſitio, & omnis curatio, quæ à Divinis, & magis, vel ab ipſis Dæmoniis in Idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda eſt, quam vita: & qui ea ſectatur, ſi ſe non correxerint, ad æternam perditionem tendunt: Quoniam Pſalmiſta (p) dicente: *Omnes Dii gentium ſunt Dæmonia*: Qui perceptos (q) homines alios decipere quotidie geſtiunt, ut perditionis ſuæ faciant eos eſſe participes. Itaque hæc vanitas magicarum artium, ex traditione Angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis ſæculis valuit, per quandam ſcien-

(g) Johan. VI. (h) Lucæ VII. (i) Matt. XI.
(k) Ibidem. (l) Actor. IV. (m) Lucæ X.
(n) Marc. III. (o) Eccleſiaſt. I. (p) Pſal. XCV. (q) *forte* per captos.

ſcientiam futurorum & infernorum, & per inventiones eorum inventa ſunt aruſpicia, augurationes, & ipſa, quæ dicuntur oracula, & necromantia: nec mirum, de Magorum præſtigiis: quorum in tantum prodiere maleficiorum artes, ut etiam Moyſi ſimillimis ſignis reſiſterent, vertentes virgas in Dracones, aquas in ſanguinem. Fertur etiam in gentilium libris, quod quædam Maga famoſiſſima ſocios Ulyſſis mutaverit in beſtias. Legitur & de ſacrificio, quod Arcades Deo ſuo Lyceo immolabant. Ex quo quicunque ſumerent, in beſtiarum formas convertebantur. Sed hæc omnia Magicis potiùs præſtigiis fingebantur, quæ rerum veritate complebantur. Ut ergo ipſi errores ignorantibus manifeſti fiant, de eorum proprietate, atque inventoribus juxta traditionem Majorum primùm dicere congruum arbitramur.

MAGI ſunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus in Deo confidentium, ac ſine ullo veneni hauſtu, violentia tantum carnis interimunt. Unde & Lucanus: Mens hauſti nullâ ſanie polluta veneni, incantata perit. Dœmonibus enim accitis, audent ventilare, ut quiſque ſuos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam ſanguine utuntur, & victimis ſæpe contingunt corpora mortuorum. NECROMANTICI ſunt, quorum præcantationibus videntur reſuſcitari mortui: divinare, & ad interrogata reſpondere. Νεκρος enim Græce mortuus: μαντεια divinatio nuncupatur. Ad quos ſuſcitandos cadaveri ſanguis adjicitur. Nam amare dœmones ſanguinem dicuntur: ideoque quoties necromantia fit, cruor aquæ miſcetur, & colore ſanguinis facilius provocantur. HYDROMANTIA ab aquâ dicta. Eſt enim hydromantia in aquæ inſpectione umbras dœmonum evocare, & imagines ludificantes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire: Ubi adhibito ſanguine, etiam inferos perhibentur ſciſcitari. Quod genus divinationis à Perſis fertur allatum. Varro dicit, divinationis quatuor eſſe genera, terram, aquam, aërem, & ignem. Hinc *geomantiam*, *aëromantiam*, *pyromantiam* dictam autumat. *Divini* dicti quaſi Deo pleni. Divinitate enim plenos ſe eſſe aſſimulant, & aſtutâ quâdam fraudulentiâ, hominibus futura conjectant. Duo autem ſunt genera divinationis, ars, & furor. *Incantatores* vero dicti ſunt, qui artem verbis peragunt. *Arioli* vocati ſunt, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, hiſque celebritatibus dœmonum reſponſa accipiunt. *Aruſpices* nuncupati, quaſi horarum inſpectores. Dies enim & horas in agendis negotiis, operibuſque cuſtodiunt: & quid per ſingula tempora obſervare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inſpiciunt, & ex iis futura prædicunt. *Augures ſunt*, qui volatus avium, & voces intendunt, aliaque ſigna rerum, vel obſervationes improviſas, hominibus occurrentes, ferunt. Sunt etiam & auſpices. Nam auſpicia ſunt, quæ iter facientes obſervant. Dicta ſunt autem *auſpicia*, quaſi avium aſpicia. Et auguria quaſi avium garria, hoc eſt, avium voces, & linguas. Item augurium quaſi avigerium, quod aves gerunt. Duo ſunt autem genera auſpiciorum, unum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos ſcilicet volatus, ad aures vox avium. *Pythones* à Pythio Apolline dicti, quod is auctor fuerit divinandi. *Aſtrologi* dicti, eoquod in aſtris augurantur. *Genethliaci* appellati ſunt propter natalium conſiderationes dierum. Geneſes enim hominem per duodecim cœli ſigna deſcribunt, ſiderumque curſu, naſcentium mores, actus, & eventa prædicere conantur. Id eſt, quis quali ſigno fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui naſcitur. Hi ſunt, qui vulgo *Mathematici* vocantur. Cujus ſuperſtitionis genus, conſtellationes Latini vocant; id eſt, notationes ſiderum quomodo ſe habeant, cum quis naſcitur. Primum autem iidem ſtellarum interpretes, *Magi* nuncupantur: Sicut de his legitur, qui in Evangelio natum Chriſtum adnunciaverunt. Poſtea hoc nomine ſoli mathematici dicti ſunt: cujus artis ſcientia uſque ad Evangelium fuit conceſſa, ut Chriſto edito, nemo exinde nativitatem alicujus, de cœlo interpretaretur. *Horoſcopi* dicti, quod horas nativitatis hominum ſpecularentur, diſſimili, & diverſo fato. *Sortilegi* ſunt, qui ſub nomine fictæ religionis per quaſdam

dam, quas ſanctorum ſortes vocant, divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum ſcientiæ inſpectione, futura promittunt. *Saliſatores* vocati ſunt, quia dum eis membrorum quæcunque ſalierint, aliquid ſibi exinde proſperum aut triſte ſignificari prædicunt. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, ſeu in præcantationibus, ſeu in caracteribus, vel in quibuscunque rebus ſuſpendendis, atque ligandis, in quibus omnibus ars dœmonum eſt ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & Angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda ſunt Chriſtiano & omni penitus execratione repudianda, atque damnanda. Auguria autem avium Phryges primi invenerunt: Præſtigium vero Mercurius primus dicitur inveniſſe. Dictum autem præſtigium, quod præſtringat aciem oculorum. Aruſpicinæ artem primus Hetruſcus tradidiſſe dicitur: quidam Phryges. Hic ex horis aruſpicinam dictavit, & poſtea non apparuit. Nam dicitur fabuloſe, arante quodam ruſtico ſubito hunc ex glebis exiluiſſe, & aruſpicinam dictaſſe, qua die & mortuus eſt. Quos libros Romani ex Hetruſcâ linguâ, in propriam mutaverunt. His ergo portentis per dœmonum fallaciam illuditur curioſitas humana, quando id imprudenter appetunt ſcire, quod nullâ ratione eis competit inveſtigare: ac ideo datur poteſtas immundis ſpiritibus, ut per vaſa ſibi apta, hoc eſt, pravos homines, ſeducant illos, qui ſpernunt veritatem, & credunt mendacio: & juxta Pauli ſententiam (n) *Sanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* (o) *Onerati peccatis ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. Quemadmodum autem Jamnes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt veritati: Homines corrupti mente, reprobi circa fidem: Sed ultra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit ominibus, ſicut & illorum fuit.* Nec ideo quiſquam credere debet, quoslibet magicis artibus aliquid facere poſſe, ſine permiſſu Dei, quoniam quæ fiunt, aut juſto judicio facit, aut permiſſu ſuo ita fieri ſinit, quod prædicti magi leguntur ſimilia feciſſe Moyſi, *qui* (p) *virgam ſuam projecit, & converſa eſt in Draconem: projecerintque ipſi ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in Dracones: Sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Non ergo fuerunt creatores Draconum, nec magi, nec angeli magi, quibus miniſtris illa operabantur. Inſunt enim rebus corporeis per omnia elementa mundi, quædam occultæ ſeminariæ rationes: quibus, cum data fuerit oportunitas temporalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis, & finibus: & ſic non dicuntur Angeli, qui iſta faciunt, animalium creatores, ſicut nec agricolæ ſegetum vel arborum, vel quorumcunque in terra gignentium creatores dicendi ſunt, quamvis noverunt præbere quaſdam viſibiles oportunitates, & cauſas, ut illa naſcantur. Quod autem iſti faciunt viſibiliter, hoc illi inviſibiliter. Deus vero ſolus, unus creator eſt, qui cauſas ipſas, & rationes ſeminarias rebus inſeruit. Præterea quidam quærendum putant, quomodo ſcriptura narret, pythoniſſam Samuelem Prophetam ſuſcitaſſe ad colloquium Saul impiiſſimi Regis, ſi pythonica divinatio errori magicæ artis deputandæ ſit? Quibus ita reſponderi poteſt, indignum omnino facinus eſſe, ſi ſecundum verba hiſtoriæ commodetur adſenſus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magicâ adtraheretur vir, & nativitate Sanctus, & vitæ operibus juſtus? Aut ſi non adtractus eſt, conſenſit: quod utrumque de viro juſto credere adverſum eſt. Si enim invitus adductus eſt, nullum ſuffragium habet juſtitia. Si autem voluntarius, amiſit meritum ſpiritalis, * quem poſitus in carne, quæſiverat, quod valde abſurdum eſt, quia hinc qui juſtus recedit, permanet juſtus. Porro autem hoc eſt præſtigium Satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in poteſtate ſe habere confingit: quod Apoſtolus inter cætera (q) oſtendit, dicens: *Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum Lucis.* Ut enim errorem faceret, in quo gloriaretur, in habitu viri juſti, & nomine ſe ſubornavit: ut nihil proficere ſpeciem, quam prædicabant, Dei cultoribus mentiretur, quando hinc exeuntes, juſtos finxit in ſua eſſe

(n) II. Timoth. IV. (o) II. Timoth. III. (p) Exod. VII.
(q) II. Cor. XI.

esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul, & filii ejus non sit mentitus, quasi magnum sit diabolo, ante occasum, mortem corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris: quippe à quibus Dei protectio amota videtur: quanto magis diabolus, quem angelicâ majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur: de cujus magnitudine Apostolus (r) ait: *An ignoratis altitudinem Satanæ?* Quid mirum ergo, si imminentem prope mortem potuit prævidere, cum hoc sit unde fallit, & se in Dei potestate vult adorari. Nam tantâ hebetudine demens effectus est Saul, ut ad Pythonissam confugeret. Depravatus enim, causa peccati, ad hæc se contulit, quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam, ut ea, quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit, recte faciet quidem, si tamen minime istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum, & intellectum Saul. Neque etiam reprobus factus, poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saul, & habitum Samuelis descripsit, ea, quæ dicta & visa sunt, exprimens: prætermittens si vera, an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, intellexit hunc, inquit, esse Samuel. Quia intellexit, retulit: & quia non bene intellexit, contra scripturam alium adoravit quam Dominum: & putans Samuelem, adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet. Satanas hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat Dominum solum esse adorandum: & quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ: *Cras mecum eris.* His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ providit improvidus Sathanas: quia & adorari se permisit sub habitu, & nomine Samuelis contra legem: vel virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum & justorum sit cum Samuele justissimo futurum mentitus est, verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur: quia Saul cum diabolo futurus erat: ad eum enim transmigravit, quem adoravit. Semper ergo diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit, quæ horreant personæ, per quas fallere nititur. Si autem aliquis mihi opponit, ac dicit: Quomodo eveniunt illa, quæ illi Divini & Prophetæ falsi prædicunt futura? aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis, ac potestatis non habent? Hoc à me recipiat responsum, quod ideo quisquam non debet eis credere, quia aliquando eveniunt, quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, aut lædere sanos: quia hoc permissu Dei fit, ut ipsi, qui hæc audiunt vel vident, probentur: & appareat, quali fide sint, & devotione erga Deum. Sicut in Deuteronomio (s) legitur Moyses verbo Domini populo Dei præcepisse ita dicens: *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & venerit, quod locutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis, non audies verba Prophetæ, aut somniatoris hujus, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non in toto corde, & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, mandata illius custodite, & audite vocem ejus: ipsi servietis, & adhærebitis &c.* Ubi sane intelligi voluit etiam illa, quæ à divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint, quæ dicuntur, non accipienda: vel etiam si fiant, quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur, quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse, quod ista contingunt: sed quasi quæreretur, cur ea permittit, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam utique eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum: cognoscendum vero ab ipsis potius, quam ab illo; qui scit omnia, antequam fiant. Sciendum vero est, hanc Dœmonum esse naturam, ut aërei corporis sensu, terrenorum corporum sensum facile præcedant. Celeritate etiam propter aërei corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quorumlibet hominum, vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincant: quibus duabus rebus,

(r) Apoc. II.

(s) Deut. XIII.

rebus, quantum ad aëreum corpus attinet; præditi, hoc eſt, acrimonia ſenſus, & celeritate motus, multo ante cogitata prænunciant vel nunciant, quæ homines pro ſenſus terreni tarditate, mirentur. Acceſſit etiam Dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam poteſt hominibus propter brevitatem vitæ provenire. Per has efficacias, quas aërei corporis natura ſortita eſt, non ſolum multa futura prædicunt Dæmones, verum etiam mira multa faciunt: qui, quoniam homines dicere, ac facere non poſſunt, eos quidam quibus ſerviant, & quibus divinos honores deferant, arbitrantur: inſtigante maxime vitio curioſitatis, propter amorem felicitatis falſæ, atque terrenæ, & excellentiæ temporalis. Qui autem ſe ab eis cupiditatibus mundant, nec eis ſe ferendos, rapiendosque permittunt, ſed inquirunt, & amant aliquid, quod eodem modo ſemper eſt, cujus participatione beati ſint, primum conſiderant, non ideo ſibi præponendos eſſe Dæmones, quod acriore ſenſu corporis prævalent, aëris ſcilicet, hoc eſt, ſubtilioris elementi: quia nec ipſis terrenis corporibus beſtias ſibi præponendas putant, quum acrius multa præſentiunt: veluti ſagacem canem, quia latentem feram olfactu acerrimo ita invenit, ut ad eam capiendam, ducatum quendam homini præbeat: non utique prudentiore intellectu animi, ſed acutiore corporis ſenſu: vel vulturem, quia projecto cadavere ex improviſa longinquitate advolat: nec aquila, quia ſublimiter volans, de tanto intervallo natantem ſub fluctibus piſcem dicitur providere: & graviter aquis illiſa, exertis pedibus, atque unguibus rapere: nec alia multa animantium genera, quæ inter herbas ſaluti ſuæ noxias, paſcendo circumerrant, nec (t) aliquis earum, quo lædantur, attingunt: cum eas homo vix experiendo didicerit: & multa innoxia, cum ſint inexperta, formidet. Unde conjicere facile eſt, quantum poſſit in aëris corporibus ſenſus eſſe acrior: nec ideo tamen, Dæmones, qui eo præditi ſunt, bonis hominibus præponendos prudens quiſque cenſuerit. Hoc & de corporum celeritate dixerim. Et hæc (u) enim præſtantia non ſolum à volucribus homines, verum à multis etiam quadrupedibus ita ſuperantur, ut in eorum comparatione plumbei reputandi ſint: nec tamen ideo ſibi hæc animantium genera exiſtimant præponenda: quibus capiendis, atque in ſuæ voluntatis uſum, commodumque redigendis, non vi corporis, ſed rationis imperitant. Illam vero tertiam Dæmonum potentiam, quod diurna rerum experientia, quemadmodum prænoſcant, atque prænuncient, multa didicerunt, ita contemnunt, qui hæc vigilanter curant à veriſſimæ lucis veritate diſcernere, ut nec malos ſenes plura expertos, & ob hoc quaſi doctiores ideo probi adoleſcentes ſibi antecellere exiſtiment: ut nec medicos, nec nautas, nec agricolas, quos pravæ voluntatis, & iniquis moribus viderint, ideo putent ſibi eſſe præferendos, quod illi de valetudinibus, illi de tempeſtatibus, illi de arbuſtorum, fructuumque generibus multa ita prænuntiant, ut harum rerum inexperto divinare videantur. Quod vero non ſolum quædam Dœmones futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipſa utique ſui corporis excellentia, cura non contemnatur à prudentibus? Cum plerique iniqui, ac perditi homines, ita exerceant corpora ſua, tantaque diverſis artibus poſſint, ut ii, qui hæc neſciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant. Quam multa funambuli, cæterique theatri artifices, quam multa opifices, maximeque mechanici, miranda fecerunt. Num ideo meliores ſunt bonis, & ſancta pietate præditis hominibus? Quæ ideo commemoravi, ut qui hæc ſine pervicacia, & ſine vana reſiſtendi animoſitate conſiderat, ſimul cogitet, ſi de ſubjacenti craſſiore materia, vel ſui quiſque corporis, vel terræ, & aquæ, lapidum, atque lignorum, metallorumque variorum tanta quidem homines poſſunt, ut eos illi, qui hæc non poſſunt, plerumque ſtupendo in ſui comparatione divinos vocent. Cum quidam illorum ſint artibus potentiores: quidam iſtorum moribus meliores, quanto meliora, & majora pro ſubtiliſſimo corporis, hoc eſt, aëris facultate, & facilitate Dæmones poſſint: cum tamen ſint pravitate voluntatis, maximeque ſuperbiæ faſtu, & inviden-

(t) *lege:* aliquid eorum.

(u) *forte:* hac præſtantia.

videntiæ malitia ſpiritus immundi, atque perverſi? Quantum autem valeat aëris elementum, quo eorum corpora prævalent, ad multa viſibilia inviſibiliter molienda, movenda, mutanda, atque verſanda, longum eſt nunc demonſtrare: & puto, quod vel mediocriter conſideranti facile occurrat. Quæ cum ita ſint, primum ſciendum eſt, quoniam de divinatione dœmonum quæſtio eſt, illos ea plerumque prænuntiare, quæ ipſi facturi ſunt. Accipiunt enim ſæpe poteſtatem & morbos immittere, & ipſum aërem vitiando morbidum reddere: & perverſis, atque amatoribus terrenorum commodorum, malefacta ſuadere: de quorum moribus certi ſunt, quod ſint eis talia ſuadentibus conſenſuri. Suadent autem miris, & inviſibilibus modis per illam ſubtilitatem corporum ſuorum, corpora hominum inſenſibiliter penetrando: & ſe cognationibus (*x*) eorum per quædam imaginaria viſa miſcendo, ſive vigilantium, ſive dormientium: Aliquando autem, non quæ ipſi faciunt, ſed quæ naturalibus ſignis futura prænoſcunt, quæ ſigna in hominum ſenſus venire non poſſunt, ante prædicunt. Neque enim, quia prævidet medicus, quod prævidere neſcit hujus artis ignarus, ideo jam divinus habendus eſt. Quid autem mirum, ſi quemadmodum ille in corporis humani vel perturbatâ, vel modificatâ temperie, ſeu bonas ſeu malas futuras prævidet valetudines, ſic dœmon in aëris affectione, atque ordinatione ſibi nota, nobis ignota, futuras prævidet tempeſtates? Aliquando & hominum diſpoſitiones, non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas: cum ſigna quædam ex animo exprimuntur, in corpore tota facilitate perdiſcunt: atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui iſta diſpoſita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi metus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinſecus agnoſcatur, quod intrinſecus agitur, ita non debet eſſe incredibile, ſi etiam leviores cognationes dant aliqua ſigna per corpus, quæ obtuſo ſenſu hominum cognoſci non poſſunt, aucto autem dœmonum poſſunt. Hac atque hujuſmodi facultate multa dœmones futura prænuntiant, cum tamen ab eis longe ſit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per ſanctos Angelos, & prophetas operatur. Nam ſi quid de illâ Dei diſpoſitione prænuntiant, audiunt, ut prænuntient, & cum ea prædicunt, quæ inde audiunt, non fallunt. Veraciſſima enim ſunt angelica, & prophetica oracula. Si autem indignanter accipitur, quod aliqua etiam talia dœmones audiant & prædicant, quaſi aliquid indignum ſit, ut quod ideo dicitur, ut hominibus innoteſcat, hoc non ſolum boni, verum etiam mali non taceant? Cum in ipſis hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videamus, pariter à juſtis, perverſiſque cantari: nec obeſſe aliquid, imo etiam prodeſſe ad majorem notitiam, famamque veritatis. Cum de illa etiam hi, quicquid noverunt, dicunt: quæ (*y*) ei perverſis moribus contradicunt. In cæteris autem ſuis prædicationibus dœmones plerumque & fallunt, & falluntur. Fallunt quidem, quia cum ſuas diſpoſitiones prænuntiant, ex improviſo deſuper aliquid jubetur, quod eorum conſilia cuncta perturbat: velut ſi aliquid diſponant quilibet homines quibuſque poteſtatibus ſubditi, quod non prohibituros ſuos præpoſitos arbitrentur, idque facturos ſe eſſe promittant, at illi penes quos major poteſtas eſt, & alio ſuperiore conſilio, hoc totum diſpoſitum, atque præparatum repente prohibeant. Falluntur etiam cum cauſis naturalibus, ſicut medici, & nautæ, & agricolæ; ſed longe acutius, longeque præſtantius pro aërei corporis ſenſu, ſollertiore exercitatione prænoſcunt: quia & hoc ab Angelis Deo ſummo pie ſervientibus, ex alia diſpoſitione ignota dœmonibus, ex improviſo, ac repente mutantur, tanquam ſi aliquid ægro extrinſecus accedat, quo moriatur, quem medicus veris ſalutis præcedentibus ſignis, victurum eſſe promiſerat: aut ſi aëris qualitate præviſa, diu flaturum illum ventum, nautarum aliqui prædixiſſent, cum Dominus Chriſtus cum diſcipulis navigans, ut quieſceret, (*z*) *imperavit*, *&* *facta eſt tranquilitas magna.* Vel ſi agricola illo anno fructificaturam vitem aliquam polliceatur, naturam utique terræ ex numero ſeminum callens: quo tamen anno eadem, vel improviſa cœli temperies arefaciat: vel aliqua juſſio potentior era-

(*x*) *forte* cogitationibus. (*y*) *forte* qui. (*z*) Matthæi IV.

eradicet: ita multa etiam ad præſcientiam, prædictionemque dœmon pertinentia, quæ minoribus, & uſitatioribus cauſis futura prævidentur, eadem majoribus, & occultioribus cauſis impedita mutantur. Fallunt autem etiam ſtudio fallendi, & invidâ voluntate, quia hominum errore lætantur. Sed ne apud cultores ſuos pondus authoritatis amittant, id agunt, ut interpretibus ſuis, ſignorumque ſuorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti. Nonnunquam vero ipſi maligni ſpiritus, & illuſores hominum, atque inviſores ſalutis eorum, ſolent prædicere defectum culturæ ſuæ, & idolorum ruinam: quatenus præſcii videantur, quid in ſingulis regnis, aut locis eventurum ſit: & quid adverſi ſuæ factioni contingere poſſit: quod etiam illi, qui gentilium hiſtorias legunt, non ignorant. Quid ergo mirum, ſi jam imminente templorum, & ſimulacrorum everſione, quam Prophetæ Dei ſummi, tanto ante prædixerant; Serapis dœmon alicui cultorum hoc de proximo prodidit, ut ſuam quaſi divinitatem recedens vel fugiens commendaret. Fugantur enim ipſi, vel etiam juſſis ſuperioribus colligati abſtrahuntur, & alienantur à locis ſuis, ut de rebus, in quibus colebantur, fiat voluntas Dei, qui hoc tanto ante per omnes gentes futurum eſſe prædixit: &, ut per fideles ſuos fieret, imperavit. Cur autem hoc non fineretur dœmon prædicere, cum ſibi jam præcnoſceret imminere? Cum hæc prædictio & in Prophetis atteſtaretur, à quibus ſunt iſta conſcripta, & prudentibus daret intelligi, quam vigilanter eſſet dœmonum cavenda fallacia, cultusque fugiendus: qui cum ante per tam longum temporis in templis ſuis hæc futura tacuiſſent, quæ per Prophetas prædicta ignorare non poſſent: poſtea quam appropinquare cœperunt, voluerunt ea, quaſi prædicare, ne ignari, victique putarentur. Cum igitur tam longe ante prædictum eſſet, atque conſcriptum, ut alia interim taceam, illud, quod Sophonias Propheta dicit: (a) *Prævalebit Dominus adverſus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ: & adorabunt eum unusquiſque de loco ſuo: Omnes Inſulæ gentium.* Aut non credebant iſta ſibi eventura, qui in gentium templis colebantur, & hæc ideo per ſuos vates ad Phanaticos frequentare noluerunt: aut cum ea ventura certiſſime ſcirent, ideo per ſua templa tacuerunt, ne jam tunc inciperent ab hominibus intelligentibus deſeri, atque contemni, quod de templorum, & ſimulacrorum ſuorum futura everſione eis à Prophetis atteſtarentur, qui eos coli prohibebant. Nunc vero poſtea quam tempus advenit, quo complerentur vaticinia Prophetarum Dei unius, qui iſtos falſos Deos interdicit, & ne colantur, vehementiſſime præcepit, cur non hoc etiam ipſi compertum prædicere finerentur, ut inde clarius appareret eos hæc antea vel minime credidiſſe, vel ſuis cultoribus enuntiare timuiſſe? In fine autem tanquam nihil amplius habentes, quod agerent, etiam ibi voluiſſe ſuam oſtentare Divinitatem, ubi jam produntur diu ſimulâſſe divinationem: tamen nec iſta ipſa, quæ ab eis vix raro, & clanculo proferuntur, movere nos debent, ſi cuiquam dœmoni exortum (b) eſt, id prodere cultoribus ſuis, quod didicerat ex eloquiis Prophetarum, vel ex oraculis Angelorum: quod cur non fieret, cum & iſta non ſit oppugnatio, ſed atteſtatio veritatis? illud enim, quod ſolum ab ipſis phanaticis flagitandum eſt, nec unquam antea protulerunt, nec unquam præterea niſi forte confictum, proferre conabuntur aliquid Deos ſuos per vates ſuos contra Deum Iſraël auſos fuiſſe prædicere: aut dicere de quo Deo doctiſſime eorum authores, quia omnia illa legere, & noſſe potuerunt, magis quæſiverunt, quis Deus eſſet, quam Deum negare potuerunt. Porro autem Deus iſte, quem nullus eorum negare auſus eſt verum Deum, quia, & ſi negaret, non ſolum ſubjaceret debitis pœnis, verum etiam certis evinceretur effectis. Iſte ergo Deus, quem nemo, ut dixi, illorum negare auſus eſt verum Deum, illos falſos eſſe Deos, & omnino deſerendos, eorumque templa, & ſimulacra, & ſacra evertenda, per ſuos vates, hoc eſt prophetas, aperta denuntiatione prædixit: apertâ poteſtate præcepit: apertâ veritate complevit. Unde quis eſt, qui uſque adeo deſipiat, ut non eum potius colendum eligat, quem coli non perhibent, quos

(a) Sopho. II, 11. (b) *forte* extortum.

quos colebat? Quem procul dubio cum colere cœperit, illos utique non eſt culturus, quos prohibet coli, quem colit. Quod autem ipſum eſſent culturæ gentes exterminatis Diis falſis, quos antea colebant, à Prophetis ejus eſſe prædictum, paulo ante commemoravi, & nunc repeto: (c) *Prævalebit*, inquit, *Dominus adverſus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ: & adorabunt eum unuſquiſque de loco ſuo, omnes Inſulæ gentium.* Neque enim ſolæ Inſulæ hic intelligendæ ſunt, ſed potius omnes gentes in his poſitæ adorant Deum. Nec mirum: quandoquidem alibi non inſulas nominat, ſed univerſum orbem terrarum (d) dicens: *Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ patriæ gentium. Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Hæc autem per Chriſtum fuiſſe complenda, & aliis pluribus teſtimoniis, & in eodem ipſo pſalmo, unde commemoravi, ſatis apparet. Cum autem paulo ſuperius futuram paſſionem ſuam per Prophetam ipſe loqueretur (e) dicens: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt, & conſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, paulo poſt infert, quod poſui: *Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ*, &c. Quanquam & illud teſtimonium, quod prius adhibui, ubi dictum eſt: *Prævalebit Dominus adverſus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ*, in eo, quod poſitum eſt, prævalebit, ſatis oſtenditur etiam hoc prænuntiatum, quod Pagani prius oppugnaturi eſſent Eccleſiam, nomenque Chriſtianum, quantum valerent, perſecuturi: ut ſi fieri poſſet, de terra omnino deleretur. Et quia eos patientia Martyrum, & magnitudine miraculorum, & conſequente fide populorum erat ſuperaturus, ideo ſicut dictum eſt, prævalebit Deus adverſus eos. Non enim diceretur, prævalebit adverſus eos, niſi oppugnando illi reſiſteret. Unde & in Pſalmo (f) ita prophetatum eſt: *Ut quid fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*, & paulo poſt dicitur: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* His atque hujuſmodi propheticis documentis prædictum oſtenditur, quod impleri videmus, per Chriſtum futurum fuiſſe, ut Deus Iſraël, quem unum verum Deum intelligimus, non in una ipſa gente, quæ appellata eſt Iſraël, ſed in omnibus gentibus coleretur: & omnes falſos Deos gentium & à templis eorum, & à cordibus cultorum ſuorum amoliretur. Eant nunc iſti, & adhuc contra Chriſtianam religionem, contra verum Dei cultum vanitates priſtinas defenſitare audeant, ut cum ſtrepitu pereant. Nam & hoc de illis prædictum eſt in Pſalmis, dicente Propheta: (g) *Sediſti ſuper thronum, qui judicas æquitatem. Increpâſti gentes, & periit impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi. Amici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum deſtruxiſti. Periit memoria eorum cum ſtrepitu: & Dominus in æternum permanet.* Neceſſe eſt ergo, ut impleantur hæc omnia, nec etiam illud, quod adhuc audent ipſi pauci, qui remanſerunt, vaniloquas ſuas oſtentare doctrinas, & Chriſtianos tanquam imperitiſſimos irridere, nos commovere debet, dum eis impleri ea, quæ prædicta ſunt, videamus. Ex quo enim fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, quando ab eis fundebatur ſanguis Sanctorum, & vaſtabatur Eccleſia uſque ad hoc tempus, & deinceps quotidie minuuntur. Nos autem adverſus eorum opprobria, & ſuperbas irriſiones fortiſſimos reddunt oracula Dei, quæ de hac quoque re videmus, & gaudemus impleri. Sic enim nos alloquitur per Prophetam: *Audite me, qui ſcitis judicium popule meus, in quorum corde lex mea. Opprobria hominum nolite metuere, & detractione eorum ne ſuperemini: nec quod vos ſpernant, magni duxeritis. Sicut enim veſtimentum, ita per tempus abſumuntur, & ſicut lana à tinea, comedentur. Juſti autem in ea in æternum manent.* Attendendum eſt ergo, atque omni ſtudio cavendum, ne noſtris

(c) Sophon. II. [d] Pſal. XXI. (e) Pſal. eod.
(f) Pſalm. II. [g] Pſalmo IX. nonnihil diverſum à vulgata.

ſtris temporibus, in quibus videmus Chriſtianam Religionem in toto orbe dilatatam, propter deſidiam magiſtrorum, & inertiam Doctorum, pauci illi, qui adhuc ſuperſunt, confundant ritum culturæ veri Dei, & dæmoniacis illuſionibus depravati, divinationes falſas in populo Dei agunt, ruſticos, & imperatos ſeducentes: ita ut deſertâ ipſa veritate, quæ *lux eſt mundi*, &, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* tenebrarum harum, quærant ſcientiam futurorum & à deceptoribus hominum quærant ſalutem animarum, ſive etiam corporum ſuorum. His enim prævaricationibus maxime irritatur Deus, & ad vindictam provocatur. Unde per Ezechielem (*h*) comminatur dicens: *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, quaſi vulpes in deſertis Prophetæ Iſraël erunt. Nunquid non viſionem caſſam vidiſtis, & divinationem mendaciorum locuti eſtis, & dicitis, ait Dominus, cum ego non ſim locutus? propterea hæc dicit Dominus Deus: quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium, ideo ecce ego ad vos ait Dominus Deus: & erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium, in concilio populi mei non erunt: & in Scriptura domus Iſraël non ſcribentur: nec in terram Iſraël ingredientur.* Ad Doctores autem, per eundem Prophetam increpans eorum inertiam, (*i*) loquitur dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* Et rurſum, *Væ*, inquit, *Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur à Paſtoribus. Lac comedebatis, & lanis eorum operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod fractum eſt, non alligaſtis: & quod abjectum, non reduxiſtis: quod perierat, non quæſiſtis. Sed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt.* Hinc & per Hieremiam dicitur: (*k*) *à minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur. A Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti locuti ſunt mendacium: & ſanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes, pax, cum non eſſet pax. Confuſi ſunt quia abominationem fecerunt.* Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego cibabo populum iſtum abſinthio, & potum dabo eis aquam fellis: & diſpergam eos in gentibus, quas non noverunt ipſi, neque patres eorum: & mittam poſt eos gladium, donec conſumantur. Qualiter ergo Deo omnipotenti Paſtorum negligentia & ſubditorum error diſpliceat, non ſolum prophetica teſtimonia oſtendunt, ſed etiam facta antiquorum declarant. Cum in libro (*l*) Regum legitur, quomodo malignus ſpiritus deceperit Achab Regem Iſrael per falſos Prophetas: ita ut credens eis, interierit: & quomodo (*m*) Ochozias Filius ægrotans, miſit nuntios ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, *utrum vivere, atque convaleſcere poſſit de infirmitate ſuâ?* ob quod Helias Propheta à Deo miſſus, increpabat eum dicens (*n*) *Quia miſiſti nuntios ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſraël, à quo poſſis interrogare ſermonem, ideo de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Mortuus eſt igitur ipſe juxta ſermonem Domini, quem locutus eſt Helias, & ſalutem, quam quærebat, non invenit. Quapropter curandum ſummopere eſt omnibus nobis, hoc eſt, prælatis, & ſubditis, majoribus, & minoribus, ſacerdotibus, & plebi, ne aliquem ſeducat per hujuſcemodi illuſionem fraus, dolus, & nequitia hoſtis antiqui, ita ut à mendacibus velimus diſcere veritatem: & à peſtiferis morbis, mortiſque authoribus quæramus infirmitatis noſtræ remedium. Sed magis ad Dominum vivum, & vivificatorem omnium confugiendo, devoto corde properemus per orationes ſacras, jejunia, & eleemoſynas illum deprecantes, ut ipſe propter benignitatem ſuam conſulat ſervis ſuis, eripiens nos de omnibus inimicis noſtris, doceatque nos facere voluntatem ſuam, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Spiritumque ſuum bonum in nobis tribuat, qui nos deducat in viam rectam, vivificetque nos in æquitate ſua, quatenus ejus magiſterio omni tempore vitæ noſtræ gratum ſer-

(*h*) Ezech. XIII. (*i*) Ibidem. (*k*) Jerem. VI, 13.
(*l*) III. Reg. XXII. (*m*) IV. Req. I. [*n*] Eodem loco.

ſervitium ei exhibentes, poſt hanc vitam per ejus gratiam mereamur beatitudinem poſſidere ſempiternam, Amen.

Ex editione Colonienſi anni 1532. typo Joannis Prael.

Obſerva Textum Scripturæ à Rhabano citatum, multis in locis differre à noſtra vulgata, ſed differentia grammaticæ, non ſenſûs.

CONCILIUM MOGUNTINUM.

CIRCA DCCCLX.

Colligitur ex ſequenti Epiſtola

NICOLAI PAPÆ

RESPONSORIA AD SYNODICAM è MOGUNTINO CONCILIO SCRIPTAM,

AD

CAROLUM ARCHI-EPISCOPUM MOGUNTINUM, EJUSDEM EPISCOPOS, SUFFRAGANEOS ET ABBATES.

SUMMARIUM.

I. *Nicolaus Papa laudat curam PP. Concilii Moguntini in communicandis Actis Sedi Apoſtolicæ.*

II. *Negat literas à S. Sede pro conjugio Abbonis rato ſcriptas fuiſſe.*

III. *Confirmat ſententiam Concilii conformem Decretis Papæ Gregorii II. & Zachariæ.*

IV. *Præcipit conjugium Abbonis irritum declarari, dein varia canonica Præcepta exponit, vel inſtaurat ex vetuſtioribus Canonibus.*

V. *Etſi enim jam ſcripſiſſet non eſſe ineunda conjugia cum conſanguineis uſque dum generatio memoria tenetur: addit ſe numerum generationum hac ſua Epiſtola nolle definire.*

VI. *Sacerdoti fornicanti honorem Sacerdotii auferendum.*

VII. *Crimine non manifeſto nec probato detur locus purgandi ſe juramento: eadem facultas ſit Diaconis accuſatis.*

VIII. *Fœminæ velatæ in crimen lapſæ & pœnitentiæ jugi ſubmittendæ.*

IX. *Parricidii & fratricidii pœnæ canonicæ.*
Tempus pœnitentiæ diſcretioni Epiſcoporum relinquitur.
Uti & an, & quibus lapſis conjugia concedenda?

X. *De Peccatis cum matre vel filia ſpirituali.*

XI. *An liceat marito adulterum interficere?*

XII. *De homicidio involuntario.*

XIII. *Viduæ ſemel velatæ obligatio perpetua.*

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO CONFRATRI NOSTRO CAROLO ARCHIEPISCOPO, (*a*) SALOMONI, (*b*) HILTIGRIMO, (*c*) THIODRICO, (*d*) GUNTONI, (*e*) GEBEHARDO, (*f*) ARN. (*g*) WITGARIO, (*h*) EGIBERTO, (*i*) REVERENTISSIMIS EPISCOPIS, ATQUE GRIMALTO, (*k*) EGILBERHTTO, (*l*) THIOTONI, (*m*) AMALI, (*n*) ADALGARIO, (*o*) RELIGIOSIS ET VENERABILIBUS ABBATIBUS.

Divinorum fulgentes dogmatum diffinitiones ſcientiæ ſacro ſedis noſtræ alvo procedunt, ſemperque deſcendunt, quia rectitudinis & æquitatis ſpecies gignere novit & inſtituta dilectionis diſponere adminiſtrare. Pacis enim ac juſtitiæ amatrix cognoſcitur & benignitatis amica. Cujus conſuetudine fulti atque induſtria, veſtræ beatitudini apices deſtinavimus, rectitudinis fundentes dulcedinem, & probabili ſanctione ornatos, cum ABBONIS cauſam, de quo fertis veſtra præſentia Epiſcoporum ſubtili inquiſitione examinare decrevimus, ut de ea certitudinis per nos maluiſſemus ſcire cognitionem. In Salomonem quippe Epiſcopum nec criminis neque facinoris ſententiam certe protulimus, niſi ut commiſſam ſibi à Domino plebem, ſicut audieramus, non conſtringeret juramentis. Epiſtola vero, quam nobis quaſi à nobis miſſam, GRIMOLDUS obtulit Abbas, numquam noſtro eſt ſcrinio ſcripta, neque à nobis edita, neque à noſtra ſede directa, ſed omnimodis falſitatis argumento plena, & mendacii conſtructa demonſtratur tenore. En quia *Abbonis* jam dicti cauſam atque intentionem ſecundum noſtræ inſtitutionis deliberationem, *Synodali examinatione* inquirere ſtuduiſtis, nobiſque geſtis rei veritatem ſignificaſtis, ingentes veſtræ agimus beatitudini grates, & quia tantæ claritatis erga ſedem polorum clavigeri habetis devotionem, ovantes veſtram ſpiritualibus ulnis amplectimur almitatem. Et quia ipſi Abboni veridicis, ut fertis, teſtibus *in veſtro Concilio* comprobatum eſt, quod *contra ſacrorum Canonum ſanctiones* uxorem accipere præſumpſiſſet, *in quarta etiam generatione* ſibi copulaſſet, ſancimus & Apoſtolica promulgatione decernimus, hujus infauſti conjugii omnimodis copula diſſolvatur, quia propriæ conſanguinitatis & cognationis demonſtratur atque cognoſcitur eſſe. Et hoc vobis interrogantibus ſtatuimus, ut nulli liceat Chriſtiano de propria conſanguinitate ſive cognatione uxorem accipere, uſque dum generatio recondatur, cognoſcitur, aut memoria retinetur. Lætamur autem veſtramque laudamus induſtriæ obſervantiam, quia in hac re beatiſſimorum antececeſſorum noſtrorum GREGORII (*p*) & (*q*) ZACHARIÆ Pontificum hactenus in veſtris Parochiis, ut veſtris protuliſtis in litteris, obſervando tenetis (decreta.) Dixiſtis enim in quota generatione ſibi fideles jungantur. Nos autem generationum in hac re numerum non definimus, ſed ut ſupra retulimus, incunctantur obſervare monemus. Sacerdotes vero, ſi in fornicationis ceciderint laqueum & criminis, & manifeſtus ſive oſtenſus fuerit actus, ſacerdotii non poſſunt habere honorem, ſecundum Canonicæ inſtitutionis auctoritatem. Sacerdotes illi qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint, quid aliud agendum eſt, niſi quod in NEOCÆSARIENSIS (*r*) SANCTI CONCILII CAPITULO legitur ac demonſtratur? Tamen ſi ipſi juramento

(*a*) Moguntino. (*b*) Conſtantienſi. (*c*) Halberſtadenſi.
(*d*) Mindenſi. (*e*) Wormatienſi. (*f*) Spirenſi.
(*g*) Wirceburgenſi Arnoni, *non Arnulfo Tullenſi, ut Martene conjiciebat.*
(*h*) Auguſtano. (*i*) Oſnabrugenſi Epiſcopis.
Ita Eckhartus explicat Tomo II. Hiſtoriæ Franciæ pag. 473.
(*k*) S. Galli. (*l*) Laureshamenſis Cœnobii. (*m*) Fuldenſis.
(*n*) Amalo vel Amale Campidonenſis. (*o*) Corbeienſis Abbatibus.
(*p*) Tomo primo pag. 36. Capitulari ſexto Gregorii PP.
(*q*) Tomo I. Zachariæ Papæ Capitula XX. XXI. XXII. XXV. XXVI. XXVII. pag. 81. 82.
(*r*) Tomo I. pag. 150. C. I. II. III. Concil. Neocæſarienſ.

mento se voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter autem & Diaconi si fuerint accusati, peragant. Fœminæ scilicet, quæ sacro sunt velamine consecratæ, si fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præsumant, sed pœnitentiæ jugo submissæ, summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ & remissionis valeant gratiam pervenire. De patricidis & fratricidis præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo vero anni circulo introducantur Ecclesiam, tamen inter *audientes*, usque dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad Missarum solemnia vel ad alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspiciuntur, Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI participes fiant, ut desperantiæ non indurenrur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque Dominicis. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos, & ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ, in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversionem illorum aut extendere vel minuere valeatis. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur; si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur. Si quis cum duabus fuerit fornicatus, aut cum personis de quibus Sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & tamen non maluerit continentiam sustinere, liceat legitimam conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier, quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis ad chaos non perducatur, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus. Si quisquam cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis crimen perpetraverit; legitimam autem si habuerit, non dimittat uxorem. Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ac divinum, non occidit sed vivificat. De his, qui non sponte homicidium commiserunt, in vigesimo secundo capitulo (*s*) Ancyrani Concilii, qualiter agere debeant, definitum habetis. Homicidæ post unius anni spatium liceat Ecclesiam intrare. Vidua quidem, quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter ceteras velatas feminas in Ecclesia oraverit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens numquam religionis deponere velamen, religionis observantia discedere non præsumat. Optamus sanctionem vestram in Christo bene valere.

Martene & Durand. veterum Script. & Monumentorum amplissima Collectio. Tom. I. pag. 149. 150. *Ex quo Eckhartus, Coletus & Mansi in Supplement.*

Concilium hoc Moguntiæ à Carolo celebratum fuisse circa 859. vel 860. recte statuit Eckhartus & alii ex hac Epistola, quæ est Responsoria Papæ scripta ad Synodicam ex Moguntino Concilio Romam directa.

Actum fuit in hoc Concilio utrum conjugium Abonis cum uxore quarto gradu consanguinea legitimum fuerit? Concilium negat dissentientibus, ut apparet, Salomone, & Grimoldo S. Galli Abbate, qui etiam *fictitias literas* Pontificias protulit Concilio, pro valore hujus Matrimonii astruendo.

(*s*) Tomo I. nostro pag. 148.

CONCILIUM AQUENSE.

V. IDUS JANUARII.

Anno Chrifti DCCCLX. Nicolai Papæ II. Ludovici Germaniæ Regis XX.

SUMMARIUM. Accufatio Tetbergæ Reginæ, apud Hlotharium Regem. Rex accufationem Epifcopis examinandam defert. Epifcopi auditam Reginam, & confitentem ad pœnitentiam, & velum damnant: nec Rex ultra ad eam accedat.

CAPUT I.

POftquam Dominus nofter Hlotharius Sereniffimus ac Gloriofiffimus Rex Tetbergam cum confenfu & voluntate fidelium fuorum ad conjugium more regali fibi fociavit, (*a*) & difcordiarum querelæ inter eos cœperunt exoriri: dictum eft ei Principi à quibufdam, quomodo memorata Tetberga fcelus quoddam horribile ac nefas patratum, vulnus occultum in animo five in corpore haberet, & in quo Deum graviter offenfum haberet. Pro quo etiam illi non effet digna, neque liceret vel eum deceret ad conjugium eam amplius habere.

CAP. II. Ex opinione vero præmiffa, quæ de illa per ora quorundam volitabat, præfatus Rex in confpectu fidelium fuorum fecreto ac manifefto frequenter conlocutus fuit, & cum eis rationes habuit; unde judicium poftea per ipforum confilium extitit factum, fed non divina pietas indulgens rei veritatem manifeftare voluit. Sed cum poftmodum ad fratrem fuum Hludovicum Imperatorem in Italiam deveniffet, illuc apertius patratum fcelus eft illi manifeftatum.

CAP. III. Proinde ne fufpicio ifta & nequiffima fama de uxore regia diutius inexaminata aut improbata maneret; quatenus idem Dominus nofter certior, fecuriorque effectus de hac caufa, cum, quæ illi agenda erant, more regali liberius exequeretur; convenerunt juffu ejufdem Principis, anno videlicet Incarnationis Dominicæ DCCCLX, & Regni ejus V. Indict. VIII. V. Idus Januarii. Aquis Palatio, Guntharius fummus Capellanus, & Teotgaudus Archiepifcopi, Adventius & Franco Epifcopi, Hegil & Odelingus Abbates, five alii fideles ejus: quibus omnia fuperius inferta referens, jubendo monuit præfcriptos Epifcopos atque Abbates, dirigens ad illam, ut de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, ficut & fecerunt. Nam ipfa confeffa eft eis coram Deo & Angelis ejus, omnia quæque in illa erant, omnéque fecretum juxta exortam famam penitus aperuit illis, ipfique reverfi nuntiaverunt prædicto Regi, quod ad uxorem non liceret illi eam habere.

CAP. IV. Primus Guntharius dixit: Confeffa eft Deo & nobis, quod vulnus in fe haberet interius, non tamen fua fponte, fed violenter fibi inlatum, pro quo indignam fe effe omnino judicavit, ad regalem five maritalem thorum jam ulterius accedere, & nullatenus poffet pro prædicto fcelere, quod turpe eft dicere conjugium famulare cum eo, vel cum quolibet amplius habere, & ideo deprecata eft licentiam fibi dari mutandi fæcularem habitum, & à virili commixtione difcedendi, nulla interveniente fraude iracundiæ etiam vel voluntate, quam contra eundem Regem haberet, fed ab illa

(*a*) Anno 856. Lotharius Tetbergam Reginam fibi in Matrimonium junxit. *Annales Metenfes Regino.*
In prima accufatione Tetberga negavit fe hujus criminis ream, & oblata probatione aquæ ferventis, Regina eam acceptavit, & fubftituit loco fui hominem, qui cæremoniis ipfius fæculi omnibus adhibitis manum illæfam ex aqua fervente extraxit, adeoque innocentiam Tetbergæ ab impacta calumnia probavit: idem judicium Hincmari pag. 350. *in dicto opufculo de Divortio.*

illa discedente, ipse animo & corpore solaretur, & ipsa, quod inique egit per Dei misericordiam & eorundem Episcoporum orationes deflere potuisset.

CAP. V. Adventius dixit. Hoc me facinus & factum hactenus latuit, & nefas est illud, ut deinceps more maris & fœminæ simul conveniatis: & si tamen, ut prius fuit, vobis esset amabilis & dilecta, darem vobis consilium secundum ministerium mihi commissum, & probarem omnino, ne ulterius lateri vestro sociaretur sicuti conjunx: sed juxta petitionem ejus velum accipere, & habitum mutare, hoc permitteretis.

CAP. VI. Similiter Teotgaudus Archi-Episcopus dixit atque consensit.

CAP. VII. Egil Abba vice ejusdem Tetbergæ ita faciendum suasit & petiit, ut, quia non sua sponte, sed vi oppressa rem nefandam perpetraverat, tribueretur ei facultas velandi, & locus, quo patratum vulnus sanaret: quod vero simpliciter & nullo incumbente timore aut qualibet occasione vel voluntate, sed pro Dei amore, & animæ suæ solutione petebat.

Hincmarus Opusculo de Divortio Hlotharii & Tetbergæ pag. 312. *addens* hunc libellum VII. Capitulorum de Concilio Aquisgranensi adeo absurdum, & vero dissimilem sibi videri; ut credi non debeat à præfatis confectus Episcopis. 2do in initio hujus opusculi judicat causas nuptiales Excellentissimorum Regum ad Apostolicam Sedem dijudicandas transmitti debere pag. 294. edit Parisinæ anni 1615.

CONCILIUM AQUISGRANENSE

MEDIANTE FEBRUARIO.

SUMMARIUM. Episcopi iterato examine & confessione Tetbergæ eam publicæ pœnitentiæ subjiciunt ob criminis atrocitatem.

ANno ab Incarnatione Domini DCCCLX. Indictione VIII. mediante Februario mense, decernentibus Gloriosis Regibus Hludovico, Carolo atque Hlothario juniore in generali Conventu Optimatum ex regno almi Hlotharii actum est Concilium Episcoporum Aquisgrani Palatio, Guntharii Agrippinensis, Teotgaudi Treverensis, Wenilonis Rotomagensis, Franconis Tungrensis, Hattonis Viridunensis, Hildegarii Meldensis, Halduini Aviniensis.

CAP. XV. Ad locum de fœmina, unde agitur, ita scriptum reperimus. Porro illa nulla securitate hoc celandi aut superandi fulta primo Regi ordinem perpetrati reatûs, ut fama fuerat, enarravit. Deinde quibusdam Episcoporum simul & Laicorum idipsum enucleavit. Postea quoque cartulam suæ confessionis suo rogatu conscriptam, in nostra omnium & multorum laicorum præsentia in manu Gloriosi Regis Hlotharii porrexit, moxque coram omnibus palam locuta: Domine mi Rex (inquit,) propter Deum rogo, & propter vestram mercedem, ut mihi pœnitentiam agere liceat; quoniam & verbis & scripto confiteor me conjugalem copulam non mereri, ideoque prostrata suppliciter expostulo, ut mihi jam nunc, & deinceps non denegetis, quod meæ saluti posthac succurrere potest.

Textus itaque illius Scripturæ hæc verba & hunc sensum continebat.

Ego Thietbrihc, quam fœminei sexus imprudentia & fragilitas fefellit humana, & conscientia delicti mordet, propter spem salutis animæ meæ & propter fidelitatem erga seniorem meum veram confessionem côram Deo & Angelis ejus ac Venerabilibus Episcopis, seu nobilibus Laicis, sic profiteor, quia germanus meus Hucbertus Clericus me adolescentulam corrupit, & in meo corpore contra naturalem usum fornicationem exercuit, & perpetravit. Hoc testificor, teste mihi conscientia mea, non aliqua malevola suggestione persuasa, neque violenti necessitate compulsa, sed simplici voluntatem rei veritatem (sicut erat) professa. Sic me adjuvet Dominus, qui peccatores salvare venit, & peccata simpliciter ac veraciter confitentibus veram indulgentiam promisit. Si nihil fingo, si vera pro-

propria voce prænuntio, & literarum Chirographo rem geſtam confirmo. Quia tolerabilius eſt mihi imprudenti ac deceptæ fœminœ coram hominibus culpam ſimpliciter confiteri; quam ante tribunal domini erubeſcere atque æternum Væ habere.

CAP. XVI. Hoc itaque recitato aſtantium animos horror pariter ac dolor perculit, ac de tanta licentia diabolicæ fraudis Sacerdotum pectora gemitus complevit. Sed quamvis iſta ejus confeſſio credibilis appareret, tamen ne forte pro aliqua deceptione aut pro timore alicujus ſæpedicta mulier mentiretur, denuo memoratum Regem alloquentes magnis eum obteſtationibus obſtrinximus, ut nobis confiteretur, ſi eam ſuaſione aut comminatione ad ſeipſam fallaciter criminandum compuliſſet.

Econtra ipſe cum maximis atteſtationibus nobis declaravit, ſolam rei veritatem illam confiteri ſe perſuaſiſſe, nec in ea cauſa induſtrioſe aliquid amplius egiſſe.

Referebat etiam nobis in ipſa hora, quomodo, poſtquam primum infandam rem audivit, & veram credidit, quantum inde doluit? quantumque ſibi inopinatum malum & minime optata ſors diſplicuit. Qualiter denique rem fœdam patienter ferre & niſi jam tantum fama cucurriſſet, occultare voluit, & quantum potuit, fecit. Unde & falſum judicium ſe ſciente pro verifica examinatione ſuſcepit, & toleravit, ut ſi fieri poſſet, tanta turpitudo incredibilis appareret, & ſic in mundo evaneſceret, ipſeq; coram ſæculo in tam ignominioſa macula & ruinoſa offenſione non remaneret. Poſtquam autem revelata peſtis latere non potuit, ac ipſe pondus tanti opprobrii ferre nequivit; maxime cum partibus Burgundiæ atque Italiæ diſcurrens nimis diffamatam ac divulgatam fœditatem exhorruit; non eſt paſſus hanc cauſam ſine Epiſcoporum examine diutius ſubſilere.

Revera lacrymoſis ſuſpiriis multipliciter id ſibi de memorata fœmina inculcatum, & in hoc etiam regno à plurimis affirmatum non ſine gemitu repetebat.

CAP. XVII. Nos igitur rurſus eandem mulierem primum ſecreto deinde coram laicis adivimus, eamque cum adjuratione divina monitis pluribus exhortati ſumus, ne ſibi ullo modo falſum crimen inferret: æternarum quoque pœnarum minis, ſi hoc faceret, deterrere curavimus: iterumque de noſtro conſilio & auxilio tuitione ac defenſione contra omnes inſidias vel violentias ſecuram reddidimus, tantum ut nobis jam tunc fiducialiter confiteretur, utrum perſuaſa an compulſa ad ſeipſam criminandam fuiſſet. Ad hæc illa aſpero intuitu nos redarguens: putatis (inquit) ut meipſam pro aliqua re in mundo ita perdere voluiſſem? Sicut enim confeſſa fui, ſic confiteor, & ſic confitebor. Tantum obſecro propter Dei amorem, ut meis precibus deſideratam miſericordiam jam modo concedatis. Hinc noſtra ſollicitudo requiſivit, an ipſa ulterius inde aliquam vellet querimoniam movere, aut aliquas aliquando inſidias moliri, ſi ſuæ petitioni fieret ſatisfactum: cujus obligationem & noſtra illico unanimitas ita perſecuta eſt. Scias O filia, quia ſi noſtram in Te tuamque confeſſionem ſententiam expectabis, ut te divinæ & canonicæ comprehendat autoritatis cenſura, & indiſſolubilis incipiat ligare Sacerdotum catena: unde adhuc potes recuperare, ſi tamen potes, ulterius (ut æſtimamus) no recuperabis. Sic & laici plurimum eam admonuerunt, maxime ipſius familiares & amici, admodum illam, ne ſe deciperet, pulſando increpabant. Ipſa tamen, veluti ſi ejus conſcientiæ ſecretum intuentium oculis viſibiliter appareret, immobilis in ſua confeſſione perduravit.

CAP. XVIII. Quid longius immoremur? jam omni dubietate remota, & rei veritate comperta novum auditu ſcelus, infandaque pollutione horrendum, præſertim cujus fœtorem jam diu per innumeros longe lateque fama diſperſerat, ne præſentibus ac futuris peſtiferam corruptionem inferat, niſi ſeverius, diligentiusque evellatur, nulla levi cura vel indulgentia tractandum viſum eſt.

Non enim dubium eſt, quia naturalis inter fratrem & ſororem concubitus veniam temporalis non meretur honoris, & nihil aliud reſtat, quam vindicta & pœnitentia, nec habet ulterius progrediendi occaſionem damnabile crimen, quod ſtatim à prævaricatoribus multa, quæ fuerant licita, penitus amputat. Ideoque hoc

hoc eo rarius à Sæculo contigit, quo constat, quia nullus inde exemplum sibi præsumpsit, quod nunquam veniale apud mundi gloriam esse potuit. Sed cum quilibet aliquotiens in hanc miseriam lapsi sunt, non de exemplo alterius accidit, sed de antiqua Diaboli fraude & simili fragilitatis impulsu ac præcipitio recens, & quasi nova ruina fuit. Istud autem contagionis genus, quod nunc incipit esse novum, & antea nobis erat inauditum, cavendum est, ne morbosam pestem & incurabilem luem generi transmittat humano, ut ita videlicet origo perniciosa funditus extirpetur, quo nullum exemplum, nullamque fragilibus relinquat occasionem, ne forte (quod absit) talis consuetudo innotescat, qua naturalem consanguinitatis concubitum quis devitet, & fornicari contra naturam in proprio genere, leve hoc æstimans malum, licentius assuescat.

CAP. XIX. His ergo consideratis & diligenter perspectis lugendam incesti pollutionem in publicum exhalatam, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandam decrevimus.

Hincmarus de Divortio Hlotharii & Thetbergæ à pag. 312. ad 315.

Ubi & hoc Conciliabulum improbat, & varia in eo contra Canones peccata recenset.

Theutgaudus Trevirensis & Hatto Virdunensis ab his Aquensis Concilii Antistitibus Romam ablegati fuere: prætexentes apud Pontificem publicum scelus publica pœnitentia expiandum visum fuisse.

CONVENTUS CONFLUENTIÆ
NONIS JUNII.
ARBITRIUM EPISCOPORUM ET COMITUM, DE *COMMUNI REGNO DIVIDUNDO,*
INTER LUDOVICUM II. IMPERATOREM, LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ ET BAJOARIÆ, CAROLUM CALVUM REGEM FRANCIÆ OCCIDENTALIS, HLOTHARIUM REGEM LOTHARINGIÆ, ET CAROLUM REGEM BURGUNDIÆ ET PROVINCIÆ.

Adnuntiatio Domini Karoli.

VOs scitis, quomodo aliquanti homines minus, quam necesse fuerat, Deum timentes, nostrum fratrem Hludowicum quasi sub bona intentione hoc anno sollicitaverunt, ut in regnum nostrum taliter veniret, sicut ipsi scitis. Unde nos Deus, & vestra fidelitas sic adjuvavit, sicut & bene cognoscitis. Post hoc laboravit, adjuvante Domino, iste carissimus nepos noster, ut inter nos pax fieret, sicut per rectum esse debet, & ut monentibus Episcopis ad illam caritatem, & fraternam concordiam rediret, sine qua nullus Christianus salvus esse non potest. Propterea transmisit ad nos suos missos, & mandavit nobis primo tale missaticum, quod nobis impossibile visum fuit. Deinde quia illud missaticum non suscepimus, aliud missaticum nobis sui Missi dixerunt. Quod quia & secundum Deum salubre, & secundum seculum utile nobis videtur, volumus vobis illud dicere. Et si vobis ita, sicut & nobis videtur, cum vestro consilio volumus illud recipere, & quod Deus concesserit, ad necessarium effectum perducere.

Hæc sunt NOMINA EPISCOPORUM, qui anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. Non. Juniis in Secretario Basilicæ Sancti Castoris consideraverunt cum nobilibus, ac fidelibus Laicis firmitatem, quam Gloriosi Reges nostri Hludowicus, & Karolus, atque

atque Hlotharius inter ſe fecerunt VII. Idus Junias in eodem Monaſterio, & qui hæc Capitula ab omnibus conſervanda acceptaverunt:

Hincmarus, (a) *Guntharius*, *Altfridus*, *Salomon*, *Adventius*, *Hatto*, *Franco*, *Teudericus*, *Leutbertus*, *Gebehardus*, *Chriſtianus*, *Vulfadus Abbas*, *Witgarius Abbas*.

HÆC NOMINA LAICORUM.

Chounradus, (b) *Eurardus*, *Adalardus*, *Arnulfus*, *Warnarius*, *Liutfridus*, *Hruodulfus*, *Erkingarius*, *Gislebertus*, *Ratbodus*, *Arnulfus*, *Hugo*, *item Huonradus*, *Liutharius*, *Beringarius*, *Matfridus*, *Boſo*, *Sigeri*, *Hartmannus*, *Liuthardus*, *Richuinus*, *Wigricus*, *Hunfridus*, *Bernoldus*, *Hatto*, *Adalbertus*, *Burchardus*, *Chriſtianus*, *Leutulfus*, *Heſſi*, *Herimannus*, *item Hruodulfus*, *Sigehardus*.

SACRAMENTUM FIRMITATIS HLUDOWICI REGIS.

Amodo, & quamdiu vixero, iſtum fratrem meum Karolum, & nepotes meos Hludowicum, Hlotharium, atque Karolum, ad Dei voluntatem & Sanctæ ejus Eccleſiæ ſtatum, & honorem, atque defenſionem, & ad noſtram communem ſalutem, & honorem, & ad populi Chriſtiani nobis commiſſi ſalvamentum, & pacem, & ad legis, & juſtitiæ, atque rectæ rationis conſervationem, quantum mihi ſcire, & poſſe Deus donaverit, & ipſi me obaudierint, & à me ipſi quæſierint, vero conſilio, & ſecundum quod mihi rationabiliter, & ſalubriter poſſibile fuerit, ſincero auxilio adjutor ero ad regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos forconſiliabo. In hoc ut ipſi erga me ſimilem promiſſionem faciant, & conſervent. Sic me Deus adjuvet, & iſtæ Sanctæ Reliquiæ.

CAPI_

(*a*) Hincmarus, Archi-Epiſcopus Remenſis. Guntharius, Archi-Epiſcopus Colonienſis. Altfridus, Epiſcop. Hildenesheimenſis. Salomon Conſtantienſis. Adventius Metenſis. Hatto Virdunenſis. Franco Tungrenſis. Teudericus Mindenſis. Leutbertus Monaſterienſis. Gebehardus Spirenſis. Chriſtianus Autiſſiodorenſis. Vulfadus, Abbas Monaſteriorum S. Medardi Sueſſionenſis & Resbacenſis. Witgarius, Abbas Abbatiæ inferioris, alias communiter Otgarius dictus.

Principum Laicorum nomina & officia juxta Eckhartum.

(*b*) *Chounradus*, frater Judithæ Auguſtæ, & avunculus Caroli Calvi. *Eurardus*, Comes in Diœceſi Tornacenſi, & Dominus Ciſonii, ſororis Caroli Regis maritus. *Adalardus*, avunculus Ermentrudis uxoris Caroli Regis, ejusque Comes Palatii. *Arnuſtus* vel *Erneſtus*, Dux Bajoariorum, Ludovico Regi cariſſimus. *Warnarius*, Comes ex Primoribus Francorum. *Liutfridus*, Comes propinquus, & affinis Gerhardi Comitis Viennenſis, frater Ermengardis, & ideo avunculus Lotharii Regis junioris. *Hrodulfus*, frater Judithæ Auguſtæ, & ideo avunculus Caroli Calvi. *Erkingarius*, Comes in Alamannia, Pater conjugis prioris Caroli Craſſi Imperatoris. *Gislebertus*, Comes Manſuariorum, maritus Ermengardis, Hlothario Imperatore natæ. *Ratboldus*, Comes. *Arnulfus*, Comes ad Moſam in placito Viennenſi anni 858. memoratus. *Hugo*, Comes. *Chuonradus*, Comes. *Liutharius*, Comes in Saxonia anno 880. à Danis cæſus, Comitum Stadenſium ſator. *Beringarius*, Comes in Orientali Francia. *Matfridus*, Comes Ripuariorum. *Boſo*, Comes Bivini Comitis in Arduenna filius, & poſtea Rex Provinciæ factus. *Sigeri*, Comes. *Hartmannus*, Comes. *Liuthardus*, Comes, Gerardi Comitis Viennenſis vulgo Ruſſilionenſis Pater. *Richuinus*, Comes in Alſatia. *Wigricus*, Comes in Tractu Viennenſi. *Hunfridus*, Marchio Gothiæ. *Bernoldus*, Comes. *Hatto*, Comes Moguntinus. *Adalbertus*, Comes in Bajoaria. *Burchardus*, *Chriſtianus*, Comites. *Leutulfus*, Dux Saxoniæ. *Hruodulfus*, Comes & Abbas S. Richarii Centulenſis. *Sigehardus*, Comes, vir illuſtris & clariſſimus in traditionibus Fuldenſibus apud Piſtorium appellatus. Hactenus *Eckhartus Tom. II. Franciæ pag.* 476. 477.

CAPITULA AB OMNIBUS CONSERVANDA.

CAPUT I.

UT omnium præteritorum malorum, & contrarietatum, & fupplantationum, ac malarum machinationum; atque molitionum, feu nocumentorum invicem actorum abolitio ita inter nos, & apud nos fiat, & à noftris cordibus penitus avellatur cum omni malitia, & rancore, ut nec in memoriam ad retribuendum duntaxat mali, vel contrarietatis, atque exprobrationis, feu improperii de cætero exinde quiddam veniat.

II. Ut tanta inter nos Domino cooperante veræ caritatis benignitas, abhinc in ante femper maneat de corde puro, & confcientia bona, & fide non ficta, fine dolo & fimulatione, ut nemo fuo pari fuum regnum, aut fuos fideles, vel quod ad falutem five profperitatem, ac honorem regium pertinet, difcupiat, aut forconfiliet, ut per occultos fufurrones libenter compofita mendacia feu detractiones acceptet.

III. Ut unusquifque fideliter fuum parem, ubicunque neceffitas illi fuerit, & ipfe potuerit, aut per fe, aut per filium, aut per fideles fuos, & confilio, & auxilio adjuvet, ut regnum, fideles, profperitatem, atque honorem regium debitè valeat obtinere. Et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonftret, quia in paris fui adverfitate, fi evenerit, fraterno modo contriftetur, & in profperitate illius lætetur. Et talem fidem ficut inter nos modo abhinc in ante confervaturos, confirmatum habemus, fic unusquifque infantibus fratris fui, fi obierit, ille, qui fuperfuerit, confervabit.

IV. Et quia per vagos, & tyrannica confuetudine inreverentes homines pax, & tranquillitas regni perturbari folet, volumus, ut ad quemcunque noftrûm talis venerit, ut de his, quæ egit, rationem, & juftitiam fubterfugere poffit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, nifi ut ad rectam rationem, & debitam emendationem perducatur. Et fi rationem rectam fubterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum perfequantur, donec ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

V. Similiter & de eo agendum eft, qui pro aliquo capitali, & publico crimine à quolibet Epifcopo corripitur vel excommunicatur, aut de excommunicatione crimen faciens, Regnum, & Regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam fufcipiat, aut fufceptam legitime peragat. Interdum etiam inceftam propinquam fuam, aut fanctimonialem vel raptam, five adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens fecum ducit. Hic talis, cum Epifcopus, ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicujus noftrûm inveniat, & Dei, ac noftros fideles fuo morbo inficiat; fed à nobis, & miniftris reipublicæ conftringatur, & ut fimul cum diabolicâ prædâ, quam fecum duxit, ad Epifcopum fuum redeat, & de quocunque crimine publico pœnitentiam debitam fufcipiat, aut fufceptam legitime peragat, compellatur.

VI. Ut nemo Epifcoporum hominem peccantem ab Ecclefia, & Chriftiana communione alienet, donec illum fecundum Evangelicum præceptum, ut ad emendationem, & pœnitentiam redeat, communionem habeat. Qui peccans, fi commonitus inobediens, & incorrigibilis permanferit, & ad emendationem redire noluerit, regiam, vel reipublicæ poteftatem per fe Epifcopus, vel per miniftros fuos adeat, ut conftringatur, & ad emendationem & pœnitentiam peccator redeat. Qui, etiam fi ita ad emendationem perduci nequiverit, tunc fecundum leges Ecclefiafticas medicinali feparatione à communione Ecclefiafticâ fegregetur.

VII. Ut illis hominibus, qui in talibus perturbationibus, ficut in his præteritis annis acciderunt, in Deum, & in fanctam Ecclefiam, atque in nos peccaverunt, fi fe ex veritate recognofcentes petierint, & deinceps nobis veraciter fideles effe voluerint, & in regnis noftris pacifici, & quieti, & legibus, ac juftitiæ obedientes extiterint, rationabilis mifericordia impendatur, non folum in indulgentia commifforum, & in conceffione proprietatum, verum etiam & in

in largitione honorum ſecundum noſtram rationabilem poſſibilitatem.

VIII. Ut de rapinis, & deprædationibus, & de conſpirationibus, atque ſeditionibus, & de raptis fœminarum ſicut Eccleſiaſticæ, & Chriſtianæ leges progenitorum noſtrorum capitula continent, ita ab omnibus, & in omnibus conſerventur.

IX. Ut alia etiam Capitula eorundem Progenitorum noſtrorum de ſanctæ Eccleſiæ honore, & immunitate, ac conſervatione, & de regio etiam honore, atque vigore, & populi nobis commiſſi lege, & juſtitiâ in omnibus, & ab omnibus conſerventur.

X. Ut noſtri fideles, unusquiſque in ſuo ordine, & ſtatu, veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc in antea contra legem, & juſtitiam, vel autoritatem, & juſtam rationem aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus vel indebitis machinationibus adfligemus; & illorum ſcilicet veraciter nobis fidelium communi conſilio, ſecundum Dei voluntatem, & commune ſalvamentum, ad reſtitutionem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ſtatum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi nobis commiſſi pertinenti adſenſum præbebimus, in hoc, ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes, ad iſta exequenda, verum etiam ſic ſint nobis fideles, & obedientes, ac veri adjutores, atque cooperatores vero conſilio, & ſincero auxilio ad iſta peragenda, quæ præmiſimus, ſicut per rectum unusquiſque in ſuo ordine, & ſtatu ſuo Principi, & ſuo ſeniori eſſe debet.

XI. Ut ſic ſimul conjuncti, & nos, frater, ac nepos noſter ad invicem, & nos cum fidelibus noſtris, & fideles noſtri nobiſcum, & omnes ſimul cum Deo nos reconjungamus, & ut nobis ſit propitius, illi pro devoto munere offeramus, & unusquiſque omnium noſtrûm abſque ſua propria excuſatione, vel juſtificatione recognoſcamus, in quibus aut ſingillatim, aut communiter contra illius mandata, & decreta ſuorum Sanctorum fecimus, aut conſenſimus in ordine Eccleſiaſtico, & ſtatu regni, & per ſingula in medium producamus illa; & nemo noſtrûm ſuo aut amico, aut propinquo, vel confœderato, immo nec ſibi ipſi ſeculariter parcat, ut ſpiritualiter, & ſalubriter parcere poſſit. Quin, ſicut præmiſimus, in præcedenti capitulo, vero conſilio, & ſincero auxilio, illa in commune certatim emendari totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter potuerimus.

XII. Et ſi aliquis de ſubditis, in quocunque ordine, & ſtatu, de hac convenientia exierit, aut ſe retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, ſeniores cum veraciter fidelibus ſuis hæc ſecundum Dei voluntatem, & legem, & juſtam rationem, velit nolit ille, qui divino conſilio, & decreto, & huic convenientiæ reſiſtens, & contradicens fuerit, exequantur. Et ſi aliquis de ſenioribus de hâc convenientiâ exierit, aut ſe retraxerit, vel huic communi decreto, quod abſit, contradixerit, cum plures ſeniorum noſtrorum fideles, & regnorum primores in unum convenerint, eodem qui obſervaverint conſilio, & judicio Epiſcoporum, & communi conſenſu, qualiter de eo, qui debite admonitus, incorrigibilis perſeveraverit, agendum ſit, faciente Deo decernatur. Et ut obnixius ſupraſcripta capitula à nobis auxiliante Domino inviolabiliter obſerventur, & nos illa obſervaturos certius credatur, manibus propriis ſubterfirmavimus.

Adnuntiatio Domini Hludowici Regis apud Confluentes linguâ Theodiſcâ.

CAPUT I.

Vos ſcitis, quid in iſto regno evenit. Et ideo huc convenimus, ut de Dei voluntate, & Sanctæ Eccleſiæ ſtatu, & de noſtra, & communi ſalute, atque honore, & pace populi Chriſtiani, cum Dei adjutorio, & fidelium noſtrorum conſilio tractaremus.

II. Et miſimus hoc ſuper Epiſcopos, & cæteros fideles noſtros, ut illi hoc invenirent, qualiter nos ad hæc, quæ diximus, exequenda adunaremus. Et volumus,

lumus ut ſciatis, quia ſicut illi invenerunt, & ſcripto nobis oſtenderunt, ad invicem adunati ſumus, ſicut fratres per rectum eſſe debent, & nos ſimul cum iſto nepote noſtro, & ille nobiſcum. Et etiam ſuos fratres nepotes noſtros in hac adunationis firmitate nobiſcum recepimus, ita tamen ſi & ipſi hanc firmitatem erga nos fecerint, & obſervaverint.

III. Et ſciatis, quia non volumus, ut ullus inter nos abhinc in antea alia verba portet, niſi talia, quæ Deo ſint placita, & quæ ad noſtram communem ſalutem, & noſtrum honorem pertineant; ut ſic ſimus, ſicut fratres in invicem, & patrui cum nepotibus, & nepotes cum Patruis eſſe debent. Et ſi aliquis fuerit, qui hoc facere tentaverit, producatur in medium ad rationem, & taliter inde caſtigetur, ut nemo alius ſimilia agere tentet.

IV. Et volumus; ut Eccleſiæ, & caſæ Dei, & Epiſcopi, & Dei homines, Clerici, & Monachi, & Nonnæ, talem mundeburdem, & honorem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum habuerunt.

V. Et volumus, ut vos, & cæteri homines fideles noſtri talem legem, & rectitudinem, & tale ſalvamentum in regnis noſtris habeatis, ſicut anteceſſores veſtri, tempore anteceſſorum noſtrorum, habuerunt; & nos talem honorem, & rectam poteſtatem in noſtro regio nomine apud vos habeamus, ſicut noſtri anteceſſores apud veſtros anteceſſores habuerunt; & juſtitia, & lex omnibus conſervetur, & pauperes homines talem defenſionem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum lex & conſuetudo fuit, & ſicut hic fideles noſtri communiter conſenſerunt, & ſcripto nobis demonſtraverunt, & nos cum eorum conſilio conſentimus, & obſervari communiter volumus. Et ſi aliquis hoc perturbare voluerit, à nullo noſtrûm recipiatur, niſi ut aut ad rectam rationem, aut ad rationabilem indulgentiæ conceſſionem deducatur.

VI. Sed & de iſtis rapinis, & deprædationibus, quas jam quaſi pro lege multi per conſuetudinem tenent, ab hoc die, & deinceps de Dei banno, & de noſtro verbo bannimus, ut nemo amplius hoc præſumat. Sed unusquiſque infra patriam cum pace, & ſine oppreſſione pauperum, & circummanentium conſiſtat, & in hoſtem vel ad placitum ſive ad curtem veniens, de ſuo ſic warnitus & de domo ſua moveat, ut cum pace venire, & nobiſcum ſtare, & ad domum ſuam redire poſſit. Et qui hoc transgreſſus fuerit, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum conſuetudo fuit, & in illorum capitulis continetur, volumus, ut hoc in illis transgreſſoribus emendetur.

VII. Similiter & de conſpirationibus, & de raptis fœminarum tam viduarum, quam & Puellarum, atque Nonnarum, bannimus ex Dei, & noſtro verbo, ut nullus hoc in regnis noſtris agere præſumat. Et ſi quis hoc præſumpſerit, ſecundum legem, & ſicut in capitularibus progenitorum noſtrorum continetur, ſic hoc emendare cogatur.

Hæc eadem Dominus Karolus Romanâ linguâ adnuntiavit, & ex maxima parte lingua Theodiſca recapitulavit.

Poſt hæc Dominus Hludowicus ad Karolum Fratrem ſuum lingua Romanâ dixit: *Nunc ſi vobis placet, veſtrum verbum habere volo de illis hominibus, qui ad meam fidem venerunt.*

Et Dominus Karolus excelſiori voce linguâ Romanâ dixit: Illis hominibus, qui contra me ſic fecerunt, ſicut ſcitis, & ad meum fratrem venerunt, propter Deum, & illius amorem, & pro illius gratiâ, totum illis perdono, quod contra me misfecerunt, & illorum alodes de hæreditate, & de conquiſitu, & quod de donatione noſtri ſenioris habuerunt, excepto illo, quod de mea donatione venit, illis concedo, ſi mihi firmitatem fecerint, quod in regno meo pacifici ſint, & ſic ibi vivant, ſicut Chriſtiani in Chriſtiano regno vivere debent. In hoc, ſi frater meus meis fidelibus, qui contra illum nihil misfecerunt, & me, quando mihi opus fuit, adjuvaverunt, ſimiliter illorum alodes, quos in regno illius habent, conceſſerit. Sed & de illis alodibus, quos de meâ donatione habuerunt, & etiam de honoribus,

bus, ſicut cum illo melius conſiderabo, illis, qui ad me retornabunt, voluntarie faciam.

Et Domnus Hlotharius linguâ Theodiſcâ in ſupra adnuntiatis capitulis ſe conſentire dixit, & ſe obſervaturum illa promiſit.

Et tunc Domnus Karolus iterum lingua Romanâ de pace commonuit, & ut cum Dei gratiâ ſani & ſalvi irent, & ut eos ſanos reviderent, oravit, & adnuntiationibus finem impoſuit.

Annaliſta Francorum Pithoeanus & Fuldenſis eadem juramenta Confluentiæ ad h. a. referunt.

Goldaſtus Conſtitutionum Imperialium Tomo I. pag. 192.

Baluz. Capitularium Tomo II. pag. 137. 138.

Dumont Corps Diplomatique du droit des gens Tomo I. N. XX.

SYNODUS FRISINGENSIS.

Anno Chriſti DCCCLX. Nicolai I. Papæ III. Ludovici Germaniæ Regis XXI.

Marcho Presbyter confinia ſylvæ ad Ziebolfeshuſen tradit, & donat in publica Synodo, colendis Sanctis in monte S. Stephani quieſcentibus.

PErpendens & conſiderans quidam Presbyter, nomine Marcho, corporalem fragilitatem Corporis ſui, ut requiem habere meruiſſet ad Friſingas, omnia confinia ſylvæ, quæ habuit ad Zieholfeshuſin pertinentia, præter unum lucum, quem prætermiſit, firmiter tradidit ad Friſingas. Hoc factum eſt *in publica Synodo* in monte Sancti Stephani, ubi oſſa cum pulvere Sancti Alexandri & Sancti Juſtini honorabiliter humata cernuntur, die, quo factum eſt, id eſt, Octobris, anno Incarnationis Domini DCCCLX. Indictione VIII. Nomina teſtium in libro traditionum habentur.

Meichelbeck Hiſtoriæ Friſingenſis Tomo I. Parte II. Inſtrumento DCCCX. pag. 353.

Inſigne teſtimonium de corporibus Ss. Alexandri, & Juſtini in Weichenſtephanenſi Monaſterio eo tempore adhuc ſepultis. Sacras illas exuvias poſteris temporibus fuiſſe translatas in Eccleſiam Cathedralem, diſcimus ex *Chronico Weichenſtephanenſi*, in quo poſt annum Chriſti 860. hæc legimus.

Non longo abhinc temporis intervallo Venerabiles illæ Reliquiæ Ss. Alexandri PP. & Martyris, & S. Juſtini Presbyteri, ad Cathedralem Friſingenſem ſunt translatæ..... à quo autem Epiſcopo, quove anno pretioſus ille Reliquiarum theſaurus ab Eccleſia S. Stephani fuerit ablatus, non ſatis conſtat.

CON-

CONCILIUM TULLENSE II. APUD TUSIACUM.

AB EPISCOPIS QUATUORDECIM PROVINCIARUM IN TULLENSIS TERRITORII (a) VILLA, TUSIACO, SUB DIE XI. KALENDAS NOVEMBRES, INDICTIONE IX, ANNO CHRISTI DCCCLX. NICOLAI PP. III. CAROLI CALVI REGIS XXI.

TITULI CANONUM.

I. *Adversus rerum sacrarum pervasores.*
II. *De velatis Deoque sacratis Virginibus ac Viduis incontinenter viventibus.*
III. *De perjuris & falsis testibus.*
IV. *De iis, qui rapinas, & alia scelera committunt.*
V. *Ut Clerici & Monachi vagi ad Episcopos & Abbates suos revocentur.*

PRÆFATIO.

Cum in nomine Dei omnipotentis nos Episcopi ex provinciis (b) XII. Vesontionensi scilicet Lugdunensi, Trevirensi, Remensi, Viennensi, Senonica, Agrippinensi, Bituricensi, Turonensi, Burdigalensi, Narbonensi, Rotomagensi, & si qui alii ex aliis provinciis, convenissemus in territorio Tullensi, in Villa Tusiaco, Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLX. Indictione IX. cœpimus auxilio Dei nostri tractare de statu temporis nostri, & de periculo pereuntis populi sub manu nostra constituti: & quomodo peccatis nostris agentibus omnes leges, tam divinæ quam humanæ contemptæ sint, omnisque ordo religionis confusus, solumque maledictum, & mendacium & adulterium & homicidium inundaverint, & sanguis sanguinem tetigerit, & propterea vorata sit terra, & infirmatus sit omnis, qui habitat in ea. Cum igitur de his & similibus tractaremus, juxta manum Dei nostri propitiam nobiscum ut secundum regulam patrum nostrorum staremus in viis Dei nostri, decrevimus singulis malis emergentibus, zelo canonicæ pietatis, censum districtionis obviare; ac sacrilegos flagitiosos atque facinerosos, de domo Dei nostri flagello disciplinæ cædendo eliminare; & quia inveteratum vulnus malitiæ plaga desperationis fecit, ferrum sectionis adhibere, ne quod sanum remanserat, putredine tabesieret.

CANONES.

I.

In primis igitur propter pertinaciam multorum, qui cum sint sacrilegi, Templum Dei in semetipsis corrumpentes, sacras res, ex oblatione & voto fidelium sacris locis contraditas, invadere non timent; statuimus secundum regulam antiquam Patrum nostrorum, ut si quis oblationes fructuum, & rerum omnium, quæ ministris Ecclesiæ conferuntur, aut collatæ sunt, extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam

(a) *Valle*, habet MS. Codex Sancti Germani Antissiodorensis.
(b) XIV. numerantur in Epistola Synodali, & in altera Synodi jussu scripta ab Hincmaro.

entiam Episcopi vel ejus, qui constitutus est ab eo ad dispensanda officio Ecclesiastico disposita; tam is qui dat, quamque is, qui accipiet, anathema sit, judicio omnipotentis Dei, nisi resipuerit, perpetuo damnatus, & dum vivit, ita à cœtu & societate fidelium remotus, à corpore & sanguine Domini separatus, ut nec in fine communionem accipiat, neque corpus ipsius more fidelium, cum oblationibus & Psalmis, atque Hymnis ad sepulturam deducatur. Si clericus tanta cupiditate sacrilegii corruptus, aut laïcus quicumque hac iniquitate deceptus fuerit; & cognoscens damnationem suam, pœnitentiæ remediis secundum ordinem & dispensationem sui Episcopi se submiserit; volumus ut pervasa & præsumpta secundum qualitatem personæ, aut in triplum, aut in quadruplum Ecclesiæ, cui damnum illatum est, primum restituat: inde pro sacrilegio ab Episcopo suo consilium salutis & pœnitentiæ modum suscipiat.

II.

De velatis & sacratis tam viduis quam virginibus, si clam adulteraverint, vel si publice nupserint, sive de viduis incontinentibus, quæ luxuriando turpissime in domibus suis vivunt; ita ut etiam quædam filias suas lascivis juvenibus in concubinas substituerint, licet à patribus nostris, quorum loca & vices tenemus, sufficienter, qua districtione feriantur, definitum sit, volumus, ut usque ad finem vitæ in ergastulis retrusæ pœnitentiam agant: viri autem, qui vim eis intulerint, & ipsi censura Ecclesiastica ad pœnitentiam constringantur. Habeantque principes & judices hanc in populo Dei diligentiam, & ubicumque tales in potestate eorum ab Episcopis requisiti fuerint, absque mora eos exhibeant: ne forte, si dissimulaverint, aut mandatum Episcopi contempserint, ab Ecclesia Dei projecti nec sepulturam cum fidelibus accipiant.

III.

De his quoque, qui jurant & perjurant in nomine Dei omnipotentis mendaciter, quod genus mali nimis prævaluisse dolemus: & de falsis testibus, quorum exsecrabilis malitia usquequaque prævaluit, quod à Sanctis Patribus nostris ex eis definitum est, servetur: atque duræ & districtæ pœnitentiæ subdantur, quamdiu in crimine manent, foras ab Ecclesia projecti: neque nomen eorum inter fideles recitatum habeatur.

IV.

De his etiam, qui rapinas exercent, incendia, stupra inaudita committunt, cædes & homicidia perpetrant, res Ecclesiarum subtrahunt, atque diripiunt, quantum ad judicium nostrum attinet, volumus, ut sive auctores tanti criminis, sive fautores eorum, qui cum eis collecti participitant, à sacro Missarum sacrificio, à foribus Ecclesiarum, ab omni societate Christiana, usque dum pœnitentiæ se humiliter submittant, removeantur. Invicem sibi Episcopi pro his scripta transmittant, quatenus omnes sciant cum talibus damnatis nullam communionem habere: parique sententia teneatur obnoxius, qui post interdictum cum eis communicaverit.

V.

Quia peccatis nostris agentibus plurima loca Deo sacrata incensa & vastata sunt à perfidis Christianis, & à crudeli etiam gente Northmannorum, sub hac occasione multi lascivi Clerici & Monachi relicto religionis habitu retro abierunt, & absque ulla canonica licentia & reverentia vagabundi feruntur, ab ovili gregis Dei errantes. Ideoque patrum auctoritate volumus, ut talibus omnibus necessitas imponatur, quatenus ad ordinationem & dispositionem Episcoporum, & Abbatum suorum revertantur, & sub disciplina eorum maneant. (c)

Hæc fratres charissimi, & consacerdotes nostri, quæ unanimi vobis intentione secundum sententiam LX. Episcoporum promulgata, tenenda omnino, & conservanda sunt: videlicet, ut omnes raptores sanctimonialium virginum, atque viduarum, cujuscumque etiam rei prædones, incestos, perjuros, oppressoresque pauperum, invasores per vim Ecclesiasticarum rerum, usurarum exactores, hos videlicet, qui judicantes magis pauperes compellunt reddere, quam acceptum fuerat in prima donatione; nec non subtractores decimarum. . . . . . *desunt reliqua.*

SUB-

(c) Post hæc ultima verba in manu scripto codice sancti Germani Antissiodorensis adscripta sunt, quæ sequuntur.

Subscriptiones Episcoporum.

Ego Arduicus Vesontionensis Episcopus has Constitutiones zelo pietatis perfectas relegi, consensi & subscripsi.
Ego Wanilo, Senonicæ urbis Episcopus, consensi & subscripsi.
Hincmarus, sacræ Remorum Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.
Ado, humilis Viennensis Episcopus, consensi & subscripsi.
Theutgaudus, Trevirorum Episcopus, consensi & subscripsi.
Guntharius, Agrippinensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
Rodulfus, sacræ Biturigensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Herardus, Turonum Episcopus, consensi & subscripsi.
Frotarius, Burdigalensium Episcopus, subscripsi.
Fredoldus, Narbonensium Episcopus, subscripsi.
Remigius, Lugdunensis episc. subscripsi.
Wenilo, Rotomagensis episc. subscripsi.
Hildegarius, Meldensis episc. subscripsi.
Adventius, Mediomatricorum episcop. subscripsi.
Æneas, Parisiorum episc. subscripsi.
Atto, Virodunensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Erpuinus, Silvanectensium episcopus, subscripsi.
Hincmarus, Laudunensium episcopus, subscripsi.
Christianus, Antisiodorensium episcop. subscripsi.
Eurus, Carcasonensium episc. subscripsi.
Audesindus, (d) Roscellensium episcop. subscripsi.
Godelsadus, Cabilonensium episcopus, subscripsi.
Gundbertus, Ebrocensium episcop. subscripsi.
Isaac, Lingonensium episcop. subscripsi.
Jonas, Æduorum episc. subscripsi.
Breindincus, Matiscensium episcop. subscripsi.
Adahulfus, Barcinonensium episcopus, subscripsi.
Agius, Aurelianorum episc. subscripsi.
Erchanraus, Catalaunensium episcopus, subscripsi.
Huntfridus, Morinensium episcop. subscripsi.
(e) Rainelmus, Noviomagensium episc. subscripsi.
Erchambertus, Bajocacensium episcop. subscripsi.
Hilduinus, Avennicorum episc. subscripsi.
Wisadus, Orgellitanus episc. subscripsi.
Stodilo, Lemovicensium episc. subscripsi.
Stabilis, Arvernensium episc. subscripsi.
Arduinus, Vellaunensium episcop. subscripsi.
Engenoldus, Pictaviensium episcop. subscripsi.
Dagbertus, Agathensium episc. subscripsi.
Launus, Æcolenensium episc. subscripsi.
Arnulfus, Tullensis episc. subscripsi.
Rataldus, Stratburgensis episc. subscripsi.
Franco, Tungrensis episc. subscripsi.
Teutramnus, Darantasiæ Metropolitanæ episc. subscripsi.
Immo, Noviomagorum episc. subscripsi.
Ebbo, Gratianopolitanus episcop. subscripsi.
Ungerius, Trajectensis episc. subscripsi.
Fredebertus, Basileensis episc. subscripsi.
Rothadus, Suessionicus episc. subscripsi.
Irminfridus, Bellovacus episc. subscripsi.
Abbo, Antisiodorensis episc. subscripsi.
Gissebertus, Carnotensis episc. subscripsi.
Ratbertus, Valentinensis episc. subscripsi.
Dodo, Andegavensium episc. subscripsi.
Hilmeradus, Ambianensium episc. subscripsi.
Waltbertus, Abrincatensium episc. subscripsi.
Abbo, Maurianensium episc. subscripsi.

Sirmondus primum in lucem edidit è Codice Ecclesiæ Laudunensis. Tomo III. Concilior. Galliæ.

(d) Gallice du Roussilon, Helenensis Episcopus, dicitur in privilegio Sancti Martini.
(e) Raginelmus Tornacensis, in privilegio Sancti Martini.

EPISTOLA SYNODALIS CONCILII EJUSDEM,

AD RERUM ECCLESIASTICARUM PERVASORES, ET PAUPERUM PRÆDATORES.

UNDE, ET QUANDO, AC QUALITER ACCIDERIT, UT RES ECCLESIASTICÆ DOMINO SINT CONSECRATÆ: ET QUANTUM SIT PERICULUM PAUPERES DEPRÆDARI.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. Indictione nona, XI. Kalendas Novembres, Sancta Synodus congregata in villa TUSIACO TULLENSIS PAROECIÆ, *Episcoporum quatuordecim Provinciarum, Lugdunensium videlicet, Rotomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionum, Moguntinensium, Agrippinensium, Trevirorum, Remorum, Biturigensium, Burdigalensium, Narbonensium, omnibus Dei Fidelibus, & Sanctæ Ecclesiæ Filiis, ad quos hæc Divinæ constitutionis notitia potuerit pervenire, pacem & salutem optat in Domino.*

Deus omnipotens, summus & verus, unus ac solus, Pater scilicet, & Filius, qui est consubstantiale verbum ejus, & utriusque Spiritus Sanctus, utrique coæternus, ac coæqualis, Trinitas inconfusa atque inseparabilis, qui solus habet immortalitatem, & lucem habet inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito vel infinito spatio continetur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur; neque enim est in ejus substantia, qua Deus est, quod brevius sit in parte, quam toto; qui sine initio est, & permanet sine fine, incommutabili æternitate vivens; creavit omnia simul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibusque, & localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritualia, quædam corporalia, visibilia siquidem & invisibilia condidit: formans materiem, quam nec alius nec ullus, sed omnino ipse informem, ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret: testante Scriptura: *Qui* (a) *vivit in æternum, creavit omnia simul.* Et: *In principio* (b) *fecit Deus cælum & terram.* Et omnia opera sua bona valde, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra. Duas quoque harum creaturarum suarum rationales creaturas, scilicet angelicam & humanam, imaginis, & similitudinis suæ dote ditatas, cum libero arbitrio condidit: ut, sicut ipse non necessitate, sed natura est bonus & voluntarie; & ita ipsæ rationales creaturæ non constrictæ necessitate, sed bonæ essent, ut natura, ita & voluntarie. Quia si tales essent, ut liberæ voluntatis arbitio malum vitare, & bonum non possent agere, lapidibus & cæteris rebus insensibilibus, atque irrationalibus potius quam Deo similes essent; & merito illius retributione carerent, nec esset unde pro qualitate voluntatis & actionis remunerarentur à Deo. Qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur: quippe bonum velle non ex accidenti, sed ut & bonus & omnipotens esset, essentialiter habet. Cui secundum quorumdam opinionem sententiæ non repugnat, quod dicit Apostolus: *Seipsum* (c) *negare non potest.* Porro nec peccare, nec mori potest. Et tamen non falso Angelus & homo, qui potuêre peccare, imaginis & similitudinis ejus dignitate donati leguntur. Quia aliud est similitudo; & aliud signaculum similitudinis: & aliud imaginem esse,

(a) Ecclesiast. XVIII. (b) Genes. I. (c) II. Tim. II.

esse, & aliud ad imaginem factum esse. solus quippe consubstantialis filius essentialiter imago invisibilis, & splendor, & figura est substantiæ Dei Patris. Sic ad omnipotentis hoc vel magis omnipotentiam pertinet, quia aliud non potest, quam bonum velle & aliud quam bonus & omnipotens esse, & seipsum negare; peccare quoque, vel mori, mutari, falli, miser fieri, seu vinci non potest. Hæc atque hujusmodi absit, ut possit omnipotens. Sed quia non vult, non potest, quia & velle non potest. Non enim potest justitia velle facere, quod injustum est, aut sapientia velle, quod stultum est, aut veritas velle, quod falsum est. Ac per hoc non solum ostendit veritas omnipotentem non esse, quod ista non possit: sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse, qui hæc possit. Volens enim est Deus quidquid est. Æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est, est autem omnipotens. Ergo quidquid vult, potest, & ideo quod non vult, esse non potest, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quidquid vult potest. De quo & psalmus dicit: *In cælo* (d) *& in terra omnia quæcumque* (*) *fecit.* Nihil enim in cœlo vel in terra fit, nisi quod ipse aut propitius fecit, aut fieri juste permittit. Qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem vult perire.

Sed justus Dominus justitiam diligens, & iniquitatem non volens, eis, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit, nec post primi hominis casum vult tollere violenter suæ voluntatis arbitrium liberum; quibus reddere paratus est meritum, ut scriptura demonstrat: *Quis* (e) *est*, inquiens, *homo, qui vult vitam:* & ac si respondenti, *Ego*, Dominus dicit: *Diverte* (f) *à malo & fac bonum.* Et è regione volens salvari dicit: *Voluntarie* (g) *sacrificabo tibi.* Et: *ex voluntate* (h) *mea confitebor illi.* De quo scriptum est: *Quia, non* (i) *privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Ut autem ambulantes ambulent & perseverent in innocentia, sanat & adjuvat eorum arbitrium gratia; attestante Apostolo: *Gratia* (k) *Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quibus & aliis scripturæ sententiis, quoniam post casum primi hominis inest homini ad bene volendum, & ad bonum incipiendum & perficiendum, atque in bono perseverandum, liberum arbitrium, gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum, gratia præventum, adjutum, & coronandum. A bono autem deficiens, & in malo proficiens homo, post casum primi hominis habet arbitrium liberum, scilicet justitiæ liberum, peccati servum: quo, qui se elongant à Deo volente congregare filios nolentis Jerusalem, peribunt. Unde quia gratia Dei est, salvatur mundus: & quia inest liberum arbitrium homini, judicabitur mundus.

Ex his namque rationalibus creaturis, angelica videlicet & humana, Angelos ad se cognoscendum atque perpetuo collaudandum in cœlesti gloria collocavit. Unde pars quædam Angelorum ex superbia debriata per liberum arbitrium cecidit, qui appellantur diaboli. Et tales suo vitio sunt effecti, ut jam non velint, nec possint meriti esse boni. Sicut & illi, qui per liberum arbitrium in voluntate conditoris permanserunt, ipsius gratia, & retributione justitiæ, acceperunt in munere, quod creator, cujus signaculum similitudinis sunt, habet essentia; ut non velint, nec valeant esse mali. Hominem vero opifex Deus de corpore de limo terræ formavit, cui animam de incomprehensibili nobis suæ virtutis opere, in moribus & æternitate ad imaginem & similitudinem suam conditam, in qua, interiore videlicet homine, per fidem in nobis habitat, insufflavit. In quo etsi exterior homo noster corrumpitur, renovamur induentes novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate, & veritate. Et factum eumdem primum hominem in animam viventem, id est, factam animam rationalem, factam carnem vivificantem, atque in duabus, & ex duabus, scilicet spiritus ac luti substantiis, in uni-

Kk 2

(d) Psalmo CXXXIV. (*) *voluit.* (e) Psal. XXXIII. (f) Ibidem. (g) Psal. LIII. (h) Psal. XXVII. (i) Psalm. LXXXIII. (k) I. Corinth. XV.

unitate personæ subsistentem, in paradiso delitiarum, quem plantaverat ab initio, posuit, ut operaretur eum, vel in eo, sicut & quæ ei præcepit, & custodiret, ne illa admitteret, quæ & sicut illi prohibuit. Cui ex latere fabricavit mulierem, dum in somno corporis obdormivit, unde & dixit: *Erunt* (*l*) *duo in carne una*: itaque jam non sunt duo, sed una caro: secundum præscientiam suam, qua novit omnia etiam antequam fiant, vero demonstrans indicio, quoniam sine transfusione seminis viri, ex femina ipse venturus esset in carnem, ad redimendum hominem, qui in carne condidit hominem. Et qui eum fabricavit ex pulvere, quo sine seminis transfusione hominem fecit ex homine, homines quoque fabricetur ex semine. Quique corporis morte in cruce pro nobis mortis debitoribus, solus inter mortuos liber à mortis debito dormiens, prædestinatus Dei filius in virtute secundum Spiritum sanctificationis; & prædestinatorum omnium caput, ac lumen, atque exemplum factus ex muliere; legisque lator, qui legi nihil deberet, factus sub obedientia legis, ut eos, qui sub lege peccati & mortis futuri erant, redimeret, ut adoptionem filiorum, quam in Adam perdituri eramus, reciperemus: de his, qui in eum credere voluerint, sive adventum ejus in carne præcesserint, sive etiam forent secuti, (nam *per gratiam*, (*m*) inquit, *Domini JESU salvari credimus*, *quemadmodum & illi*.) Ædificaturus erat Ecclesiam aperto lanceæ latere, de quo produxit aquam & sanguinem: quibus nunc lavacro rigatur & poculo, id est, mundatur aquâ baptismatis, & per fidem illi incorporatur potato sanguine redemptionis, justificata spiritu sanctificationis. Hoc Sacramentum magnum est in Christo, & in Ecclesia. Quæ eodem Spiritu Sancto ab immaculato Divini fontis utero suos regenerat natos, quo & de illibata virgine Christus est natus.

Isdem namque primus homo, quia & Eva ipsa est Adam, conditus ut dominaretur creaturæ à creatore factæ, & disponeret orbem terrarum in justitia & æquitate, & in directione cordis judicium judicaret, si in accepta lege vitæ & disciplinæ libero arbitrio permansisset; videlicet, si in conditoris voluntate perseverasset, ut non peccaret; nec ipse moreretur, nec mortales, neque mortis ac gehennæ filios generaret. Sed merito hujus permansionis & retributione justitiæ, sicut & Sancti Angeli acceperunt, accepisset in munere, quod creator, ad cujus imaginem & similitudinem conditus est, habet essentia, ut nec peccare vellet, nec jam cadere posset. Ipsi autem diabolo invidenti, quia illuc erat homo terrenus per debitam obedientiam ascensurus, unde ipse cecidit per superbiam angelicus spiritus; & mendacia suadenti plus credens, quam voluntati conditoris sui obediens, abusus arbitrio libero deseruit Deum; & desertus juste à Deo peccavit ac cecidit; & per malum velle perdidit bonum posse, qui per posse bonum vincere potuit velle malum. Qua de re facta est massa perditionis totius humani generis. De qua si nullus ad salutem eriperetur, irreprehensibilis esset Dei justitia: quia vero multi salvantur, ineffabilis est Dei gratia. Qui ab ipso mundi primordio, incipiens ab Abel justo, salutis humanæ præcones mundo in sua infirmitate languenti, & in peccatorum suorum tenebris tabescenti, donec ipse lux mundi adveniret, per Patriarchas & legis Doctores & Prophetas, ac justis verbis & prodigiis prædicans, consolando præmisit.

Tandem ipse, qui semper unum, & ubique est cum Patre & Spiritu Sancto essentia Majestatis, propter nos homines & propter nostram salutem, opere conceptus ejusdem Spiritus Sancti, natus ex Maria Virgine, id est, ex virginea maternæ carnis substantia in duabus & ex duabus naturis atque substantiis, divinitatis scilicet & humanitatis, verus per omnia Deus & verus homo anima rationali & humana carne in unitate personæ subsistens, ad nos per præsentiam assumptæ veniens carnis, factis & dictis ad aliud in se credentes sæculum invitavit, id est ad gloriam sempiternam, quam Angeli Sancti habent in cœlo, & ad quam obtinendam conditus fuerat primus homo. Et quoniam ad illam pervenire non possumus, nisi sicut nos docuit, de scriptum est: *Quia* (n) *sic oportuit pati Christum & intrare in gloriam suam*, DUX & DOCTOR hujus itineris scilicet per labo-

(*l*) Genesis II. (*m*) Act. XV. (*n*) Lucæ XVIV.

labores & dolores, quos in primo parente meruimus, promerentes regnum Dei, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: & in iſtius agonis ſcammate certantes, ſine viatico non valemus ſubſiſtere.

Primitiva Eccleſia, id eſt, fideles in exordio naſcentis Eccleſiæ vendebant omnia, quæ poſſidebant, & deferebant poſſeſſionum ſuarum pretium ad pedes Apoſtolorum, docentes non debere à rationali homine ſervari, ſed dominari divitiis, & uti eis in tranſitum, non eas amare pro æterna perventione. De quo pretio dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Cum autem gratia Dei cœpit multiplicari credentium numerus, ad quorum ſuſtentationem non ſufficiebant pretii reditus: quoniam omnes ad hoc non dabant, neque valebant compelli, ut à conjugio & in totum à mundanis vacarent actibus, ne ſæculum deperiret, donec omnes, qui ſalvandi ſunt, id eſt, omes prædeſtinati, vel uti ſcriptum eſt, Filii Dei, qui erant diſperſi, id eſt, in maſſæ generaliter perditæ ex debito relictione conſperſi, & ex ea, antequam mundus fieret, prædeſtinatione Dei, cui nihil præteritum tranſiit, acciditque futurum, electi, ſcilicet, gratia Dei, congregentur in unum: in plenitudinem videlicet cœleſtis ac ſempiternæ Eccleſiæ, ad quam tanti ex hominibus ſalvatis, & eidem ſociandis ſunt aſcenſuri, unde diabolus cum ſuis ſequacibus cecidit, quanti illic electi Angeli remanſerunt: ut unum ovile unius Paſtoris ſcilicet, & individuæ Trinitatis perpetua viſione, & perfecta cognitione, quæ eſt non ſolum hominum, ſed & Angelorum vita, ſine fine gaudeat, ſocietate glorioſa repletum: Conſtituit idem Dominus & Magiſter ſalutis per Sanctos ſuos, in quibus & cum quibus loquebatur, & per quos ſuam gubernabat, & uſque hodie meritis & precibus gubernat Eccleſiam; ut credentes non jam ex aſſe poſſeſſiones & prædia venumdarent; ſed de ipſis poſſeſſionibus Domino conſecrarent. Unde qui quaſi ſpecialiter eidem Dominorum Domino adhærent, & miniſtri ſermonis & donorum æternæ ſalutis atque mediatores inter Deum & homines ope fiunt aſſiduæ interceſſionis, vivant; & in omnibus neceſſariis, ſine quibus humana fragilitas non poteſt ſubſiſtere, eis in eleemoſynas eorum, qui eaſdem poſſeſſiones Domino conſecrarunt, miniſtretur. Ut dum Chriſti pauperes atque miniſtri Eccleſiæ, ex his in præſenti ſubſiſtunt ſæculo, largitores poſſeſſionum de ſua fideli eleemoſyna, ſicut & in baptiſmate, à malo funditus converſi, & cum fide recta perſevantes in bonis operibus, mundentur à peccato, & efficiantur Chriſto, cui eas devoverant, conſortes in cœlo, ſicut ipſe dicit in Evangelio: *Date* (o) *eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et item: *Quod* (p) *uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Quapropter ſicut illi, qui ſeipſos ac divitias & poſſeſſiones ſuas Domino fideli mente conſecraverunt, hæredes Dei & cohæredes Chriſti per Prophetas & Apoſtolos, & ab ipſo Domino appellantur, & fiunt, ita & tales poſſeſſiones atque facultates, Domino in ſuis Eccleſiis, & in ſpecialibus ſervorum ipſius uſibus conſecratæ, propter fideles Chriſti, qui eis & exinde aluntur, Dei hæreditas, cum orbis terrarum, & plenitudo ejus ipſius ſit, quaſi ſpecialiter appellantur. Sicut enim, quando omnis domus Iſraël Domini hæreditas vocabatur, tribus tamen Levi, quaſi decimatio adhuc etiam in lumbis Abrahæ à Deo electa, cum decimis & primitiis, urbibus & ſuburbiis, villabus, & poſſeſſionibus & facultatibus cunctis, ſpecialis Domini hæreditas, pars vel aſſumptio dicebatur, ita & iſti, qui κλῆρος, id eſt, ſors vel pars Domini appellantur, cum omnibus Eccleſiis, id eſt, divinis ovilibus ad ſe pertinentibus, ſpecialis Chriſti hæreditas dicitur & exſiſtit: cum omnes credentes ac credituri, tam ex circumciſione, quam qui ex præputio, Chriſti hæreditas appellentur, dicente Proheta: *Deus* (q) *venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Et: *Poſtula* (r) *à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* De quibus quicumque indebite quodam abutitur, ſine ulla dubitatione illa maledictione mulctatur, & ipſa

(o) Luc. XI. [p] Matt. XV. [q] Pſalm. LXXVIII.
[r] Pſalm. II.

ipſa tenetur obnoxius, quam & cœleſtis & omnis terrena continue Domino decantat Eccleſia: *Qui* (s) *dixerunt*, inquit, *hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei! Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, ſicut ignis, qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, ut quærant nomen tuum Domine. Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur & pereant, & cognoſcant, quia nomen tibi Dominus: tu ſolus altiſſimus in omni terra.*

Sanctus quoque *Anacletus* Papa, ab ipſo Beato Petro Apoſtolo Presbyter ordinatus, poſtea in Sede Romana Succeſſor illius factus Epiſcopus, cum totius mundi Sacerdotibus judicavit: " Qui " abſtulerit, inquiens, aliquid patri vel " matri, homicidæ particeps eſt, Pater " noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos " creavit: Mater vero noſtra Eccleſia, " quæ in baptiſmo ſpiritualiter regeneravit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudatur, " homicida eſt, atque homicida ante conſpectum juſti judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur: qui " autem res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & ut ſacrilegus " eſt judicandus. Item, Sanctus *Urbanus* Papa & Martyr: Res & facultates Eccleſiaſticæ, oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Si " quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Sapphiræ: & oportet hujuſmodi tradere Satanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Item " Sanctus *Lucius* Papa: Rerum Eccleſiaſticarum & facultatum raptores, à " liminibus Sanctæ Eccleſiæ anathematizatos Apoſtolica auctoritate pellimus, " & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus, & non ſolum eos, ſed & " omnes conſentientes eis: quia non ſolum, qui faciunt rei judicantur, ſed " etiam qui facientibus conſentiunt. Par " enim pœna agentes & conſentientes " comprehendit. A qua pœna conſenſus liberi eſſe non poſſunt illi, quorum " miniſterium eſt, & qui talia poſſunt " prohibere, comprimere & emendare, " & ea non ſtudent corrigere.

Et Sanctus *Gregorius* in Epiſtola ad Sabinum Subdiaconum: " Sacrilegium, inquit, & contra leges " eſt, ſi quis quod venerabilibus locis " relinquitur, pravæ voluntatis ſtudiis " ſuis tentaverit compendiis retinere. Et " Sanctus *Auguſtinus* in Sermone Evangelii Sancti Joannis dicit: Fur ſacrilegus loculorum Sacrorum & Dominicorum eſt Judas: & qui aliquid de " Eccleſia furatur & rapit, Judæ perdito comparatur. Et item in Sacris Canonibus à Sancto Spiritu dictatis, & Chriſti ſanctione confirmatis, ſcriptum eſt: " Si quis (t) de potentibus " clericum, aut quemlibet pauperum, " aut religioſum exſpoliaverit, & mandaverit ad ipſum Epiſcopus, ut eum " audiat; ſi contempſerit, invicem mox " ſcripta percurrant per omnes Provinciæ Epiſcopos, & quoscumque adire " potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena." Et item ſcriptum eſt: " Clerici etiam, " vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere præſumpſerint, aut id, " quod ipſi donaverunt, Eccleſiis vel " Monaſteriis crediderint auferendum, " ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut " necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur.

Unde ſummopere caveant potentiores quique, unusquisque in ordine & dignitate ſua, ne præſumant in damnationem ſuam res ſibi Eccleſiaſticas: neque fatigent, vel affligant inconſuetis conſuetudinibus Dei Eccleſias: & loca Sanctorum: ſcientes quia, ut præmiſimus, res Eccleſiaſticæ vota ſunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum; & in tuitione atque defenſione Chriſti conſiſtunt, qui eas terræ principibus atque primoribus ad defendendum & conſervandum, non ad affligendum vel uſurpandum, ſive præſumendum, commiſit. Nam, quæcumque prætendatur à quocumque utilitatis, ſive neceſſitatis occaſio, ille corda omnium conſpicit, qui novit cogitationes hominum, & remunerat actiones, & etiam cogi-

[s] Pſalm. LXXXII.
[u] Concil. Agathenſ. Can. 4.
[t] Concil. Tolet. I. Can. 11.

cogitationes inremuneratas nullatenus derelinquet.

Quo circa omnis, qui vult ſalvus fieri & ab æterna morte liberari, & ad æternam vitam pervenire, attentiſſima cordis aure exaudiat, quid Spiritus Sanctus per eos locutus eſt: quibus dixit Dominus: *Ecce* (x) *ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Et: *Non* (y) *vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et: *Quæcumque* (z) *alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Et: *Accipite* (a) *Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et: *Qui* (b) *vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Dicunt enim illi, qui in cœlo & in terra miraculis coruſcant, qui & uſque hodie nobiſcum vivunt, & cum ſucceſſoribus noſtris uſque in perpetuum vivent, quoniam apud Deum eſt merces eorum: " Si quis (c) oblationes " Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere, vel " dare voluerit, præter conſcientiam " Epiſcopi, vel ejus, cui hujuſmodi offi- " cia commiſſa ſunt, nec cum ejus vo- " luerit agere conſilio; anathema ſit. Anathema autem interpretatur in Romana lingua alienatio: quia omnis talia faciens, quamdiu in illis peccatis manet, licet nos Epiſcopi, qui in Apoſtolis, & cum Apoſtolis, non noſtro merito, ſed gratia divina, ligandi & ſolvendi poteſtatem accepimus, interdum tardi, interdum divini ſenſus ignari, interdum quæ committuntur neſcientes, aliquando etiam commiſſa, ut expedit, corrigere non valentes, quæ ſtatuta ſunt exſequi diſſimulemus, vel etiam negligamus, ut talem hominem ab Eccleſia, & fidelium ſocietate excommunicantes ſegregemus: jam tamen à ſacris Canonibus excommunicatus & prædamnatus eſt, donec peccatum illud deſerat, & per ſatisfactionem Eccleſiaſticam & Sacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam, & fidelium ſocietatem recipiat. Et quicumque in peccatis ſuis, & talibus ſceleribus implicatus, ante ſatisfactionem neceſſariam, vitam iſtam finierit, communionem & ſocietatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit; nec de inferni pœnis, & dæmonum ſocietate unquam liberari valebit.

Sed nunc forte tales, qui privilegia de locis & rebus Deo dicatis, ſanctorum manibus confirmata, parvipendentes ſibi, quia volunt, non quia poſſunt, excommunicationes uſurpatoribus rerum & facultatum Eccleſiaſticarum à Sanctis Domini intentatas alleviant; dicentes ſe pro hoc illata damnatione, id eſt, anathematis vinculo, non teneri. De quibus Sanctus Gregorius (d) in Epiſtola ad Theoctiſtam Patriciam dicit: " Ipſi, " inquiens, ſibi teſtes ſunt, quia Chri- " ſtiani non ſunt. Qui ligamenta Sanctæ " Eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus " ſolvere; ac per hoc nec abſolutionem " Sanctæ Eccleſiæ, quam præſtat fide- " libus, veram putant, ſi ligaturas ejus " valere non æſtimant. Contra quos " diutius diſputandum eſt, quia per om- " nia deſpiciendi & anathematizandi " ſunt: ut unde ſe fallere veritatem cre- " dunt, inde in peccatis ſuis veraciter " ligentur." Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere, eos & ego, & omnes Catholici Epiſcopi, atque univerſa Eccleſia, anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur.

Rapinæ quoque, & deprædationes, quæ in iſtis regnis jam ex conſuetudine ſic ab omnibus pœne tenentur, quaſi peccata non ſint, aut quaſi levia peccata ſint, Sanctus Paulus Apoſtolus, per quem locutus eſt Chriſtus, & qui antequam mortis debitum ſolveret, ad tertium cœlum, & paradiſum fuit raptus, ubi ſtuduit ſecreta Domini verba, inter mortalia crimina ea poſuit, dicens: *An neſcitis,* (e) *quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt.* Et iterum dicit: *Si quis* (f) *fornicator eſt, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere.* Id eſt, cum tali non homine, ſed cum tali diabolo, non licet

Chriſti

[x] Matth. XXVIII. [y] Matth. X. [z] Matth. XVIII.
[a] Joannis XX. [b] Lucæ X. [c] Conc. Gangr. can. 7. Tom. I. noſtro p. 154.
[d] Regiſtri Epiſtol. L. XI. Ep. XLV. [e] I. Corinth. VI. (f) I. Corinth. V.

Chriſti diſcipulo, iſt eſt, Chriſtiano homini, ante ſatisfactionem, id eſt, correctionem atque emendationem, & dignam pœnitentiam, cibum ſumere. Sanctus quoque Joannes Apoſtolus electus, & dilectus Chriſti, qui in cœna ſuper pectus ejus recubuit, talem hominem etiam ſalutare vetat: *Nec ave ei* (f) inquiens, *dixeris: neque in domum eum receperis. Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.* Et item Sanctus Paulus dicit unicuique Chriſtiano: *Nec* (g) *communicaveris peccatis alienis.* Et Dominus, quando venturus eſt judicare vivos & mortuos, & in adventum ejus omnes homines reſurgent cum operibus ſuis, & reddent de factis propriis rationem, ſe in judicio dicturum promittit in Evangelio, his qui peccata ſua eleemoſynis redimere cum poſſent, noluerunt: *Ite maledicti* (h) *in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Unde cogitandum eſt raptoribus, quo ibunt illi, qui aliena rapiunt, ſi in infernum ibunt, qui eleemoſynas non fecerunt. Et item Dominus per Iſaiam Prophetam dicit raptoribus: *Rapina* (i) *pauperis in domo veſtra.* Et: *Lacrymæ* (k) *viduæ ad maxillam deſcendunt: & exclamatio ejus ſuper deducentem eas. A maxilla in cœlum coram Deo aſcendunt, & Dominus non delectabitur in illis.* Scilicet viduæ lacrymis, qui Pater orphanorum, & defenſor viduarum, queritur contra judices dicens: *Cauſa* (l) *viduæ non ingreditur ad eos.* Quapropter ſciant raptores, in cujus domo ſive corporis ſive manſionis, rapina eſt pauperis, quia non habitat in illa domo Spiritus Sanctus, ſed ſpiritus malignus. Et ſi accedit ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti ante dignam ſatisfactionem, non mundatur per illam communionem à peccato, ſed plenius poſſidetur à diabolo: ſicus Judas, quando in cœna Dominica plenus rapina, & iniquitate, & avaritia atque cupiditate, communicare præſumpſit de manu Domini Salvatoris.

Et forte tales erunt, cum hæc audierint, qui dicant: Non communicabimus. Sed ſciant, quia ſicut Dominus dixit: *Niſi* (m) *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, nec intrabit in Regnum Cœlorum:* ita dixit: *Niſi* (n) *manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ſicut dixit: *Qui crediderit* (o) *& baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Ita etiam dixit: *Qui* (p) *manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die, & non morietur in æternum.* Propterea nullum aliud reſtat ſalutis refugium, niſi ut declinet, quiſquis vult ſalvus fieri, ab iſtis malis, & ab aliis mortalibus criminibus, & per pœnitentiam reconcilietur Deo, & communicet vivificis myſteriis, & vivere valeat in æternum.

Nihil enim prodeſt ulli homini, ſi Chriſtianus vocatur, ſi opera Chriſti, quæ præcepit ipſe Chriſtus, non fecerit. Immo etiam magis ad ſuum judicium Chriſtianus vocatur, qui ſub nomine Chriſti idola colit diaboli. Ipſa enim veritas, quæ Deus eſt, proteſtatur, quia qui ſervit Mammonæ (ſic enim Dœmon divitiarum præpoſitus appellatur) diabolo ſervit, vel idola colit diaboli: qui ſervit luxuriæ, voluntati carnis pro Deo ſervit. Unde ſcriptum eſt: *Gloria* (q) *eorum in confuſione eſt*, id eſt, in genitalibus membris, quæ vulgo verecunda appellantur. Deum quippe ſcriptura gloriam appellavit, quæ dicit de Judæis: *Mutaverunt* (r) *gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Sed & de eis, qui gloriantur, quando ſua libidine caſtitatem expugnant; & aliorum toros maculant, hæc quæ ſupra dicit idem Apoſtolus: *Gloria* (s) *in pudendis eorum, qui terrena ſapiunt.* Et alibi ſcriptum: *Lætantur* (t) *cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis.* Contra quod præcipit, ut *qui* (u) *gloriatur, in Domino glorietur.* Qui ſervit avaritiæ, idola colit, ſicut Paulus dicit: *Et* (x) *avaritiam quæ eſt idolorum ſervitus.* Qui ſervit gulæ & ebrietati, ventrem pro Deo colit. Unde item dicit: *Quorum* (y) *Deus venter eſt.* Quæ ita non utique ad dignitatem dominantium, ſed ab infelicitate

[*f*] II. Joan. X.
[*g*] I. Tim. V.
[*h*] Matth. XXV.
[*i*] Iſai. III.
[*k*] Eccleſ. XXXV.
[*l*] Iſaiæ I.
[*m*] Joan. III.
[*n*] Joan. VI.
[*o*] Marc. XVI.
[*p*] Joan. VI.
(*q*) Philipp. III.
(*r*) Pſalm. CV.
(*s*) Philipp. III.
(*t*) Proverb. II.
(*u*) I. Corinth. I.
(*x*) Coloſſ. III.
(*y*) Philipp. III.

citate famulantium, ſic appellat Apoſtolus, qui fratrem, id eſt, Chriſtianum hominem injuſte per potentiam opprimit, aut pro acceptione munerum juſtitiam facit, diabolum imitatur, & juſtitiam vendit, quæ Chriſtus eſt, ſicque ſimilis Judæ eſt. Qui veritatem pervertit pro invidia, aut veritatem reticet, aut dicit pro muneribus, diabolum imitatur, & Judæ ſimilis eſt. Et ſic de cæteris vitiis intelligendum eſt. Et cui vitio quiſque ſervit, illi diabolo ſubjectus eſt, qui eidem vitio præpoſitus eſt, & cum eo ſine fine torquebitur, niſi digne antea pœnituerit. Et ne principes terræ, vel quilibet Chriſtiani, dicant: Epiſcopis, Presbyteris & Monachis ſtrictiora præcepta dedit Deus; nos qui homines laïci, & ſæculares ſumus, hæc omnia attendere non valemus: Audiant, quid Dominus in Evangelio dicat: *Qui eſt* (z) *ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et qui non eſt ex Deo, certum eſt, quia ex diaboli parte eſt. Et quid lucrabitur, ſi etiam totum mundum habuerit, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Idcirco quicumque eſt homo, audiat dicentem ſibi Dominum per Prophetam: *Indicabo* (a) *tibi homo, quid ſit bonum facere: facere judicium & juſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Hæc fratres & filii, in quocumque ordine, & dignitate ſit quiſque Chriſtianus, ad vos ex Domino mandata dirigimus, qui de omnibus hominibus dicit omni Epiſcopo: *Tu* (b) *autem audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, & non ex te. Propterea hæc ſicut Domini mandata ſuſcipite: cujus potentiæ non poteſtis, & cujus voluntati atque mandato non debetis reſiſtere, ſi non vultis ut veſtri proprii inimici ſaluti veſtræ obſiſtere. Nos autem talia vobis tacere nec poſſumus, nec audemus, quibus Dominus per Prophetam dicit, quod ſi non annuntiaverimus vobis, ſanguinem veſtrum de manu noſtra requiret. Et ab illis Patribus, & Prædeceſſoribus noſtris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino degradamur in cœlis, ſi non exſequimur, quæ illi ſtatuerunt regulis divinitus inſpiratis. Qua propter ſi vos ab his, unde commonemini quantocius non correxeritis, ſicut illi in cœlo, & nos in terra, una cum Apoſtolicæ Sedis Præſule, & omnium Sacerdotum unanimitate, vos à Chriſti & fidelium ejus conſortio ſegregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Chriſto & veſtra ſalute obnixius deprecamur. Vos autem ſi mandatis Dominicis obedire ſtudueritis, & veſtram ſalutem, præſentem ſcilicet & futuram agetis; & gloria atque corona noſtra coram Deo eritis, qui de vobis reddemus illi in die judicii rationem: ſicut & vos de vobis ipſis, & de omnibus vobis commiſſis rationem eſtis ſine dubio reddituri. Et ideo multo ſtudio ſatagite, ut in illa tremenda die ab iniquorum conſortio ſegregati ſitis. Quod tunc erit, ſi modo à diabolicis & malis operibus, atque à perverſis hominibus vos ſeparaveritis: vindicantes contra diabolum, & vitia atque peccata honorem veſtrum, qui homines ad Dei imaginem facti eſtis. Ad hoc enim, ſicut ſcriptum eſt, ut Deum timeat, & mandata ejus cuſtodiat, factus eſt omnis homo, propter quem factus eſt Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sirmondus primum in lucem edidit è codice Virdunenſi & aliis. Tom. III. Concil Franc.

(z) Joan. VIII. (a) Mich. VI. (b) Ezech. XXXIII.

SYNODUS AQUISGRANENSIS III. SUB HLOTHARIO.

Anno Chriſti DCCCLXII. Nicolai Papæ V.

SUMMARIUM. In cauſa Theutbergæ uxoris Lotharii Regis, in qua permiſſum eſt Lothario, ut aliud conjugium iniret.

CAPUT I.

ANno DCCCLXII. Indictione decima, die tertia Kalendarum Majarum ex vocatione Domini HLOTHARII Glorioſiſſimi Regis, Archi-Epiſcopi eorumque Coepiſcopi Aquis convenerunt, vide-

videlicet: Guntharius Agrippinensis Archi-Episcopus, & Sacri Palatii Archi-Capellanus, nec non & Theutgaudus Trevirensis Archi-Episcopus, Adventitius Mediomatricorum Episcopus, Atto Viridunensis Episcopus, Arnulfus Tullensis Episcopus, Franco Tungrensis Episcopus, Ungarius Episcopus Trajectensis, Ratholdus Argentoriensis Episcopus. Ut Divina auxiliante clementia pro utilitate ac necessitate Sanctæ matris Ecclesiæ, apud memoratum Serenissimum Principem, fideliter ac salubriter pastorali provisione intervenirent. Unde nostris jam periculosis temporibus, saltem sero pastoralis tuba insonare prophetica admonitione debuerat, ubi dicitur: *Clama* (e) *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Ergo multipliciter & fideliter malefidis Dei discrimina, & senescentis mundi pericula replicantes non sine gravi gemitu nostro, Christianissimo Principi ad memoriam reduximus, ut non immemor vocationis suæ, quod nomine censetur, opere compleat, ut Rex Regum Christus, qui sui nominis vicem illi contulit in terris, dispensationis sibi creditæ, dignam remunerationem reddat in cœlis, (*b*) ad hæc ille, sicut verus Dei cultor, nostræ pure ac veraciter annuit unanimitati, per omnia irrefragabiliter promittens nostris se obedire velle consiliis & rationabilibus obtemperare monitis, & (ut ita dixerimus) ultra quam credi potest, ita nobiscum suum benignissimum informavit affectum, ut procul dubio pateret, quod suum cor illius amplexatur dextera, in cujus manu corda sunt Regum.

CAP. II.

Interea (*c*) de his, quæ ad statum Sanctæ Dei Ecclesiæ & utilitatem Regni, atque salutem populi sibi commissi pertinent, salubribus responsis & spiritualibus consiliis nostram consolatus est unanimitatem, se in omnibus paratissimum esse affirmans, ut verus adjutor atque indefessus auxiliator nostri ordinis, & totius Sanctæ Religionis existat.

CAP. III.

Post hæc humiliter ac devote pastorale consilium requisivit, *Libellum proclamationis*, & suæ summæ necessitatis, in manibus nostrorum fratrum imponens, ubi satis lugubriter divinum & pastorale consilium expetiit; suaque imbecillitatis causas querulosis vocibus retractavit, qualiter in quadam fœmina Theutperga nomine, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus, imo non mediocriter repetebat, quod judicio Episcoporum discidii sententiam pertulisset; quam, si idonea fuisset conjugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non esset, & vivæ vocis confessione publice condemnata, sponte retineret. Porro se incontinentem esse professus est, & sine conjugali copula juvenis ætatis ardorem ferre non posse asseruit, procul dubio replicans, quod illi Theutpergam incestuosam diximus, & ab omni concubina abstinere præcepimus, & quod illi perdifficile est in juvenili ætate taliter permanere. Hinc vero testis affuit Theutgaudus Archi-Episcopus, quod juxta divinum ac suum consilium, si aliquid in adhibita sibi concubina deliquit, Ecclesiastico medicamine adjutus, secretis jugibusque hoc lacrymis & vigiliis, ac spiritalis continentiæ macerationibus, insuper eleemosynarum largitionibus salubriter delevit. Et ut de multis pauca dicamus, si læta caro illum traxit ad culpam, afflicta (ut credimus) reduxit ad veniam.

CAP. IV.

Igitur pastoralis Regiminis cura, ac Divinorum eloquiorum documenta, nostrorum fratrum animos sollicitare cœperunt, quid nobis agendum, quidve tractandum esset, atque pro hujusmodi querula proclamatione rationabiliter definiendum, illudque ante omnia formidantes, ne forte (quod absit) post dignam satisfactionem & saluberrimam reconciliationem fragilitatis noxam tantus Princeps incurreret, reversus ad vomitum, & quasi sus in volutabro luti, illicitos aliquoties repeteret amplexus.

CAP. V.

Inde actum est, quod pia fratrum sollicitudo retractavit, qualiter Ecclesiasticæ auctoritatis censuram in præscripta fœmina Theutperga, sua publica confessione exigente complevit.

CAP.

[*a*] Isaiæ LVIII, 1.
(*b*) Sirmondus idem Concilior. Galliæ Tomo III. paulo aliter intersecat, & à Lit. (*b*) incipit Caput II. à Littera (*c*) incipit Cap. III. & sic deinceps.

CAP. VI.

Allato quoque diverſorum Conciliorum volumine, ex Concilio (*d*) Hilardenſi Capitulum quartum recitari fecimus, ubi ita ſcribitur: *De his, qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis connubio perſiſtunt, uſque ad Miſſam tantum Catechumenorum in Eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum; ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.*

CAP. VII.

Hinc quoque S. Ambroſii (*e*) in expoſitione Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios Cap. trigeſimo tertio hos alloqui, qui matrimonio juncti ſunt, ore Dominico: *Uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. Hoc Apoſtoli conſilium eſt, ut ſi diſceſſerit propter malam converſationem viri, jam innupta maneat; quod ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, ſuo viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri ut nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſiæ, aut illicita impellente laſcivia: vir uſum quærat uxoris* (f) *quia inferior non omnino hac lege utitur, quâ potior. Si tamen apoſtata & vir, aut non uſum quærat uxoris invertere, non alteri poteſt nubere mulier, nec reverti cauſa* (g) *fornicationis ad illum. Et virum uxorem non dimittere, ſubauditur autem, excepta cauſa fornicationis. Et ideo non ſubjecit, ſicut de muliere dicens,* (h) *ſi demiſerit uxorem peccantem. Non enim ea lege conſtringitur vir, ſicut mulier, caput enim mulieris vir eſt. Nam cæteris (inquit) ego dico non Dominus: hoc dicit, ut oſtendat, quid proprio ore Dominus juſſit, & quid hujus auctoritate conceſſit: quia & per iſtum Dominus loquitur, qui ait, an experimentum* (i) *quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus.*

CAP. VIII.

Ex Concilio Agathenſi Cap. LXII. *De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervemus,* (k) *niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt.* Ibique poſt aliqua ita ſcribitur: *Sane, quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.*

CAP. IX.

De cœtero his atque hujuſmodi canonicis Sanctionibus, & S. Patris Ambroſii oraculis, liquido perſpectis, credimus non illam fuiſſe idoneam, aut legitimam conjugem, neque à Deo præparatam uxorem, quæ publica (ut dictum eſt) confeſſione, inceſtuoſo fornicationis crimine denotata probatur. Quo circa glorioſo Principi noſtro, pro ſua in Divino cultu devotiſſima affectione atque victorioſiſſima Regni tuitione, cui non ſolum nos, verum etiam Canonica auctoritas inceſtuoſum conjugium interdicit, legitimum atque idoneum conjugium à Deo illi conceſſum non denegemus, juxta indulgentiam dicentis Apoſtoli: *Melius eſt nubere,* (l) *quam uri.*

Ex codice Treverico MS. P. Browerus Illuſtriſſimo Baronio hoc Concilium miſit: qui illud inſeruit Annalibus Eccleſiaſticis ad hunc annum N. XXIII. & ſeqq.

Binius Conciliorum Tomo III. Parte I. pag. 557. & Synodographi poſteriores.

Hic tertius error hujus tertii Conciliabuli Aquenſis. Primi Conciliabuli anno 860. V. Idus Januarii error fuit, quod ad falſam narrationem inceſtus commiſſi Hlotharius Rex ad Theutpergam accedere non debeat.

2dus error 2di Conciliabuli medio Februario 860. coacti, quod Theutperga ob propriam confeſſionem peccati ſui ſit publicæ pœnitentiæ ſubjicienda, perpetuoque ſeparanda à Hlothario.

Tertius error, quod Hlotharius Theutpergæ relictâ, alteri, puta, Waldradæ legitimo conjugio ſociari poſſit.

(*d*) Kilerdenſi, *Sirmondus.* Lege: Ilerdenſi anno 524. celebrato.
(*e*) Non eſt S. Ambroſii hæc Expoſitio in Paulum, ut notat *Baronius.*
(*f*) *invertere.* (*g*) *cauſa fornicationis*, abeſt à Sirmond.
(*h*) *quod ſi diſceſſerit manere ſic: quia viro licet ducere uxorem*, interſerta legit Sirmond.
(*i*) II. Corinth. XIII, 5. (*k*) *reſervamus*, Sirmond.
(*l*) I. Corinth. VII.

CONTESTATIO HLOTHARII REGIS,

APPELLANTIS EPISCOPOS DE CONJUGIO SIBI CONCEDENDO.

Coram Concilio Aquisgranensi tertio, in causa Theutbergæ.

Vos O Sancti Pontifices & Venerandi Patres, qui estis positi mediatores inter Deum & homines; quibus commissa est nostrarum cura animarum; qui medicinam præstatis vulneribus peccatorum, qui ligandi & solvendi habetis potestatem, & estis Doctores atque Ductores nostri: ad vos humiliter proclamo, & vestrum benignum atque fidele consilium fiducialiter expostulo. Regalis enim potestas sublimem debet recognoscere sacerdotalis dignitatis authoritatem: quibus videlicet duobus ordinibus Ecclesiasticorum credentium auctore Deo regitur & gubernatur. Sed tantum superiorem unum altero novimus, quanto excellentiam cœlestis magisterii Deo propinquiorem merito veneramur. Ideo, qui vobis propter Deum humana fragilitate delinquimus, aut leviter vel sponte oberramus, ad vestram pastoralem dignitatem solemniter recurrimus, atque confugimus. Egomet igitur divina inspirante clementia proprios cognoscens errores, & tantarum maculas culparum expavescens, atque exhorrescens, suppliciter confitendo, veniamque postulando per vos à Christo remedium salutis exquiro. Multum certe de pietate vestra confido, qua me spirituali compassione misericorditer & discrete suscipi atque tractari minime dubito juxta illud Apostoli: *Quis* (a) *infirmatur, & ego non infirmor?* Et (b) *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Et alia scriptura monet, *calamum* (c) *quassatum non conterendum.* De cætero patres immensas vobis gratias referimus; Quoniam & seniori Patri nostro fidem debitam conservastis ac post ejus obitum nobis in omnibus benigni & fideles extitistis. Et cum multipliciter ac generaliter nostram adolescentiam & labilem ætatem (*d*) procurastis quoque specialiter, & diligenter circa fraudem nobis in nuncupata uxore illatam vigilastis. De quo siquidem negotio qualiter vestris consiliis actum fuerit, scimus quia vos in memoria penitus habetis. Nam ipsam feminam de infando, & incestuoso fornicationis contagio sponte confessam, juxta Beati Pauli præceptum, qui ait: *Ne* (e) *commisceamini fornicariis:* à nobis vestra jussione sequestravimus. Quidquid tamen postea incontinentiæ fragilitate commisi, sive voluntate, vestrum est opportune rationabiliter emendare, atque meum est libenter obedire. Vos etenim scitis, quia ab infantia seu pueritia inter feminas conversatus, propter castitatis bonum, & impudicitiæ malum devitandum, ad portum legitimi conjugii pervenire desideravi. Non ergo ignoro, quia quidquid ex hoc præter licitam copulam fuerit, malo fornicationis, & noxæ pollutionis adscribi possit. Scio concubinam non esse uxorem: & nolo habere illicitam, sed licitam. Vos tamen memores juventutis meæ, videte quid agendum sit, cui nec uxor conceditur, nec concubina permittitur. Vobis notum, quid Apostolus dicat: *Volo* (f) *juniores nubere, filios procreare. Et qui se non continet, nubat. Melius est enim nubere, quam uri.* Et iterum: *Unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem.* Et Matthæus Apostolus (*g*) Deus nuptias benedixit, & permisit amorem dominari in corporibus hominum. Itaque simpliciter loquor, fateorque me non omnino posse durare absque aliqua conjugali copula. Veruntamen cupio secundum interiorem hominem ab omni fornicatione esse alienus. Et nunc cariffi-

(*a*) II. Cor. II. (*b*) Galat. VI. (*c*) Isai. XLII.
(*d*) hic deest verbum attendistis: aut aliud simile. (*e*) I. Cor. V.
(*f*) I. Cor. VII. (*g*) hic deesse aliquid videtur.

cariſſimi, nos ſuppliciter veſtram imploramus ſanctitatem, ac pro illius amore, qui nos redemit, deprecamur; ut noſtro periculo corporis & animæ ad utilitatem Sanctæ Dei Eccleſiæ, & regni nobis commiſſi, benigna veritate & devota fidelitate ſubvenire non differatis: quatenus de proſperitate ac noſtra erga vos promptiſſima devotione pariter nos in Domino gaudeamus & exſultemus.

Sententia Epiſcoporum Aquisgrani coactorum, qua Lothario Regi permiſſum eſt, ut abjecta Theutberga uxore, aliam, ea adhuc vivente, duceret.

Cum ex diverſis Provinciis totius Regni Sereniſſimi Regis Hlotharii ad Aquas Grani Palatii, Archi Epiſcopi, & Epiſcopi conveniſſemus, ac Paſtorali cura & ſollicitudine Eccleſiaſtica jura ventilaremus; ejusdem Principis noſtri cauſa ad medium deducta eſt, quæ de conjugii ſui controverſia jam pridem noſtris in manibus fuerat evoluta. Paſtoris igitur ſummi, Domini videlicet noſtri Jeſu Chriſti, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, exemplo informati, & authoritate muniti; peccatoribus terrorem ſupplicii; niſi reſipiſcant, incurrere, veniamque niſi recipiſcant permittere, & concedere fiducialiter poſſe, & debere ſcientes, præfatum Regem divina nobis depoſitione donatum, & in ipſo regni tyrocinio fallaciter ſauciatum, ut comperimus, acriter condoluimus: eumque laqueis, quibus inretitum ſe ingemiſcebat, provide, & fideliter erigere decertavimus juxta illud Apoſtoli: *Si quis* (h) *erraverit ex vobis à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte.* Quod ergo omnibus impertiri jubemur, Regi & Principi noſtro negare nequaquam debemus, qui priori conventui noſtro ſe humiliter exhibens, lamentatus eſt in conjugii nomine ſe horribiliter defraudatum, nec tamen abſque tali conſortio juventutis ſuæ conſcius conſiſtere ſe poſſe adjecit, libellumque proclamationis & viam ſuæ ſalvationis depoſcentem divinitus aſpiratus porrexit. Cujus nos mœrori & anxietati, ut competebat compatientes intellecto, puræ devotionis affectu, pœnitentiæ remediis præterita delere peccata, & futura bonorum operum exhibitionibus præcavere monſtravimus. Quod & ille neceſſario; & libenter amplectens ad exhortationem noſtram adhibitis ſibi quibusdam ex collegio noſtro, toto quadrageſimæ tempore Jejuniis, Eleemoſynis, ac reliquis Deo placitis operibus vigilanter inſiſtens, congrua ſatisfactione Dominum placare deſiderans, id ſe promereri velle etiam diſcalciatis pedibus incedens patulo oſtendit. Deinde in hoc quoque Concilio fragilitatis ſuæ caſus enucleavit, & ſalutis ſuæ conſilium utiliter ac laudabiliter à nobis quæſivit. Itaque ſecundum petitionem, & devotionem ſuam ſervata ſolertiſſime humanæ pietatis forma, & vigilantiſſime miniſterii noſtri moderata cenſura, qualiter eis proſpexerimus, memoriæ mandare decrevimus. Fœminam ſibi uxoris nomine, & improbo conamine injectam potius quam legitime conjunctam pluribus didicimus documentis: & conjugem eſſe non potuiſſe quam plurimis atteſtationibus, immo deteſtationibus, ad poſtremum ſpontanea confeſſione ſua liquidius agnovimus. Quomodo enim poſſit matrimonio copulari, quam juxta ſuam aſſertionem frater non pertimuit obſtuprare? Dicente Domino ad Moyſen: *Turpitudinem* (i) *ſororis tuæ non revelabis*: & eodem Moyſe Domino inſpirante terribiliter intonante; *Maledictus, qui dormierit cum ſorore ſua filia patris vel matris ſuæ.* Hinc alia ſcriptura dicit: *Qui tenet adulteram, ſtultus & impius eſt*: hinc & Apoſtolus: *qui* (k) *adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Hinc & in *Concilio Agathenſi* cap. III. ita dictum eſt: qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantum Cathegumenorum in Eccleſia permittantur. Cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet. Hinc etiam beatus *Ambroſius* in expoſitione primæ Epi-

(*h*) Jac. V. (*i*) Levit. XVIII. (*k*) I. Cor. VII.

Epiſtolæ ad Corinthios Cap. XXXIII. ſcribit: Poſtquam innuptis locutus eſt, & viduis, hos alloquitur, qui matrimonio juncti ſunt, ore Dominico: Uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. Quod ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, ſuo viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri, ut nubat, ſi virum ſuam cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſia aut illicita impellente laſcivia, vir uſum quærat uxoris: quia inferior nón hac lege utitur, qua potior. Si tamen apoſtatet vir, aut uſum quærat uxoris invertere, nec alii poteſt nubere mulier, nec reverti cauſa fornicationis ad illum. Et virum uxorem non dimittere. Subauditur autem: excepta fornicationis cauſa. Et ideo non ſubjecit, ſicut de muliere dicens: quod ſi diſceſſerit, manere ſic: quia viro licet ducere uxorem, ſi demiſerit uxorem peccantem; quia non ea lege conſtringitur vir ſicut mulier: caput enim mulieris eſt vir. Nam cæteris ego dico non Dominus. Hoc dixit, ut oſtendat, quid proprio ore Dominus juſſit, & quid hujus auctoritate conceſſit: quia & per iſtum Dominus loquitur, qui ait: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Chriſtus?* Ad hæc forte inter alia quis dicat: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Optime nimirum aptiſſimeque hoc in his obſervandum, quod Deus conjungit, quia *à* (l) *Domino*, ut alibi ſcriptum eſt, *præparabitur viro uxor;* ſed quis audeat dicere hanc à Deo conjunctam vel præparatam, quæ tot ac tantis veteris & novi teſtamenti inhibitionibus non ſolum non copulanda, ſed magis lugenda, & in interitum carnis tradenda eſſe, ut Spiritus ſalvus fiat, ex proprii oris confeſſione monſtratur? Juxta illud, *ex* [m] *verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis:* Et David eum, qui ſe Saulem Regem interemiſſe jactaverat, mox jugulare præcepit, dicens: *Sanguis* [n] *tuus ſuper caput tuum, os enim tuum locutum eſt: ego interfeci Chriſtum Domini.* Hinc Innocentius Papa ad Toloſanos ſcribens affirmat, nullo modo abſolvi poſſe, qui in ſe aut veri confeſſione, aut teſtimonio falſitatis dixerit ſententiam mortis, quæ dicta in alium puniretur: cum omnis, qui ſibi fuerit mortis cauſa, major homicida ſit. Sed & hoc ex Epiſtola Valentini concilii ad Forojulienſes, & *in Concilio Africano* Cap. XCI. abundantiſſime demonſtratur. His quocirca aliiſque divinorum inſtrumentis eloquiorum non ſegniter imbutos, ac mediocriter fultos, ſi quis nos inrationabiliter ac inconſiderate in omni hoc negotio vel egiſſe vel definiſſe dicere præſumpſerit: niſi detractionis vel injuſtitiæ deprehenſionis maculam deterſerit, noverit ſe ante tribunal æterni judicis nobiſcum de his diſtrictiorem habiturum rationem. Quippe cum nullo livoris toxico aut amaritudinis zelo Deo teſte adverſus eandem feminam moti aut alicujus favoris gratia ducti quippiam de ea feciſſe aut dixiſſe nos coram Deo proteſtemur; niſi quod moderatius & manſuetius, ſalva Canonicæ authoritatis regula, quam violare nullatenus permittimur, diligentiſſimo examine, & ſtudioſiſſima indagatione agendum reperimus, ſicut ex literis diſcuſſionis noſtræ, ſuper hac re à nobis conſcriptis dignoſcere fas eſt. Porro eidem Principi ac ſeniori noſtro Lothario poſt exceſſuum cognitionem, & errorum ſuorum convenientem mira afflictione punitionem, ſcientes juxta ejuſdem profeſſionem aliam legem in membris ejus repugnantem legi mentis ſuæ, ne in deteriora labatur, uxorem ducere, filios procreare vetare non poſſumus, dicente Apoſtolo: *Qui* (o) *ſe non continet, nubat, tantum in Domino; melius enim nubere, quam uri.* Et iterum: *unusquiſque propriam uxorem habeat propter fornicationem*; quæ ſcilicet neceſſitatis conceſſio eſt, non Apoſtolicæ voluntatis. Qui rurſus ait: *Vellem omnes homines eſſe, ſicut & ego.* Et nos ergo idcirco iſta non omnimodis inhibere audemus, ut graviora facilius caveantur, & omnis indebita cauſatio ſollicitiori deinceps cuſtodia devitetur. Hujus ſeries rationis in commune à nobis Domino inſpirante repertæ duobus ex noſtris fratribus literis ſequeſtratim commendari injunctum eſt. Quod nocturno actum tempore, primo mane ſacro Concilio uterque ſcripturam ſuam præſentavit, & mira ſenſuum convenientia redolentem omnis cœtus noſter collaudavit, & de concordi ſententia Dominus gratias egit. Quod ideo ſubjiciendum cenſuimus, ne ſi alterius

(*l*) Prov. XIX. XIV. ex Græco. (*m*) Matth. XII. (*n*) II. Reg. I.
(*o*) I. Cor. VI.

rius ſcripturæ tenor in verbis diſcrepans in cujuslibet manus devenerit, non moveatur de diſſonantia ſermonum, quem fidem accommodare compellit conſonantia ſenſuum.

Collectio variorum locorum ex Sacra Scriptura, Conciliis, opuſculisque Patrum à duobus Epiſcopis facta in Conciliabulo Aquisgranenſi ad ſolutionem hujus quæſtionis: Si liceat homini uxore dimiſſa aliam ducere adhuc illa vivente?

Super quæſtione, de qua reverentia veſtra præcepit, ut inſpectis opuſculis Patrum, quæ viderentur, vobis deſcriberemus, curavimus, ut potuimus breviter & conſequenter quæ pertinent ad eam reſpondere.

Quæſtionis ſumma hæc eſt: ſi liceat homini uxore dimiſſa aliam ducere adhuc illa vivente? In Evangelio Dominus ſecundum Matthæum ita dicit: *Dictum* [p] *eſt, quicumque dimiſerit uxorem, det illi libellum repudii: ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam: excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui demiſſam duxerit, adulterat.* Hic quidem dimitti uxorem poſſe, ſed fornicationis cauſa Dominus teſtatur. Aliam vero nullum dicit eſſe cauſam, cur poſſit dimitti. Dimiſſa vero præter cauſam fornicationis nubere non poteſt alii, ſed neque duci ab alio. In utroque enim mœchia deprehenditur. An vero is, qui mulierem cauſa fornicationis dimiſerit, aliam ducere non poſſit, in hoc lonon aperte ſignificatur. Alio vero in ejuſdem Evangeliſtæ loco manifeſtius exprimitur: ubi interrogatus Dominus à Phariſæis: *Si* [q] *liceat homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa*, reſpondet: *non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos?* Et dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Interim videtur præcipere, ne uxor dimittatur, qua dimiſſa unius corporis factam eſſe diviſionem: cum enim dicit, jam non duo ſunt, ſed una caro, oſtendit, quicumque dimiſerit, quod unius carnis, id eſt corporis, faciat ſolutionem. Apoſtolus vero inferius: *Dico* [r] *autem vobis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Quod in ſermone obſcurius poſuit, hic manifeſtius: illic enim ait: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui miſſam duxerit, adulterat; mulieris cauſam ſi nupſerit denotans, qui dimiſſam duxerit; ejus vero, qui dimiſerit, non manifeſtans. Hic vero ait: *Quicumque* [s] *dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, niſi ob fornicationem, mœchatur:* deſignans quia ſi dimiſerit, non liceat ei aliam ducere, ſi mœchus eſſe noluerit. Unam tamen rem poſuit, quæ faciat quæſtionem dicens, niſi ob fornicationem. Sed videamus, quid alii dicant Evangeliſtæ. In Marco legitur; quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum & alii nupſerit, mæchatur. Nulla interponitur cauſa, ſed ſimpliciter innuitur, quod vir, ſi dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, adulterio polluitur. Quæ res in uxore quoque ſimiliter accipitur, ut ſi dimiſerit virum quacumque de cauſa, & alteri nupſerit, adultera denotabitur. Videmus in iſto excludi Evangeliſta, quod in Matthæo poſitum quæſtionem faciebat. Illud videlicet, quod interpoſitum fuerat, cauſa fornicationis: veluti ſi propter fornicationem mulier dimiſſa fuerat, quod is, qui dimiſerat, aliam ducere potuiſſet. Sed præſentis teſtimonii verbis agnoſcimus, quod nequaquam ſive adulterii ſive alia quacumque cauſa dimiſſa fuerit uxor, liceat dimittenti aliam ducere: Quod ſi fecerit, adulterii culpa non erit immunis. Lucas vero: *Omnis* (t) *qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Gradatim igitur, & quod in alio minus aperte, in alio manifeſtius ſignificatur. Matthæus fornicationis cauſam interponit, qua dimittenda ſit uxor. Marcus, quod nulla de cauſa dimittenda ſit: quod ſi dimitti-

(p) Matth. V. (q) Ibid. XIX. (r) I. Cor. VII.
(s) Marc. X. (t) Luc. XVI.

mittitur, nequaquam alii copulanda. Lucas vero dimitti posse dicit uxorem: ut intelligatur sive religionis, sive fornicationis causa, altera tamen nullo modo fore ducendam. Quibus omnibus instruimur, uxorem à viro non esse dimittendam, nisi vel fornicationis, vel religionis causa intererit: quod si dimissa fuerit, nec vir, qui dimittit, ducere possit alteram, nec dimissa alii nubere: donec uterque, id est, & qui dimittit, & dimissa superstes fuerit. Paulus Apostolus: *His* (u) *autem*, inquit, *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Manifeste uxoris determinat causam virum dimittentis, ut maneat innupta, aut proprio viro reconcilietur.

An vero virum, si dimiserit uxorem, eadem lege constringat, quæstionem facit, propter illud, quod in commentario Beati Ambrosii legitur: Quod quia penes vos est, non fuit necesse subjicere; Dicimus tamen Paulum nequaquam ab Evangelio dissentire, nec aliud docere, quam docuit Christus. Quid sentiant Evangelistæ, testimonia superius posita liquido demonstrant. Unde quod hic minus positum est ab Apostolo super viri conditione dimittentis uxorem, & ex superioribus ipsius Apostoli datur intelligi, & ex Evangelistarum testimoniis (x) convenerunt de uxore à viro discedente loqueretur, ait: Quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur: ostendit non debere discedere, aut si discesserit, innuptam permanere, aut postremo, quod restat, viro suo reconciliari. Cum vero subjunxit: & vir uxorem non dimittat, nihil ultra addens à superioribus (y) subintelligendum, ut ait uxorem non dimittat, aut si dimiserit aliam non ducat, aut postremum, quod est, uxori suæ reconcilietur. Quæ sententia tam ipsius Apostoli dictorum consequentia, quam Evangeliorum consonantia confirmatur.

Transeamus ad Doctorum ex præsenti loco sententias. Venerabilis Augustinus in sermone Domini secundum Matthæum: Non enim, qui præcepit, inquit, dare libellum repudii (z) huic præcepit, ut uxor dimittatur, sed qui dimiserit, inquit, det illi libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit, quantum potuit, duris hominibus, se nolle discidium. Et ideo ipse Dominus, alio loco de hoc interrogatus ita respondit: *Hoc* (a) *Moyses propter duritiam vestram fecit.* Dominus ergo ad illud confirmandum, ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit. Cæteras vero universas molestias, si quæ forte exstiterint, jubet pro fide conjugali, pro castitate fortiter sustinere: Et mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est à viro. Cujus rei Apostolus Paulus terminum ostendit, qui tamdiu observandum dicit, quamdiu vir ejus vivit: Illo autem mortuo dat nubendi licentiam. Præsens auctor solutionem mulieris à viro faciendam esse non facile dicit, & solam causam fornicationis esse, qua fieri possit: facta vero solutione aut reconciliando sibi invicem, aut neutrum alteri jure matrimoniali sociandos.

In commentario Hieronymi secundum Matthæum: dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, & reliqua. In posteriori parte istum locum plenius Salvator exponit: Quod Moyses libellum repudii dari jusserit propter duritiam cordis maritorum, non discidium concedens, sed auferens homicidium. Multo enim melius est licet lugubrem evenire discordiam, quam per odium sanguinem fundi. Auctor iste Domini fultus auctoritate discidium potius eligit, ne homicidium fiat. Ut vero vel dimissus vel dimissa experiri possit denuo alias nuptias, utroque vivente, non dicit. In eodem commentario: sola fornicatio est, quæ uxoris vincat affectum; immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat: dicente Scrip-

(u) I. Cor. VII.
(y) Forte subintelligendum, ait: ut uxorem.
(a) Matth. XIX.
(x) Forte: convenit. Nam cum de uxore.
[z] forte: hic.

ſcriptura : *Qui* (b) *adulteram tenet, ſtultus & impius eſt.* Ubicumque eſt igitur fornicatio , & fornicationis ſuſpicio , libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere , ut aliquis calumniam faceret innocenti , & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret , ſic priorem dimitti jubet uxorem , ut ſecundam prima vivente non habeat. Non interdicit beatus Hieronymus uxorem dimittendam in adulterio deprehenſam , & quod majus eſt , etiam ſuſpicionis infamia denotatam , ſi non alias mariti poterit ira frænari : ut tamen excludatur alterius cauſa ducendæ uxoris & caſtitatis zelo abjici propria , dicit non eſſe ſecundam ducendam , (*c*) qui primam tenere noluerit.

Venerabilis Beda presbyter in commentario Evangelii Marci : Una ergo ſolummodo carnalis cauſa fornicatio , una ſpiritualis timor Dei , ut uxor dimittatur, ſicut multi religionis cauſa feciſſe leguntur. Nulla autem cauſa eſt Dei lege præſcripta , ut vivente ea , quæ relicta eſt, ducatur. Et hic dimitti poſſe non negat uxorem ſive fornicationis , ſive religionis cauſa : aliam vero duci poſſe vivente priore , ſequens auctoritatem majorem non conſentit.

Sanctus Ambroſius in explicatione Evangelii ſecundum Lucam. Prius dicendum eſt , arbitror, de lege conjugii, ut poſtea de prohibendis divortiis diſputemus. Quidam enim putant omne conjugium à Deo eſſe ; maxime quia ſcriptum eſt : Quæ Deus conjunxit , homo non ſeparet. Ergo ſi omne conjugium à Deo , omne conjugium non debet ſolvi. Et quomodo dicit Apoſtolus : quod ſi infidelis diſcedit , diſcedat ? in quo & mirabiliter noluit apud Chriſtianos cauſam reſidere divortii. & oſtendit non à Deo omne conjugium. Neque enim Chriſtianæ gentilibus Dei judicio copulantur , cum lex prohibeat. Ex verbis hujus doctoris datur intelligi, & non eſſe omne conjugium à Deo , & in quibus hoc ſit intelligendum. Videlicet ſi Chriſtianus infidelem ducat , aut Chriſtiana Judæo nubat , hujuſmodi conjugium , quia non eſt à Deo, fore ſolvendum. Si vero Chriſtianus Chriſtianam ducat , & quæ legaliter fieri debent , compleantur, conjugium tale non negat eſſe à Deo. In ſequentibus inquit : Noli ergo uxorem dimittere , ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. Etenim ſi alienos , multo magis uxoris debes tolerare , & emendare mores. Audi quid dixerit Dominus : *Qui* [d] *dimittit uxorem , facit eam mœchari* : etenim cui non licet vivente uxore mutare conjugium, poteſt obrepere libido peccandi : itaque qui auctor erroris , etiam reus culpæ eſt. Non eſſe dimittendam uxorem omnino proteſtatur : Quod ſi dimiſſa vel nupſerit, vel clanculo ſe corruperit , in eum culpa redundabit, auctor diſcidii, qui exſtiterit. Item in conſequentibus : Dimittis vero uxorem, quaſi jure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed Divina prohibet. Qui hominibus obſequeris, Deum verere. Audi legem Domini, quam obſequuntur etiam, qui leges ferunt : *Quæ* (e) *Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Tangit hoc loco, quod apud ſæculi ſolet homines fieri in uxoribus dimittendis. Lege divina hoc penitus interdicitur, humanæ vero leges concedunt. Sed Beatus Ambroſius potius Divinis dicit, quam humanis legibus obtemperandum : & cæleſte jus humano eſſe præferendum juri, cui debent etiam ipſi ſubjici , humana qui condunt jura. Item in conſequentibus : Paterîſne, oro, vivente te eſſe liberos tuos ſub vitrico, aut incolumi matre degere ſub noverca ? Pone ſi repudiata non nubat ; & hæc tibi debuit diſplicere, cui adultero fidem ſervat ? Pone, ſi nubat, neceſſitas illa tuum crimen : & conjugium , quod putas, adulterium eſt. Quid enim refert, utrum id aperta criminis confeſſione , an mariti ſpecie adulterium admittas ; niſi quod gravius eſt lege criminis feciſſe , quam furtim ? Plures innectit cauſas , quibus diſcidium diſſuadeat, quod & impium ſit, & iniquum. Impium , ſi habens ex dimiſſa liberos , & illa nupſerit , filiique proprii ſub vitrico fuerint : quod fieri ſolet, quando una cum matre , etiam filii pelluntur ; vel certe, ſi ſola matre pulſa filii retineantur , & alia ducta uxore filii ſub noverca duxerint inliberalem vitam.

Mm Hæc

(*b*) Prov. XVIII, XXII.
[*d*] Matth. XIX.
(*c*) Hic deeſſe aliquid videtur.
(*e*) Ibidem.

Hæc quidem omnia impietatem proteſtantur. Porro ſi dimiſſa nubere noluerit, continentia ſua adulterum virum condemnat. Et iniquum eſt caſtam ab incontinente dimitti. Vir quoque ſi alteram duxerit, nihilominus iniquum (*f*) eſſe, quia contra Dei leges facit, & idcirco in hac etiam parte iniquo exſiſtit. Docet ergo nullo modo uxorem dimitti: quod ſi dimiſſa fuerit, alteram duci minime: nec liberum poſſe matrimonium dici aut eſſe ſine peccato, quamvis ex lege ſæculi patrocinium habere videatur, quandoquidem contra leges Chriſti nubitur, Auguſtinus in libris de adulterinis conjugiis ſatis ſuperque diſputat: quos qui ſtudioſe legerit, nulla quæſtionis hujus cunctatio, animam illius obtinere valebit. Ex quibus pauca curavimus in præſenti Capitulo breviter annotare. Ut qui totius operis plenitudinem vel non valuerit, vel non voluerit procurare; ex paucis cognoſcat, quid in hac re auctor ille Catholicus à Catholicis teneri velit.

In Libro primo poſt multa ſic ait: Quid ſi enim ſecundum Matthæum non quidem quod ad hanc rem pertinet, dictum eſt totum; ſed ita pars dicta eſt, ut intelligeretur à parte totum: quod tanquam explanantes Marcus & Lucas, ut clarefieret plenius ſententia, totum dicere maluerunt? Cum itaque primum non dubitantes verum eſſe, quod apud Matthæum legitur: *Quicumque* (g) *dimiſerit uxorem ſuam præter cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur;* Quæſierimus utrum tantum iſte mœchetur, ducendo alteram uxorem, qui præter cauſam fornicationis priorem dimiſerit; an omnis, qui dimiſſa uxore alteram duxerit, ut ibi ſit etiam ille, qui fornicantem dimiſerit. Nonne ſecundum Marcum reſpondebitur nobis: quid quæritis, utrum ille ſit mœchus, & ille non ſit? Quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit. Nonne etiam ſecundum Lucam dicetur nobis: Quid ambigitis, utrum ille, qui propter cauſam fornicationis uxorem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur? Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur. Ac per hoc, quoniam fas non eſt, ut Evangeliſtas, quamvis diverſis verbis de una re loquentes, ab uno ſenſu eademque ſententia diſſentire dicamus; reſtat ut Matthæum intelligamus à parte totum ſignificare voluiſſe, eandem tamen tenuiſſe ſolertiam; ut dimittens uxorem & alteram ducens quidam mœchetur, id eſt, qui propter fornicationem dimiſerit: quidam vero non mœchetur, id eſt, qui propter fornicationem dimiſerit. Sed omnis, qui dimittit uxorem vel ducit aliam, mœchari minime dubitatur. Nam & illud, quod etiam ſecundum Lucam ſequitur: Qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur; quomodo eſt verum? quomodo mœchatur, niſi quia illam, quam duxit, eo vivente à quo dimiſſa eſt, adhuc uxor aliena eſt? Si enim jam ſuæ non alienæ miſcetur uxori, utique non mœchatur: mœchatur autem, aliena eſt ergo, cui miſcetur: Porro ſi aliena eſt, hoc eſt, ejus à quo dimiſſa eſt, etiamſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit: ſin autem illius eſſe ceſſavit, jam hujus eſt, cui alteri nupſit. Et ſi hujus eſt, non mœchus judicandus eſt, ſed maritus; ſed quia non eum maritum, ſed mœchum dicit Scriptura, adhuc illa illius eſt, à quo etiam fornicationis cauſa abjecta eſt: & ideo quamcunque etiam jam illa dimiſſa ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera eſt. Unde autem fieri poteſt, ut adulter etiam ipſe non ſit, quem conſtat adulterare cum ea quam duxit? Pluribus rationibus Venerabilis oſtendit Auguſtinus, quod ſive fornicationis cauſa dimittat quis uxorem, ſive præter fornicationem, & alteram duxerit, mœchatur. Et illa, quæ ſive propter fornicationem, ſive fornicationis cauſa excepta dimiſſa alii nupſerit vivente viro, mœchetur: nec tales legitimi poſſe matrimonii eſſe ſecundum Eccleſiæ leges, quas adulterio conſtat eſſe ſolutas.

Item in ſecundo Libro: Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt. Caput mulieris ſunt: ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere: Et ideo cavendum viro, illa ire vivendo, qua timet, ne uxor ſequatur imitando. Sed iſti, quibus diſplicet, ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma ſervetur; & potius eligunt, maximeque in hac cauſa mundi legibus ſubditi eſſe, quam Chriſti; quoniam jura forinſeca non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros

(*f*) pro: eſt.

(*g*) Ibidem.

viros videntur obſtringere; legant quid Imperator Antoninus non utique Chriſtianus de hac re conſtituerit: ubi maritus uxorem de adulterii crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum: ita ut ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe convicerit. Nam ſupradicti Imperatoris hæc verba ſunt, quæ apud Gregorianum leguntur. Sane, inquit, litteræ meæ nulla parte cauſæ præjudicabunt. Neque enim ſi penes te culpa fuit, ut matrimonium ſolveretur, & ſecundum legem Juliam Euſtaſia uxor tua nuberet, propter hoc reſcriptum meum adulterii damnata erit, niſi conſtet eſſe commiſſum.

Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuiſti. Periniquum mihi videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet. Quæ res & poteſt virum damnare, non ob compenſationem criminis mutui rem inter utrumque componere, vel cauſam facit tolerare. Si hæc obſervanda ſunt propter decus terrenæ civitatis, quanto caſtiores quærit cæleſtis Patria, & ſocietas Angelorum? Quæ cum ita ſint, numquid ideo minor eſt, an potius major & pejor virorum impudicitia, quia ineſt illis ſuperba & licentioſa jactantia? Monſtratur igitur Doctoris auctoritate præſentis, parem uxoris maritique culpam communi pœna feriendam: non licere viro, quod non licet uxori: & ſicut illa non ſervando fidem marito mœchatur, ſic & vir fidem non ſervando uxori mœchus habetur.

His breviter prælibatis, qui vult hujus auctoris ſententiam ſuper hac re plene cognoſcere, libros legat, de quibus iſta decerpſimus: & videbit, quia ſi uxor dimittitur, alii ſecundum Evangelicam doctrinam ſociari nuptialiter non poteſt, nec tale matrimonium conjugium appellandum, ſed potius adulterium. In Canonibus Apoſtolorum: ſi quis Laicus uxorem propriam pellens alteram vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur. Item in Concilio Africano: placuit ut ſecundum Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, neque dimiſſus ab uxore neque dimiſſa à marito alteri conjungatur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur: In quam cauſam legem imperialem petendum promulgari. In Decretali Innocentii Papæ: Et illud deſideratum eſt ſciri, ut communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in conſortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat: ſed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud ſacerdotes deferre conſueverunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commiſſo non facile quisquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: rectè utique ſummovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit. Hoc capitulum propterea interpoſitum eſt, ut videamus in adulterii crimine parem eſſe pœnam tam viri, quam uxoris: quamvis in uxore facilius ſolet puniri, non diſpari cauſa, ſed ceſſante delatore. Duo vero ſuperius capitula cum ſententiis patrum ſuppoſitis conveniunt: videlicet ut uxore dimiſſa vel marito dimiſſo, aut ſibi reconcilientur aut alteri non nubant.

Hactenus quod egimus, probare contendimus, quod is, de quo agitur, aut cælebs manere, aut uxori debet reconciliari, ſi tamen divinis literis vel authoritate patrum maluerit obtemperare. Quod autem opponitur, non fuiſſe copulam illam legitimum matrimonium, quia non virgo nupſerit marito, ſed corrupta, & hoc à fratre; quidquid ante fuerit, priuſquam nupſerit, ſi fidem, poſtquam nupſit marito, caſtitatem tenendo ſervavit, antiqua corruptela poſteriori caſtitati non præjudicat. Licet fuerit meretrix, licet proſtituta, licet multis corruptoribus expoſita, ſi nuptiale incontaminatum fœdus ſervaverit, prioris vitæ maculas poſterior mundicia diluit. Dicit enim Apoſtolus: *Et* [h] *hæc*

(*h*) I. Corinth. VI.

hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Hinc beatus Auguſtinus ad Pollentium ſcribens, ait: quod autem tibi durum videtur, ut poſt adulterium reconcilietur conjux conjugi; ſi fides adſit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptiſmate ablutos vel pœnitentia credimus eſſe ſanatos? Videmus igitur, quod prioris vitæ corruptionem ſanctimonia conjugali credere debeamus eſſe mundatam; & quod deletum eſt vel baptiſmo, vel pœnitentia, id eſt, continentiæ profeſſione, cujus teſtimonium conjugii pacta confirmant, non debet denuo in culpam vocari: nec deputari immundus, qui ſordes pollutionis abjiciens, caſtitatis mundiciam conjugali fœdere diligenter conſervat. Nec contra Apoſtolicam doctrinam Eccleſiæque fidem videamur venire. In Concilio Agathenſi, De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos; quos etiam deſignare funeſtum eſt. Hactenus ex præſenti capitulo, in literis quas meminiſtis poſitum recognoſcitis; volentes; qui poſuerunt probare, quod conjugium, de quo agitur, inceſtum potius, quam conjugium ſit appellandum. Sed videamus ſequentia, hos enim eſſe cenſemus, ſubauditur, inceſtos. Si quis relictam fratris, quæ pæne prius ſoror exſtiterat, carnali conjunctione polluerit. Si quis fratris germanam uxorem acceperit. Si quis Novercam duxerit. Si quis conſobrinæ ſe ſociaverit. Si quis relictæ vel filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ, aut privignæ ſuæ, aut ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem: quos omnes & olim atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus.

Hinc igitur videmus inceſtum eſſe vel deſignari conjugium, ſi conſanguineam, vel quam conſanguineus habuit, ducat uxorem; & tales nuptias reprobandas. Perſonæ vero de quibus agitur, nulla ſibi ſanguinis propinquitate copulantur. Etſi dicitur à fratre polluta. Non fuit tamen in uxorem accepta. Et vel latet, vel purgata eſt culpa; vel nullis certis teſtibus comprobatur. Idoneo deficiente accuſatore ſeu manifeſta convictione, vel quod delictum eſt in adoleſcentia, puerili fragilitate purgavit ſatisfactio emendatione congrua per maritalem confederationem; ſiquidem in majorum conſtitutis exempla nos docent, adoleſcentiæ lapſibus quantum indulgeri oporteat: ſiquidem adoleſcentem cum ſorore lapſum pœnitentiæ remedio dicunt eſſe ſanandum, non à conjugio penitus removendum. Quæ res ex Sanctorum dictis manifeſte comprobatur. Unde ſuperiori capitulo, nuptiæ, quas dicimus, non videntur comprehendi, quia remotæ ſunt à ſanguinis propinquitate. Nam etſi carnalis quædam per lubricum ætatis pollutio ſubripuit, delendum eſt pœnitentiæ remedio, non puniendum ſeparatione conjugii: nec maritus in uxoris lapſu polluitur, ſi nec opere nec conſenſu miſcetur. Denique ſi quemadmodum fertur, illa pollutionem incidit; quid ad virum pertinet, ſi cum ea caſte vixit? Aut quomodo conjugis pollutio conjugem polluere poteſt, ſi caſte, poſtquam nupta eſt, vixit cum conjuge? Nec timendum, ne maledictio ſit maritus cum tali junctus, propter illud, quod Salomon dixit: *Qui* (i) *tenet adulteram ſtultus eſt:* quoniam poſtquam ei nupſit, caſtitatem ſervavit. Non enim antiqua reputanda ſunt delicta, ſi melior converſatio jam purgavit illa. ſicut enim infidelis jam non eſt infidelis, & ſicut humilis jam non eſt ſuperbus, & ſicut Sanctus jam non eſt immundus; ſic caſtus jam non eſt impurus: ſic quoque conjugium continentiæ ſanctitate mundum adulterii ſordibus non eſt addictum. Quamvis forte contingat, ut priuſquam nubant, uterque ſexus per quædam illicita ſe polluerit. Unde quamvis quondam illa contraxerit fortaſſis, priuſquam nupſerit, corruptionem, nupta tamen non legitime vocabitur adultera, caſtitatis fidem ſi ſervaverit marito. Quod ſi ita eſt, quomodo poteſt fornicationis cauſa dimitti à marito; quandoquidem caſta manſit cum ipſo, quidquid uterque ante corruptionis pertulerit, & non ſit licitum ſolvi matrimonia, niſi fornicationis interceſſerit nævum? Nec hujusmodi nuptias eſſe velut inceſtas deputandum: quoniam etſi prius fortaſſis inceſta fuit, jam tamen non eſt, quod fuit, dum

[i] Prov. XVIII.

dum legitimum tori fœdus inivit, & vivendo caste cum legitimo conjuge, damnavit illud, quod ante fortassis per adolescentiam admisit. Nam si volumus perpendere, omnem illicitum coïtum incestum esse non dubium est: sed Canones cum de incestis præscribunt, de conjugatis loquuntur, non de his, qui non licite passim coïerunt, quos vel luxuriosos vel adulteros vocari manifestum est. Adulteros si in matrimonio constituti, fidem sibi vel unus eorum non servando, illicitum cum alieno vel aliena exercet coïtum. Ceterum vel qui nondum nupti sunt, vel qui intercedente morte separati sunt, si concumbant cum alieno vel aliena, non tales adulterio, sed luxuriæ crimine denotantur. Ac propterea de talibus cum canones loquntur, non incestos vocant, quoniam omnis illicitus coïtus incestus (*k*) est; sed corruptionis libidine pollutos. Qua de re nec ille de quo agitur, illam si teneat, quæ dicitur à fratre polluta, vocabitur incestus, vel quasi adulteram tenens; quandoquidem illa nondum fuerat adultera nondum habendo maritum, quamvis non servando castitatem fuerit polluta: (*l*) nec cum abnegato facinore conjugii castimoniam delegit, & fidem marito servavit, potest sancta, non adultera, ita nec incesta vocari. Quidquid enim antequam nupserit, egerit, in eam redundat, non in maritum: & si se purgavit ab illis, & postquam nupsit, casta permansit, non est, jam quod fuit. Dicit namque beatus Augustinus in libro de bono conjugali: mulier si fide conjugali violata, fidem servat adultero, utique mala est, si nec adultero pejor est. Porro si eam flagitio pœniteat, & in castitatem rediens conjugalem pacta ac placita adulteria rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit. Nulli dubium, quod mulier adultero juncta polluta sit; sed si rediret ad proprium torum adultero repudiato, & caste vixerit; secundum beati Augustini auctoritatem jam non debet vocari adultera: nec is, qui ei conjungitur, judicabitur tanquam stultus, vel est sub maledicto veluti adulteram tenens; quandoquidem jam non sit adultera, adulterii flagitium quæ respuit, & cum viro suo vivere deinceps delegit. Alioquin si quæcunque committuntur ante nuptias, postquam nuptum fuerit, in crimine detineantur; licentia non modica tribuitur, & viro, & mulieri solvendi conjugium. Ut de mulieribus taceam, rarus aut nullus est vir, qui cum uxore virgo conveniat. Et si prioris vitæ maculas liceat maritum in litem constituere, judicabitur tanquam adulter, vel quia concubinam habuit, vel quia fortassis fornicatus est, antequam nupserit. Sed nulla lex hoc dicit; neque auctor quisquam conatur hoc adstruere: immo videtur iniquum, & nulla fultum auctoritate, ut judicium subeat ex eo, quod jam vel pœnituit vel damnavit. Unde videtur juste retineri posse matrimonium, de quo agitur; nec posse judicari maritus tanquam vel incestam vel adulteram retineat; quandoquidem jam non sit nec incesta, postquam legitime nupsit, nec adultera possit dici; cum etsi aliter coïerit ante, non postquam nupsit, hoc egerit. (*m*) Et quidem talis coïtus luxuriæ, sed non adulterii. Hæc quidem rogati sequentes Patrum dicta scripsimus: ceterum an recte dicta sint, vos judicabitis.

(*k*) *Pro:* non est. (*l*) *Forte:* & cum. (*m*) Forte est.

Labbé hanc Contestationem Hlotharii, & sententiam Episcoporum in tertio Concilio Aquisgranensi edidit, acceptas à Cardinali Francisco Barberino; qui per Lucam Holsteinium ex codice Palatinæ Bibliothecæ in Vaticano asservatæ, eas descripserat. *Ex Labbéo Harduinus edidit Tomo V. Concilior.*

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA XIII.

AD EPISCOPOS, LEGATOS, IN FRANCIAM MISSOS.

Mittit ad eos Commonitorium pro causa Teutbergæ, in Synodo Metensi reformanda.

REVERENDISSIMIS, ET SANCTISSIMIS RADOALDO, ET JOANNI EPISCOPIS.

QUemadmodum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideles estis, & Apostolicæ Sedis columnæ existitis; ita custodientes omnia secundum priorem præceptionem nostram peragere festinate, & METIS Apostolica auctoritate Synodo evocata, nostra jussa perficite. Quodsi Synodus Episcoporum se illuc minime collegerit, aut Hlotharius veniente distulerit; tunc vos ad eum pergere studete, & nostra jussa, atque instituta declarate: Et deinde cum pro causa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioso Regi Epistolas *Synodicas*, & has, quas nunc vobis dirigimus pariter cum *Commonitorio* præsentibus cunctis ostendite. Et non solum ei, sed omnibus Episcopis, & universis Fidelibus hoc notum facientes palam legere, & denuntiare studete. Præterea scitote à nobis vestræ Sanctitati duas dirigi Epistolas vice ablatarum, unam Carolo Regi, secundam vero uxori. Episcopis autem Galliæ, & Germaniæ alteram cum hac ipsa ad vos destinata mandamus.

Binius Conciliorum Tomo III. Parte I. Appendicis Epistolarum Nicolai I. Sirmondo Epistola XIII.

COMMONITORIUM NICOLAI PAPÆ,

LEGATIS SUPRADICTIS DATUM.

NICOLAUS, RADOALDO PORTUENSI, ET JOANNI FICOCLENSI EPISCOPIS.

HLotharius Rex profitetur Waldadram se à Patre accepisse, & sororem postmodum admisisse Hucberti. Ubi primum diligenti investigatione inquirite, & si eundem gloriosum Regem prædictam Waldadram præmissis dotibus coram testibus secundum legem & ritum, quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse, & publica manifestatione eadem Waldadra in matrimonium ipsius admissa est; restat, ut perscrutemini, cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem gloriosus Rex metu Theutbergam admisisse se dicit; Vos illud Evangelium recolite, quo Dominus: *Nolite*, inquit, *timere eos*, *qui corpus occidunt*, & iterum ait: *Quid prodest homini*, *si universum mundum lucretur*, *animæ vero suæ detrimentum patiatur*? In quibus dominicis sententiis considerandum est, quod si occisores corporum timendi non sunt, contra justitiam hominem impellentes, & lucrum totius mundi non prosit homini anima perdita, quanto minus metu unius hominis tantus Rex debuit contra Divinum præceptum in immane præcipitium mergi? in hoc certe se magis reprehensibilem ostendit, in quo amori mundi amorem Dei postposuit. Ubi nihil vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem Rege convicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem nostra

nostra vice freti, causam illius definiatis. Sin vero minime probatum fuerit, Waldadram uxorem fuisse legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis per benedictionem scilicet Sacerdotis, filio nostro Hlothario extitisse conjunctam: suggerite illi, ut non moleste ferat legitimam sibi, si ipsa innocens apparuerit, reconciliari uxorem: nec in hoc carnis voci obtemperet, sed potius Divinis præceptis obediens, pudeat eum, immo pertimescat in luxuriæ stercore putrefieri, & voluntatem propriam sequendo ante tribunal Christi strictam ponere rationem. Præterea vos scire volo, quia præfata *Teutberga* Apostolicam Sedem bis, & ter appellavit, & se à præfato Rege glorioso questa est injuste fuisse dejectam, & vi coactam falsam contra se composuisse piaculum. Nam eo tempore ad Apostolicam Sedem libellum appellationis suæ misit, in quo non quidem adhuc confessam, sed ut contra se falsum diceret crimen, cogi se se innotuit. Insuper subjungens, quodsi amplius compulsa fuero, scitote non veritate, sed timore mortis, & evadendi studio, quia aliter non possum, quod voluerint, dicam. Vos autem memores estote mei, hæc vobis insinuantis. Unde præcipimus vobis, ut cum eadem Teutberga ad condictam Synodum, sicut statuimus, advenerit, causam ejus diligenti examinatione tractetis: &, si ei objicitur, quod illa crimen se aliquod admisisse confessa fuisset, & contra illa violentiam se pertulisse proclamaverit, vel si inimicos sibi judices fuisse testata fuerit; tunc illud renovetis judicium secundum æquitatis normam, ut injustitiæ mole non opprimatur.

Binius in Appendice nova Epistolarum Nicolai Papæ pag. 535. Tomo III. Concil. Part. I. Sirmondus Tom. III. Concil. Galliæ Ep. XIII. Nicolai.

Rodoaldus, qui in Legatione Apostolica ad Synodum Metensem anni 863. prævaricator inventus est, pecuniâ Regis Hlotharii corruptus (*ut Rhegino testatur*) magis favens iniquitati, quam æquitati, fuit à Nicolao Papa anno 864. in Concilio Romano ab Episcopatu depositus & excommunicatus.

Baronius colligit hanc Synodum ex Epistolis Nicolai in Orientem scriptis VII. & X. apud Binium.

Binius Tomo III. Concilior. Parte I. qui LXX. Epistolas Nicolai Papæ edidit præter Responsa ad consulta Bulgarorum, & Appendicem adhuc XIX. Epistolarum Nicolai nunquam antea editarum.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
LOTHARIO REGI. (*a*)

SUMMA. Legatos ad Synodum cogendam mittit, ad quam præcipit duos de Caroli regno Episcopos accedere, sicut de Ludovici patrui, & Caroli fratris ejus regno binos alios convenire jusserat.

Regalis Excellentia vestra nuper Apostolatui nostro direxit, ut pro facienda Synodo missos è latere nostro dirigere dignaremur: quod nos & ante litterarum vestrarum preces, & postmodum facere desiderio ardenti cogitavimus. Sed quia multis Sanctarum Ecclesiarum Dei utilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter ut volebamus eos destinare nequivimus. Nunc autem, Domino nostro Jesu Christo favente, Legatos Sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, duos reverentissimos Episcopos, *Rhadoaldum* Sanctæ

(*a*) Filio Hlotharii Imperatoris secundo genito, I. Regi Lotharingiæ, nepoti Ludovici Germaniæ Regis, & Caroli Calvi Franciæ Occidentalis Regis.

Sanctæ Portuenſis (*b*) Eccleſiæ, & *Joannem* (c) *Sanctæ Ficoclenſis* [d] Eccleſiæ, delitioſos noſtros, quorum adventu atque præſentia Dei Sacerdotum Synodus congregetur, transmittimus: ſicut noſtris vobis jam pridem direximus litteris, quibus magnitudini veſtræ intimatum eſt, binos Epiſcopos de regno Ludovici Regis patrui veſtri, & Caroli Regis fratris veſtri, ad ipſam Synodum convenire debere. Nunc autem volumus, atque litteris noſtris directis jubemus, ſimiliter duos de regno Caroli glorioſi Regis patrui veſtri ibidem ſine aliqua ambiguitate adeſſe. Quas ſane litteras nobilitati veſtræ dirigentes, petimus ut eas ipſi Carolo Regi de præſenti per veſtrum fidelem hominem transmittatis: quatenus & duo regni ejus Epiſcopi, ut diximus, ad præfatam Synodum, quæ auxiliante Domino congreganda eſt, cum noſtris pariter legatis valeant convenire. Quos ſane Apoſtolatus noſtri legatos excellentia veſtra digno honore ſuſcipiat, & familiaritatis eis locum concedat, ut Domino auxiliante, cum ad nos fuerint reverſi, digna nobis de parte veſtra nuntiantes, maximas Deo gratias referre, & Apoſtolicæ vos benedictionis munere ditare poſſimus, congaudentes ſane in veſtræ humilitatis devotione fideli. Dextera vos ſupernæ Majeſtatis illæſos conſervare per tempora longa dignetur. Data IX. Kalendas Decembris. Indictione IX.

Binius. *Sirmondo ſexta.*

(*b*) Radoaldus jam in Legatione Conſtantinopolitana maculam non levem incurrerat, & in Synodo Romana à Sacerdotii gradu & Fidelium communione dejectus.

(*c*) Joannes hic alias Caganus vocatur Reginoni.
Nicolaus primus VIII. Kalendas Majas anno 858. præſente Ludovico II. Imperatore coronatus fuit. Obiit Idibus Novembris 867.

(*d*) Ficocla hodie *Cervia*, urbs Epiſcopalis maritima Romandiolæ Provinciæ.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
CAROLO GLORIOSO REGI.

SUMMARIUM. Ut duo de ejus Regno Epiſcopi ad Synodum Metis cogendam proficiſcantur.

SEdes hæc Sancta atque præcipua, cui Dominici gregis eſt ſolicitudo curaque commiſſa, in omnibus mundi partibus rectitudinis ſuæ diſpoſitione ſalubri cuncta ordinare proficereque divino freta procurat auxilio: & quod ſingulari pro auctoritate perficere valet, multorum ſæpe Sacerdotum decernit definire conſenſu; & juſtitiæ cenſura ea ſcilicet emendanda deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commiſſa. Unde veſtræ regali Deoque amabili excellentiæ notum eſſe volumus, quia ad futuram Synodum, quæ Metis civitate Lotharii Regis nepotis veſtri pro Teutberga ſorore Hucberti Clerici, & Waldrada congreganda eſt, duos de regno veſtro Epiſcopos, quos prudentes atque veraces vos eſſe cognoſcitis, convenire jubemus: qui una cum ſanctæ ſedis noſtræ legatis, quos illuc, Domino auxiliante, nunc deſtinamus, & aliorum venerabilium Epiſcoporum cœtu, qui ad eamdem Synodum conveniendi ſunt, ſubtili cuncta indagatione, rectaque valde inquiſitione, ſecundum Deum, & venerabiles Sanctorum patrum inſtitutiones examinare ac definire decertent. Nam & Ludovico glorioſo Regi, fratri veſtro, ſimili modo litteras noſtras direximus, duos regni ſui Epiſcopos ad ipſam Synodum convocantes, quatenus in omnibus, quæ ibi ſtatuenda ſunt, rectitudo vigeat, juſtitia polleat, & falſitate fugata veritas ſplendeat: ut venerabili Sacerdotum Dei certamine Chriſti Eccleſia ab omnibus inconcuſſa conſiſtat adverſis. Quos ſane in veniendo Epiſcopos, & ad jam dictam Synodum juſſione noſtra volentes accurrere, veſtra non retardet nobilitas: ſed pro Dei amore ipſos abſque temporis protelatione ad præfatam Synodum ſinatis accurrere. Data nono Kalendas Decembris Indictione XI.

Sirmondo VII.

NICO-

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI, LUDOVICO IMPERATORI, PRO SYNODO.

SUMMA. Commendat Legatos pro causa Lotharii fratris ejus in Franciam missos.

AUgustæ Serenitatis Magnitudini vestræ, imperiali fulgente decore, his Apostolatus nostri litteris innotescimus, quia multis & quotidianis Ecclesiarum Dei solicitudinibus & utilitatibus, quibus nos vigilanter insistere decet, præpediti, Missos nostros, pro perficienda Synodo, quam pro causa Lotharii gloriosi Regis, Fratris vestri, nostra Apostolica fieri auctoritate decrevimus, tam celeriter, ut inter nos statutum est, in Franciam destinare nequivimus. Et quoniam Ecclesiasticæ rectitudinis & utilitatis zelo, quo nos semper fervere oportet, accensi, Legatos nunc sicut diximus nostros, duos Venerabiles Episcopos Rhadoaldum videlicet Sanctæ Portuensis Ecclesiæ, & Joannem Sanctæ Ficoclensis Ecclesiæ Antistites, dilectiosos nostros, illuc pro ejusdem rei, quam scitis, negotio canonicè diffiniendo direximus. Quos Clementia vestrâ benignè suscipiat, eisque fidelem atque prudentem tribuat hominem, qui eos usque ad locum, quo à talibus suscipiantur hominibus, quorum comitatu ad prædictum Regem Lotharium fratrem vestrum illæsi valeant pervenire, securos & quietos, omnique suavitate deducat. Quia pro communi Ecclesiæ pace atque consensu duos Episcopos de regno Caroli Regis Patrui vestri, ad ipsam Synodum, quæ Domino auxiliante in Metis civitate congreganda est, Sedis Apostolicæ missa vocatione convenire præcipimus: qui una cum Missorum nostrorum præsentia, & aliorum Sacerdotum Conventu, quod diffinire oportet, juste, canoniceque decernant. Data IX. Kalendas Decembres, Indictione XI.

Sirmondo VIII. inter Nicolai Epistolas.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI, OMNIBUS ARCHI-EPISCOPIS PER GALLIAM ET GERMANIAM CONSTITUTIS.

SUMMA. Ut ad Synodum Metensem cum Legatis accedant, ibique audito Lothario, ejus divortii causam cognoscant & canonice definiant.

INcognitum vobis esse non credimus, qualiter pro duabus feminis Lotharii Regis, Ecclesiæ Dei facies illiciti connubii nævo aspersa sit, vel qualiter una repulsa idem Rex alteram sibi sceleratissime copulaverit. Quarum prior Theutberga nomine pro sui repudio acriter dolens per emissam Legationem super hoc negotio sedis nostræ expelivit judicium. Ex qua re unius partis causam sine altera judicare, Canonicum fore minime duximus. Statuimus ergo, fraternitatem vestram Metis collectam, pariter cum Legatis nostris ejusdem Lotharii causam audire, & canonice communi sententia diffinire. Itaque juxta statutum nostrum cum duos illas in partes fratres nostros destinaremus Episcopos, accidit ad nostram notitiam pervenire, quod Lotharius, legitima & prima repulsa muliere, secundam sibi adsciverit conjugem, neque sedis nostræ petitum ac

ac promiſſum judicium exſpectans, neque canonico judicio uſpiam ſuccumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, niſi quia ibi plurimorum judicium prævenit, ibi ſuo judicio prævaricatorem ſe indicavit? Et ideo univerſaliter hanc Fraternitati veſtræ Apoſtolicæ auctoritatis Epiſtolam deſtinavimus, ut Chriſtianæ Religionis zelo accenſi, pariter cum Miſſis noſtris Metim proficiſcamini; illucque Lotharium convocantes audiatis, & in eum Canonicum judicium proferatis. Quod ſi venire diſtulerit, & à præſentia ſe ſynodali præſentibus Legatis noſtris ſubduxerit, & ad pœnitentiam ac ſatisfactionem repedare minime curaverit, ita ut præſentialiter ad Synodum coram Miſſis noſtris ſatisfacturus, & à ſcelere receſſurus occurrat; illum de cetero excommunicatum reddemus, & quamdiu in hoc permanſerit, à totius Eccleſiæ conſortio faciemus exſortem.

Sirmondo XI. inter Nicolai PP. Epiſtolas.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
OMNIBUS REVERENTISSIMIS ARCHI-EPISCOPIS, CONFRATRIBUS NOSTRIS, & EPISCOPIS IN CONCILIO RESIDENTIBUS, QUOD METIS CELEBRATUR.

Ut Theutbergæ cauſam examinent ac definiant, Conciliique Acta ad ſe mittant.

Reverentiæ Sacerdotali nunc debitus honor impenditur, cùm eos in omnibus, quæ ab illis ſub æquitatis libramine geri debent, trutinam miſericordiæ cum lance rectitudinis tenere conſpicimus; & tenendo nullius favore retenti, aut quorumcumque terroribus permoti, vel etiam numeroſis pecuniis, aut honorum amplitudinibus à tramite juſtitiæ quoquomodo inclinati permutantur. Sed quantum eis erga proximos in diſcutiendo cura conceditur, tantum his ſine perſonarum acceptione ad ſui cuſtodiam pavor cum zelo rectitudinis procul dubio adhiberi debet, ne immemores illius Apoſtolicæ ſententiæ videantur, dicentis: *Unusquiſque* (a) *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Nam cum inter multarum Eccleſiaſticarum rerum, quæ ad ſalutem & fidei ſoliditatem populi Dei pertinere videntur, noſter Apoſtolicus animus cauſas extenderetur; de quarumdam fœminarum controverſia, Theutbergæ ſcilicet atque Waldradæ, admodum quorumdam referentium, quia paſtoralis nos cura ad audiendum commoverat, relatio intentos reddidit, & ne aliquo violentiæ morbo per deſidiam grex fatigetur Dominicus, ad medelam recuperandæ ſanitatis ardore caritatis ferventius invitavit. Prædicta quippe Teutberga multis vicibus ſedem Apoſtolicam lacrymoſis litteris ſtuduit appellare: in quibus affatu flebili puram ſe, quo accuſatur crimine, inquit, atque inſontem. Ad quod negotium & judicii diſcretionem, ſicut jam veſtram fraternitatem per Apoſtolicos apices commonere decrevimus, Apoſtolico vos hortamine adeſſe volumus. Quatenus à Pontificii noſtri latere venientibus Miſſis, Synodicam illic celebrationem, Apoſtolica fulti auctoritate, cum fraternitate veſtra præſidentibus adunare debeatis; & una cum eis vigilantius ſine doloſitatis macula, vel fomento invidiæ, aut odii nutrimento, quæ poſſunt homines à via veritatis pervertere, & à calle rectitudinis, proh dolor! declinare, ſemper Deum præ oculis habentes, perſonas Principum & terrores, qui ad tempus inſurgunt, & in tempore finiuntur, contemnentes; quid in his juſtius, quidve veracius, cum fatis Miſſis noſtris invenire volueritis, horum conſenſu diffinire, & ſtatuere procul dubio ſtudeatis, caventes hoc, quod per Prophetam dicitur: *Væ* (b) *his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum:*

(*a*) I. Cor. III. (*b*) Iſai. V.

num : qui ponunt tenebras lucem , & lucem tenebras : qui dicunt dulce amarum , & amarum dulce. Nam & Evangelica inter cetera quæ nos ad bene vivendum inſtruit, ſententia admonet dicens : *Nolite* (c) *judicare ſecundum faciem , ſed juſtum judicium judicate.* Pſalmiſta quoque ait : *Si* [d] *vere utique juſtitiam loquimini, juſta judicate filii hominum.* Igitur cum multa ſint , quibus veſtram fraternitatem , non oblivionis aut ignorantiæ cauſa de vobis judicantes , ſed caritatis ſtudium amplectentes , commonere poſſumus : ideo ſufficere credimus , quia ad plura vos & Evangelicæ atque Apoſtolicæ, Propheticæque lectionis dogmata in talibus memoria tranſcendere non dubitamus. Tantum eſt , ut cum æquitatis juſtitia in præſenti examinatione , ſine aliquo dolo vel invidiæ macula , ſicut præfati ſumus , quia Deo præſente adſiſtitis , proximorum cauſas, cum jam dictis Miſſis noſtris, ita juſtè & irreprehenſibiliter cum Dei timore diffinire ſatagatis , ut illorum in omnibus , veſtræque ſanctitatis conſenſus , atque judicium æquitate fulgere videatur. Nam ſi vos vel illos ad aliquam partem , pro cujuſcumque favore à Canonicis , & Sanctorum Patrum inſtitutionibus , quod non optamus, declinare perſpexerimus , arguere non dubitamus. Si vero aliarum Eccleſiaſticarum utilitatum in eodem Concilio res acciderint , digno examine pertractantes eas cum Dei timore diffinire ſatagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta , in qua diffinitionis ponere nequiveritis fortaſſe cenſuram , noſtro eam judicio reſervare ſancimus. Statuimus autem , ut cuncta , quæ in eodem Concilio peracta fuerint , ac diffinita , noſtro præſulatui geſtorum ſerie incunctanter ſignificetis : ut ſi ea , juſtitiæ pulchritudine probabilique ſanctione diffinita perſpexerimus , Deo omnipotenti gratias referamus : ſi vero injuſtitiæ , quod nolumus , & contrarietatis fuerint acta intentione , ea renovare ſummopere jubeamus. Miſſos quidem noſtri Pontificii , ut in prima Epiſtola veſtræ dilectioni ſignificavimus , pro quibuſdam Eccleſiaſticis utilitatibus quibus fuimus occupati , deſtinare nequivimus. En Chriſto juvante , ſtrenuitatis pollentes ſcientia atque doctrina , reverentiſſimos nunc dirigere Miſſos decrevimus , Rhadoaldum ſcilicet atque Joannem Epiſcopos, delitioſos & conſiliarios noſtros, qui prædictum cum veſtra ſanctitate Concilium , ut protulimus , ſtudeant celebrare. Omnipotens Deus , qui vos ſacri regiminis culmine perornavit , veſtræ beatitudinis corda rectitudinis , & juſtitiæ claritate repleat atque decoret, ut in omnibus veſtris actibus æquitatis videamini plenitudine rutilare. Data Kalendas Decembres. Indictione XI.

Sirmondo XII. inter Epiſtolas Nicolai, poſt Baronium & Binium.

(*c*) Joann. VII. (*d*) Pſalm. LVII.

CONCILIUM METENSE.

Anno Chriſti DCCCLXIII. Nicolai Papæ VI. Caroli Calvi Regis XXIII. Ludovici Germanici XXIII.

De Divortio Lotharii & Theutbergæ Reginæ , præſentibus Legatis Apoſtolicis, & Epiſcopis ſolius Regni Lotharingiæ.

IN regno Lotharii pro eo , quod dimiſſa uxore legitima alteram duxit, Synodus in Mettis congregata eſt omnium Epiſcoporum ejus (Lotharii) præter Hungarium Trajectenſem, quem ægritudo detinuit. Aderant & Miſſi Nicolai Romani Pontificis, ob eandem cauſam diligenter inveſtigandam directi. In quo negotio ventilato Rex factum ſuum, propter quod arguebatur, conſilio & auctoritate Epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Quod illi non inficiantes quaſdam aſſertiones rationum veroſimilium, quibus rei qualitatem munire niſi ſunt,

ſunt, oppoſuerunt, easque literis comprehenſas, ut Legati Apoſtolici ſuggeſſerunt, per Guntharium Coloniæ, & Theotgaudum Treverenſem, Galliæ, Belgicæ Archi-Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis Pontifici probandas transmiſerunt.

Annales Francorum Pithoeani ad hunc annum.
Regino & Annales Metenſes, plura hic errant, quæ Natalis Alexander & Pagius correxerunt.

Quam variis modis deluſa fuerit Sanctiſſimi Pontificis cura, breviter indico. 1*mo*. Non fuere Epiſcopi præſentes, quam ex ſolo regno Lotharii: literæ Pontificiæ ſcriptæ ad Ludovicum II. Imperat., ad Carolum Calvum, ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ fuerunt vel à Legatis, vel à Lothario retentæ, nec iis communicatæ. 2*do*. Teutberga, quæ jam bis & tertio ad Sedem Apoſtolicam appellaverat, ut Papa *in Commonitorio* dicit, citanda fuerat & audienda: nihil horum factum. 3*tio*. Waldradæ prætenſum ante multos annos connubium denuo examinandum erat. Nec hoc factum: imo Rex ex Conciliabuli Aquenſis ſententiâ cum Waldrada copulatus palam ſe oſtentavit, & in Epiſcopos Matrimonii hujus approbatores culpam rejecit. 4*to*. Legati pecuniâ corrumpi ſe permiſerunt, *ut Rhegino ſcribit*, & loco examinis Acta Conciliabulorum Aquisgrani recitata ſunt, & ab Adventio conſcripta, Romam miſſa fuerunt.

ADVENTII
METENSIS EPISCOPI,
LIBELLUS APOLOGETICUS,

Pro ACTIS in tribus Conciliabulis Aquisgranenſibus & Metenſi Romam miſſus, ex meris fictis & falſis conflatus.

AUguſtus divæ recordationis Lotharius per electionem populi, regni Romanorum creatus eſt imperator, arcemque Regni Francorum Regens, inter reliquias geſtorum ſuorum deliberationis filio ſuo Domino Lothario virginem nobilem nomine Waldradam, ſub nomine divinæ fidei tradidit, ut eam in Dei fide, & ſua, futuro tempore cuſtodiret, & obtineret. Et ut hæc copula juſta eſſe pateſceret, in prætitulatione dotis centum manſos glorioſiſſimo puerulo tradidit: qui nec dum ſuæ libertatis erat, licet futurus hæres patri; ſed ſub tutoribus, & actoribus manebat, ſicuti talibus loquitur Apoſtolus, dicens: *Quanto* [a] *tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo ſuo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à patre.* Verum quamdiu prædictus Imperator regni Francorum ſublimitatem obtinuit, præfatus puerulus datæ ſibi puellæ paterno munere inhæſit; quod non in angulo paratum fuit, quia veritas non habet angulos, ſed in publico Pontificum & Optimatum ſpectaculo, ſicut pædagogi ejus teſtantur, etiam & avunculus ejus Leutfridus. Domino Imperatori Lothario migrante, in ipſis diebus paterni luctus: Hucbertus (*) Acefala cum ſuis complicibus, ſororem ſuam nomine Teutpergam Domino Regi Lothario clariſſimo adoleſcentulo adduxit, & fraudulenter eam ſibi ſociavit, minans Regis eſſe periculum de ſtatu regni ſui, ſi ſuis non faveret hortamentis. Acquievit Rex, licet nolens, ſicut ipſe teſtatus eſt.

Fama peſſimæ turpitudinis Theutpergam ſequitur, & de inceſtuoſo concubitu fratris ſui Hucberti rea acclamatur, affertur ſcedula confeſſionis, ubi ſponte confeſſa legitur. Judicio conſulum damnatur, miſericordiâ præſulum

(*a*) Gal. IV.
(*) Nomen Hucberto fratri Teutbergæ Reginæ, Abbati S. Mauritii, Duci creato inter Juram & Montem Iovis, demum Abbati S. Martini Turonenſis (fuit anno 856. accuſatus multorum criminum, & à Benedicto Papa Romam citatus) affictum neſcitur à quo & cur?

lum ſalvatur, fugam capeſſit. Hujus facti notitiam per illuſtres viros piiſſimus Rex Dominus Lotharius Romam mittit, & cauſas rei pandere ſtatuit. Beatiſſimus Papa Nicolaus ratione comperta, delicioſos Miſſos Rodoaldum ſcilicet Portuenſem, Joannem Fidiculenſem, (*b*) in Franciam mittit, & in urbe Metica generale (*c*) Concilium celebrare decernit. Ubi præſentiam ſuam glorioſiſſimus Rex Lotharius, cum univerſo Primatum ſuorum, nobiliumque conſiliorum Comitatu oſtendens, in Sancta Synodo reſedit, ibi cauſas ſuæ actionis in conſpectu Legatorum Romanæ Sedis expoſuit, quomodo in fide Dei genitor ſuus excellentiſſimæ memoriæ Dominus Lotharius perpetuus Auguſtus, & virginem prænobilem manu propria tradiderit, & reliqua quæ ſupra enumeravimus. Quod vero Teutperga reatûs ſui culpam publice confeſſa fuerit, in prædicto Concilio, quod Metis (*d*) civitate paratum eſt, ſenatores univerſi regni Francorum perficere ſe acclamaverint. In quibus prudentia tam temporalis quam ſpiritalis refulget, quorum patres, proavi, & atavi Romanorum conſilii maturitate rexerunt imperium, quorum ſtirpem tempore Auguſtorum Domini Ludovici Imperatoris, & magnificentiſſimi Lotharii ſemper titulo conſulatus exornatam intuitus ſum. Horum ſpecialem conſilii prærogativam nequaquam abjiciendam univerſitas acclamavit: quippe cum nec criminum eis damnoſitas objiciebatur, ſed probitatum ingenuitas laudibus efferebatur. Quapropter quia paſſim plurimi varie de his opinantur, & multiplicia definitionum genera ponunt, quo affectu ſuper his tractaverim ac ſenſerim, reverentiæ fidelium elucidari curabo. Quando Imperator piiſſimus filii ſuo æquivoco, puellam nobilitate carnis inſignitam dedit, nondum eram Epiſcopali onere prægravatus, nec his interfui actibus. Teutperga cum introducta fuit, & ſecundum conjugium patratum eſt, niſi auditu penitus ignoravi. His rebus ità excurſis, expetitus à Clero, & electus à plebe, Epiſcopus Canonice conſecratus in his factis taliter ſenſi: Chriſtianiſſimus Imperator in fide Chriſti & ſua, Virginem filio dedit: fides Dei ſcortum non donat, ſed repudiat dicens: *Non* (e) *mæchaberis.* Et Pſalmiſta: *Perdes* (f) *omnes, qui fornicantur ab te.* Paulus qui fide Dei præcinctus erat, clamat: *Hoc*, (*g*) inquiens: *Scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*, qui portans ſtigma Jeſu in corpore ſuo, hoc eſt, vexillum fidei, non fovet adulteros, ſed cuſpide ſacri flaminis terebrat dicens: *Neque* [h] *adulteri regnum Dei poſſidebunt.* Dominus qui fidelis eſt, & dat Sancta David fidelia, & orthodoxo Imperatori Lothario non abſtulit poteſtatem conjungendi filium ſuum, cum quacunque puella decreviſſet, in Evangelio dicit: *Qui* (i) *dimiſſa uxore alteram duxerit, mæchatur.* Unde oportet, ut hæc audientes, pio & devoto ſtudio paternos Canones audiant ac ſervent, quia terminos patrum nunquam transgredi oportet. Nam ſacri Canones paterno munere mulierem datam culpa carere proclamant. Imperator qui culturæ Divinæ deditus erat, fornicationis deteſtabili facinore filium uti non permiſit, Lotharium Regem, cujus profeſſio, & omnium Senatorum talis extitit, de copula Walradæ, quod eam genitor in fide Dei ſibi dederit.

De Teutperga vero, quod ſceleris ſui malum de horrendo impudenti fratris amplexu confeſſa, & comprobata fuerit, ſimiliter omnino proteſtati ſunt quæ non pavidis à nobis minis territa eſt, nec amœnis confota blanditiis. Ipſe autem ſecundum Apoſtolum faciens, ubi dicit: *Si fieri* [k] *poteſt, cum omnibus hominibus pacem habete*, & conſulum nobilium voces audiens, ſicut ſupra per ſuccedentia tempora exemplis annotavimus, quod audita & approbata ſunt Senatorum conſilia, in omnibus ſubſcriptionibus, & definitionibus noſtris hoc modo cenſuimus, ut ſi Teutperga confeſſa prædictum fuiſſet reatum, Regia ſocietate

(*b*) Ficoclenſem, corrigit Editor Baronii.
(*c*) Imo Nationale ſolius Lotharingiæ fuit reipſa.
(*d*) Non Metis ſed in Conciliis Aquisgranenſibus.
(*e*) Exod. XX. [*f*] Pſalm. LXXII. [*g*] Epheſ. V.
[*h*] I. Cor. VI. [*i*] Matth. XIX. [*k*] Rom. XII.

cietate indignam esse censui. Et si Waldrada in fide Dei munere patris juncta esset Regi, fidem Dei non ausus fui blasphemare, ne forte perfoderet me Scriptura verbi jaculo dicens: *Blasphemos* (l) *ne patiaris vivere.* Apostolus licentiam dat, *ut* (m) *unusquisque in suo sensu abundet.*

Ex Codice Treverensi MS. edidit Illmus Baronius ad a. 862. *N. XXIX. & seq.*

[*l*] Levit. XXIV. [*m*] Rom. XIV.

SYNODICA EPISCOPORUM
EX CONCILIO METENSI ANNO DCCCLXIII.
EPISCOPORUM REGNI LOTHARII, QUI SUPRASCRIPTÆ SYNODO INTERFUERUNT,
EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM.

Exponunt, quid in Synodo Metensi actum sit, orántque, ne calumniantibus aures præbeat, priusquam Lotharii Legati in urbem veniant.

DOmino vere Sanctissimo, ac Beatissimo, totiusque Sanctæ Matris Ecclesiæ, pii Regis Christi sanguine acquisitæ, Pontifici, & universali Papæ Nicolao, Archi-Episcopi, & Coepiscopi in regno Domini, ac gloriosissimi Regis Hlotharii consistentes, in Christo Pastorum Principe, fidelia orationum vota, summæque felicitatis, & pacis gaudium. Apostolicis documentis, & Pontificialibus decretis multipliciter informamur, ut vestri Sanctissimi Apostolatûs apicem, Principis Apostolorum fide, & nomine consecratum, quoties sancta Ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus: ibique veri consilii saluberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi mitis Magister, Christus, & summum Caput nostrum, Fundamentum Ecclesiæ posuit. Et quia omnipotens Deus nostris jam periculosis temporibus misericorditer nobis vestræ auctoritatis jubar, faustissimis Divinæ Sapientiæ floribus, & sanctissimis virtutum studiis insignitum prævidit, illum laudamus, qui præstitit, ejusque clementiam votis imploramus assiduis, ut talem, ac tantum patrem nobis incolumem custodiat temporibus diuturnis. Quippe si temporum opportunitas arrideret, vestræ Sanctitati multum desideraremus nostram unanimem exhibere præsentiam. Sed hoc ne fiat malefidis Dei fluctuosa tempestas intercipit, ac multiplex rerum varietas impedire non cessat. Ille tamen, qui duobus mœstis in via apparuit, amplitudinem vestræ caritatis illò dilatare dignabitur, ut tandem aliquando de vestra desiderabili præsentia consolemur. Enim verò nec verbis fari, nec justæ æstimationis poterit compendio ponderari, quanta Divinæ legis instituta, quantave diu optatæ pacis incrementa à suo paulatim recto tramite exorbitantia, restaurari poterant, si vestræ dignationis visitatione frui mereremur. Revera totius humani generis inimicus zizaniorum sator, tanto amplius ovile Christi lupina rapacitate circuire non cessat, quanto citius Sanctorum gloriam appropinquare considerat: eoque largius venena suæ perfidiæ spargere satagit, quo abundare iniquitatem, & multorum caritatem refrigescere serpentino astu intelligit. Hinc est, quod virulenta, ac nefaria vitiorum germina, olim divina animadversione subversa, imo lethæo, ac flammivomo barathro justo Dei judicio deputata, quasi redivivis radicibus, heu, heu, frondescunt in frutice. Porro quod nos non sine gravi mœrore describimus, funesta vulnera, Divinis oraculis, atque Apostolico antidoto, in cæca gentilitate salubriter procurata, jam male fœtentia ad vestras iterum redeunt manus: impleturque illud Propheticum: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Sed unde modo pauca scripsimus per fratres nostros

Theut-

Theutgaudum Trevirensis Ecclesiæ venerabilem Archi-Episcopum, atque *Attonem* (a) Coepiscopum latius exponere curabimus. Per illos ergo vestræ Celsitudini pura, & viva voce, verbis, ac scriptis fideliter, ac veraciter significare desideramus, de quibus vestram Sanctitatem consulendam nostra decrevit unanimitas. De cætero prævios nostræ humilitatis apices vestris sacris obtutibus perferendos direximus, quia quorundam relatione comperimus, quod veritatis æmuli nostrique senioris Domini Hlotharii evidentissimi inimici admodum adversa velint in causa uxoris suæ, & hoc argumento falsitatis non modicas ordiri satagunt simultates; suosque Legatos ad vestram sanctam dignoscentiam mittere non verentur, & nostram nondum difinitam sententiam sinistra interpretatione prævertere conantur. Præsertim cum nostra unanimitas de uxore nostri Principis (si forte uxor dici debeat, quæ se Germano incestu maculaverat) nihil aliud hactenus determinaverit, nisi quod perspecto suæ confessionis libello publice confitenti remedio pœnitentiæ subvenire decrevimus. Inter hæc illa fuga (b) lapsa: unde humiliter petimus, ut vestræ Paternitatis, veræque charitatis anchoram solido figatis in littore, nullaque mendosi flatûs impulsione veritatis & justitiæ libra vacillet: sed fidissimus almifluentis factus (c) præscriptos Legatos Domini, ac Senioris nostri Hlotharii gloriosi Principis, & dilecti filii vestri præstoletur, ut fucata mendacia nullis se gaudeant delituisse latibulis. Oramus Sanctissimam Paternitatem vestram Summo Pontificatûs apice cœlitus sublimatam ad custodiam gregis Dei feliciter vigere, ac prosperato temporum cursu æternam nancisci remunerationem multum Veneran de, semperque desiderande Pater. Amen.

Sirmondus Tomo III. Concilior. Galliæ pag. 158. *post Aquisgranensia duo Concilia anni* 860. *collocat. Ego post* 3*tium anni* 862. *colloco.*

(a) Atto, Verdunensis Episcopus, sedit ab 855. ad 869. Secunda nunc vice Romam ablegatus: nam prima vice anno 862. ex Aquisgranensi Synodo ablegatus fuerat cum Theutgaudo & Gunthario.

(b) Theutperga, pœnitentiæ ex falsa causa sibi impositæ non se subjecit, sed ad Pontificem Nicolaum provocavit, & interim saluti suæ & securitati consulens ad Carolum Calvum confugit, cui & Nicolaus Papa eandem contra vim & machinationes Lotharii tutandam commendavit. Epist. L.

(c) *forte* flatus.

SYNODUS ROMANA
CIRCA KAL. NOVEMBR.
Anno Christi DCCCLXIII. Sub PP. Nicolao I. an. VI.
DE DIVORTIO HLOTHARII ET THEUTBERGÆ.

§. *I. Damnatio Conciliabuli Metensis anni hujus Mense Junio coacti.*
§. *II. Depositio Theutgaudi & Gunthari ab officio Episcopali.*
§. *III. In complices Episcopos comminatio, nisi resipiscant.*
§. *IV. Ingeltrudis Bosonis Comitis uxor vagabunda denuo excommunicatur, & eidem communicantes.*
§. *V. Anathema in violatores hujus & similium Apostolicorum interdictorum.*

NICOLAUS SERVUS SERVORUM DEI, REVERENDISSIMIS ET SANCTISSIMIS FRATRIBUS NOSTRIS ARCHI-EPISCOPIS IN REGNO LUDOVICI REGIS GERMANIÆ CONSTITUTIS.

SCelus, quod Lotharius Rex, si tamen Rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione ma-

magis ipsius illicitis motibus cedit ; in duobus fœminis Teutberga scilicet, & Waldrada commisit ; omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theotgaudum ; & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores atque factores ; pene totus nobis orbis undique ad limina ; seu Sedem Apostolicam confluens referebat ; absentibus quoque id scribentibus nostro Apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus ; quanto de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus ; donec ipsi Romam tempore Concilii venientes ; coram nobis, & *Sancta Synodo* tales inventi sunt, quales fuerant à multis sæpe prædicati ; ita ut scriptura ; quam suis stipulaverant manibus ; quamque volebant ; ut nostro roboraremus chirographo ; caperentur ; & dum muscipulam innocentibus opponere satagerent ; insidiis suis illaqueati sunt ipsi : sicque completum est ; Deo authore ; quod in Proverbiis legitur : *Frustra* (a) *jactatur rete ante oculos pennatorum :* Siquidem *ipsi obligati sunt* ; *&* *ceciderunt.* Nos verò ; qui in hoc flagitium cecidisse falso dicebamur ; favente Domino cum justitiæ propugnatoribus resurreximus ; & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum Sancta Synodo , in præsentia depositi ; & officio sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde nostra (*b*) fraternitas canonum normam custodiens ; & decretorum sanctiones observans cavet ; ne hos , quos nos abjecimus , recipere in sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia , quam in prædictos Thetgaudum, & Guntharium protulimus, cum cæteris capitulis , quæ *Sancto Concilio nobiscum sanciente* promulgavimus , inferius annexa monstrabitur.

De Synodo in Metensium urbe à Theutgaudo , & Gunthario Archi-Episcopo congregata penitùs abolenda. Capitulum.

CAP. I. Synodum , quæ nuper , id est, sub piissimo Imperatore Ludovico per indictionem XI. mense Junio *in Metensium* urbe ab Episcopis, qui nostrum prævenerunt judicium , collecta est ; quique Apostolicæ Sedis instituta temere violaverunt ; ex tunc, & nunc ; & in æternum judicamus esse cassatam ; & cum Ephesino Latrocinio reputatam Apostolicâ authoritate in perpetuum esse sancimus damnandam ; nec vocari Synodum ; sed tanquam adulteris faventem ; *prostibulum* appellari decernimus.

DEPOSITIO THIETGAUDI, ET GUNTHARII ARCHI-EPISCOPORUM.

CAP. II. Theutgaudum Treverensem Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Archi-Episcopos, nunc coram nobis, & Sanctâ Synodo, sub gestorum insinuatione qualiter causam Lotharii Regis ; & duarum mulierum ejus Theutbergæ scilicet, & Waldradæ recognoverint, judicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes ; nihilque se plus vel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam quam à sede Apostolicâ, in Ingeltrudem uxorem Bosonis Sanctissimus frater noster Mediolanensis Archi-Episcopus Tado ; & ceteri Coepiscopi nostri petierant emittendam ; & nos divino succensi zelo, sub anathematis obtestatione Canonice protuleramus , publice vivâ voce se violasse confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apostolicas ; atque Canonicas Sanctiones in pluribus excessisse ; & æquitatis normam nequiter temerasse , omni judicamus Sacerdotii officio permanere penitus alienos , Spiritus Sancti judicio ; & Beati Petri per nos authoritate omni Episcopatus exutos regimine consistere definientes (*c*) Quod si juxta præcedentem consuetudinem tanquam Episcopi ausi fuerint aliquid de Sacro ministerio contingere , nullo modo liceat eis , nec in alia Synodo restitutionis spem ; aut locum habere satisfactionis , sed communicantes eis omnes abjici de Ecclesiâ , & maximè si posteaquam didicerint, adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint. DE

(*a*) Prov. I, 17. (*b*) *vestra* legit Dumont pro *nostra.*

Archi-Episcopi Lotharingiæ depositi Ludovicum II. Imp. adeunt, queruntur Lotharium Regem & Familiam Regiam indigne tractatam. Canones violatos: inauditam esse depositionem Metropolitani sine Principis sui voluntate & consensu Metropolitanorum. Ludovicus Imper. salvum conductum concedit, Romam aggreditur, petit restitutionem Metropolitanorum. Nicolaus PP. post triduanum jejunium & Litanias Synodum celebrat. *Hæc Annales Bertiniani anno* 864. *referunt.*

[*c*] Definimus, habet *Dumont.*

DE CÆTERIS EPISCOPIS.

CAP. III. Cæteri autem Epiſcopi, qui complices horum Theutgaudi ſcilicet, & Guntharii vel Sectatores eſſe feruntur, ſi cum his conjunctionem, conjurationes vel conſpirationes fecerint, vel ſi à capite, id eſt, à ſede Beati Petri, illis hærendo diſſenſerint, pari cum eis damnatione teneantur aſtricti. Quod ſi cum ſede Apoſtolica, unde eos principium Epiſcopatus ſumpſiſſe manifeſtum eſt, ſapere de cætero per ſemetipſos, vel Miſſos ad nos Legatos cum ſcriptis ſuis profeſſi extiterint, noverint, ſibi à nobis veniam non negandam, nec amiſſionem honorum ſuorum pro retroactis præſumptionibus, aut ſubſcriptionibus, quas pro inſanis fecerunt feſtis, per nos ullo modo formidandam.

DE ENEGILDRUDA.

CAP. IV. Engildrudam filiam quondam Mattefredi Comitis, quæ à Boſone proprio viro relicto, ecce jam per ſeptem circiter annos hac atque illac vagabunda diſcurrit nuper cum factoribus ſuis regulariter anathematizavimus, ſed propter contumaciam iterato anathematis vinculis duximus innodandam. Sit igitur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto uno, & vero Deo, ab omnibus Sanctis Patribus, & ab univerſa Sancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſiâ, & à nobis penitus anathema cum omnibus complicibus & communicatoribus atque auxiliatoribus ſuis; ita ut ſicut jam decrevimus, ſi quis ei communicare, vel favere in aliquo præſumpſerit, ſiquidem Clericus fuerit, eodem vinculo conſtrictus, officum Clericatus amittat: Monachi verò, & Laici, ſi inobedientes præſenti decreto fuerint, ſimiliter anathematizentur. Sanè ſi eadem mulier ad virum ſuum reverſa fuerit, vel Apoſtolicam Beati Petri Sedem Romam properans acceſſerit, veniam ei poſt dignam ſatisfactionem procul dubio non negabimus. Veruntamen ſub priori vinculo anathematis, quo illam prius, & nunc obligavimus, interim conſtricta permaneat. Si quis autem eidem Engildrudæ Apoſtolicam Beati Petri Sedem ſpecialiter properanti vel occurrenti neſcius communicaverit; aut ſciens opem in veniendo præſtiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

DE SENTENTIIS ANTIQUIS INTERDICTIS SEDIS APOSTOLICÆ.

CAP. V. Siquis dogmata, mandata, interdicta ſanctiones vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.

Annales Bertiniani apud Ducheſne Tomo III. Scriptorum Franciæ.
Annales Francor. Pithoeani pag. mihi 63.
Baronius ad ann. 853. *No. XXII. & ſeq.*
Ex his Binius Tomo III. Concilior. Part. I. undę Synodographi poſteriores.
Dumont. Corps Diplomatique, Tomo I. N. XXI.

THEUTGAUDI ET GUNTHARII
ARCHI-EPISCOPORUM,
EPISTOLA APOLOGETICA
ET APPELLATORIA AD TOTIUS ECCLESIÆ COMMUNIONEM, AD NICOLAUM I. SCRIPTA. (*a*)

CAPUT I.

NIcolao Pontifici, Guntharius & Theutgaudus. Patres Epiſcopi, & Fratres Coepiſcopi noſtri ad te nos direxerunt, & nos ſponte ivimus, conſulere videlicet, expleta generali legatione, tuum

O o

(*a*) Annales Bertiniani præmittunt huic Appellationi Epiſtolam cum hac Epigraphe: " Sanctis ac Venerandis Fratribus & Coepiſcopis Guntharius atque Theotgaudus in

tuum magiſterium ſuper his ſpecialiter, quæ pariter, prout nobis viſum fuit, & * adjicientibus notum eſſe potuit, judicavimus, autoritates, rationesque, quas ſecuti fuimus, ſcriptis oſtendentes, ut tua prudentia perſcrutatis omnibus, quid inde ſentires, & quid velles, nobis paterno demonſtrares affectu, nosque fraterna caritate procurares, & ſi melius tua Sanctitas illud inveniret, ut nos inſtrueres, & doceres, ſuppliciter obſecravimus, parati, quidquid rectius, & probabilius eſſet, libenter amplecti.

CAP. II. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes reſponſum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expreſſiſti. Tantum quodam die in publico dixiſti, nos excuſabiles apparere, & innocentes juxta aſſertiones noſtri libelli.

CAP. III. Ad ultimum autem nos evocati ad tuam præſentiam deducti ſumus, nihil adverſitatis ſuſpicantes, ibique obſeratis oſtiis, factâ more latrocinali conſpiratione, & clericis, & laicis turba collecta, & permixta, nos violenter inter tantos opprimere ſtuduiſti, longa ſcilicet intercapedine à noſtris & clericis, & laicis ſeparatos, atque ſine Synodo, & ſine canonico examine, nullo accuſante, nullo teſtificante, nullaque diſputationis diſcretione dirimente, vel auctoritate, ac probatione convincente, abſque noſtri oris confeſſione, abſentibus aliis Metropolitanis, & Diœceſanis Coepiſcopis, & confratribus noſtris, extra omnium omnino conſenſum, tuo ſolius arbitrio, & tyrannico furore nosmet damnare voluiſti, ſubito quadam tibi cartula, & improviſe porrecta lectoris officium aſſumens, aſſiſtente lateri tuo Anaſtaſio, olim Presbytero ambitus damnato, & depoſito, & anathematizato, cujus ſcelerato magiſterio tuus præcipitatur furor.

CAP. IV. Ergo tuam pravam ſententiam à zelo rectitudinis alienam, injuſtam, & inrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imo cum omni cœtu fraterno, quaſi nefas, atque maledictum fruſtra prolatum contemnimus, atque abjicimus, tibique anathematizatorum, & religionis ſacræ abjectorum, & contemptorum fautori, & communicatori revera communicare nolumus, contenti totius Eccleſiæ communione, & fraterna ſocietate, quam tu arroganter te ſuperexaltans deſpicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens ſegregas.

CAP. V. Igitur ex tua levitatis temeritate propriâ tibimet ſententiâ anathematis plagam inflixiſti, exclamans; qui Apoſtolica præcepta non ſervat, anathema ſit, quæ multipliciter violare, & violâſſe dignoſceris, divinas leges ſimul, & ſacros canones calcans, & quantum in te eſt, evacuans, prædeceſſorum tuorum Pontificum Romanorum veſtigia ſequi nolens. Nunc ergo, qui fraudulentiam tuam, & calliditatem experti ſumus, indignationem quoque, tumidumque potentatum agnoſcimus; nihil tibi, tuæque ſuperbiæ cedimus, quâ nos ad vota noſtrorum, quibus faves, inimicorum obruere feſtinabas, ſciesque nos non tuos eſſe, ut te jactas, & extollis, clericos, quos ut Fratres, & Coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi noſtri ordinis non inſcii, nimium tua improbitate compulſi reſpondemus, non quaſi ad illatam nobis contumeliam provocati, ſed contra tuam iniquitatem Eccleſiaſtico zelo accenſi, nec noſtræ vilitatis perſonam attendentes, ſed omnem noſtri ordinis univerſitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes. Quid noſtræ ſpecialis propoſitionis ſumma fuerit, in paucis replicamus. Lex Divina & Canonica aptiſſime probat, etiam venerandæ ſæculi leges adſtipulantur: quod nulli licet ingenuam virginem alicui tradere in concubinatum, maxime ſi illa puella nunquam illicitæ adſentire voluit copulæ. Et quia ſuo viro parentum conſenſu, fide, affectu ac dilectione conjugali ſociata eſt (Waldrada) uxor profecto non concubina habenda ſit.

Annales Bertiniani ad annum 864.
Annales Francorum Pithoeani ad h. ann. pag. mihi 67.
Multo correctius, quam Dumont edidit. Ex his Baronius ad an. 863. *N. XXVII. & ſeqq. & Binius Tomo III. Conc. Part. I. inde cæteri Synodographi.*

" Domino ſalutem: " Rogamus ſuppliciter cariſſimam fraternitatem veſtram, ut " nobis pro vobis aſſidue orantibus ſanctarum Precum ſolatia inſtanter impendatis, & ne

" & ne turbemini, neque terreamini pro his, quæ fama forte de nobis ac vobis si-
" nisterius nuntiat. " An hanc Encyclicam ad omnes Episcopos saltem Lotharingiæ miserint ante vel post appellationem interjectam, dicere non habeo: narrant autem in hac Encyclica se *semel Roma egressos, iterum Romam revocatos fuisse.*

Præter hanc injuriis & falsis querimoniis plenam Epistolam, quam Pontifici insinuatam volebat, Pontifice autem renuente, Guntharius 1*mo.* per fratrem suum Hilduinum clericum sepulcro S. Petri injectam voluit, scripserunt hi duo Archi-Episcopi 2*do* ad Photium Pseudo-Patriarcham Constantinopolitanum, ejusq; schismatici consortium ambierunt. 3*tio.* Ludovicum II. Imperatorem concitarunt in Summum Pontificem, quasi ipsi Legati Hlotharii Regis & Synodi Lotharingicæ spreti essent, & damnati, nullo accusante contra Canones. Sed Acta Synodi Romanæ hæc omnia falsi convincunt. Theutberga injuste condemnata, provocando ad Sanctam Sedem Apostolicam accusatrix legitima fuit, & Pontifex non nisi visis actis Conciliabuli ab ipsis ad eum delati, & à se acceptati sententiam cum Synodo Romana juxta Canones pronuntiavit.

EPISTOLA
INTERCESSORUM EPISCOPORUM,
PRO ROTHADO, SUESSIONENSI EPISCOPO, AB HINCMARO PERPERAM DAMNATO.

Venerabilibus in Christo Fratribus, Archi-Episcopis & Episcopis in regno Eximii Regis Hludovici constitutis, Theotgaudus Belgicæ Galliæ Primas, Guntharius Agrippinensis Coloniæ, Arduicus Vesontionensis, Rotlandus Arelatensis, Tado Mediolanensis Ecclesiarum Archi-Episcopi, eorumque Coepiscopi, salutem & pacem orant & optant.

Diversis Ecclesiam Dei perturbationibus concuti, & percelli quotidie exterius cernimus ac suspiramus: interius vero vexari eam atque exuri in suorum dissensione membrorum, videntes nimium perhorrescimus, & dolemus. Neque enim dolere & lugere non possumus, quod Sanctos Dei Sacerdotes, Hincmarum videlicet Archi-Episcopum religione, & sapientia longe lateque vulgatum, & Rothadum (*a*) longiturnæ, & venerabilis conversatione Sanctitatis famo-

Oo 2

(*a*) Rothadus, Suessionensis Episcopus, ab anno 822. interfuit variis Conciliis Germaniæ & Galliæ: Theodonis villano anni 835. Tullensi apud Saponarias 859. Tullensi apud Tusciacum 860. Presbyterum quendam suæ Diœceseos in stupro deprehensum canonicè deposuerat judicio Episcoporum XXXIII. Hic Presbyter ad Hincmarum, Remensem Metropolitanum Suessionensis Ecclesiæ, appellaverat, & restitutus fuit, & qui à Rothado in locum depositi substitutus fuerat, eum per vim Hincmarus abductum excommunicatum incarceravit. Rothadus ægre tulit hanc perversitatem & violentiam Hincmari: Hic ut bili suæ faceret satis, in Synodo suburbii Suessionensis 861. Rothadum Episcopali communione privavit:

Rothadus in Synodo Pistensi mense Junio 862. à Carolo Calvo coacta citatus comparuit, & appellavit ad Sedem Apostolicam Nicolai. Hincmarus in nova Synodo suburbii Suessionensis anno 863. coactâ, Rothadum non obstante toties factâ appellatione denuo exauctoravit, & in carcerem conjici facit. Nicolaus de his informatus plures literas ad Hincmarum, ad Regem, ad Episcopos Galliæ dedit, sed frustra donec tandem impetrata licentia Romam advenit: ubi dimidio anno frustra expectatis accusatoribus, aut Hincmari Legatis, Papa Nicolaus anno 865. die S. Agnetis Rothadum absolvit, restituit gradui pristino: Arsenium Legatum suum cum eo mittit in Gallias, & restitutionem plenam procurat.

Natalis Alexander in historiam Ecclesiast. Sæculi IX. Dissert. VI. Bertiniani Annalistæ mendacia confutans.

Pro hujus Rothadi causa maturius examinanda scripta fuit hæc Epistola ab Episcopis in regno Ludovici constitutis ad Episcopos Galliarum in regno Caroli Calvi.

famoſum , ita comperimus ab invicem diſcordaſſe, ut non veritus ſit Metropolitanus idem ſuffraganeo eidem excommunicationis ſententiam intorquere, (*b*) & officio privatum Divino cuſtodiæ deputare. Sed quem è duobus magis defleamus, admiratione ſimul ac ſtupore vallati neſcimus. Rothadum ſcilicet ita à vero exorbitaſſe, ut ei digne talia infligerentur; aut Hincmarum ita juſtitiæ, & dignitatis limitem tranſiliiſſe, ut aliquo amaritudinis aut ambitionis zelo devinctus ſeu devictus, Sancto, ut credebatur, & annoſo (*c*) Epiſcopo talia inferre minime dubitaret. Ille etenim ſe injuſte damnatum proclamat: qui etiam inter alia excuſationum ſuarum munimina in appellatione Romani perſtabat Pontificis. Iſte autem inter cetera invectionum commenta de contemptu, & inobedientia ſui juſte eum ab officio Sacerdotali removere denuntiat. Quod quia nobis per omnia incertum eſt, quippe qui neutrius cauſam palam cognovimus, rumoribus nec facile credere audemus, nec abſentium diſſenſiones temere dijudicare debemus. Ob hoc tamen multos, immo pæne omnes ad quoſcumque hæc fama pervenit, nobiſcum ſcandalum paſſos non ſine gravi mœrore ſanctitati veſtræ mandamus, orantes, & unanimitatem veſtram poſcentes, ut diſcordiam prædictorum antiſtitum, animadverſis antiqui hoſtis inſidiis, & conſideratis humanæ fragilitatis exceſſibus, qualiter cœperit: & intendatis ac perpendatis, & nobiſcum Domino mediante convenientes, dubietatis hujus nebulas ſtudioſiſſima indagine abſtergamus, & ad veritatis lucem vera luce revelante perducamus: quo aut Rothadus, ſi juſte depoſitus comprobatur, omnium judicio conticeſcat, aut Hincmarus de injuſte damnato merito erubeſcat: & ſcandalum ſive murmur, quod in Sancta Eccleſia ſuper hac controverſia plurimos diverberat, noſtra vigilantia deſtructum atque ſedatum fatiſcat: ne tantum offendiculum Chriſtianum populum diutius perturbet. Neque ergo ullis hoc debet argumentis prætermitti; aut occaſionibus differri: quoniam ut meminiſſe nos arbitramur, & Sedes Apoſtolica quandam ſuam ſententiam in melius commutavit, cum ſibi ſubreptum de quodam perſpexit: & Dioſcorus, quia Sanctum virum dignæ memoriæ Flavianum injuſte depoſuerat; à Sede Apoſtolica damnatus evanuit; remanentibus aliis indamnatis, qui ei non ſponte, ſed quaſi coacte in depoſitione Sancti conſenſerant Epiſcopi; quos ipſe Dioſcorus multiformiter, & argute fallere callidus argumentator elaboraverat. Nolite jam nunc morari creſcente periculo: & inſultantibus Sancto ordini detrahentibus multis, gloriantes ſibi fiduciam promittunt, quod nobis invicem mordentibus atque diſſentientibus uſquequaque nocere valeant. De quibus autem Rothadus queritur, noſque plurimum movet; Sanctitati veſtræ breviter annectimus. Si debeat Presbyter aut Diaconus à proprio Epiſcopo juſte depoſitus, à Metropolitano aut alio quolibet in gradum priſtinum ſine ejusdem Epiſcopi conſenſu reſtitui? cum in Concilio *Antiocheno* (*d*) Cap. III. de hoc ita habeatur: " ſi qui presbyteri aut Diaconi à proprio Epiſcopo excommunicati auſi fuerint, &c. Item in eodem " Concilio cap. VI. " ſi quis à proprio Epiſcopo communione privatus eſt. &c. Si debeat Presbyter criminatus atque damnatus poſt quatuor annos reconciliari, cum de hoc in Concilio *Africano* Cap. XII. ita habeatur. " Si quis infra annum cauſam ſuam purgare contempſerit &c. Si debeat quilibet Epiſcopus alterius ordinatum retinere, quanto minus capere vel in carcerem trudere, cum de hoc in decretalibus ita ſtatuatur: " Nullus Epiſcopus alterius parochianum præſumat retinere, &c. Et poſt aliquanta: " Si quis Metropolitanus " Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo propriam pertinet Parochiam, &c. Si debeat Epiſcopus alterius Epiſcopi miniſtros ſcriptis invitare, aut aliquo modo ſollicitare, aut plebes alterius poteſtati ſuæ uſurpare; cum de hoc in *Africano Concilio* ita dicatur, Cap. X. " Nullus debet collegæ ſuo facere injuriam, &c. Multa quin etiam in eodem

(*b*) Anno 863. in Synodo Sylvanectenſi.
Annales Bertiniani ſcribunt anno 861. ab Hincmaro Remenſi in Synodo Sueſſionenſi Rothadum Epiſcopali communione privatum, donec obediat.

(*c*) Anno 863. jam 40. annos ſederat in Cathedra Sueſſionenſi.

(*d*) Tomi I. noſtri pag. 157.

dem Concilio de his alia promulgantur. Si debeat Epiſcopus minus quam à XII. audiri, quanto magis damnari, quod in Sardicenſi Concilio evidentius inhibetur. Si debeat damnari, vel in locum ejus Epiſcopi ſubrogari alter Epiſcopus, qui in appellatione perſtat Romani Pontificis, niſi fuerit cauſa appellantis ejus determinata judicio. Si poſſit ſuſpectum, & minus certum judicium renovari, vel ſi ſuſpectus Metropolitanus vicinos provinciæ judices convocare: unde multa in *Conciliis Synodalibus*, *&* *decretis Romanorum Pontificum* continentur. Si debeat innocens vel inauditus damnari. Si debeat damnari eo quod ægritudine detentus Synodo occurrere non potuit; cui non pro impoſſibilitate hoc, ſed pro contemptu imputatur. Si debeat condemnari pro eo, quod & Metropolitanum omnemque conventum ſuſpectum habeat, & contra ſe conſpiratos metuens aut ſciens, ad tempus Synodi locum ingredi differt, Romanum Pontificem ſemper appellans. Si debeat accuſator teſtis eſſe vel judex: Vel ſi Epiſcopum hæc univerſa conveniat agere pariter? Hæc itaque vos ſacerdotes Domini, comminiſtri Dei noſtri, qui in lege Domini meditamini die ac nocte, perſcrutatis, & evolutis Divinarum auctoritatum paginis rimari curate, utrum ſit hujusmodi ſapientia deſurſum; quæ juxta Apoſtolorum primum quidem *pudica eſt*, *deinde pacifica*: an quod abſit, ea, quam præmiſit terrena, animalis diabolica? Redeat itaque quantocius pia ſolertia veſtra, & labore, Sancta Eccleſia, ac fraterna caritas in pacem, quæ ſcandalizata videtur aliorum improbitate.

Ex Schedis Lucæ Holſtenii.
Hardouin. Tom. V. Concilior.

SYNODUS CONSTANTIENSIS
SUB SALOMONE EPISCOPO.
De Sublevatione (a) *Corporis S. Othmari Abbatis, VII. Kal. Novembris peracta Feria IV.*

BEnivolus autem Pontifex Conſtantienſis *SALAMON* perſpectis vitæ Beati *OTHMARI* exemplis, multimodas gratiarum actiones bonorum omnium authori perſolvit, quod bellatorem ſuum pro zelo juſtitiæ fortiter dimicantem tam apertis miraculorum oſtenſionibus declaravit, remoto etiam dubietatis ſcrupulo, de Sanctitate ejus quamvis certus extiterit, nihil tamen temere, nihilque de ſe ipſo inordinate ſua ſola authoritate voluit diffinire (*b*) ſed more ſuo prudenti uſus conſilio, cauſa Eccleſiaſticorum dogmatum annualem *Synodum* ſollemniter indicit, ac Presbyteros & Diaconos diverſique ordinis Clericos apud Conſtantienſe opidum convenire præcipit, quibus in unum collectis venerandus Pontifex in medium ſurgit, factoque ſilentio vitæ ipſius Sanctimoniam, quæ jam multos ibidem reſidentes dulci rumore aliquantulum permulſerat, ſparſim pro tempore caram omnibus recitavit. Quo facto cum maxima Clericorum copia in veri Dei laudibus acclamaret; primo Augienſis cœnobii Abbatem qui etiam tunc temporis cum quibuſdam fratribus nobis valde cariſſimis illo confluxerat, ac deinde omnem illius conſilii Clerum Epiſcopus communit, ut triduani jejunii abſtinentiam facientes totius boni fontem in commune precarentur, quatenus pietatis ſuæ munere his in rebus ſuæ voluntatis diſpoſitionem dignaretur

(*a*) Prima translatio corporis S. Othmari facta fuerat anno 830. in Baſilicam S. Petri. *Hepidannus & alii.*

(*b*) Concilium Moguntinum anni DCCCXIII. *Cap.* 51. *Tomo I. noſtro pag.* 412. ſtatuerat, ut deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilii Principis, vel (id eſt, &) Epiſcoporum, & Sanctæ Synodi licentia. Utrumque præſtitit Walcandus, Leodienſis Epiſcopus, in translatione S. Huberti. *Nota Domni Mabillonii.*

tur perficere. Quibus dictis Episcopi sententiam Synodus collaudat, seque libenter ita facturam conclamat.

Inito itaque hujus Synodi consilio ac peracto trium dierum jejunio venerabilis præsul ad idem Monasterium cum suis perveniens seniorem nostrum GRIMALDUM (c) Rectorem ipsius Monasterii ac Hludovici Regis Archi-Capellanum de hac re tractaturus aggreditur. Post amicæ vero salutationis officia cum multis inter se colloquiis vitæ illus rigorem ac miracula ob indicium sanctitatis ejus frequenter ostensa commemorarent, Monachos ejusdem Cœnobii in unum convenire præcipiunt, simulque cum eis residentes, sanctum corpus de tumulo, in quo eatenus jacebat auferendum atque in Sancti Galli Ecclesia collocandum pari voto ac communi consilio omnes unanimiter decernunt.

Ex Libro I. Miraculorum S. Othmari C. II. & III. scripto ab Isone Cœnobita S. Galli Sæculo IX.
Apud Mabillon. Sæcul. III. Benedictini Parte II. pag. 164.

(c) Grimaldus præfuit Monasterio S. Galli ab anno DCCCXLI. per annos triginta & unum Abbas sæcularis, & Hludovici Regis Archi-Capellanus, sub quo Harmotus Monachus Proabbatis gessit officium successor postea factus. *Nota Sirmondi.*

SYNODUS ROMANA II.

In causa depositorum Archi-Episcoporum.

ANNO DCCCLXIV. CIRCA KALENDAS NOVEMBRIS.

NIcolaus Papa Synodum Romæ convocat circa Kalendas Novembris, indicans, se in ea Archi-Episcoporum Theotgaudi & Guntharii *olim* depositionem *denuo* confirmaturum, & tractaturum de causa Lotharii, & Ignatii Constantinopolitani Episcopi præcedenti anno depositi; in cujus loco quidam laicus attonsus (Photius) & mox Episcopus est ordinatus. Ad quam Synodum prædicti Theutgaudus & Guntharius sponte perrexerunt, putantes Ludovici Imperatoris interventu ab Apostolico posse restitui.

Eodem tempore Papa Nicolaus Epistolas per omnes Archi-Episcopos & Episcopos Galliarum, Germaniarum, & Belgicæ Provinciæ mittit pro confirmatione depositionis Theutgaudi Treverorum, & Guntharii Coloniensis Archi-Episcoporum. (a) (b)

Sed & aliis Episcopis, (c) (d) qui ex regno Lotharii in divortio Theutbergæ, & superinductione concubinæ Waldradæ consenserunt, & ad eum professione sua miserunt Epistolas suas, indulgentiam largiendo, sicut in scripta superius continente promiserat (in prima Synodo Romana post Metensem) dedit.

Annales Francorum Bertiniani. Tomo III.
Duchesne Scriptorum Franciæ pag. 222.

In

(a) (b) Nicolai Papæ Ep. XL. ad Rodulfum, Bituricensem Episcopum, de iterata condemnatione Theutgaudi & Guntharii. *Sirmondus Tom. III. Concil. pag.* 237.

(c) Adventii, Episcopi Metensis, Libellus supplex ad Papam Nicolaum. *Sirmondus Tom. III. Concil. pag.* 241.

(c) Epistola Caroli Calvi Regis, intercedentis pro absolutione Adventii Episcopi. *Sirmond. loc. cit. pag.* 243.

(c) Epistola XLII. Nicolai Papæ, Absolutoria Adventii Metensis Episcopi. *Sirmond. loc. cit. pag.* 244.

(d) Absolutoria Epist. XLIII. Nicolai Papæ, Franconi, Tungrensi Episcopo. *Sirmond. loc. cit. pag.* 245.

In Conventibus Francofurti, Gandulfi villa Attiniaci, Wormatiæ gesta ab Arsenio Episcopo, Legato Nicolai Papæ, pro executione (a) Concilii Romani anni 863. aliisque Pontificiis exequendis hoc anno.

CUm Legati Pontificii anno 863. missi ad Concilium Metense, Radoaldus & Joannes corrupti muneribus à Lothario, Epistolas Domini Apostolici sibi traditas ad Reges & Episcopos occultâssent, & nihil de his, quæ sibi commendata fuerunt, secundum sacram auctoritatem egissent, Papa Nicolaus condigna eos pœna castigavit, & novum Legatum pro executione sententiæ Concilii Romani, aliorumque mandatorum Pontificiorum misit ARSENIUM, Episcopum Ortensem, Apocrisarium & Capellanum suum cum Epistolis ad Hludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum fratres, sed & ad Episcopos ac Primores regnorum illorum.

I. Idem Arsenius per Curiam & Alemanniam ad Hludovicum Germaniæ Regem in Franconofort *Palatium veniens, Epistolas Apostolicas ei tradidit, quibus ad pacem & concordiam cum fratre Carolo Calvo & nepotibus excitabatur.*

II. Inde in Gandulfi Villam *ad Hlotharium venit, cui & Episcopis & Primoribus Regni sui Epistolas Papæ dedit continentes, quia nisi uxorem suam Theotbergam reciperet, & Waldradam abjiceret, renuntiante sibi Arsenio, illum ab omni Christianorum societate debuisset rejicere. Convocato Episcoporum Conventu Lotharium Regem alloquitur, ut unum è duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Waldradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur, ipse & omnes, qui ei in hoc scelere faverent. Hac necessitate constrictus vellet nollet Tietbergam Reginam in matrimonium recepit, interposito jusjurandi Sacramento, se illam ita in reliquo habere, sicut æquitatis jura dictant legitimam uxorem esse tenendam, nec eam à se separaret, nec ipsa vivente aliam superinduceret.*

Hactenus Metenses, sed *Bertiniani in Attiniaco* Palatio dicunt ab Arsenio, & Archiepiscopis in manibus Lotharii Regis redditam fuisse; & in die Assumptionis Mariæ coram Lothario & Teutbergæ Regio cultu paratis, & coronatis Missas celebravit Arsenius.

III. Post hæc Waldradam ex auctoritate Dei è Sancti Petri, & verbo Domini Apostolici Romam ire petiit, ut pro se rationem reddat.

IV. Engiltrudem Bosonis Comitis, quæ fuit filia Matfridi Comitis, à Sede Apostolica excommunicatam esse omnibus declaravit; quia proprium dimiserat maritum & Wangerum famulum suum in Gallias secuta fuerat: quam excommunicationem cum omnibus, qui aderant Episcopis renovavit: Post hæc eadem Engiltrudis prædicto Arsenio in Warmatia *civitate se præsentavit: in quo loco præfatus Episcopus Ludovico Regi Germaniæ occurrerat. Constrinxit itaque se Engiltrudis in præsentia ipsius Episcopi horribili Sacramento, quod ipsa cum eo Romam iret, & quidquid Dominus Apostolicus juberet, ex toto perficeret. Sed, quod juravit, minimè adimplevit. Siquidem usque ad Danubii fluenta cum eodem Arsenio perrexit, ibique ad quandam consanguineam pro equorum amminiculo ire condixit: & ad Augustam civitatem ad eundem Missum* Arsenium *se reversuram pollicita est. Tali occasione gressum retorquens ex Alamannia in Franciam repedavit.*

Quod cum præfatus Arsenius cognovisset, Epistolam (b) *misit omnibus Archi Episcopis, Episcopis & omnibus Sanctæ Dei*

(a) Non sunt hi quatuor Conventus Comitia Episcopalia, sed meræ executiones Concilii Romani anni 863. contra Waldradam & Engiltrudem: etsi Attiniaci Episcopi aliquot intervenerint, testes & spectatores factæ reconciliationis Teutbergæ cum Lothario.

(b) Hanc Epistolam expansam refert Illustrissimus Baronius ad annum 865. Num. XLIII.

Dei Ecclesiæ Fidelibus, Galliæ, Germaniæ, ac Neustriæ commorantibus, obtestans omnes per auctoritatem Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & universalis Papæ, ut nullus eam in sua Parochia reciperet, sed eam funditus in omnibus Ecclesiis suis excommunicatam prædicarent, & ab omnium Christianorum communione sequestratam, insuper & anathematis vinculo innodatam, & inter impias & sceleratas damnatam, donec de pestiferis actionibus suis, atque perpetrato perjurio ante Domini Apostolici præsentiam dignam acceperit pœnitentiam.

V. De Lothario ad Carolum circa medium Julium mensem in Attiniacum Palatium Arsenius veniens, uniformes sicuti Ludovico & Lothario Regibus Epistolas suas satis honorifice tradidit, & Rothadum canonice à quinque Provinciarum Episcopis dejectum, & à Nicolao Papa non regulariter, sed potentialiter restitutum secum reducens Carolo præsentavit. Et cùm Sacri Canones dicant, (c) ut Episcopus à gradu dejectus ab Episcopis Provinciæ ad Episcopum Romanum confugerit, scribat Romanus Episcopus finitimæ & propinquæ Provinciæ Episcopis, ut ipsi omnino diligenter causam inquirant, & juxta fidem veritatis definiant.

Hactenus verba Annalistæ *Bertiniani, & Metensis. Sed Metensis in Chronologia errat, uti & Rhegino. Bertinianus parum reverenter de Summo Pontifice loquitur, & Hincmari causam contra Rothadum injustissimè depositum, pertinaciter tuetur.*

(*c*) Canon. VII. Concilii Sardicensis Tomo I. nostro pag. 190.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
DILECTISSIMIS FILIIS LUDOVICO ET CAROLO GLORIOSISSIMIS REGIBUS.

SUMMA. Reprehendit, quod Episcopos in urbem ad Synodum non miserint. Ut Lotharium de divortio commonere pergant. De Episcopis in Coloniensi & Cameracensi Ecclesia consecrandis, & de Rothado Suessionensi.

CRedimus ex Dei dono, filii carissimi, processisse, quod unanimes effecti vos de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta junxistis. Unde fit, ut uno animo, & uno ore per vos glorificetur Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, & ad Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, regnique vestri decus conjunctio vestra proficiat, & salutem. De Epistolis autem nostris, quas suscipientes Archi-Episcopis, & Episcopis regnorum vestrorum, immo, & Lotharii regni pariter Archi-Episcopis & Episcopis secundum tenorem illarum dedistis, grates excellentiæ vestræ retulimus. Sed quia eos ad Synodum nostram, & pro angustia temporis, & pro injuria transitus, occurrere non valere dixistis, merito dure tulimus: cum tanta temporis angustia non immineret, ut saltem de vobiscum conversantibus binos mittere nequivissetis: præcipue tu, fili mi Carole Rex, qui regnum tuum per maximum spatium, longius, quam fratris tui Ludovici dilecti filii nostri gloriosi Regis, ab hac Sancta Sede in occidentalibus partibus secus mare oceanum disparari fateris. Non enim credibile potest exsistere, ut adeo longius disparetur regnum tuum, ut, sicut supra meminimus, vel binos unius, aut duarum Metropoleon Legatos omnium vices agentes dirigere non valuisses. Reprehensibile denique valde esse constat, quod subintulisti, dicendo majorem partem Episcoporum omnium die noctuque, cum aliis fidelibus tuis, contra piratas maritimos invigilare, ob idque Episcopi impediantur venire: cum militum Christi sit Christo servire, militum vero sæculi, sæculo; sicut

ficut fcriptum eft : *Nemo (a) militans Deo implicat fe negotiis fæcularibus.* Quod fi fæculi milites fæculari militiæ ftudent, quid ad Epifcopos & milites Chrifti, nifi ut vacent orationi? Sperabamus te, fili cariffime, in talia non prorumpere, qui Deo gratias, clarus in cunctis haberis. Aditus autem veniendi ad tantum negotium antiftitibus denegari non debuit : Et fi forte denegare vellent; quoquomodo, fi monitis noftris parere delegiffent, aditus illis ; & tranfitus patefieret. Si veniffent collectis operariis, hoc utique ne fieret, melius corrigeremus. Quia illis inde, & nobis hinc Deus in conventu noftro medius tribuerat, ut & noftris, & veftris deinceps aditus denegari non poffet. Nam nec de noftris melius dicere poffumus, nec pejus de veftris ; quia quid nobis impediat longum eft narrare. Quod fi intercapedine temporis ad Clufas pro Deo aliquid toleraffent, lucrum pro tentationibus, & laboribus à Domino magnum reciperent. Sed quia occafione tranfitus fuffugiunt, nos licet coacti adhuc hæc gravamina fuftinebimus : vos tamen videbitis. Sed intelligi datur eos monitis noftris non velle parere, propter illud, quod in litteris veftris fubditur. Dicunt enim poft aliquanta, ut Epifcopos de regnis veftris ad Synodum Romam mittendi neceffitas non poftulet. Unde fi vos fortaffe aliter dicitis, nos illud dicimus, quod divinitus revelatur; quia cum novitatum mala multiplicari videamus, fi ex diverfis Provinciis fratres in invicem conveniffent juxta prifcum morem, & nos confenfu illorum, revelante Domino, quæ decernenda funt, decerneremus : & ipfi neceffitates fuas referentes, & nos noftras exponentes, quæ decreta fuiffent melius in omnium notitiam facerent pervenire, qui femper Synodalem conventum à nobis aggregari petierant : ficque fieret, ut fecundum qualitatem morbi medicina conficeretur, & ad fananda vulnera longe lateque effunderetur. Salomon quidem verbis noftris confentit, cum dicat : *Salus (b) ubi multa confilia.* An nefcitis nonnullos ex nonnullis Provinciis præfules ita feciffe? Quod facilius fcire poteftis, fi vultis ; licet vos, fi vultis, minime lateat. Denique tam prudentes, tamque præcipuos, & præclaros, ac quos Deus in caritate vera conjunxit, viros reprehendere nolumus : quin potius ut dilectiffimos filios paterno amore excolimus, & ut in unitate fidei permaneatis, cunctipotentis Clementiam exoramus. Quod fi qui ex confratribus noftris Epifcopis talia nobis mififfent, habueramus qualiter illos reprehendere, & redarguere deberemus : excepto, fi regalem magnitudinem veftram fibi impedire dixiffent, in vobis hoc pendere, & corrigi debere videretur. Ecce Epifcopis regnorum veftrorum impedimentum præparatur ne veniant : Lotharii autem Epifcopis, qui frater iftius eft, quid obfiftit, nifi quia de veftris fumant occafionem, & ficut veftri, ita & illius negligentes appareant? Nam inter cetera plurimum nunc in caufa ejufdem Lotharii, de quod fubinferemus, profuerat fi veniffent : quia auditis decretis & inftitutis lucidius cuncta referrent, ita ut nubilum aliquid minime remaneret. Fortaffe etenim hæc illorum dilatio, & abfentia magis obfuit in ejus emendatione, quam obftinatio : quia fi abfentia, & dilatio non effet, obftinatio utique jam faltem coacta ceffaret. Sed his omiffis, ad veftra confulta ftilum noftrum reflectamus. Dicitis enim vos præfatum commonuiffe Lotharium ; ficut in *commonitorio* nobis, à vobis directo legere prævaluiffemus ; & eumdem fæpe vobis mandaffe afleveratis, quod Romam pergere velit, & per noftram difpofitionem de caufa fui conjugii facere. Sed, heu! dictis opus non accommodaftis : quia fæpius de directione commonitorii mentione facta idem commonitorium abfuit, & nobis fruftratis nequaquam comparuit. Quod fi habuiffemus, certamen veftrum fuper his cognofceremus: fed cum illud defuerit, nefcimus, fi labor vefter fructuofus fuit. Ipfe quidem Lotharius nobis, ut vobis, vicibus per imperiales legatos mandavit, quod Romam vellet venire. Cui interdiximus, & omnino interdicimus, ut iter talis, qualis nunc eft non arripiat; eo quod Sancta Romana Ecclefia talem refpuat, & contemnat, & in hoc perfeveret, quod latè in toto diffufum eft orbe. Nam verfo diu lumine per apices veftros, anhelando

[a] II. Tim. VIII. (b) Proverb. XI.

do præſtolabamur locum attingere, qui nos vel verbo aliquo modo opis annueret, quo poſſemus aliquam lætitiam præſumere. Sed perſcrutatis omnibus, ac ad calcem uſque relectis, poſt lectionem ipſa, quæ inerat lætitia abſceſſit: & nos dolor continuus illico poſſedit, quia in cunctis ſumus fruſtrati, & quod non optabamus, derelicti. Verumtamen quoniam circa (c) miſſam Sancti Joannis, de quo diximus, Lotharium, diſpoſitum habetis denuo commonere, non moleſtè tulimus. Forſitan omnipotens Deus cor ejus ad ſibi placita inclinare dignabitur, & de prævaricatore tandem faciet convertendo dilectum. Si autem ſubdole Theutbergam, ut eam perdat, velle repetere dicitur, ſi ipſa tales elegerit, per quos ſibi ſecuritas certiſſima fiat, ecce bene. Sin autem, idem Lotharius præbeat Sacramentum, quo polliceatur eam digno matrimonio recipere, & ut uxorem legitimam decenter venerari & colere, ac deinceps incolumem conſervare. De pœnitentia autem ejus noſtro judicio reſervantes ſtatuimus, ut ſi prædictæ Theutbergæ captioſe aliqua alia crimina, poſtquam eam à ſe repulit, objicere voluerit, hoc expurgetur Sacramento, ſi ita neceſſitas compulerit. Quod ſi innupta manere decreverit, & viro ſuo reconciliari noluerit, ſancimus, ut cogatur in amplexus uxorios redire; quia utriusque ſe ſeparandi non fuit voluntas. Nam ſi utrique in divortio conſenſerint, & Lotharius jam omnino copulam concubitus non repetierit, hoc fieri non prohibemus: quia Dominus de dimittenda uxore cauſam tantum fornicationis excepit. Igitur, ſi Lotharius, quem hactenus converti præſtolati ſumus, & vindictam in eum, ne ſanguis effunderetur, & ne bella excitarentur, propalare diſtulimus, cornu extulerit, & noſtris veſtriſque monitis obedire neglexerit; de cetero talis habendus eſt, qualem illum per Epiſtolam noſtram Rhadoaldo dudum Epiſcopo, & Joanni Epiſcopo miſſam, nos habere jam cognoviſtis: ſed filii dilectiſſimi, & ſingulariter à nobis diligendi, ecce *Arſenium* venerabilem Epiſcopum ad hoc vobiſcum pertractandum, & monitionibus corrigendum, cum Apoſtolicis Epiſtolis illuc deſtinavimus [d] quarum exemplaria, ne authenticæ iſtarum aut interceptæ, aut à quibus fortaſſe dehoneſtatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro libitu aliter habitæ fuiſſent, magnitudini veſtræ per hunc gerulum tranſmiſimus. Tunc ſi authenticas ita ſe habere repereritis, aſſenſus veſter eidem Arſenio præbeatur. Sin autem, excepto de *Rothado* & *Albuino*, illi vos credere non oportet. Et quidquid illis in partibus actum fuerit, ſub geſtorum inſinuatione nobis, antequam illud per alios cognoſcamus, optime munitum, ut melius laborare poſſimis, dirigere petimus, nequaquam omittite. Sunt & alia quamplurima, quæ nobis non mandare valde oportuerat: ſed quia tam clariſſimis, & prudentiſſimis pauca ſufficiunt, & hic gerulus nobis erat incognitus, atque hoc eum latebat, præter hæc ſcribere deſiimus. Porro de Eccleſia Colonienſi, de qua nos conſuluiſtis, decernimus ut ibi conſecretur antiſtes. De Cameracenſi vero, quod ſtatutum habemus, volumus obſervari: videlicet, ut ſi ibi electio Canonica fuerit, conſecrari in ea debet Epiſcopus.

Ad extremum quod ſilere non poſſumus, quin immo ſuper dictis veſtris obſtupeſcimus, de Sueſſonica ſcilicet Eccleſia, de qua, fili mi Carole, quod loquimini, per os alterius loquimini; quam etiam per XXX. circiter annos ab infructuoſa ficulnea Rothado inutiliter occupatam, excepto ſolo nomine, paſtorali dicitis vacaſſe ſolicitudine: miramur, cur tantus Rex ſuaſoriis verbis cedit, & non magis nos, qualiter de Rothado obediat, lætificare procurat. Deſine ergo, fili, & deprecatoria verba pelle à

(c) *hoc eſt*, circa feſtum.

[d] Circa annum 865 menſe Junio ad Ludovicum Germaniæ Regem Francofurtum venit Arſenius; Synodum Coloniæ, uti in Metropoli Lotharingici regni ſuadet, dein Galliam pergit, & Theutpergam Reginam à Lothario dudum dimiſſam, ſicut ei ab Apoſtolico injunctum fuerat, eidem reſtituens Waldradam concubinam ejus in Italiam duci præcepit: Et ut Lotharius Teutbergam quemadmodum Rex legitime ſibi conjunctam deinceps tractaret Reginam, duodecim ex Optimatibus ejuſdem Regis juramento firmare coegit. *Annales Francorum Pithoeani ad annum* 865.

le à corde, incipeque noſtris monitis parere: ut excellentiſſima gloria veſtra cum exultatione fructificet, & cum gaudio manipulos colligat. Tamen qualiter de illo ſublimitatem veſtram oporteat facere, aliis litteris noſtris liquidius cognoſcere valebitis. Quibus cognitis, credimus, ut quod petimus obtineamus: & quod decrevimus, ratum coram oculis Dei, & coram vobis eſſe videatur. Apud nos namque idem Rothadus fructuoſa ficulnea manet: tamen poſt renovatum judicium ejus, ſi fructuoſa eſt, an infructuoſa patenter declarabitur, habitis omnibus ſecundum quod de illo ſtatuimus. Hanc autem Epiſtolam ideo more ſolito ſcribi non fecimus, quia & legatus veſter ſuſtinere non poterat, & ob feſta Paſchalia ſcriniarios noſtros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus non valuimus. Rogamus præterea, & expreſſe vos adjuramus, ut quæ ſuperius exarata ſunt, non ſimplicitate ſermonis, ſed ex quanta mœſtitia, & compunctione proceſſerint, interiori oculo, non exteriori tantum attendatis: & omnes neceſſitates noſtras in his conſideretis, dolore patris miſerabiliter moti ut filii cariſſimi. Divina Majeſtas ad exaltationem Sanctæ ſuæ Eccleſiæ vos conſervet incolumes.

Hardouin. Tomo V. Concilior. p. 244.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
FRANCONI EPISCOPO TUNGRENSI.

Accepta ejus profeſſione veniam indulget, quod particeps fuerat Synodi Metenſis: hortaturque, ut Lotharium Regem monitis ſuis curare ſtudeat.

Anno DCCCLXV. Indictione XIII.

EXcuſationis tuæ litteris per Richardum venerabilem Diaconum tuum ſuſceptis, profeſſio Sanctitatis tuæ, qua te in nullo à Sede Apoſtolica diſſentire manifeſtas, quamque nobis à te minus quam ab ullis aliis ſperabamus offerendam, nos plurimum exhilaravit. Sed confeſſio nihilominus in Domino exſultare fecit. Eo enim, quo veniam petitis, deliquiſſe vos procul dubio demonſtratis. Et revera qualiter ſine delicto evadere poteratis, qui ſedentes in Concilio vanitatis, etſi non favendo, certe tacendo; ſi non ſcribendo, profecto non reſiſtendo profanis geſtis declaramini conſenſiſſe? Ecce enim Dominus per Prophetam dicit: *Quaſi* [a] *tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Ergo quia non annuntiaſti, peccaſti: & quoniam vidiſti & tacuiſti, procul dubio conſenſiſti. Verumtamen poſtquam, vivificante gratia, te foras vivificatum per confeſſionem exeuntem aſpicimus, quem introrſus labe mortuum putabamus; incomparabiliter exſultamus, & gratias auctori omnium bonorum immenſas exſolvimus. Et hoc jam tibi divinitus non imputari optamus, quod tibi, quomodocunque exceſſeris, remitti à Domino poſtulamus, & quantum in nobis eſt, ex corde tibi ignoſcimus: quod beatum Leonem omnibus qui in Epheſino latrocinio conſentiendo errori deliquerant, amputato totius auctore ſcandali, ſolo videlicet Alexandrino Dioſcoro, peperciſſe non ignoramus. Quid autem mirum, ſi Guntharius, quem dicitis uti vetito ſibi officio, Apoſtolicam floccipendere ſententiam non metuit, qui divina præcepta totiens parvipendiſſe convincitur? Claret vero, & cunctis manifeſte datur intelligi, etiamſi nulla alia pravitatis ſuæ præſtitiſſet indicia, qualis ante pœnam exſtitit, qui ſe poſt pœnam talem exhibuit: & quam debite percuſſionem promeruit, qui etiam poſt, unde magis percuti debeat, admittere minime recuſavit. Eo igitur ſuadente nunc Apoſtolicis

Pp 2

(a) Iſai. LVIII.

ſtolicis inſtitutis inobediens errat, quo nuper cœleſtibus oraculis ſemper obviâſſe repertus dicitur: antiquo ſcilicet adverſario, qui ſicut *Leo* [b] *rugiens*, juxta primum Apoſtolum, *circuit quærens, quem devoret*. Sed tamen ad propoſitum redeamus, & votis tuis, quantum poſſumus, Deo præſtante, miſericorditer annuamus. Itaque ſi Teutgaudum Epiſcopum, ſicut profiteris, in Catalogo Epiſcoporum non receperis, quouſque de eo humanius tractemus; & ſi Guntharium, miniſterium ſibi vetitum uſurpantem, non ſolum inter Epiſcopos non receperis, ſed nec fautoribus ejus communicaveris, & ei in ſcelere permanenti Epiſcopaliter contradixeris, & ſecundum vires in nullo à conſtitutis, & ſententiis ab Apoſtolicæ Sedis præſule prolatis deviaveris: ſed de cetero pro fide Catholica, & correctione fidelium, ac pro conſervandis Pontificis Apoſtolicæ Sedis privilegiis nobis conſenſeris, nobiſcum pro viribus decertaveris, fratres quoque & proximos tuos nobiſcum ſapere hortatus fueris; Deus omnipotens, interceſſione Apoſtolorum Principum Petri ac Pauli, vincula omnia peccatorum tuorum abſolvat, & quidquid humanitus, quod in oculis majeſtatis ejus diſplicuit, egiſti, tibi miſeratus indulgeat, & te benedictionis ſuæ gratia replens ad beatitudinem viſionis ſuæ perducat. Ceterum admonemus te, ut, ſi vere Epiſcopus es, vere te ordines, te ſerves, in te gloriam Regis Lotharii exquiras: ita ut veſtra unanimitas nobis arctius hærens, vulnus ipſius admonendo, blandiendo, ſuadendo, in reliquo autem & brevitatem præſentis temporis exponendo, pœnas inferni & cœleſtia regna ante oculos proponendo, curetis. Quod agere nullatenus poteſtis, niſi carnem ſuam, quam odio habens contra Apoſtolum à ſe projicit, reciſo membro meretricis, noſtro & veſtro judicio hortatus, etſi non ſponte, ſaltem invitus receperit. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data XV. Kalendas Octobris, indictione (c) XIII.

Binius Tomi III. Concilior. Parte II. Epiſtol. XLV. inter Nicolai I. Epiſtolas.

Lunig Spicilegii Eccleſiaſtici des teutſchen Reichs Archivs fol. 482.

(b) I. Petri II.

(c) Indictio III. currebat à Septembri 864. ad Septembr. 865.

ADVENTII
EPISCOPI METENSIS,
EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM.

Mittit profeſſionem ſuam, qua purgans ſe de cauſa Lotharii, acquieſcere ſe, atque obſequi docet ſtatutis à Pontifice in Synodo Romana. Proinde veniam & pacem implorat.

GLORIOSISSIMO DOMINICI GREGIS PASTORI DOMINO AC BEATISSIMO NICOLAO, SUMMO ET UNIVERSALI PAPÆ, ADVENTIUS HUMILIS METENSIUM SEDIS EPISCOPUS, NUNC ET IN ÆTERNUM VALERE.

CHriſtus Dominus Deus proprii ſanguinis pretio acquiſito gregi ſolita pietate proſpiciens, vobis ſummi Sacerdotii contulit dignitatem: cui inter plurima ſpiritualium virtutum ornamenta, quibus Sanctam Matrem Eccleſiam inimitabili Sanctitate condecoratis, ſacra etiam priſcæ auctoritatis dogmata affatim reſplendent: quo Chriſtiana plebs efficaciſſimo tanti Patris exemplo feliciter imbuta, vitiorum monſtra devitare, & auxiliante Deo æterna poterit præmia comprehendere, immo Eccleſiaſtici ordinis diſciplina veſtris temporibus inviolabilis permanere. Unde mea parvitas, omneſque divina dignatione mihi crediti multipliciter congaudentes, magnas omnipotenti Deo gratias referimus devotis pre-

precibus implorantes, ut Deus omnipotens vestri Pontificatus apicem diu incolumem custodire dignetur, ad consolationem Sanctæ suæ Ecclesiæ, omniumque fidelium animarum. Quippe cum inter sævissimas paganorum pressuras, densissimasque perversorum Christianorum simultates occuparemur, & per capita humilitatis nostræ Dominici ovilis solicitudinem gerere optaremus, decreta excellentissimi Apostolatus vestri nobis directa sunt. Super quibus responsa dignitati Majestatis vestræ, festinantissime currens præsentialiter dare viva voce desiderarem, nisi longæva senectus me gravidum redderet, & indeficiens corporis ægritudo frequenter atque inopinate spiritum exhalare cogeret. Magnum enim, & quasi totius meriti gaudium obtinerem, si ad limina Apostolorum, vestramque desiderabilem, & præeminentissimam præsentiam, virium imbecillitas me ire sineret. Sed quia podagrici dolores, & veterani mei artus optata denegant, omnipotenti Deo, & Sancto Petro, atque incomparabili clementiæ vestræ magnitudinis, meæ parvitatis quantitatem committo, qui vices Dei tenetis, & in reverentissima summi Principis Cathedra verus Apostolus residetis, ut vestris fovear solaminibus. Si enim fallaciter, quasi fautor vitiorum, in conspectu vestræ mansuetudinis diffamatus existo, si non corpore, mente tamen ad vestra sacra vestigia provolutus, humiliter peto, ut excusationis meæ causas, nullo mendacii fuco obnubilatas, paternæ pietatis affectu recipere non dedignemini, quas capitulatim misericordiæ vestræ pandere studui.

CAP. I. In catalogo Sacerdotum nequaquam recipio Theutgaudum, quondam Archi-Episcopum, qui depositionis suæ sententiam à vobis prolatam hactenus patienter ferens, juxta præcedentem consuetudinem nil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit: sed quasi mitissimus vir, incaute se proprio sermone lapsum, atque alterius pertinacissima obstinatione deceptum fatetur, & per humilitatis & obedientiæ viam incedens, à vestra pia largitate locum satisfactionis præstolatur.

II. Guntharium quondam sacri Palatii Archi-Capellanum, in Episcoporum numero non suscipio, neque ei, vel fautoribus suis communicare præsumo, quoniam vetito usus est officio, & Apostolicam floccipendere excommunicationem non metuit.

III. Causam piissimi Regis Hlotharii, in præsentia vestrorum Legatorum, præfati quondam Primates Ecclesiarum, cum aliis Archi-Episcopis, eorumque Coepiscopis, de duabus uxoribus in nostra urbe ventilantes, & Magistratus nostri principatum obtinentes, quid de jam dicti nostri Principis querela decreverint, vestram non latet Sanctitatem. Ego igitur, teste Deo cum Angelis & Archangelis, arbitratus sum pariter vera manere, quæ plurimorum consulum adstipulatione effabantur. Interea decernentibus tunc temporis præscriptis Archi-Episcopis, eorumque Coepiscopis, solus ego, qui essem meritis, & ordinatione novissimus, qui Magistrorum auctoritatibus & judiciis resisterem? Et ne forte in aliquo contra decretum Leonis Papæ offenderem, verebar, qui titulo XXXII. ita scribit: " Igitur secundum " Sanctorum Patrum Canones, Spiritu " Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos " singularum Provinciarum Episcopos " jus traditæ sibi antiquæ dignitatis intemeratum habere decernimus. " Si enim à regulis præstitutis ulla aut licentia, aut præsumptione discesserant, ego penitus nesciebam. Unde & in Antiocheno Concilio Cap. IX. ita scribitur: " Per (a) singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum solicitudinem totius Provinciæ " gerere: propter quod ad Metropolim " omnes undique, qui negotia videntur " habere, concurrant, &c. " Sola quippe plurimorum relatione de jam dicta querela, quæ in primordiis gesta sint, aure non oculo percepi: quia Episcopus non eram, sed in excubiis templi Beati Stephani Protomartyris occupatus, novissime in regno Domini Hlotharii senioris mei expetitus à Clero, & electus à plebe, pastoralis officii curam, Deus novit, non ultro ambiens, sed canonice invitatus accepi. Et multo amplius, si fieri potest, verbis Archi-Capellani, ac ceterorum Patrum, qui interfuerunt, credulus extiti, quam mihimetipsi. Et si for-

[a] Tomo nostro primo pag. 158.

ſi forte in aliquo ſimpliciter egi, reſtat ut ad Magiſtrum veritatis recurram. Nunc ergo proferat ſingularis ſapientia veſtra normam in hoc facto, & ecce paratus ſum obſecundare edictis veſtræ auctoritatis veluti Deo, in cujus perſona cuncta profertis. Veſtro enim ſancto ac ſalubri conſilio uſus, jugo me obedientiæ humiliter ſubmitto. Nam quamvis quorumdam levitate contra me tumultum detractionis ſentiam, niſi de ſimplicitate, nullus me in hac re accuſare poteſt. Fidenter enim dico: Ecce in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. Unde vas electionis dicit: *Gloria* (a) *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hinc enim Beatus Gregorius Papa in Epiſtola Theoctiſtæ patriciæ directa, ita ſcribit: " In omne, inquit, quod agi-" mus, vel quod extra de nobis dicitur, " recurrere ad arcana mentis debemus. " Et ſi omnes vituperent, liber eſt, quem " conſcientia non accuſat.

IV. Si decretum veſtræ auctoritatis judicio Sancti Spiritus ab omni paſtoralis officii regimine præfatos Metropolitas exutos definivit, propter exceſſus ſanctionum, & abſolutionem anathematis à Sede Apoſtolica emiſſi ſuper Ingeltrudem Boſonis uxorem; ſciatis veriſſime, quia in ejus abſolutione nequaquam particeps extiti: & poſtquam illam vera relatione infauſto adulterii genere ſauciatam audivi, ſemper quaſi mortiferum venenum abominatus ſum. Communionem vero cum excommunicatis nullatenus habere univerſos moneo. Si ſacris uti auſi fuerint, ſicut Capitulum Concilii Antiocheni quartum oſtendit, (b) quod excommunicantes eis ab Eccleſia abjici jubet.

V. Sectatorem damnatorum, ac ſeditioſum, vel conjurationis, aut conſpirationis reum, me penitus eſſe denego, faventibuſque quibuſcumque nequaquam aſſentire fateor: ſed cum capite, id eſt, ſancta & venerabili ſede Beati Petri, cui claves regni cœlorum commiſit, in qua etiam petra Chriſtus Rex æternus ſanctam ædificavit Eccleſiam, contra quam portæ inferi non prævalebunt, canonice in omnibus me favere profiteor.

VI. Porro Sanctitas veſtræ paternitatis inviolabiliter cenſuit, nullo modo pavendam bonorum amiſſionem pro temeritatibus & ſubſcriptionibus: atque indulgentiam non eſſe negandam, ſi vobiſcum ſapere, noſtrumque per nosmetipſos, aut per Legatos noſtros aſſenſum cum ſcriptis offerre ſtuderemus. Noverit præcellentiæ veſtræ Sanctitas munificentiſſima, quod Legatus noſter, qui jam vobis ſatam profeſſionem oſtenderet, & multiplicibus verbis enuclearet, ideo tardavit, quia ceteros Confratres noſtros huc illucque de diverſis partibus advocans, vobiſcum ſentire unanimiter, & ſapere hortatus ſum. Eorumque omnium generaliter unanimitate comperta, quaſi præconem Legati noſtri, in ipſo margine præſentis vitæ conſtitutus, veſtræ ſanctæ Paternitati præmiſi, præſentem videlicet litterarum portitorem. Nihil in me ambiguum, nihilque damnabile remanere patior, cui viam omnis carnis arripere proprii corporis reſolutio pollicetur. Sed in omnipotentis Dei miſericordiam valde confido, quod mihi peccatori ſpatium hujus calamitoſæ vitæ concedere debeat, quouſque digna ſatisfactione purgatus, veſtræ paternæ pietatis gratiam petenti redditam intelligam, meque receptum in veſtro Deo digno conſortio congratuler. Credimus enim, quod favente Deo, & Apoſtolorum omnium Principe, qui in eleemoſynis, & jejuniis, & furtivis orationibus ſpiritaliter occupati eſtis, omnibus viribus divina diſpoſitione prævidere debeatis, ne pro falſidica deceptione viventia in Chriſti corpore membra moriantur. Igitur ſi meis lacrymoſis precibus veſtra miſericordia in aliquo flectitur, per ſanctam & individuam Trinitatem humiliter deprecor, ut per latorem præſentium litterarum, ſi amplius eſſe non poteſt, ſaltem de veſtra ſancta manu in naufragio vitæ conſtitutus illud recipere merear, quod mitis magiſter veſter Chriſtus quibuſdam diſcipulis hæſitantibus januis diviſis apparens, imprecatus eſt, dicens: PAX VOBIS. Excellentiam Sanctitatis veſtræ aſſiduis votis & precibus diu incolumem vigere humiliter exoramus.

Hardouin. Tomo V. Concil. pag. 321. *in appendice I. Epiſtol. Nicolai PP.*

CARO-

(a) II. Corinth. I, 12.

(b) Tomo primo noſtro pag. 157.

CAROLI CALVI
REGIS,
EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM.

Intercedit pro Adventio Episcopo, petitque, ut in gratiam recipiatur.

SANCTISSIMO AC REVERENTISSIMO PATRI NICOLAO, CATHOLICÆ ET APOSTOLICÆ SEDIS SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPÆ, CAROLUS GRATIA DEI REX ET SPIRITALIS FILIUS VESTER.

QUia ficut devotio noftra erga Sanctam Sedem Apoftolicam, & veftri honorem in iftis Tranfalpinis regionibus longe lateque, gratias Deo, cognofcitur, & colendæ cum fummi amoris veneratione Paternitatis veftræ benignitas erga filialem noftram dilectionem, non folum noftris benevolis fed & æmulis, auctore Deo, certis indiciis, veluti Sanctitatem veftram fcilicet religionis culmen decet, innotuit: Adventius Metenfium venerabilis Epifcopus, hunc fratrem nomine Bettonem nobis fidelem, ut credimus, in monafterio regni noftri ab infantia regulariter educatum, & noftra munificentia, ficut inter nos convenit, fibi conceffum, ad nos mifit, petens à nobis veftræ amantiffimæ paternitati pro eo litteras mitti, quas profuturas, & non modice fibi apud auctoritatem veftram credidit fuffragari. Mandavit enim mihi, quod profeffionem fuam, fubreptionum præteritarum correctionem, & futurarum cautelam continentem, ficut regulæ fanctæ præcipiunt, manu fua fubfcriptam, veftro Apoftolatui per hunc fratrem vellet dirigere, quatenus & exceffuum veniam, & Apoftolicæ Sedis communionem; & veftri Apoftolici vigoris gratiam valeat obtinere. Unde quoniam venerandus, & amantiffimus patruus nofter DROGO, qui licet in regno fratris noftri Hlotharii, quondam Imperatoris, poft obitum Domni, & patris noftri degiffet, eo quod fedes in partem regni ipfius devenerat, nobis tamen unice dulciffima dilectione, & obnixa fidelitate conjunctiffimus fuit, eundem venerabilem Adventium nutrivit, & domeftica familiaritate habuit, & ipfe Adventius nobis fidelis, & amicus exiftit: ac fi veftigia Sanctiffimæ Paternitatis veftræ deofculantes, cum omni devotione depofcimus, ut noftra petitione, ficut credit, apud auctoritatem veftram fe fentiat adjuvari, ne ipfe & fedes ejus in illo modo quolibet, quod abfit, dehonoretur: quæ poftulatione avi noftri divæ memoriæ Karoli Imperatoris honorari ab Apoftolica Sede meruit, ut Engilramnus prædeceffor iftius, fummus Capellanus ejus, & Apocrifiarius Apoftolicæ fedis, in iftis regionibus aliquamdiu fieret: & poftea deprecatione Sanctæ recordationis Pii Augufti, Domni & Genitoris noftri, excellenti genio à Sede Apoftolica in præfato patruo noftro Drogone venerando Epifcopo fuerat honorata, ut una cum prædicto Minifterio & Imperatoris, & Apoftolicæ fedis, etiam ufu Pallii potiretur. Nam etfi hic vir venerabilis Adventius aut Principis fui, aut magiftrorum fuperftitione actus, aut favore acconfenfu plurimorum attractus vel alio quolibet modo fubreptus, vel interceptus, in aliquo minus, quam debuerat, providus extitit: quoniam ut Auguftinus dicit: " Amat Deus confitentibus " parcere, & eos, qui femetipfos ju- " dicant, non judicare, ceffatque Di- " vina vindicta, fi converfio præcur- " rat humana:" veftri Apoftolatus mitiffima, & præftabilis cunctis converfis benignitas, in eo fententiam prædecefforis fui Leonis fequetur, qua dicit: " Sedis, inquiens, Apoftolicæ moderatio

" tio hanc temperantiam ſervat, ut & " ſeverius agat cum obduratis, & ve- " niam cupiat præſtare correctis: qua- " tenus venia concedatur, ſi error ab- " oletur. Petimus ſiquidem, ut iſtum non modo ſuum, verum & noſtrum Legatum, Bettonem, religioſum monachum, & litterarum ſcientia, bonique ingenii capacitate, Dei gratia, & ſedulo ſtudio imbutum, benigne & familiariter recipiatis, quo ea, quæ ſibi injuncta ſunt, manſuetudini veſtri Apoſtolatus domeſtica ſuggeſtione valeat enarrare. Deus omnipotens orantem pro nobis ſanctitatem veſtram, ævo longiore conſervare in voluntate ſua dignetur, Sanctiſſime, & reverentiſſime Pater in Domino.

Hardouin. Tomo V. Concil. p. 323.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO ADVENTIO, EPISCOPO METENSI.

Approbat profeſſionem Adventii, eique veniam & pacem indulget, quam optabat.

EXcuſationis tuæ litteras per Theudericum religioſum Presbyterum tuum ſuſcipientes, quoniam his te in extremitate vitæ poſitum indicaſti, mœror nos continuo ingens obtinuit. Sed profeſſio tua, qua te in nullo à Sede Apoſtolica diſſentire manifeſtas, quamque nobis à te minus, quam ab aliis ſperabamus offerendam, inter mœſtitiam merito lætitiam miſcuit. Quoniam licet de exteriori homine, cum ipſius privamur fraterno ſolatio, doleamus: de interiori tamen, quem extinctum putabamus, nunc vero per gratiam Dei vivificatum audimus, incomparabiliter exultamus. Quamvis autem probabilem tua videatur habere excuſatio rationem, teque innocentem comprobetur oſtendere: ſufficeret tamen, etiam ſi qua præteritorum noxa tenereris exceſſuum, ſatisfactio, quam in articulo mortis, ſicut ipſe fateris, poſitus, litteris datis Apoſtolatui noſtro, ut decreveramus, oſtendis. Cujus rei teſtis eſt latro, qui in cruce pendens, in ipſo momento mortis jam jamque conſtitutus, confeſſus eſt: Et *bodie mecum* (a) *eris in paradiſo*, à JEſu audire promeruit. Et Propheta ſubitaneam gementis ſalutem demonſtrans, *cum converſus*, inquit, *ingemueris*, *tunc ſalvus eris.* Verumtamen potens eſt Deus miſericorditer operari, ut qui excuſationes tuas, & obedientiæ promiſſa ſuſcipientes, de immortali vita tua per id fiduciam ſumpſimus, percipiamus etiam in hoc temporali curſu, longævitate divinitus tibi conceſſa, unde & verbi Dei fructibus multipliciter perfruamur, ac per hoc in Domino gloriemur. Quid autem mirum, ſi Guntharius, dudum Archi-Epiſcopus, Apoſtolicam floccipendere ſententiam non metuit, qui divina præcepta toties parvipendiſſe convincitur? Claret vero, & cunctis manifeſte datur intelligi, etiamſi nulla alia pravitatis ſuæ præceſſiſſent indicia, qualis ante pœnam extitit, qui ſe poſt pœnam talem exhibuit: & quam debite percuſſionem promeruit, qui etiam poſt, unde magis percuti debeat, minime admittere recuſavit. Eo igitur ſuadente nunc Apoſtolicis inſtitutis inobediens effectus eſt, quo nuper cœleſtibus oraculis ſemper obviaſſe repertus eſt: antiquo videlicet adverſario, qui *ſicut leo rugiens*, juxta primum Apoſtolum, *circuit* (b) *quærens*, *quem devoret:* Illud vero, quod dicitis, Regibus & Principibus vos eſſe ſubjectos, eo quod dicat Apoſtolus: *Sive* (c) *Regi tanquam præcellenti*, placet. Veruntamen videte, utrum Reges iſti, & Principes, quibus vos ſubjectos eſſe dicitis, veraciter Reges, & Principes ſint. Videte, ſi primum ſe bene regunt, deinde ſubditum populum, nam qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? Videte, ſi jure principantur: alioqui potius tyranni credendi ſunt quam Reges habendi; quibus magis reſiſtere, & ex adverſo aſcendere, quam ſubdi debemus. Alioquin ſi talibus ſubditi

(a) Luc. XXIII, 43.

(b) I. Petr. V, 8.

(c) I. Petr. II, 13.

diti & non prælati fuerimus nos, necesse est eorum vitiis faveamus. Ergo Regi quasi præcellenti, virtutibus scilicet, & non vitiis, subditi estote, sed sicut Apostolus ait: Propter Deum & non contra Deum. Superfluum autem judico, quod in Conventu Episcoporum Capitula S. Leonis Papæ, ac Antiocheni Concilii quidam, ut asseris, legerint. Quoniam si sanctus vir Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit, privilegia tamen hujus sedis non abstulit, & huic divinitus jura concessa non minuit: quia sicut ipse scribit ad Anastasium Thessalonicensem, ac per eum ad omnes: " Inter (*d*) beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio. Et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam à suo capite dissideret." Itidem ipse alibi, ut de componendis atque compositis relatio sibi plena mittatur, præcipit. Rursus si fatetur Antiochenum Concilium: per singulas regiones convenit nôsse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere, quid præjudicat Sedi Apostolicæ sollicitudinem habenti, non solum unius Provinciæ, sed & totius Ecclesiæ? Cum idem Concilium magis Metropolitas coerceat, refrænet, & arctet, dum eos non ampliùs, quam suarum Provinciarum dicat sollicitudinem gerere. Quorum enim quis sollicitudinem gerit, & judicium prætendere necesse est, ut B. Papa Innocentius ad Alexandrum Antiochenum scribens: " Quorum (*e*) enim, inquit, te maxima exspectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium." Ergo quia totius nos Ecclesiæ maxima cura præstolatur, nostrum præcipue de Ecclesia tota procul dubio judicium promereri. Sed tandem ad propositum redeamus, & votis tuis, quantum possumus, Deo præstante, misericorditer annuamus. Itaque, si Theutgaudum, dudum Episcopum, sicut profiteris, in catalogo Episcoporum non recipis, quousque de eo humaniùs tractemus, & si Guntharium ministerium sibi vetitum usurpantem, non solum inter Episcopos non susceperis, sed nec ipsi, nec fautoribus ejus communicaveris, & Regi in scelere permanenti episcopaliter contradixeris, & secundum vires in nullo à constitutis & sententiis ab Apostolicæ Sedis Præsule prolatis deviaveris, sed de cetero pro fide Catholica, & correctione fidelium, ac pro conservandis Pontificis Sedis Apostolicæ privilegiis nobiscum senseris, nobiscum pro viribus decertaveris, fratres quoque & proximos tuos nobiscum sapere hortatus fueris, Deus omnipotens, intercessione Apostolorum Principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum absolvat. Et quicquid humanitus, quod in oculis Majestatis ejus displicuit, egisti, tibi miseratus indulgeat, & benedictionis suæ gratia replens ad beatitudinem visionis suæ perducat.

Apud Binium Tomo III. part. I.
Apud Sirmondum XLII. inter Epistolas Papæ Nicolai. Tomo III. Concil. Galliæ.

(*d*) Leo Epist. LXXXVIII.
(*e*) Innoc. Epist. XX.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,

REVERENDISSIMIS AC SANCTISSIMIS HINCMARO, ET CÆTERIS FRATRIBUS NOSTRIS ARCHI-EPISCOPIS ET EPISCOPIS IN REGNO CAROLI GLORIOSI REGIS ECCLESIAS CONSTITUTAS REGENTIBUS. (*a*)

Pro Synodo Wormatiensi anno 868.

OMnium nos portare onera, qui gravantur, immo hæc in nobis portare Beatissimum Petrum, qui nos administrationis suæ protegit, & tuetur hære-

hæredes, fraternitas veſtra liquido novit. Verumtamen inter alia, quæ nos immenſis laboribus inſerunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis immo univerſæ occiduæ parti à Græcorum Imperatoribus, Michaële & Baſilio, & ab iis, qui ſibi parent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio & invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri & Invaſoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ atque Neophyti à depoſitis & anathematizatis factam promotionem non approbaverimus: fratris ſcilicet & comminiſtri Ignatii ejuſdem Eccleſiæ Patriarchæ dejectionem, utpote à ſubjectis, & ab Imperiali potentia factam nullo ſuſcipientes aſſenſu: invidia vero, quia Regem Bulgarorum Michaelem nomine cum gente ſua, Chriſti fide ſuſcepta, à Sede S. Petri inſtitutores & doctrinam expetiiſſe audierunt. Volentes quippe & nimium anhelantes eoſdem Bulgaros à B. Petri ſubjectione ſubducere, ſuoque imperio ſub prætextu Chriſtianæ Religionis callide ſubjugare, talia de Sancta Romana Eccleſia non habente maculam neque rugam, aut aliquid hujuſmodi, prædicant, quatenus illi adhuc in fide rudes hæc audientes, nos quaſi noxios, & diverſarum hæreſeon ſqualore reſperſos vitent, declinent, atque penitus deſerant. &c. (*b*)

Accipientibus itaque nobis Epiſtolam (Michaëlis & Baſilii Impp. Conſtantinopolitanorum per Regem Bulgarorum Romam miſſam) & perſcrutantibus eandem cum aliis ſcriptis Epiſtolam, non hanc ſæpe memorati Principes dictantes, niſi in lacu blaſphemiæ tinxiſſe calamum, & luto erroris uſi pro atramento fuiſſe procul dubio potuere.

Conantur enim tam noſtram ſpecialiter, quàm omnem generaliter, quæ lingua latina utitur, Eccleſiam reprehendere. 1. Quod jejunamus in ſabbato. 2. Quod (*c*) Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus. 3. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia Presbyteros ſortiri conjuges prohibemus. 4. Et inſimulare tentant, quoniam eoſdem Presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes prohibemus. 5. Quod Chriſma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. 6. Reprehendere nihilominus moliuntur, quod octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadibus à caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus. Mentiuntur quoque nos, ſicuti per alia ipſorum ſcripta indicatur, agnum in Paſcha more Judæorum ſuper altare cum Dominico corpore benedicere & offerre. Quin & reprehendere ſatagunt, quod penes nos clerici barbas ſuas radere non abnuunt: & quia Diaconus non ſumpto presbyteratûs officio, apud nos Epiſcopus ordinatur. Cum ipſi etiam illum, quem Patriarcham ſuum nominant, à laico tonſuratum ac monachum factum ſaltu ad Epiſcopatûs apicem imperiali favore & brachio provehere, ùt ipſi putant, minimè formidarent.

Et adhuc, quod eſt gravius, à Miſſis noſtris contra omnem regulam, & præter omnem conſuetudinem libellum fidei, ſi ſe ab illis recipi vellent, exigere moliebantur; in quo tam iſta Capitula, quàm ea tenentes anathematizarent. Nec non & Epiſtolas canonicas ab eo, quem ſuum Oecumenicum Patriarcham appellant, dandas improbe requirebant.

His igitur, exploſis cæteris curis, vos fratres ſummopere convenit deſudare: & quia communia ſunt hæc opprobria, quæ univerſali Eccleſiæ in ea duntaxat parte, quæ latina uti dignoſcitur lingua ſicut prætulimus, ingeruntur: communiter omnes, qui divino Sacerdotio illuſtrati videmini, decertare debetis, quo paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant: ſed quæ pravi quique conſueta contemptione tam mentientes, quam errantes maculare geſtiunt; manu communi defenſionis ab omni nævo blaſphemiæ funditus eruantur.

Ridiculum eſt enim & ſatis abominabile

(*a*) Hæc Pontificia Epiſtola hoc anno Hincmaro, & cæteris Archi-Epiſcopis & Epiſcopis ſcripta fuit, ut ſe ad calumnias Græcorum confutandas accingerent.

(*b*) Hic Papa inſerit compendium Actorum & Legationum pro damnatione Photii, & evectione S. Ignatii Patriarchæ, quæ ad nos non ſpectant.

(*c*) Sic legit Frodoardus L. III. Hiſtor. Eccleſiæ Remenſis C. XVII. Baronius ad h. annum N. XLIX. *Quod Spiritum S. non ex Patre procedere fateamur.* Quam variam lectionem jam Binius adnotaverat.

nabile dedecus, ut temporibus noſtris, vel falſò inſimulari Sanctam Dei Eccleſiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur.

Quapropter neceſſe eſt, ut eorum conatibus reſiſtamus, & falſis illorum jaculis veritatis clipeum opponamus. Quod Nos quidem opitulante ſuperna potentia, prout valemus, agere non omittemus. Nec cum opportunitas cælitus datur, contra illos pro Eccleſia Chriſti tacebimus. Sed magnopere convenit, ut & veſtra quoque fraternitas morem ſequuta MAJORUM concertans nobiſcum, & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem (niſi mente receſſit) nunquam Heſperiæ regiones, ut de aliis mundi plagis interim taceamus, à ſede B. Petri in hujuſmodi quæſtionibus diſſonantes inventæ ſunt. Unde unusquiſque veſtrum, qui Metropolitana jura ſortitus eſt, junctis ſibi Fratribus & Coepiſcopis ſuis, qui ſub ſe ſunt, de his diligentem curam ſuſcipiat, & quid invidis eorum detractionibus opponi neceſſe ſit rimari ſtudeat, & invenire ſummopere geſtiat, atque inventum nobis ocyus transmittere minime parvipendat....

Tua (*d*) vero frater HINCMARE pietas, cum hanc Epiſtolam legerit, maxime curet, ut ad alios Archi-Epiſcopos, qui in regno filii noſtri Karoli glorioſi Regis conſiſtunt deferatur, ac id ſummopere agere ſtudeat, ut & de his ſingulis in Diœceſibus una cum Suffraganeis ſuis, in cujuscunque regno ſint conſtituti, convenienter tractare, & nobis, quæ repererint, ſuggerere curent, eos incitare non negligat: ita ut eorum omnium, quæ præſentis Epiſtolæ circumſtantia continet, tu & ſtrenuus executor illis exiſtas, & apud nos verax & prudens ſcriptorum tuorum ſerie relator inveniaris . . . . Datum decimo Kalendas Novembris, Indictione prima.

Binius Ep. LXX. Tom. III. Concil. p. 1. Sirmondus, edit. Regia, Labbé, Baronius ad hunc annum.

Fuit igitur hujus Epiſtolæ exemplum, communicatum Ludovico Germaniæ Regi, aut Archi-Epiſcopis Moguntino &c. occaſio prima cogendi Concilii Wormatienſis, & *in eo inſtaurandæ* profeſſionis Fidei. Ex illis, qui à Conciliis vel Epiſcopis invitati ſcripſere hoc ſæculo contra errores Græcorum, in Eccleſia Occidentali, fuere Æneas Epiſcopus Pariſinus editus à D'acherio Specilegii Tomo I. novæ editionis. Ratramnus ſeu Bertramnus, Monachus Corbeiæ Gallicæ, editus ab eodem D'acherio eodem Tomo I. Odo, Bellovacenſis Epiſcopus. Dein Patres Concilii Wormatienſis, qui ad præcipuum caput erroris Græcorum confutandum, Eccleſiarum Germaniæ Catholicam confeſſionem ediderunt, cæteros vero errores non cenſuerunt confutandos.

(*d*) Hic omittimus ea, quæ Germaniam non concernunt.

CONCILIUM WORMATIENSE.

Anno Chriſti DCCCLXVIII. Hadriani II. PP. II. Ludovici Germanici Regis XXVIII. XVII. Kalendas Junii. Indict. I.

SUMMARIUM.

§. I. *Profeſſio Fidei.*

§. II. *Canones LXXX. circa diſciplinam & pœnitentiam.*

§. III. *Confirmatio Monaſterii Heriſienſis ad inſtantiam Epiſcopi Paderbornenſis.*

TITULI CANONUM.

I. Quibus temporibus debeat Sacramentum Baptismi exhiberi.
II. Ut præter Episcopum nullus Chrisma conficiat.
III. De consecranda Ecclesia.
IV. Quid in Sacrificio offerri debeat.
V. De Baptismi Sacramento.
VI. Ut Ecclesia cum rebus suis ad Episcopi ordinationem pertineat.
VII. De oblationibus fidelium, seu de redditu Ecclesiæ, quot portiones fieri debeant.
VIII. De his, quæ prohibentur presbyteris in Ecclesiasticis Sacramentis.
IX. De Episcopis, cæterisque Sacris Ministris ut ab uxoribus abstineant.
X. De incriminatis, qualiter expurgari debeant.
XI. De Sacerdotibus in fornicationem lapsis.
XII. De Sacerdotibus, quibus crimen fornicationis impingitur.
XIII. Ut Episcopus pro levibus & parvis caussis neminem excommunicet.
XIV. De Clericis, si excommunicati pro levibus caussis, aut innocentes fuerint.
XV. Si in Monasteriis aliquid furatum fuerit, qualiter ipsi fratres se inde expurgare debeant.
XVI. Ut nulli Episcopo liceat à Synodo vel ante peractam Synodum discedere.
XVII. Ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, canes ad venandum, & accipitres habere non debeant.
XVIII. De Clericis, qui sine Epistola sui Episcopi proficiscuntur.
XIX. De vagis & inobedientibus Clericis.
XX. De fœminis sacro velamine consecratis.
XXI. De viduis, quæ sacrum velamen capiti imposuerunt.
XXII. De parvulis à parentibus intra septa Monasterii traditis.
XXIII. De professione monachorum.
XXIV. Ut nullus sæcularium Ecclesiam aut Clericum fatigare [a] præsumat.
XXV. Sub quam cauta consideratione erga pœnitentes sacerdos existat.
XXVI. De his, qui Sacerdotem sponte occiderint.
XXVII. De eo, qui meditatione odii, vel propter avaritiam paganum occiderit.
XXVIII. De eo, qui insaniens aliquem occiderit.
XXIX. De eo, qui arborem incidit, & dum operi necessario insistit, aliquis subtus ipsam arborem deveniens opprimitur.
XXX. De patricidis & fratricidis.
XXXI. De leprosis fidelibus, si participationem Dominici corporis & sanguinis percipere debeant.
XXXII. In quota generatione sibi fideles copulentur.
XXXIII. De his, qui cum duabus sororibus fuerint fornicati, vel cum his personis, de quibus sacra scriptura prohibet.
XXXIV. De eo, qui cum commatre Spiritali, vel cum ea, quam de sacro fonte Baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum Sacro Chrismate fuerit uncta, fornicationem perpetraverit.
XXXV. De mulieribus, quæ conceptos utero infantes voluntate excutiunt, vel quæ dormiendo filios suffocare videntur.
XXXVI. De eo, qui viduam in matrimonium susceperit, & cum filia ipsius, quam ex priori marito habuit, concubuerit: vel quæ patri filioque se substernunt, seu de his, qui cum duabus sororibus concubuerint.
XXXVII. Qui pro diversis erratibus pœnitentiam subierint, si à propriis uxoribus separari debeant.
XXXVIII. De his, qui servos suos judicibus non judicantibus necant.
XXXIX. De Domina, quæ zeli caussa ancillam suam occiderit.
XL. Si Episcopus servum alterius clericum fecerit.
XLI. De his, qui odio ad pacem non revertuntur.
XLII. Ne sine legitima accusatione condemnetur quispiam.
XLIII. De refugis ac perfidis Laicis.
XLIV. De adulteris.
XLV. Ut curam rerum Ecclesiasticarum tantum Episcopus habeat.
XLVI. De eadem re ex Concilio Antiocheno.
XLVII. Bona Ecclesiæ, quot partibus dividenda, ex decretali Papæ Gelasii, capite XXIX. primæ decretalis.
XLVIII. Ut absque præceptione novæ Basilicæ non dedicentur.
XLIX. De constituendis Presbyteris.
L. De mansis uniuscujusque Ecclesiæ.
LI. De Presbyteris uniuscujusque Ecclesiæ.

(a) facere habet codex MS. Colon.

LII. *De villis, novis Ecclesiis in eis noviter constitutis.*
LIII. *De Ecclesiis destructis: vel de nonis & decimis.*
LIV. *De Ecclesiarum honore.*
LV. *Ut Ecclesia cum rebus suis ad Episcopi ordinationem pertineat.*
LVI. *De ordinatione Presbyterorum.*
LVII. ....
LVIII. *De honore pro Ecclesiis dando.*
LIX. *De decimis dispensandis.*
LX. *De petendo Chrismate.*
LXI. *De non quærendo Clericis Judicio sæculari, ex Carthaginensi Concilio.*
LXII. *De Episcopis aut Presbyteris vagis in Parochia aliena non admittendis, ex Concilio Carthaginensi.*
LXIII. *De concubitu vago & incestuoso, ex Concilio Carthaginensi.*
LXIV. *De carne à bestiis læsa, aut per se mortua non edenda. Item de apibus hominem necantibus, necandis ex Concilio Carthaginensi.*
LXV. *Animalia, quæ, quibus comedi, quomodo licita ex Concilio Carthaginensi.*
LXVI. *Si quis Presbyter contra Episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit.*
LXVII. *Ut nullus Episcopus, Presbyter, & Diaconus conductor sit.*
LXVIII. *Lectoribus necessario vel uxores ducendæ, vel continentia profitenda.*
LXIX. *De fenore Clericis inhibito.*
LXX. *De infantibus baptizandis, quoties dubitantur, utrum fuerint baptizati.*
LXXI. *De Clericis, qui intra annum causam non procurant.*
LXXII. *De Epistola Sancti Jacobi Apostoli, in qua pro infirmis præcipit orare.*
LXXIII. *De Diaconissis mulieribus, ex Concilio Calcedonensi, cap. XV.*
LXXIV. *De conjuratione vel conspiratione ex eodem Cap. XVIII.*
LXXV. *Quod non liceat Clericis post mortem Episcopi sui, res ad eum pertinentes diripere, ex eodem cap. XXII.*
LXXVI. *Quod non oporteat ordinationes Episcoporum diu differre, ex eodem, Cap. XXIV.*
LXXVII. *De his, qui rapiunt puellas, Cap. XXVI.*
LXXVIII. *Quota generatione conjugia copulari debeant.*
LXXIX. *De honore pro Ecclesiis.*
LXXX. *De his, qui suspenduntur in patibulis.* [b]

PRÆFATIO.

DUm studio amoris Christi, ac jussione Excellentissimi, gloriosique Domini Ludovici Regis, cujus tanta erga Deum devotio exstat, ut non solum in rebus humanis, verum etiam causis divinis maximam semper sollicitudinem gerat, apud Wormaticam civitatem, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCLXVIII. Indictione prima, XVII. Kalendas Junii convenissemus ut de quibusdam Ecclesiasticis utilitatibus communis à nobis tractatus ageretur: primum gratias Salvatori nostro Deo omnipotenti retulimus, quos nos ob suam immensam pietatem salubri conventu ad tractanda Ecclesiastica negotia dignatus est aggregare, postea communi tractatu ac diligenti consideratione, *priorum* Patrum authoritatem secuti, Capitula in subsequentibus attitulata, à nobis promulganda esse necessarium duximus. Et quoniam generale Concilium egimus, oportuit primum nostræ vocis sermonem de eo esse, ut post professionem fidei nostræ, sequentia nostri operis vota quasi supra fundamentum firmissimum disponerentur.

Professio Episcoporum apud Wormatiensem (c) civitatem, XVII. Kalendarum Junii in Synodali Conventu consistentium.

COnfitemur & credimus Sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius

(b) Codex MS. Metropolitanæ Coloniensis habet præter Fidei Professionem duntaxat XLIV. Capitula: dein ordine diversissimo recensita.
(c) Nicolaus Pontifex Romanus Episcopis Germaniæ duas destinavit Epistolas, unam quidem de factionibus Græcorum, alteram vero de Theutgaudi & Guntharii Episcoporum depositione..... Synodus apud Wormatiam mense Majo habita est præ-

us naturæ, unius Majeſtatis atque virtutis. Et patrem quidem non genitum, non factum, ſed ingenitum profitemur. Fons ergo & origo ipſe eſt totius Trinitatis. Pater namque ineffabili ſubſtantia Filium genuit, (*d*) Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſæcula natum, nec tamen factum, fatemur. Igitur non ſicut Filius à Patre, ita Pater à Filio eſt, quia non Pater à Filio, ſed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, ſed non de Filio. Si enim Pater ſemper fuit, ſemper habuit Filium, cui Pater eſſet: & ob hoc Filium de Patre natum ſine initio confitemur. Spiritum enim Sanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, unum atque æqualem cum Deo Patre, & Filio credimus eſſe Deum, unius ſubſtantiæ, unius quoque naturæ: Nec tamen genitum vel creatum, ſed à *Patre Filioque procedentem*, amborum eſſe Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ab utriſque procedere monſtratur, quia caritas ſive Sanctitas amborum eſſe agnoſcitur. Et nec Patris tantum, nec Filii tantum, ſed ſimul Patris & Filii Spiritus dicitur. In relativis vero perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utroſque refertur. Quæ cum relative tres perſonæ dicantur, una tamen natura vel ſubſtantia creditur: nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus, ſed unam ſubſtantiam, tres autem perſonas. Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium; & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt. Similiter Spiritus Sanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relativè refertur in eo; quod Spiritus Patris & Filii prædicatur. In hac ergo Sancta Trinitate tres perſonas, unum Deum confitemur. Ergo non ipſum, qui eſt Pater, dicimus eſſe Filium, vel Spiritum Sanctum: nec ipſum Filium Patrem, aut Spiritum Sanctum fatemur, nec Spiritum Sanctum Patrem vel Filium dicere valemus: ſed quod Pater eſt, hoc eſſe Filium, hoc eſſe & Spiritum Sanctum ſine ulla ambiguitate pronuntiamus: Perſonas enim diſtinguimus, non naturam Deitatis ſeparamus. Tres ergo illas unius, atque inſeparabilis naturæ perſonas, ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia vel exſtitiſſe, vel quidpiam operaſſe aliquando creditur. Inſeparabiles ergo inveniuntur, & in eo, quod ſunt, & in eo, quod faciunt. Habet enim Pater æternitatem ſine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus vero Sanctus æternitatem proceſſionis à Patre & à Filio ſine nativitate. De his vero tribus perſonis ſola Filii perſona hominem verum ſine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine novo ordine, novaque nativitate aſſumpſit. Novo ordine, quia inviſibilis divinitate, viſibilis monſtratur in carne. Nova autem nativitate eſt genitus, quia incorrupta virginitas, & virilem coïtum neſcivit: & fecunda per Spiritum Sanctum, carnis materiam (*e*) miniſtravit. Dei enim Filius, non perſonam hominis accepit, ſed naturam. Naturam quippe noſtram in unitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit: & idcirco Filius Dei, & Filius hominis unus eſt Chriſtus. In eo namque quod Filius eſt Dei, æqualis eſt Patri: & in eo, quod Filius eſt hominis, *minor eſt Patre.* Qui etiam, ex quo homo eſt, pro delictis noſtris paſſionem ſuſtinuit: mortique addictus & cruci, veram carnis mortem accepit. Tertiâ quoque die virtute propria ſuſcitatus, de ſepulchro ſurrexit. Hoc ergo exemplo capitis noſtri, in hac carne, qua nunc ſumus & movemur, reſurrecturos nos credimus. Idem autem Dominus & Salvator noſter peracto reſurrectionis ſuæ triumpho paternam ſedem repetiit, à qua per divinitatem numquam diſceſſit. Inde in fine ſæculorum venturus judicabit vivos & mortuos, reddetque ſingulis, prout quiſque geſſit in corpore, ſive bonum, ſive

ſente Hludovico Rege, ubi Epiſcopi nonnulla Capitula de utilitate Eccleſiaſtica conſcribentes, Græcorum ineptiis congrua ediderunt reſponſa. *Annales Pithoeani ſeu Fuldenſes ad h. a.* Reſponſa ſunt hæc ipſa Profeſſio Fidei, quæ loquitur ſaltem contra præcipuum errorem Græcorum, nempe de proceſſione Spiritus S. à ſolo Patre.

(*d*) *nec tamen aliud, quàm quod ipſe eſt, genuit.* addit Cod. Metr.

(*e*) *monſtravit.* Cod. Metr.

ſive malum. Eccleſiam Catholicam pretio ſui ſanguinis redemptam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Credimus & confitemur unum baptiſma in remiſſionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem profeſſionis noſtræ inviolatam nos retinere, & ab ea nunquam deviare promittimus: hancque, qui ſalvus eſſe cupit, ſine ulla ambiguitate retinere ſtudeat.

CANONES.

I.

SAcroſancti autem Baptiſmi Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtivitate, & Pentecoſte unusquisque fidelium noverit eſſe præbendum: exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubveniri.

II.

Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat: nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt.

III.

Placuit, quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopus invitatur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirat; ſed ſi ipſe quidem aliquid ex ſuo voto obtulerit, non reſpuatur. Attamen unusquisque Epiſcopus meminerit, ut non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſerrituri ſunt, tamquam domus privata conſecretur Eccleſia.

IV.

Cum igitur Magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, panem tantum, & calicem ſub hoc Sacramento præbuiſſe cognoſcimus. Ideoque præter panem, & vinum cum aqua mixtum aliud offeri non debet; Calix enim Dominicus aqua, & vino permixtus debet offerri. Quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo quando in calice aqua vinum miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur.

V.

Dum quidam Sacerdotes in quibuſdam partibus terræ trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, à nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur. Nam dum partes diverſæ, & quaſi contrario modo agant, alii alios non baptizatos eſſe contendunt. Proinde quid à nobis in Sacramenti diverſitate finiendum ſit, Apoſtolicæ ſedis informemur præceptis, non noſtram ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, efflagitante Sanctiſſimo Leandro Epiſcopo, de hac diverſitate, quid potius eſſet ſequendum, inter cætera reſcribens ei, ſic ait: „ De trina vero merſione baptismatis nihil reſponderi verius poteſt, quam ipſi ſenſiſtis: quia in una fide non officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus: ut, dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis forte etiam pro veneratione ſummæ Trinitatis æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poterit infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere: quando & in tribus merſionibus, perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Quod ſi nunc usque ab hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, finiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant: dumque quod faciebant, faciunt, morem

" rem veſtrum ſe viciſſe glorientur. Quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in Sancto Baptismo, à tanto viro reddita eſt ratio, utrumque (*f*) ratum, utrumque irreprehenſibile in Sancta Dei Eccleſia habeatur. Et ne forte cuiquam ſit dubium hujus ſimplex myſterium Sacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari. Nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt: & rurſum ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem divinitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendi: unitatem, dum ſemel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptizamus. Panditur hujus ſingularis baptismatis myſterium etiam Sacrarum Scripturarum exemplis, Paulo Apoſtolo atteſtante: *Nolo* (g) *vos ignorare, fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & mari.* Mare quippe rubrum ſignificat baptiſmum, Chriſti ſanguine conſecratum, per quod populus Dei ſemel tranſit. Ibi tamen erat tota Trinitas, præcedens populum in columna ignis & nubis. In igne quippe ſignificatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus Sanctus. Jordanis quippe fluenta cum arca populus Dei ſemel tranſit, per quod ſignificatur ſimpla merſio baptismatis, cujus Sacramento Eccleſia abluitur, & de ſæculi hujus laboribus per baptiſmum, quaſi per Jordanem, ad terram cæleſtis repromiſſionis ingreditur.

VI.

Multi contra canonum conſtituta Eccleſias, quas ædificaverint, & ab Epiſcopo poſtulaverint conſecrari, dotem quam eidem Eccleſiæ contulerint, ad Epiſcopi ordinationem putant non pertinere. Quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia ſecundum conſtitutionem antiquam Jura Eccleſiarum ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant.

VII.

De redditu vero Eccleſiæ, & de oblatione fidelium, quatuor fiant portiones: quarum unam ſibi retineat Epiſcopus, alteram Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis Fabricis noverit reſervandam.

VIII.

Igitur Presbyteris, quamvis cum Epiſcopis plurima myſteriorum communis ſit diſpenſatio; quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint. Conſecratio ergo virginum, & benedictio vel unctio Altaris à Presbyteris minime fiat. Similiter non liceat eis Eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manus paracletum Spiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publice quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare. Hæc enim omnia illicita eſſe Presbyteris cognoſcuntur, quia Pontificatus apicem non habent: quæ tamen omnia Epiſcopis authoritate canonum conceduntur.

IX.

Si Epiſcopo (*h*) aut Presbytero cauſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, in ſingulis Miſſam celebrare, & ſecretam publice dicere, & communicare debet, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem reddere. Quod ſi non fecerit, quinquennio à liminibus Eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut antiqui canones inſtituerunt.

XI.

Sacerdotes igitur, ſi in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifeſtus ſive oſtenſus fuerit actus, Sacerdotii non poſſunt habere honorem, ſecundum Canonicæ inſtitutionis authoritatem.

XII.

Sacerdotes, qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint, quid aliud agendum eſt, niſi quod in nono Cæſareenſis Sancti Concilii capitulo legitur ac demonſtratur?

(*f*) Erat ergo Sæculo nono & una & triplex merſio utralibet licita & uſurpata in diverſis Eccleſiis.

(*g*) I. Cor. X.

(*h*) Gratianus cauſa II. qu. IV. C. Si Epiſcopo.

ſtratur? Tamen ſi ipſi juramento ſe voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter & Diaconi, ſi fuerint accuſati, peragant.

XIII.

Ut nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis levibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri juſſerunt aliquid committentes.

XIV.

Epiſcopi vero, ſi ſacerdotali moderatione poſtpoſita innocentes, aut in minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes recipere fortaſſis noluerint, à vicinis Epiſcopis cujuslibet provinciæ communio illis uſque ad tempus Synodi non negetur.

XV.

Sæpe contingit, ut in Monaſteriis furta (*i*) perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe Abbas præceperit, præſentibus fratribus: & ſic in ultima Miſſæ celebratione, pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.

XVI.

Si quis autem Epiſcoporum Synodo neglexerit adeſſe, aut cœtum fratrum, antequam Concilium diſſolvatur, (*k*) reddiderit deſerendum, alienatum ſe à fratrum communione cognoſcat; nec eum recipi liceat; niſi in ſequenti ſynodo fuerit abſolutus.

XVII.

Epiſcopis, Presbyteris, atque Diaconibus, canes ad venandum, & accipitres non liceat habere. Quodſi quis harum perſonarum hac fuerit voluptate detentus, Epiſcopus tribus menſibus, ſe à communione ſuſpendat, Presbyter duobus menſibus, Diaconus uno menſe ab omni officio & communione abſtineat.

XVIII.

Presbytero, aut Diacono, vel Clerico, ſine antiſtitis ſui Epiſtola ambulandi communionem in officio ſuo celebrando nullus impendat.

XIX.

Placuit etiam, ut (*l*) ſive in miniſterio Diaconii, vel Presbyterii officio aliquis conſtitutus exſiſtat, ſi Epiſcopi, à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanſerit, & communione & honore privetur.

XX.

Fœminæ ſcilicet, quæ ſacro velamine ſunt conſecratæ, ſi fuerint (quod nolumus) fornicatæ, velamen deponere non præſumant: ſed pœnitentiæ jugo ſummiſſæ ſummopere decertare feſtinent, ut ad indulgentiæ & remiſſionis valeant gratiam pervenire.

XXI.

Vidua quidem, quæ ſacrum capiti velamen impoſuerit, & inter cæteras velatas feminas in Eccleſia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit: ſi profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis deponere velamen, à religionis obſervantia diſcedere non præſumat. Quod ſi præſumpſerit, & ad id, quod ſpoſponderat, revocari non poteſt, à liminibus Sanctæ Eccleſiæ ſegregetur, donec ad emendationis remedium confugiat.

XXII.

Si Pater, (*m*) vel Mater, filium, filiamque inter ſepta Monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, non liceat eis, poſtquam ad pubertatis devenerint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum eſt: quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis frena laxen-

R r

(*i*) Gratianus II. 2. quæſt. 5. S. Thomas jam Sæculo XIII. hunc diſciplinæ ritum abolitum ſcribit *III. Part. quæſt.* 80. *art.* 6. *ad* 3. Bellarminus Lib. II. de Conciliis Cap. VIII.
(*k*) *forte*, crediderit. (*l*) *aliàs*: ſi in miniſterio.
(*m*) Vide Synodi Tridentini Seſſ. 25. Cap. 17. & 18.

laxentur. Igitur (ut prædiximus) non liceat eis susceptum habitum unquam deserere: sed convicti, quod tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu velint, nolint, permanere cogantur.

XXIII.

Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.

XXIV.

Si quis vero sæcularium per calumniam Ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, & (n) victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & à Catholicorum communione nisi digne pœnituerit, arceatur.

XXV.

Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modúmq; culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam & personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuscujusque delinquentis, à Sacris regulis oculos non reflectat.

XXVI.

Qui Sacerdotem morti voluntate tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat: jejunet autem, usque ad vesperam, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Arma non sumat, & ubicunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum Sacrarum orationum officia, aut Missarum solemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret, orans ac deprecans Deum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus Ecclesiam ingrediatur, nondum vero communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel cum facultas conceditur, sedeat; Et cum decimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur medela: maneat autem in reliquis observationibus, & tres dies per hebdomadam jejunet, ut perfectius ad culmen purificationis pervenire mereatur.

XXVII.

Qui odii meditatione, vel propter avaritiam paganum occiderit, quia non levi vitio committitur, ut homicidam convenit pœnitere: quandoquidem nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum (o) est populo antiquo penitus inferre præceptum.

XXVIII.

Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commiserit. Cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causæ peccati, licet fortassis occulta, contigisse creditur; (p) tantum tamen levior, quàm ei, qui sanus aliquem occiderit, quantum inter sanum & insanum, irationabile, & rationabile, constat esse discriminis.

XXIX.

Sæpe (q) contingit, ut dum quis operi necessario insistens arborem incidat, aliquis subtus ipsam veniens deprimatur: & idcirco si voluntate vel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quod si non voto, non incuria illius, non denique scientia contigit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrens, sub arborem improvisus devenit, & sub ipsa nemine valente penitus adjuvare, suppressus est, incisor arboris homicidæ procul dubio non est comparandus.

XXX.

Statuimus, ut patricidæ & fratricidæ per unius anni curriculum ante fores basilicæ orantes Domini Clementiam perseverent. Completo autem anni curriculo, introdu-

(n) *hoc est*, convictus.
(p) *forte:* tanto.
(o) Deut. XX.
(q) 50. Dist. 50. Sæpe contingit, dum quis.

troducantur in Ecclesiam: tamen inter audientes, usque ad dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad Missarum solemnia, vel alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspicitur, corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & jejunent usque ad nonam horam diei quotidie, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Abstineant à vino, medone, atque cervisia mellita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos: & ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum ponimus arbitrio, ut secundum conversationem illorum, aut extendere vel minuere valeant. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Et si finis vitæ illorum venerit, antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, viaticum illis non negetur.

XXXI.

Leprosis autem, si fideles Christiani fuerint, Dominici corporis & sanguinis participatio tribuatur: cum sanis autem eis convivia celebrare non permittatur.

XXXII.

In copulatione fidelium generationis numerum non diffinimus, sed id statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.

XXXIII

Si quis cum duabus fuerit sororibus fornicatus, aut cum his personis, de quibus sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, & castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier, quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

XXXIV.

Si quis cum commatre Spiritali fuerit fornicatus, usque ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro Chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus: legitimam autem, si habuerit, non dimittat uxorem.

XXXV.

Mulieres igitur, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ procul dubio judicandæ sunt. Illæ vero, quæ dormiendo filios suffocare videntur, leviter de his judicare oportet: quia nolentes, & non sentiendo, ad hunc devolutæ sunt casum.

XXXVI.

Si vir viduam in conjugium duxerit, quæ ex priori marito filiam habuit, & cum eadem filia postmodum concubuerit, conjugium modis omnibus dissolvatur, & vir ille pœnitentiæ subjaceat sanctionibus, ita ut per triennii tempus à sacro Corpore Domini nostri Jesu Christi suspendatur, & sanguine. Carnem non manducet, abstineat à vino, & singulis diebus jejunium celebrare festinet, exceptis festis diebus atque Dominicis. Orationibus omni insistere sollicitudine, integriterque perficere summopere studeat. Similiter autem de mulieribus, quæ clanculo, Patri se in concubitu substernunt, & filio, observandum est. Taliter quidem & de his sancimus, qui duabus se absconse sororibus pollutos cognoscunt.

XXXVII.

Illi scilicet, qui pro diversis erratibus, vel quibuscumque piaculis pœnitentiæ jugo fuerint summissi, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne in fornicationis voragine demergantur: & dum ad alta sublevari sperantur, corruant in cœno.

XXXVIII.

Si quis fervum proprium fine confcientia Judicum, qui tale quid commiferit, quod morte fit dignum, occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum fanguinis emundabit.

XXXIX.

Si qua femina furore zeli accenfa, flagris verberaverit ancillam fuam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum fit, voluntate, an cafu occiderit: fi voluntate, feptem annos: fi cafu, per quinque annorum tempora legitimam peragat pœnitentiam.

XL.

Si fervus abfente vel nefciente Domino fuo, Epifcopo autem fciente, quod fervus fit, Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipfe in clericatus officio permaneat: Epifcopus tamen eum Domino duplici fatisfactione perfolvat. Si vero Epifcopus eum fervum effe nefcierit, & ita eum ad facros ordines promovit, qui teftimonium de illo perhibebant, aut eum poftulabant ordinari, fimili recompenfatione teneantur obnoxii.

XLI.

Placuit etiam, ut quicumque odio, aut longa inter fe lite diffenferint, & ad pacem revocari diuturna intentione nequiverint, à civitatis primitus Sacerdotibus arguantur. Qui fi inimicitias deponere perniciofa intentione noluerint, de Ecclefiæ cœtu juftiffima excommunicatione pellantur.

XLII.

Dignum eft, ut vita innocentis non maculetur pernicie accufantium. Quisquis igitur à quolibet criminatur, non ante accufatus fupplicio deputetur, quam accufator præfentetur, atque legum & canonum fententia exquiratur, ut fi indigna ad accufandum perfona invenitur, ad ejus accufationem non judicetur.

XLIII.

Nobis igitur ratio perfuadet Synodalis decernere, ut quicunque laicorum in adverfitate propriæ gentis, aut patriæ, vel regiæ poteftatis, ad externas partes fe conferendo, noxius fuerit ultra repertus, non folum omnium rerum fuarum proprietate privetur, fed & perpetua excommunicatione damnato, nunquam illi, præterquam in ultimo mortis fuæ communio tribuatur.

XLIV.

Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem irruerit, feptem annos pœnitentiam agat.

Adnotatio P. Laur. Surii Cartufiani. Ufque ad hoc quadragefimum quintum Capitulum exclufive omnia fuperiora Capitula, dempto quadragefimo, in quodam vetufto manufcripto (r) exemplari habebantur: ea porro, quæ fequuntur, deerant: quæ fane ad hanc Synodum pertinere non videntur, cum interdum repetantur, quæ jam fuperius eifdem pene verbis fancita leguntur. Conftat autem, fub eodem Gunzone Epifcopo duas effe Wormatiæ habitas Synodos, alteram anno Chrifti 858. alteram 868. Utrum vero illæ duæ Synodi conjunctim habeantur, an aliud aliquid in caufa fit, quod hæc impreffa à manufcripto exemplari difcrepant, incertum habemus. Fit autem in decreto Ivonis non femel mentio Synodi Wormatienfis, cum tamen Canones inde citati inter hos omnes typis excufos non exftent.

XLV.

Omnium (s) negotiorum Ecclefiafticorum curam Epifcopus habeat, & ea velut Deo contemplante difpenfet, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei funt, condonare. Quod fi pauperes funt, tamquam pauperibus fubminiftret, ne eorum occafione Ecclefiæ negotia deprædentur.

XLVI.

Epifcopus (t) Ecclefiafticarum rerum habeat poteftatem ad difpenfandum erga omnes, qui indigent. Summa quoque reverentia & timore Dei participet & ipfe quibus indiget, fi tamen indiget, tam fuis, quam fratrum, qui ab eo fufcipiuntur, neceffariis ufibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occafione fraudentur, juxta

(r) Nempe noftro Metropolitano codice CXVII. fed alio, ut dixi, ordine numerata.
(s) Canon eft Apoftolorum 39.
(t) Cap. 25. Apoft.

juxta Apoſtolum ſic dicentem : *Habentes* (u) *victum & tegumentum, his contenti ſumus.*

XLVII.

Quatuor (*x*) autem tam de reditibus, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiæ facultas admittit (ſicut dudum rationabiliter decretum eſt) convenit fieri portiones: quarum ſit una Pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta eſt fabricis applicanda, &c.

XLVIII.

Baſilicas (*y*) noviter inſtitutas [non petitis ex more præceptionibus] dedicare nemo audeat, nec ambiant ſibimet Epiſcopi vindicare Clericos poteſtatis alienæ.

XLIX.

Statutum eſt, ut ſine auctoritate vel conſenſu Epiſcoporum, Presbyteri in quibuslibet Eccleſiis nec conſtituantur, nec expellantur. Et ſi laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos (*z*) ſuis in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione rejiciant.

L.

Sancitum (*a*) eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus manſus integer abſque alio ſervitio attribuatur; Et Presbyteri in eis conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant, præter Eccleſiaſticum. Et ſi amplius aliquid habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſervitium impendant.

LI.

Statutum eſt, poſtquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque Eccleſia ſuum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente Epiſcopo, permiſerit.

LII.

Sancitum eſt de villis, novis Eccleſiis in eis noviter conſtitutis, ut decimæ de illis villis ad eaſdem Eccleſias conferantur.

LIII.

De Eccleſiis ſane deſtructis, vel de nonis, & de decimis, ſive de clauſtris Canonicorum, qualiter conſtitui & ordinari à nobis placuerit, aliis Capitulis ſubter adnotavimus.

LIV.

Sed & de Eccleſiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nobis eſt, vigeat, ſimiliter in ſubter adnotatis Capitulis inſertum eſſe dignoſcitur.

LV.

Multi (*b*) contra Canonum inſtituta Eccleſias, quas ædificarunt, & ab Epiſcopo poſtulaverint conſecrari, dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerunt, ad Epiſcopi ordinationem putant non pertinere: quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia ſecundum conſtitutionem, ad Epiſcopi poteſtatem pertineant.

LVI.

Ut Presbyteri non ordinentur, priuſquam examinentur, ut excommunicationes paſſim & ſine cauſa non fiant.

LVII.

Ut nullus laicus presbyterum in Eccleſia mittere, vel ejicere præſumat, niſi per conſenſum Epiſcopi.

LVIII.

Ut Epiſcopi prævideant, quem honorem Presbyteri pro Eccleſiis Senioribus tribuant.

LIX.

Ut decimæ in poteſtate Epiſcopi fiant, qualiter à Presbyteris diſpenſentur.

LX.

In Synodo Vaſenſi, in qua ſederunt Epiſcopi octodecim, Capitulo [*c*] ſecundo: Per ſingula territoria Presbyteri ab Epiſcopis, non prout libitum fuerit, vicinioribus; ſed à ſuis propriis per annos ſingulos Chriſma petant appropinquante ſolemnitate Paſchali: nec per quemcunque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut Presbyterorum, vel Diaconorum

(*u*) I. Tim. VI. (*x*) 27. XII. Qu. 2. Quatuor autem. ſupra Cap. 7.
(*y*) 6. de Conſec. Diſt. 1. Baſilicas. (*z*) al. ſuiſque.
(*a*) 25. XXIII. Quæſt. 8. Sancitum eſt. Manſus eſt ager jugerum duodecim.
(*b*) Supra Can. 6. (*c*) pro: tertio.

norum occupatio eſt, per Subdiaconum: quia inhonorum eſt, inferioribus ſumma committi. Optimum eſt autem, ut ipſe ſuſcipiat, qui eo in tradendo uſurus eſt: & ſicut reliquiæ Sanctorum deportari ſolent, ita deportet.

LXI.

Clericus nequaquam præſumat apud ſæcularem Judicem, Epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, reſponſum non proponat, nec audeat criminale negotium in judicio ſæculari proponere. Si quis vero ſæcularium per calumniam Eccleſiam aut Clericum fatigare tentaverit, & (d) victus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus, & Catholicorum communione, niſi digne pœnituerit, arceatur.

LXII.

De Epiſcopis & de Presbyteris vagantibus, qui Parochias non habent, nec ſcimus ordinationem eorum, qualiter fuit, placuit juxta inſtituta Sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia miniſtrare, nec ullam ordinationem facere debeant, ſine juſſione Epiſcopi, in cujus Parochia ſunt. Et ſi hoc facere præſumpſerint, ab officio ſuſpendantur interim, (e) quod ad Synodum exinde venerint, & ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem accipiant ſententiam, niſi tantum pro cauſa itineris. Et ſi ullus clericus aut laicus talem Epiſcopum aut Presbyterum defenſaverit, ſine commeatu Epiſcopi, cujus parochia eſt, excommunicetur uſque ad emendationem.

LXIII.

Si quis (f) cum matre & filia in adulterio manſit, neſciente matre, quod cum filia manſiſſet: ſimiliter & filia neſcia, quod cum matre manſiſſet: & poſtea ille vir, ſi acceperit mulierem, dimittat eam, & uſque in diem mortis ſuæ non habeat uxorem. Et illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum: & illa mater & filia, cum quibus in adulterio manſit, ambabus neſcientibus, quod cum matre manſiſſet & filia, habeant viros. Nam in notitiam illarum ſi venerit hoc ſcelus, dimittant maritos, & agant pœnitentiam: & illarum mariti & illi poſteriores, accipiant mulieres. Similiter & de duabus ſororibus, qui cum una in adulterio manſit, & aliam in publico accepit, non habeant mulierem uſque ad mortem. Et illæ duæ ſorores, neſcientes, accipiant viros: & ſi in notitiam eis venerit, forma ſuperior ſervetur. Si quis cum noverca ſua dormiret, nec ille, nec illa poſſunt ad conjugium pervenire. Si quis cum filiaſtra ſua dormierit, (g) ſimiliter ſententia poteſt ſtare. Qui cum duabus ſororibus dormierit, & una ex illis antea ei uxor fuerit, nullam uxorem poſtea habeat, nec illa ſoror habeat virum.

LXIV.

Animal vulneratum à beſtiis & guſtatum, licitum eſt manducare, ſi homo prius illud animal vivum occiderit. Si vero mortuum fuerit prius, dejiciatur caro ejus. Si apes occidunt hominem, occidi debet feſtinanter: mel tamen manducetur.

LXV.

Animalia, quæ à lupis, ſeu à canibus lacerantur, non ſunt comedenda, niſi porcis & canibus: nec cervus, nec capra, ſi mortui inveniuntur. Porci autem, qui ſanguinem hominis guſtantes tetigerunt, manducentur: ſed qui cadaver mortuum lacerantes manducaverint, carnes eorum manducare non licet, uſque dum macerantur, poſt annum. Piſces autem licet manducare, quia alterius naturæ ſunt. Aves vero & alia animalia, ſi in retibus ſtrangulantur, non ſunt comedenda.

LXVI.

Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Si quis (h) Presbyter à præpoſito ſuo correptus fuerit, debet utique apud vicinos conqueri Epiſcopos, ut ab ipſis ejus cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbia [quod abſit] inflatus ſe ſecernendum ab Epiſcopi ſui communione duxerit, ac ſeparatim cum aliquibus faciens ſacrificium Deo obtulerit, anathema ſit, & locum amittat. Et ſi querimoniam juſtam

(d) hoc eſt: *convictus.*
(e) forte: *quoad ad.*
(f) Gratianus 5. XXXV. Quæſt. 2. & 3. Si quis cum matre & filia.
(g) *pro:* ſimilis.
(h) Carthag. 2. Tom. I. noſtri pag. 200. Cap. 9.

justam adversus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.

LXVII.

Item placuit, (i) ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant: quia respicere debent scriptum esse: *Nullus* (k) *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

LXVIII.

Placuit, (l) ut Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

LXIX.

Item placuit, (m) ut clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eandem speciem, quantum dederit, accipiat. Et ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, & ut Lectores populum non salutent.

LXX.

Item placuit (n) de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui baptizatos esse sine dubitatione testentur, nec ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque scrupulo eos esse baptizandos, nec ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim Legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt.

LXXI.

Rursus (o) constitutum est, ut quoties Clericis convictis & confessis in aliquo crimine, vel propter eorum, quorum verecundiæ parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum, atque gentilium, si forte causæ suæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox penitus postea audiatur.

LXXII.

Sane quoniam (p) de hoc, sicut de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit filius meus Cælestinus Diaconus in Epistola sua, sic esse à tua dilectione positum illud, quod in Beati Apostoli Jacobi Epistola est conscriptum: *Infirmatur* (q) *quis in vobis? inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus. Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum, non solum Sacerdotibus, sed omnibus ut Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ad ungendum. Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbytero licere non dubium est: quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquos à se visitandos, & benedicere & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur concedi?

LXXIII.

Diaconissam (r) non ordinandam ante annum quadragesimum, & hoc cum summo libramine. Si vero suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo, qui eidem copulatur.

LXXIV.

Conjurationis (s) vel conspirationis crimen & ab exteris legibus est omnimodo prohibitum: multo magis hoc in Dei Ecclesia, ne fiat admonere convenit. Si qui ergo Clerici, vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

LXXV.

(i) Carthag. 3. Cap. 15. Tom. I. p. 201.
(k) II. Tim. II.
(l) Carthag. 3. Tom. I. pag. 201. sed Capite 19.
(m) Carthag. 3. Cap. 16. & Cap. 4.
(n) Carthag. Conc. 5. Cap. 6.
(o) Carthag. Conc. 5. Cap. 12.
(p) Ex Epistola I. Innocentii I. ad Decentium.
(q) Jacobi V.
(r) Concil. Chalced. Can. 15. Tom. I. pag. 179.
(s) Conc. Chalc. Can. 18. Tom. I. p. 179.

LXXV.

Non (*t*) licere clericis poſt obitum ſui Epiſcopi, res ad eum pertinentes diripere, ſicut antiquis quoque Canonibus conſtitutum eſt. Quod ſi hoc facere tentaverint, graduum ſuorum periculo ſubjacebunt.

LXXVI.

Quoniam [*u*] quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligentius commiſſos ſibi greges, & ordinationes Epiſcoporum facere differunt, placuit Sanctæ Synodo intra tres menſes ordinationes celebrari, niſi forte neceſſitas excuſabilis præparet tempus dilationis extendi. Quod ſi hoc minime fecerit, correptioni Eccleſiaſticæ ſubjacebit. Veruntamen redditus Eccleſiæ viduatæ penes Oeconomum ejuſdem Eccleſiæ integri reſerventur.

LXXVII.

Eos, [*x*] qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi, vel cooperantes, aut conniventes raptoribus; decrevit Sancta Synodus, ut ſi quidem Clerici ſunt, decidant gradu proprio: ſi vero laici, anathematizentur.

LXXVIII.

Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur, ubi autem poſt interdictum factum inventum fuerit, ſeparetur. Sane eadem, quæ in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula cuſtodienda eſt. Quoniam conſtat eos duos eſſe in carne una, ideo communis illis utrimque parentela eſſe credenda eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Erunt* [*y*] *duo in carne una.*

LXXIX.

Ut Epiſcopi inceſtuoſos punire, & inveſtigare ſtudeant, omnino decrevimus. Qui ſi pœnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur. Quod ſi Sacerdotum noluerint admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus, oportet eos per ſæcularis potentiæ diſciplinam à tam prava conſuetudine coërceri.

LXXX.

Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus, poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad Eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & Miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondimus: ſi omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine ſecundum canonicum juſſum danda eſt, cur non etiam eis, qui pro ſuis peccatis pœnam extremam perſolvunt? Scriptum eſt enim: *Non* (z) *vindicat Deus bis in idipſum.* Nam Dominus ait: *In* (a) *quocunque die converſus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum ei: *Nolo* (b) *mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat: & deſperat de miſericordia Dei, qui eam ad ſubveniendum morienti ſufficere, vel in momento non credit poſſe. Latro [*c*] ergo perdidiſſet in cruce præmium ad Chriſti dextram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet. Nam cum eſſet in pœna, pœnituit: & per unius ſermonis profeſſionem, habitaculum paradiſi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum, mente potius eſt æſtimanda, quam tempore, Propheta hoc aliter aſſerente: *Cum* [d] *converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.*

Adnotatio P. Philippi Labbé Societatis Jeſu. In manuſcripto codice viri clariſſimi Nicolai Camuzatii, Trecenſis Canonici, nec idem Canonum numerus reperiebatur, neque idem ordo. Qui enim in excuſis primus occurrit, legitur in MS. ſextus; qui ſecundus, locum 30. occupat; qui tertius, trigeſimi ſexti, & ſic de aliis: quod monuiſſe oportuit, ne, ſi in ſimilem illi codicem forte incidas, ab hoc noſtro Concilio diverſum quid te nactum eſſe arbitreris.

Binius Tomo III. Concilior. Part. I. *Hardouin. Tomo V. Concilior.*

In Bibliotheca Leyſeri pag. 118. Numero 1903. recenſentur Synodi Wormatienſis Capitula CLXV. quum in vulgatis Synodographis non niſi LXXX. appareant. *Nota Schannati.*

(*t*) Concil. Chalced. can. 22. Tom. I. p. 179.
(*u*) Conc. Chalced. can. 25. Tom. I. p. 180.
(*x*) Concil. Chalced. can. 27. Tom. I. p. 180.
(*y*) Geneſ. II.
[*z*] Nahum. I.
(*a*) Ezech. XII.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Luc. XXIII.
(*d*) Iſai. XXX. XV. ex Græco.

CONCILII WORMATIENSIS §. III.

Confirmatio Monaſterii Heriſienſis Sanctimonialium in Diœceſi Paderbornenſi, à Luitharto Ep. Paderbornenſi petita, à Patribus data.

CUm in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti apud Wangionam civitatem, quæ vulgo *Wormatia* dicitur, in unum conveniſſemus, Ego *Luidbertus* humilis Moguntiacenſis civitatis Archi-Epiſcopus, cum Coepiſcopis & Chori-Epiſcopis, atque Abbatibus, ſimulque aliis plurimis Sacerdotibus, & diverſi ordinis Clero, ibidem congregatis, plura, quæ ad Chriſtianæ religionis obſervantiam, & profectum pertinere putavimus, conferre cœpimus. Inde inter cætera, quæ de Eccleſiarum ſtatu, & Deo famulantium augmento tractabamus, *Luithartus*, Paderbornenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Synodali ſuggeſſit conventui, ſuam ſororem nomine *Walburg*, & nonnullas alias Domicellas ſub ſanctimoniali habitu, & profeſſione Divino ſervitio ſe mancipare decreviſſe. Et quia locus, quem earum converſationi, & propoſito accommodatiſſimum, & opportuniſſimum judicabat, ad ſibi, ut prædiximus, commiſſam, id eſt, ad Paderbornenſem Eccleſiam pertinebat; noſtrum ad hoc conſenſum, & corroborationem expoſcebat, ut in memorato loco ſororibus ſupradictis tam præſentibus, quam futuro tempore ſuperventuris, ſine alicujus contradictione liceat ſervire. Sed ne præfata Paderbornenſis Eccleſia, aliquod hoc facto diſpendium vel ſuſtineat, vel ſuſtinere videretur, eidem Eccleſiæ tam ipſe, quam ſoror ejus tradiderunt, quidquid vel ſibi in Oſdagighuſen hæreditario jure provenire potuit, vel ſororem in locis nuncupatis Lutzilandrem, & Bocchem, atque Heringi poſſidere videbantur. Quod non ſolum poſt obitum ſuum, ſed etiam ex præſenti ſtatim tempore ad memoratam Eccleſiam contradidit, & in perpetuum traditum eſſe voluit, ut à præſenti die cum terris, ſylvis, aquis, ædificiis ſuis, mancipiis, animalibus, & cum omni integritate ſua ad eam pertinebat. Ordinatio quoque, & diſpoſitio loci, in quo eædem Sanctimoniales Deo ſervire debent, ita ad Epiſcopum; vel præſentem, vel ſibi ſuccedentem pertinere, ut ſingulis annis ad principalem ejus ſedem quatuor ſolidorum pretium perſolvatur. Proinde quia hanc petitionem piam per omnia, & juſtam, & tam Epiſcopo dignam, quam Eccleſiæ ſalubrem fore perſpeximus, dum non ſolum ſine damno, & detrimento Eccleſiæ, verum etiam ſuæ mercedis, & meritorum augmento famulantium Deo numerus augetur; tam proficuæ devotioni noſtrum aſſenſum præbere, & tam pium inceptum luce noſtrarum litterarum confirmare decrevimus. Itaque *Synodali auctoritate*, & communi ſacri conventus decreto ſtatuimus, ut locus, qui in territoriis villæ *Hereſi* nuncupatur conjacet; quem ſupra memorata Waldburg jure mutuario in propriam hæreditatem à Paderbornenſi Eccleſia mutuata, cum omnibus, quæ ad eundem locum tam prædicti Epiſcopi, quam prædeceſſoris ſuo tempore pertinere videbantur, in terris videlicet, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, cultis locis, ſimulque incultis, domibus, ædificiis, litis & diverſis ſervis, mancipiis, animalibus quoque, & cunctis mobilibus rebus, atque cum omni integritate ſua ad uſum Sanctimonialium, de quibus ſupra diximus, ita pertineat, & ſi quæ deinceps ad eandem Eccleſiam, vel in poſſeſſionibus, vel in aliis rebus tradita fuerint, poſſidere, mutuare, & ſecundum hoc, quod ſibi utile eſſe videtur, facere permittantur. Eodem quoque modo, eademque conditione manſos X, in villa nuncupata Hajonhus, ſimulque & decimas villarum quæ ita vocantur, *Heriſi*, *Smachtum*, *Nortgardinum*, *Suitgardinum* cum appendiciis, ſeu villulis, ſupradictarum ancillarum Dei uſibus amodo, & deinceps delegare decrevimus, & ut hoc noſtræ immunitatis, & *Synodalis* conventus decretum, perpetuam, & inviolabilem obtineat firmitatem, Imperialem ad hoc confirmandum auctoritatem, & noſtris ſubſcriptionibus, & ſignis hanc traditionis, & communicatio-

nis chartulam munire, & omnium unanimi consensu corroborari decrevimus. Datum in Wormatia, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII. Imperii vero Gloriosissimi Regis Ludovici anno XXVIII. Indictione I.

Signum Luidberti Moguncìacensis Episcopi. Adalwini Saltzburgensis Episcopi. Signum Rymberti Hammaburgensis Episcopi. Signum Altfridi Hildenesheimensis Episcopi. Signum Gunzonis (*a*) Wormatiensis Episcopi. Signum Salomonis Constantiensis Episcopi. Signum Landfridi Sabionensis episcopi. Signum Ermenrici Pataviensis episcopi. Signum Otgeri (*b*) Rubelacensis episcopi. Signum Luitgarii (*c*) Augustburgensis episcopi. Signum Luidberti Mimigarnifordiensis episcopi. Signum Thiadrici (*d*) Mimindensis episcopi. Signum Hildegrimi Halverstadiensis episcopi. Signum Luthardi Paderbornensis episc. Signum Eralt Feridensis episcopi. Signum Aegiberti Osnabrugensis episcopi. Signum Bernardi Chorepiscopi. Signum Hejonis Abbatis (*e*) & Presbyteri. Signum Adalgari Abbatis (*f*) & Presbyteri. Signum Thiatrici Abbatis & Presbyteri. Signum Thiadorici Abbatis (*g*) & Presbyteri. Signum Branwardi (*h*) Abbatis. Signum Egilberti Abbatis.

A Celsissimo Ferdinando Fürstenbergio, Episc. Paderbornensi, extractum è tenebris primus luci dedit *Schatenus* Annal. Paderbornensium Tomo I. ad h. a. Anno 1693. primus detexit nomina Episcoporum huic Synodo præsentium, Surio, Binio, Sirmondo, Cossartio ad eum diem ignota. Hinc post Lunigius, Coletus, Mansi recuderunt fontis ignari vel obliti.

Hansizius *in Historia Episcopor. Pataviensium* ex codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ N. XXI. hos addit Numero Episcoporum apud Wormatiensem civitatem XVII. Kal. Junii in Synodali Conventu Professioni Fidei subscribentium; ultra has variantes.

Variat (*a*) Gunzonis, *legit pro* Guazonis. (*b*) Otgarii, *pro* Otgeri. (*c*) Witgarii, *pro* Luitgarii. (*d*) Theodrici, *pro* Thiadrici.

Addit omissos hîc, sed in Viennensi extantes: Arno Wurceburgensis. Ambrico Ratisbonensis. Gebehardus Episcopi. Ratolfus Strasburgens. Episcop. Hessi Curiensis Episc. Apud Mabillonium accedit Bernardus Chorepiscopus.

Leukfeldius in antiquitatum Halberstadiensium appendice diplomatica, hoc diploma nostro edito conforme denuo vulgavit.

(*e*) Hejo vel Herto Augiensis. [*f*] Abbatis Corbeiensis in Saxonia. [*g*] Laureshamensis. [*h*] Hersfeldensis, ex Eckharto designati.

EPISTOLA
LOTHARII REGIS
AD NICOLAUM PAPAM.

Conqueritur, quod Pontifex nimium de ipso ejus æmulis credat: dolere se significat de Theutguadi, & Gunthariì excommunicatione. Cæterum purgans se de omnibus, paratum se ostendit, coram Pontifice adversariorum calumnias refellere.

DOMINO VERE BEATISSIMO, ET SANCTISSIMO TOTIUS SANCTÆ DEI ECCLESIÆ SUMMO PONTIFICI, ET UNIVERSALI PAPÆ NICOLAO, HLOTHARIUS DIVINA PRÆVENIENTE CLEMENTIA REX, SUMMÆ FELICITATIS, AC PRÆSENTIS PROSPERITATIS PACEM, ET GLORIAM.

POstquam nobis Divina dignatio sua gratuita clementia regni gubernacula commisit, more Prædecessorum nostrorum Christianissimorum Regum semper

per & in omnibus ſublimandam Beati Petri Apoſtolorum Principis Sedem, ut dignum eſt, reverenter dileximus; atque inſtanter, quantum in nobis eſt, illam exaltare parati ſumus: deque veſtro tanquam ſummo ſpiritalis Patris regimine ſemper ſalubria haurire cupientes, veritatis voce vobis dictum recolimus: *Petre amas me? paſce oves meas.* Et per Prophetam: *Ego paſcam oves meas, dicit Dominus Deus: quod perierat, requiram, & quod abjectum fuerat, requiram, & quod confractum erat, alligabo, & quod infirmum, conſolidabo.* Admodum quippe deſideramus, citius vobis noſtram exhibere præſentiam, ut illud veriori experientia implere poſſitis, quod idem Propheta poſt pauca ſubintulit: *Et judicabo illas in judicio, & juſtitia.* Revera ſereniſſimum, & devotiſſimum circa piam Paternitatem veſtram noſtræ mentis affectum acriter obnubilat, quod æmulorum noſtrorum falſidicis vocibus nimium creduli, ultra quam nobis neceſſe eſſet, in noſtra derogatione Sanctiſſimi Apoſtolatus veſtri aurem accommodatis. Præſertim cum noſtra manſuetudo promptiſſima ſit, omni deroganti vera, & juſta ratione reſiſtere. Quod & Legati veſtri, nuper in his partibus directi, vobis intimare poterant, ſi vellent: quia nos data noſtris accuſatoribus firmitate aditum veniendi, conceſſimus, & rationabilem ſatisfactionem, tanquam in veſtra præſentia, ex veſtro latere directis explere parati fuimus; nihil noſtræ regiæ dignitati faventes, ſed quaſi unus ex vilioribus perſonis, ſacerdotalibus monitis parentes. Hoc totum noſtri æmuli ſiniſtra interpretatione intelligentes, exarſerunt in concupiſcentia (*a*) regni nobis Divina dignatione jure hæreditario conceſſi: non attendentes Scripturam dicentem: *Domini eſt regnum, & cuicumque voluerit, dabit illud*: neque Apoſtolum dicentem: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Illius ergo victrici dextera pro nobis, uti credimus, pugnante, qui novit & diripientem, & eum, qui diripitur, parvipendimus eorum fucatas ſimultates: ſolummodo ut veſtri Pontificatus ancora, in ſolidiſſimo Sanctæ Matris Eccleſiæ fundamento fixa, nobis ſimiliter petentibus concedere dignetur, quod in mandatis digito Dei ſcriptis legitur: *Juſte judica proximo tuo.* Porro nos in ultimis pæne regni noſtri finibus commorantes, & erga infeſtationem paganorum laborioſas excubias ſervantes, diſcurrentium relatione comperimus, *Theutgaudum Trevirenſem, & Guntharium Agrippinenſem*, à veſtra auctoritate excommunicatos, atque oris proprii teſtimonio canonice damnatos. Quod nos non ſine gravi mœrore haurientes, decrevimus longanimiter, & patienter ferre nuntiata, & ut olim in pluribus actum eſt, reſtitutionis ſpem habere; & pie refricatis, ac retractatis omnibus, locum rationabilis miſericordiæ à veſtra largitate præſtolari. Interea accidit nobis noſſe, quod *Guntharius Miſſarum ſolemnia*, antequam ad nos perveniret, celebrare non metuit; & juxta præcedentem conſuetudinem Epiſcopale Chriſma conficere, & Spiritum paracletum tradere præſumpſit. Quod nos ſatis ægre tulimus; & ut hoc non fieret, tanquam mortiferum venenum modis omnibus abominamur. Illo autem ad nos veniente, ejus Miſſam audire noluimus; nec in aliquo illi communicare ratum duximus; & juxta veritatis vocem, quaſi ſcandalizantem oculum, à nobis eruere maculam diſponimus, quouſque Sanctiſſimi Apoſtolatus veſtri finitivam ſententiam de illo reſcire valeamus. (*b*) Epiſtolam quoque à veſtra Sanctitate Epiſcopis Diœceſeos directam illi transmiſimus; ut ibidem Canonicas, & Apoſtolicas ſanctiones liquido cognoſcens, videat, quid in poſterum illi agendum ſit. De cætero veraciter, ac ſinceriter veſtra Paternitas noverit, quod Theutgaudus, ſimpliciſſimus, atque innocentiſſimus vir, veſtram humiliter ferens cenſuram, in nullo de ſacro miniſterio contingere præſumpſit; magis eligens dehonorationem præſentialiter in oculis hominum pati, quam per inobedientiam ab illius membris ſecerni, qui caput eſt humi-

Ss 2

(*a*) Accuſatorem ſuum, Regnóque ſuo inhiantem intelligit Carolum Calvum Franciæ Occidentalis Regem, Patruum ſuum, ait *Baronius ad h. a. N. XLII.*

(*b*) Lotharius Rex, Ratoldum Argentoratenſis urbis Epiſcopum cum ſcriptis falſa more ſuo de ſua excuſatione & voluntaria correctione loquentibus, præmiſit ad Apoſtolicum. *Annales Bertiniani ad annum DCCCLXIV. referunt.*

humilium, ſuisque diſcipulis ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris.* Ipſe enim, qui ſuperbis reſiſtit, & gratiam præſtat humilibus, poterit illum, ſi innocens eſt, de ſupernis miſericorditer reſpicere. Enimvero *Legatis noſtris Theutgaudo, & Gunthario* nihil tale aliquid in ſua legatione fari præcipimus, unde damnationis notam incurrerent. Sed nec de Ingeltrude uxore Boſonis aliquod præjudicium ferre debemus, aut volumus: quam nos, comperto, quod anathematis vinculo eſſet innodata, Gunthario, quia tunc in ſua parochia erat, commendavimus; monentes, ut de illa ſuum miniſterium faceret: immo illam ex omnibus regni noſtri finibus eliminandam cenſuimus. Legati enim veſtri illam poſtmodum requirentes, atque in medio ſtatuentes, nos ignoramus, quem finem cauſæ ipſius impoſuerint. Epiſcopi vero Diœceſeos Trevirenſis Metropolis, & Agrippinæ Coloniæ, nec complices damnatorum, nec fautores vitiorum, nec in aliquo Apoſtolicorum decretorum contemptores, vel Canonicorum dogmatum violatores eſſe probabuntur, ſed ſanæ, atque Catholicæ fidei, ac veri Dei cultores. Igitur propter Deum, ſanctam & individuam Trinitatem, humiliter petimus, ut facile criminoſos ad cauſationem noſtram nullatenus admittatis: neque ut Apoſtolus docet: *Omni ſpiritui credatis, ſed probate, ſi ex Deo ſit:* quia parati ſumus, ſi ratio dictaverit, per noſmetipſos polire, quod æmulorum invidia fingit aliena. Omnipotens Deus Sanctiſſimum Præſulatus veſtri apicem æquitatis lance moderatum diu incolumem cuſtodiat. Amen.

Baronius ex codice MS. Treverenſi eam Epiſtolam Lotharii edidit ad A. C. 866. N. XXXVII. ſed verbis & ſtylo valde diſſimilem, etſi ſenſus idem ſit.
Hardouin. Concilior. Tomo V. pag. 336. 337.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
DILECTO FILIO CAROLO GLORIOSO REGI.

SUMMA. Quod Theutbergæ judicium Lotharius retractare, ac per Monomachiam decernere velle dicatur. Petit, ut illam in regnum ſuum recipiat: tum ut epiſtolas dirigat, quas Lothario eidem, ejuſque Epiſcopis ſcribit.

NUmquam dolorem generat, ſicut ſpes fruſtrata. Numquam æque mentem vulnerat, ut moleſtum nuntium veniens inſperatum. Sed quod didicimus, aperiamus. Denique inter alios Sanctæ Dei Eccleſiæ religioſos propugnatores, atque veritatis ſtrenuos defenſores, neminem magis ſuper Teutbergæ Glorioſæ Reginæ contritione ſolicitum, neminem magis ipſius incommoditatibus condoluiſſe, quam veſtræ pietatis affectum, recolimus. Adeo ut in vita fratris ejus cauſam ipſius ſedi Apoſtolicæ retuleritis, & eam largitate munificentiæ veſtræ non pauco tempore ſuſtentaveritis, noſque frequenter ad auxilium illius exhortari ſtudueritis. Quocirca Sedes Apoſtolica tantam veſtræ caritatis circa eam intuens abundantiam, quoniam celeri excuſatione, pertinacia perverſitatis obſtante, cauſam ejus perficere non prævaluit, veſtræ hanc, tamquam Deo contemplante, atque beato ſecum Petro Apoſtolorum Principe contradente, tuitioni, ſeu Clementi munitioni commiſit. Nunc autem, ſicut audivimus, Lotharius Rex adverſus eamdem Theutbergam rurſus armatus, ut aſſenſum quoque veſtrum huic nefariæ intentioni ſuæ copulare potuiſſet, fœdera vobiſcum iniiſſe dicitur; & quodam regni ſui collato Monaſterio, pro perdenda præfata Theutberga nutum ſibi veſtrum univiſſe, diffuſa longe lateque fama protenditur. Quodſi, ut multi ferunt, verum eſt, vehementer extitit dolendum, & amariſſime deplorandum,

dum. Videlicet ut à priori confilio pietatis nunc retro, quod abfit, converfi, confilium detis impietatis; & qui hactenus favorem præftabatis æquitati, nunc affenfum præbeatis iniquitati. O incomparabile detrimentum! O inenarrabile pii Regis compaffionis difpendium! fed abfit hoc à tanto Principe abfit à fidelium cordibus, de tanto Chrifti cultore tale quid facile credere: cum potius credendum eft, eos, qui Balaam imitantur, merito reprehendere; qui contra eorum vitam, quibus fe fimilem fieri etiam moriendo popofcerat, confilium præbuit, & cum occafionem de avaritia reperit, illico oblitus eft, quidquid de innocentia optavit. Sed quia de præbendo nequitiæ confenfu veftro nondum ex toto credere patimur, reftat, ut ad exhortandos vos quo circa jam fatam reginam pium, ac inchoatum opus confummetis, interim calamum temperemus. Ecce enim veritas dicit: *Qui* (a) *perfeveraverit ufque in finem, hic falvus erit.* Ecce de offerente juge Sacrificium beato Job legitur: *Sic* (b) *faciebat Job cunctis diebus.* Quod beatus Papa Gregorius exponens ait: in Sacrificio igitur Sancta actio, in cunctis autem diebus Sacrificii conftantia actionis oftenditur. Sed his ita præmiffis, Excellentiam veftram nolumus ignorare, adeo Lotharium Regem Theutbergam conjugem fuam diverfis afflictionibus fubdidiffe, & innumeris preffuris contra præftita juramenta fubegiffe; ut nobis coacta nunc fcriberet, regia fe velle exui dignitate feu copula, & fola privata vita fore contentam defiderare. Cui nos fcripfimus non aliter hoc fieri poffe, nifi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Verum, ficut multorum relatu didicimus, ipfe Lotharius conventum celebrare difponit, & eamdem Theutbergam examini proprio (*c*) in judicio fubjicere meditatur. Et fi quidem eam præftigiis falfitatis fuæ, vel argumentofis ambagibus potuerit exhibere, quafi non fuerit legitima uxor, (*d*) vult eam à fe penitus fequeftrare: fin autem, vult eam tamquam propriam quidem uxorem admittere, fed deinceps, tamquam mœchata fuerit, infimulare, atque pro hoc hominem fuum, & hominem Theutbergæ ad monomachiam (*e*) impellere: & fi homo ipfius Reginæ ceciderit, difponit hanc fine dilatione perimere. Quæ quantum fint omni Divinæ vel Sanctorum legi contraria, magnitudo quidem prudentiæ veftræ dignius jam advertit. Sed & nos hinc aliquid ftrictim volumus demonftrare: prius afferentes, quia de retroacta controverfia Theutberga non debet ulterius ad iteratam refponfionem provocari: quoniam quod bene femel diffinitum eft, & interpofitis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nifi fortaffis ubi fuerit major auctoritas, retractari. Deinde quia Ecclefiæ refugium quærens, & Ecclefiafticum judicium femper expetens, fæculari non debet fubmitti judicio. Poft hæc vero, cum nos ex utraque parte, id eft, tam à Theutberga, quam à Lothario fuerimus provocati (*f*) judices, nosque amborum controverfiam exfecuti fumus, ad nullos alios convenit fuper hoc negotio judices convolare: cum fecundum facros Canones, à judicibus, quos communis confenfus elegerit, non liceat provocare, & ubi conceffa eft provocatio, non nifi ubi major eft auctoritas, liceat provocare. Itaque cum non fit Apoftolicæ Sedis auctoritate, quæ amborum negotium exfecuta eft, ufquam major auctoritas; nefcimus, fi alicui liceat de ejus judicare judicio, vel ejus retractare fententiam. Siquidem juxta quod Ecclefiaftica lex, & mos antiquitus obfervatus indicat, ad illam quidem provocatum, & aliorum ipfam

(*a*) Matth. X. (*b*) Job. I. (*c*) *al.* & judicio.

(*d*) Quod fuerit legitima uxor & minime adultera jam extremo anno 859. aut initio anni 860. per probam aquæ ferventis à procuratore Theutbergæ illæfam manum, ex cacabo aquæ bullientis extractam, demonftratum fuit.

Hæc prima Stropha. Secunda erant Conciliabula, Aquisgranenfia tria, & Metenfe unum: Romæ caffata & reprobata.

[*e*] Tertia Stropha erat oblatum Duellum vel Monomachia, quæ tum ex confuetudine veluti jufti Dei judicium, probandæ innocentiæ ufurpabatur, fed Papa eam probationem rejecit.

(*f*) Igitur anno 863. vel 864. tam Hlotharius, quam Theutperga ad Apoftolicæ Sedis tribunal appellaverant, adeoque ipfi rei Papam judicem fuæ caufæ elegerunt. Nihil igitur Papa contra Canones, fed juxta Canones judicium in Synodo Romana, auditis Legatis è Synodis Germanicis & Theutbergæ literis tulit.

ipſam diſſolviſſe judicium novimus: ab ipſa vero provocatum, vel ſententiam ejus quoſquam violaſſe non novimus. Illud vero, quod Lotharius Theutbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo eſſe plenum, & omni iniquitate? Denique ſi uxor ejus, ut ipſe jactat, non eſt, quid pertinet ad eum de adulterio illi calumniam texere, cum nec mœchari potuerit, ſi alicujus uxor non exſiſtit? Porro de adulterio ſi à Lothario accuſatur, & ſi convicta fuerit, ultio præparatur; neceſſe eſt, ut fateatur uxorem. Quid ergo incaſſum laborat, anxiatur, & quod ſua non fuerit uxor, quibuscumque modis & qualibuscumque argumentis ſatagit invenire? Neceſſe, inquam, eſt, ut ante omnem controverſiam uxorem confiteatur, ſi hanc, ut mœchatam, impetendam exiſtimat. Sed de hoc illa coram miſſi noſtri præſentia purgare ſe voluit, ſed ipſe non annuit. Monomachiam vero in legem aſſumi, nuſquam præceptum fuiſſe reperimus: quam licet quoſdam iniiſſe legerimus: ſicut Sanctum David, & Goliam Sacra prodit hiſtoria; nuſquam tamen, ut pro lege teneatur, alicubi Divina ſancit auctoritas, cum hoc & hujuſmodi ſectantes Deum ſolummodo tentare videantur. His ita prælibatis, dilectionem veſtram obnixe depoſcimus, ut cura & ſolicitudo, atque omne omnino ſtudium, ſeu auxilium, quod circa eamdem feminam ſemper fervidum habuiſtis, nullo tempore frigeſcat; immo nullo pacto tepeſcat; ſed potius, quantum vires cœlitus collatæ miniſtrant, nullatenus ei nocere quocumque [g] gemina charitas veſtra permittat ingenio. Ne ſi forte quidquam læſionis inciderit, ipſi pro illa in terribili Divino Judicio cogamini reddere rationem; cujus nos tamquam Deo, ſicuti prædiximus, contemplante, illam vice Principis Apoſtolorum, cujus præſidium adſcivit, ſalvandum tuitioni commiſimus. Ad extremum vero, & quando jam nulla ſecuritas, & immunitatis ejus, quod gementes dicimus, inveniri poterit remedium, atque imminens ſibi certiſſimo prævidetur interitus; recipite illam ad vos: & quouſque de ea, quod Dominus revelaverit, ordinetur, in regno veſtro fovete, ac ei ſolita pietatis veſtræ beneficia miniſtrate: & ita demum, ſi quid illi objicitur, auctoritate noſtra præveniente, ipſius æmuli proſequantur. Sed notate, quoniam tunc hæc fieri permittimus, cum à prudentia veſtra, vel eorum, qui nobiſcum ſapiunt, nulla ſpes ſalutis Theutbergæ remanere præſcitur. Præterea ſive de conjugii fœdere, ſive de adulterii crimine judicium ſit agitandum, nulla ratio patitur, Theutbergam cum Lothario poſſe legalem inire conflictum, vel legitimum controverſiæ ſubire certamen; niſi prius ad tempus fuerit ſuæ poteſtati reddita, & conſanguineis propriis libere ſociata. Inter quos etiam locus providendus eſt, in quo nulla ſit vis multitudinis formidanda; & non ſit difficile teſtes producere, vel cæteras perſonas, quæ tam à ſanctis Canonibus, quam à venerandis Romanis legibus, in hujuſmodi controverſiis requiruntur. Verum hæc non ut fiant dicimus, quæ ſine decreto vel ordinatione noſtra fieri non poſſe ſupra docuimus; ſed ut oſtendamus, quem legum conflictum Lotharius congredi poſſe autumat; cum perſonam, quam in ſuis penetralibus quotidie fatigat, quotidie conterit: quando vult, ad judicium educit: quando vult, ad clauſtra reducit; & cum educta fuerit, niſi ea profiteatur, quæ ipſe præceperat, quis eſt, qui dicere poſſit, quantis malis introducta ſubmittitur? Propriæ igitur libertati committi, & ab omni oppreſſione ac poteſtate ipſius, cum quo initur conflictus, oportet liberari, atque in ſuis licenter uti, & ſuſpectas perſonas convenit declinare, quæ ſe ab objectis oſtendere cupit immunem. Sed jam ut, fili cariſſime, Epiſtolæ finem ponamus, ſemper vos illud, quod de bene operante beato Job ſupra commemoravimus, recolere ſemper in cauſa prædictæ Reginæ habere præ oculis admonemus; quia fruſtra laudabile quid geritur, ſi cunctis diebus, quibus vivit, hoc non exſequatur operator: atque incaſſum in ſtadio currit, qui antequam ad deſignatum perveniat locum, ſuccumbit. Scriptum quippe eſt: *Væ* (h) *qui perdiderunt ſuſtinentiam. Vos* (i) *autem ſic currite, ut comprehendatis.* Quæ præterea de Waldrada mœcha, excommunicata decreverimus, vos non latet. Quæ vero, quoniam nobis non annuentibus in Galliam habitatura repedavit, ſuper ea Epiſcopis

(g) *forte* genuina.

(h) Eccli. II.

(i) I. Corinth. IX.

pis regni Lotharii ſcripſerimus, in Epiſtola, quam eis miſimus, poteſtis agnoſcere: cujuſque transſcriptum exemplar venerandis antiſtitibus in regno veſtro Eccleſiam Dei gubernantibus, veſtra tribui gloria faciat.

Præterea rogamus, ut veſtra ſublimatas ſine omni dilatione præſentem crebro dicti Regis Lotharii nomine titulatam, per fidelem ac prudentem virum eidem deſtinare maturet Epiſtolam, cujus exemplar ecce dilectioni veſtræ transmiſimus. Idipſum etiam vos de illa rogamus agere, quam præſulibus ejus regni transmiſimus. Sed ſciendum eſt, quoniam quidam timoris aut favoris cauſa noſtram ſuſcipere parvipendunt Epiſtolam: quidam vero ſuſcipiunt quidem, ſed palam demonſtrare formidant: vel etiam Lothario placere volentes, hanc aliorum viſione pernicioſiſſime privant. Quapropter obnixe precamur, ut per talem eamdem Epiſtolam noſtram virum jam deſignatis Antiſtitibus veſtra ſapientia mittat: qui prudenter incedens, nullum prorſus eorum prætereat, cui hanc non tradidiſſe quocumque modo clareſcat. Quo caute ac indifferenter acto, qui hanc ſuſceperit, vel non ſuſceperit, per caritatis veſtræ legatum vel litteras protinus ac certiſſime, ſed pleniter nobis poſcimus intimari. Nam licet omnes arguendi ſint ob nimiæ ſoporem deſidiæ; multo tamen illi ſeverius increpandi vel percutiendi conſiſtunt, qui toties etiam à nobis moti, excitari peſtifero torporis ſomno depreſſi refugiunt. Sed priusquam veraciter agnoscamus, nihil de his definitivum deliberare prorſus abſentia, ſeu potius ignorantia, juſtitia dictante, permittit. Optamus gloriam veſtram in Chriſto nunc, & ſemper bene valere, dilectiſſime Fili. Data VIII. Kalendas Februarias, Indictione XV.

CONCILIUM TREVERENSE

LOTHARII ET EPISCOPORUM LOTHARINGIÆ PRO THEUTBERGÆ SEPARANDA.

Lotharius apud Treverim cum ſui Regni Epiſcopis ſatagebat, ut iterum Theutberga ſe falſo crimine inſimularet, & velamentum reciperet, quod obtinere non potuit.

Annales Bertiniani in Tomo III. Hiſtoriæ Francorum Ducheſne pag. 227.

SYNODUS TICINENSIS.

Anno Chriſti DCCCLXVI. Sub Ludovico II. Ludovici Pii Filio, Imperatore dicto, anno XI. & Rege Italiæ. Nicolai I. Papæ IX.

SUMMARIUM. I. Synodi Ticinenſis Patres intercedunt pro depoſitis Theutgaudo & Gunthario multis argumentis.

II. Synodica Epiſtola ad Nicolaum.

III. Guntharii ad Hincmarum ſpecialis Epiſtola.

Nuper circa ſeptuageſimam ſive ſexageſimam Sanctæ Quadrageſimæ collecta eſt Synodus multorum Epiſcoporum juſſu piiſſimi Imperatoris *Ludovici* in urbe Ticinenſi, quæ etiam *Papia* nuncupatur. In eo Concilio inter alia pia negotia, quæ ibi ſunt tractata, ventilatæ etiam fratrum *Teotgaudi*, atque

que *Guntarii* causæ; ubi & à Domino Apostolico innotuit, quod erga ipsos fratres suam per Ecclesiasticam pietatem, benevolentiam salubriter vellet exhibere, *Guntario* sane in eodem Concilio in sua, & prædicti fratris causa adsistente. Qui tamen cum licentia, & consilio ipsius Pontificis *à Roma regressus ad Synodum ipsam* devenit, quem fraterna caritas admodum compatiendo benignè mox recepit, & in suum conventum introduxit, consolationis, & spei hortamenta, afflicto, & humiliato fratri proponens. Epistolam sacer conventus prædictorum pro causa Sanctissimo Præsuli direxit, conferens hæc etiam capitula, atque retractans, quæ subsequuntur.

CAPUT I.

Sanctissimi Pontifices Romani multos Episcoporum, seu reliquorum Clericorum, qui pro suis erant culpis abjecti, suoque gradu privati, post dignam satisfactionem cum fraterna, & Coepiscopali unanimitate pristinis sæpe officiis reformasse noscuntur: ita semper suæ definitionis ordinem tenentes, quatenus Divinæ decreta Majestatis adverterent. Quia Deus noster quotidiana misericordia peccatores recipit, & gratiæ suæ dono vivificat, atque conversos ab æternæ mortis damnatione in Regnum gloriæ recipit. Neque ipsi Pontifices fundamentum Sanctæ Dei Ecclesiæ specialiter regentes sententiam propriæ definitionis immutare veriti sunt in melius, cum ipsum Dominum Deum nostrum misericordiæ suæ multitudine noverint terroris sui sententias in misericordiæ causam mutasse. Nam sicut Regum scriptura declarat, trium dierum pestilentia, jubente Deo populum Regis David perimi definitum est, sed quia Rex subito proprii culpam reatûs intuitus est usque ad horam prandii, reliquorum dierum spatio prætermisso mortis indictæ plaga quievit. Similiter & Ezechiæ Regi comminatio mortis intonuit dicente Propheta: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Et adjecit illi Deus, aspiciens illum contritum, & humiliatum, quindecim annos immutata subitæ mortis sententia. Ninivitis autem propter scelerum multitudinem subversio subitæ destructionis indicta est, Scriptura dicente: *Adhuc quadraginta dies*, vel ut in aliis Exemplariis habetur, Ninive post tres dies subvertetur; sed quia pœnitentiam egerant Ninivitæ, sententia mortis ab iis exclusa est, cum misertus est Dominus populo suo, ne faceret malum, quod ei facere dixerat. His autem breviter de veteri testamento susceptis, redeamus ad gratiam Evangelicæ redemptionis, quæ nos, cum essemus filii iræ, in gloriam adoptionis filiorum reformavit. Inspiciamus exemplum illius filii, qui dissipavit substantiam suam cum meretricibus vivendo luxuriose, sed postquam humiliatus, & animi contritione conversus, ad Patrem rediit, piæ paternitatis amplexibus est receptns, ac stolæ nobilitate, annuli, atque munimine calceamentorum est insignitus, & indignanti fratri sententia Patris edixit: oportet te fili gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est.

Petrus autem Princeps Apostolorum infirmitatis suæ causas ignorans, se pro Domino mori paratum esse, fiducialiter repromisit, sed unius ancillæ metu promissionis suæ causa mutata est. Hunc autem lapsum Divinæ misericordiæ magnitudo relevavit, ac tertio negantem eodem numero professionis in dilectione solidavit, & proprias oves illi pascendas commisit, cujus officium pro temporum successione Ecclesiæ Romanæ Pontifices solemniter retinent. Ecce quantum debeat homo erga hominem esse discretus, atque moderatus, clemensque, quando & omnipotens Deus sententiæ suæ justitiam in talibus ita librare voluit, ut ad pietatis misericordiam eum iterum vellet, & revocaret.

CAPUT II.

Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum de (a) *Uticete Hæretico.*

Quia Dominus noster verus, & bonus Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & qui venit animas hominum salvare, imitatores nos vult esse suæ pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fru-

(a) Pro Eutychete à Concilio Chalcedonensi damnato. Tomi I. pag. 181. in *Constitutione seu Fide illius Oecumenici Concilii.*

fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam à sectaribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem vero causam pie, & fideliter exequendam fratrem nimirum Julium Episcopum, & Renatum Presbyterum, sed & filium meum Hilarum Diaconum vice nostra direximus. Quibus Dulcium Notarium nostrum; cujus fides est nobis sæpe probata, sociavimus confidentes ad futurum Divinitatis auxilium, ut his, qui erraverat, damnata sensus sui pravitate salvetur.

ITEM LEONIS. Donatum autem Saracensem ex Novatiano cum sua, ut comperimus, plebe conversum Dominico gregi volumus præsidere, ut volumen fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quod & Novatiani dogmatis damnet errorem, & plenissime confiteatur Catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico licet reprehensibiliter ordinatum; tamen si Donatista jam non est, & ab spiritu schismaticæ pravitatis alienus est, ab Episcopali, quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate.

ITEM LEONIS. Verum quia id per rumorem falsum, ut asseritis, subreptum huic sedi, & licitum per insidias demonstrastis, quia res ad salutem rediit. Et ut veniam nos hanc in tantum nobis appetentibus, post condemnationem more Apostolico subrogamus, tantisque nostris assertionibus nobis tam bonis, tam charis non dare consensum omnibus duris rebus durius arbitramur pro nostra approbatione fratres charissimi sententia, ac postulatione Episcopum Fotinum habetote licitum ita constituere, ut deprecamini, & nostram in melius conversam sententiam labore, vel testimonio nostro compotes voti suscipite.

CAPUT III.

Item Leonis ad Anatolium Episcopum. (a)

Andream sane, qui rationabiliter Archidiaconi est privatus officio, & Eufratam, qui sanctæ memoriæ Flaviani, ut comperi, improbus extitit accusator, si professionibus plenissime scriptis non minus Euticianam hæresin, quam Nestorianum execrabile dogma condemnant, quum venia est præstanda correptis, Presbyteros consecrabis.... Cæteri vero, quos par reatus involverat, si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt, suis ordinibus reformentur.

CAPUT IV.

Item Leonis.

Quia sicut quædam sunt, quæ nulla possint ratione compelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitudine rerum oporteat temperari.

CAPUT V.

Hilarii Papæ ad Nicephorum, & ad alios Episcopos per Provincias.

N. autem, quem in Adrianopolitana civitate in eversionem regionis ipsius Episcopum didicimus consecratum, hoc nihilominus Frater, & Coepiscopus noster Euxitheus implere curavit, ut si prædictus in hoc officio, quod indigne adeptus est, desiderat permanere, quidquid contra Catholicam fidem senserat, cum Euticia, & Nestoria sua professione condemnet.

CAPUT VI.

De Historia Ecclesiastica.

Imperator Constantinus ad dedicationem Hierosolymorum ex omni orbe coire Sacerdotes invitabat: hæc ad eos de nomine ejus scribens, ut si expositionem fidei ejus probarent, vel nunc ab errore correctum clementi erga ipsum judicio uterentur. Quandoquidem tanta fuerit Concilii moderatio, ut non in personam ejus, sed in dogmatum pravitatem fuerit prolata sententia, si tamen & Episcopi ejus Alexandri commodaretur assensus. Pergit interea Eusebius Alexandriam, ibique confessorum Concilio congregato pauci numero, sed fide integri, & meritis multi, quo pacto post hæreticorum procellas, & perfidiæ turbines tranquillitas revocaretur Ecclesiæ, omni curâ, & liberatione discutiunt. Aliis videbatur fidei calore ferventibus, nullum debere ultra in Sacerdotium recipi, qui se utcunque hæreticæ communionis contagione maculasset; sed qui imitantes Apostolum quæ-

(a) Epist. 71. apud Rainaudum.

quærebant non quod ſibi utile eſſet, ſed quod pluribus: vel qui imitarentur Chriſtum, qui cum eſſet omni vita pro ſalute cunctorum, humilians ſe deſcendit in mortem, quo ſcilicet inveniretur, & in mortuis vita: dicebant melius eſſe humiliari ſe populum propter dejectos, & inclinare propter eliſos, ut eos rurſus erigerent. Nec ſibimet ſolis puritatis merito Cœlorum Regna defenderent: ſed eſſe glorioſius, ſi cum pluribus illuc mererentur intrare &c. ſcripſit S. Gregorius reſpondendo ad Secundinum ſervum Dei incluſum de reparatione lapſi, ubi ſatis aptè oſtendit illos reparari poſſe, qui pro quibusdam culpis abjiciuntur. Et Policronius Hieroſolymitanus Epiſcopus poſt ſuæ damnationis Synodicam ſubſcriptionem à Sixto Romano Pontifice, cujus ipſe juſſu fuerat depoſitus, in priſtinum reſtitutus eſt gradum.

CAPUT VII.

Ex Regiſtro Beati Gregorii Cap. XLVI. Gregorius Maximo Epiſcopo Salonitano. (a)

Quamvis culpabilibus ordinationis tuæ primordiis gravem aliam per inobedientiam culpam addideris; nos tamen ſedis Apoſtolicæ authoritatem eo, quo decuit moderamine temperantes, nunquam contra te uſque ad hoc, quod cauſa poſcebat, exarſimus. Sed ut longius ſe ingratitudo noſtra, quam tu tibi excitaſti, produceret, credita nos ſollicitudo vehementer angebat, ne quædam illicita, quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quæ ſi bene conſideres, ipſe per te ſatisfacere differendo firmabas, atque ex hoc adverſum te zelum noſtrum acrius incitabas. At ubi ſalubri tandem conſilio uſus jugo te obedientiæ humiliter ſubmiſiſti, & dilectio tua pœnitentiam agens digna ſe, ut putavimus, ſatisfactione purgavit, redditam tibi gratiam fraternæ charitatis intellige, atque in noſtro te receptum conſortio gratulare, quia ſicut perſeverantibus in culpa diſtrictos, ita reſipiſcentibus nos benignos eſſe decet ad veniam. Poſtquam ergo fraternitas tua Apoſtolicæ Sedis communionem ſe reparâſſe cognoſcit, perſonam ad nos transmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat: nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, ſic quæ ſunt conſuetudinis, non negamus. Licet autem adhæc concedenda diſpenſatio nos loci noſtri vocaverit, multum tamen à nobis petitio, dulciſſimi, atque Excellentiſſimi Filii noſtri Domini Callinici, Exarchi, ut temperantius erga te ageremus, exigit, cujus chariſſimam voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contriſtare.

CAPUT VIII.

Item alia de eadem re. Mariniano Epiſcopo Raven. (b)

Quæ de cauſa Maximi ſint agenda exceptis, quas ad vos ante transmiſimus, agnoviſtis: ſed quia qualis hac de re fraternitatis veſtræ voluntas ſit, ac magis petitio, præſenti latore Caſtorio Cartulario noſtro renunciante cognovimus. Ideo ſi idem Maximus coram vobis, & prædicto Cartulario noſtro de Simoniaca hæreſi præſtito ſe Sacramento purgaverit, atque de aliis ante corpus S. Apollinaris, ſicut ſcripſimus, tantummodo requiſitus liberum ſe eſſe reſponderit, cauſam ipſius fraternitatis veſtræ de eo, quod excommunicatus Miſſarum ſolemnia agere præſumpſit, judicio committimus, quâ debeat pœnitentiâ talis culpa purgari. Et ideo quidquid vobis, ſed dum placet, ſecuri diſponite, nec aliquod de nobis dubium habeatis, nam quidquid à vobis hac de cauſa fuerit ordinatum, nos, & grate ſuſcipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen, ut debeatis eſſe ſolliciti, & ita, quæ fienda proſpicitis, temperetis, quatenus & illi, ſi ita videbitur, benigne præſtetis, & vigoris Eccleſiaſtici genium congrua, ut oportet, diſpenſatione ſervetis: ſupraſcriptum vero portatorem in præſenti, quid nobiſcum ei ſit agendum inſtruximus, à quo cuncta ſubtiliter addiſcentes ſic vos in omnibus exhibete, ut in veſtra ſollicitudine noſtram fuiſſe præſentiam ſentiamus.

CAPUT IX.

Item de eadem re ad Caſtorium Notarium. (c)

Quanto credi tibi à nobis, & neceſſarias vides cauſas injungi, tanto te ſtre-

(a) L. IX. Regeſti Epiſtola 81. (b) Ibid. Ep. 79. (c) Ibid. Epiſt. 82.

ſtrenuum debes, & ſollicitum exhibere. Proinde ſi Maximus Salonitanus præſtito Sacramento firmaverit Simoniacâ ſe hæreſi non teneri, atque de aliis ante corpus S. Apollinaris tantummodo requiſitus innoxium ſe eſſe reſponderit, & de inobedientia ſua pœnitentiam ſicut deputavimus egerit, volumus, ut ad conſolandum illum Epiſtolam, quam ad eum ſcripſimus, ubi ei & gratiam noſtram, & communionem nos reddidiſſe ſignavimus, experientia tua dare debeat. Quia ſicut in contumacia perſiſtentibus ſeveros eſſe nos convenit, ſic iterum humilibus, & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. Præterea de fratre noſtro Sabiniano Epiſcopo Jadertino, atque Honorato Archidiacono Salonitano vel aliis, qui ſe ad ſedem Apoſtolicam contulerunt, cum eodem Maximo omnino ſtudioſe agendum eſt, ut eos in ea, qua decet, charitate recipiat, & dolorem contra eos nullo modo in corde retineat, ſed pura cum eis gratia & ſincera dilectione vivat.

CAPUT XI.

Item Gregorius Sabiniano Epiſcopo Jadertino. (d)

" Sicut perſeveranti culpæ debetur
" jure vindicta, reſipiſcentibus eſt venia
" concedenda, nam ut res illa contra
" ſe merito iracundiam excitare, ſic hæc
" in ſua prorſus dilectione ſolet concor-
" diam propagare..... Hortor ergo dile-
" ctiſſime frater, ut Gregi Dominico
" Paſtoralem ſollicitudinem inſtanter im-
" pendas, lucrum de commiſſis ovibus
" facere diligenter invigiles, ut tanto
" tibi copioſæ retributio mercedis exu-
" beret, quanto in adventu judicis
" multiplices laboris fructus obtuleris,
" ſtude itaque in culpâ lapſos erigere;
" ſtude errantibus regrediendi viam
" oſtendere; ſtude communione priva-
" tos ad communionis gratiam ſalubri-
" ter revocare, &c.

(*d*) L. VIII. Regeſti Epiſtola 10.

EPISTOLA SYNODICA
SUPRADICTA.

Sanctiſſimo, ac Reverendiſſimo NICOLAO Summo Pontifici, & univerſali Papæ, Tado Mediolanenſis, & Rotlandus Arelatenſis, & Arperrus Ebredunenſis Epiſcopi, & cæteri nobiſcum Fratres, & Coepiſcopi apud Ticinum urbe Liguriæ congregati, perpetuam in Domino noſtro JEſu Chriſto optant Salutem.

CUm *ob diverſas neceſſitates* à piiſſimo Imperatore convocati in prædictâ urbe conveniſſemus, & pro noſtro modulo de pace; & unanimitate Chriſtiani populi tractaremus, miſerabilis frater *Guntarius* in ſua, & *Teotgaudi* cauſâ nos multis lachrymis, multoque luctu ad ſui flexit compaſſionem. Intimabat namque, quia non malevolentiâ, neque alicujus gratiâ in has miſerias decidiſſe, ſed ſimplicitate ſolâ, & errore, ut ignorantia in cauſâ latebroſâ, & obſcurâ deviaſſet, Vobis vero nihil imputare, ſed miſericordiam veſtram ut imploraremus, modis omnibus expoſtulabat, quatenus ipſi, præfatoque ejus ſocio poſt tot labores tantaque diſcrimina veſtra ſubveniret clementia, quia nunquam ſe ita obſtinatos fuiſſe commemorabant, ut errorem ſuum ad veſtram luculentam, & ſalutiferam doctrinam corrigi recuſaverint. Nos vero humiliter ſuggerimus Paternitati veſtræ, ut ſicut errantibus diſciplinam adhibuiſtis, ita reſipiſcentibus indulgentiam non denegetis, attendentes, quæ ſit præfatorum fratrum in Eccleſiâ Dei utilitas, & ne propter unam offenſionem multæ opportunitates intereant: in quo vos facto omnes diligent, atque laudabunt, cum intellexerint non damnatione vos delectari, ſed correctione. Qui ſi in aliquo ſpecialiter veſtram læſerunt Paternitatem, jam ſatis digna luerunt ſupplicia, adeo, ut ipſis quoque ſint inimicis miſerandi, quippe qui ab ineunte ætate generoſis orti

orti natalibus honeſte, copioſeque ſunt educati, atque maximis inter ſuos honoribus decorati. Nunc autem egentes, anguſtiati, afflicti, peregrinando errantes, paupertate contemptibiles morte graviores patiuntur miſerias, quibus ſi miſeramini, eoſque correctos reſtituitis, Eccleſiæ Dei, & Filiorum veſtrorum lacrymoſis precibus inflexi, gratiſſimum, ut credimus, Deo munus offertis, qui venit quærere, & ſalvare, quod perierat, omnibusque ſatisfacitis, quia poteſtatem, quam in membris Chriſti eminentiſſimam accepiſtis, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem exercere laboratis, & vulnus, quod inflixiſtis non mortiferum, ſed ſalutiferum fuiſſe oſtendiſtis. Hoc Anteceſſores veſtri, quod vos minime latet; erga ſingulas perſonas, & erga plenarias Synodos exercuerunt, ut cum rigore diſciplinæ reſultantes dejeciſſent humiliatos, correctosque lenitatis manſuetudine reſtituerent. Conſolamini nos, qui ſumus in fratrum recuperatione, ut in quibuſcunque tentationum moleſtiis, & periculis luctuantis ſæculi ad gremium veſtræ Paternitatis tanquam ad placidiſſimum portum refugientes correctionis pariter, conſolationisque emolumenta nos aſſecuturos minime diffidamus. Scimus enim vos ejus eſſe diſcipulum, & ſucceſſorem, atque vicarium, qui docuit: *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes*, atque ideo non abſurde à vobis, à quo correptionem laudabilem prolatam animadvertimus, indulgentiam conſolationis per viſcera pietatis exuberare poſtulamus. Paternitatem veſtram ad correctionem, & conſolationem Eccleſiæ ſuæ omnipotens Deus ævo longiore conſervet. Amen.

EPISTOLA GUNTHARII
AD HINCMARUM.

Venerabili, & cariſſimo Hincmaro Archi-Epiſcopo, Guntarius Sanctæ Fraternitatis devotus amator, æternam in Deo optat ſalutem.

QUia meis exigentibus peccatis inopinata mihi provenerunt adverſa, patientia mihi neceſſaria eſt in tribulatione, & bonorum interceſſio. Parcat Dominus omnibus illis, qui tam gravem ſine miſericordiæ remedio invectionem mihi deputaverunt, ſciant, quem tantum, ut inde ſe recognoſcere non diſſimulent, ego penitus oblivioni tradere propoſui permanere cupiens in veræ amicitiæ integritate, quæ debet eſſe in caritate radicata. Præterea de noſtri infortunii melioratione certus eſſe credo, quod poſtea in his partibus veſtra charitas ſtudere non omiſit. Nam ego cum humilitate, & timore vobis ſignificare præſumo, quia propitio Divinitatis munere Dominum Apoſtolicum ad noſtram recuperationem voluntarium habemus. Adeo ut ſacras ipſe auctoritates, & exempla, piaque documenta perſcrutatus ſit, quæ noſtræ reſtitutioni miſerante Deo plenariam fiduciam non denegant. Similiter & omnes Epiſcopi ſpem nobis recuperationis fiducialiter inſinuant, à quibus & *Imperator*, & *Imperatrix* minime diſcordant. Pariter uno conſenſu epiſtolas valde idoneas pro nobis venerando Pontifici direxerunt. Hæc interim apud vos eo ſilentio ſecreta teneantur, ut his tantum, quibus competit, pandantur. Nunc mi Pater, quoscunque Fratres, & Coepiſcopos monere ſtudete, ut fraternæ caritatis, & compaſſionis non obliviſcantur, mihique deſolato, ac peregrinanti omnes quanto ocyus ſuccurrite, quia neceſſitatem patientes neceſſariis rebus indigemus. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperi.* Venerandam Paternitatem veſtram bene in Chriſto valere optamus.

Ex codice CXVII. MS. Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis nunc Primum edita Ticinenſis Synodus & Epiſtola utraque.

Confer Natalis Alexandri Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæculi IX. Diſſertationem IX.

NOTA. *Poſt hanc Epiſtolam legitur ſequens monitio ad Uvilibertum, & cæteros de Clero Colonienſi Gunthario faventes, quorum ope Exemplar hujus Synodi mitteretur ad plures Epiſcopos.*

Iſtum

Iſtum quaternionem exemplari facite in aliis quaternionibus quampluribus, & unum date *Luitberto* Archi-Epiſcopo, & ad alios Epiſcopos, quantum plus poteſtis, pervenire facite, ad *Coloniam* unum exemplar dirigite, ita, ut in manus fratrum veniat, & illi etiam exemplari faciant, & ad Epiſcopos mittant. *Uvilibertus* ſpecialiter inde provideat, & *Madalfridus*, & *Ingalfridus*, & *Baldricus*, & *Ermboldus* ſimiliter inde provideant, & cæteri, qui ſpecialiter eſſe volunt fratres.

NICOLAI PAPÆ
AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ RESPONSORIA.

Ut deſinat tandem intercedere pro Theutgaudo & Gunthario, poſt Synodum Ticinenſem ſcripta.

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO FILIO LUDOVICO GLORIOSO REGI.

EPiſtolam Serenitatis veſtræ pro Theutgaudo & Gunthario dudum Epiſcopis nos obnoxie precantis accepimus, & quam ob rem pro illis tot veſtra Celſitudo labores aſſumat, admodum fateor miramur & obſtupeſcimus. Quanta nempe mala nos perpeti, quanta incommoda ſuſtinere ſæpe audiſtis, & liquido nunc cognoviſtis? Nuſquam tamen, quia cauſa noſtri doluiſtis, apparuit. Et quod cum caritate veſtra dicimus, ſic Eccleſiæ matris veſtræ ſemper damna duxiſtis, tanquam ſi nihil ad vos inde quoquomodo pertineret, & veluti ejus non eſſe filii per omnia videremini. Quantos autem ſudores, quantaque certamina pro recidendo malo, cujus Guntharius & Theutgaudus auctores & conflatores inventi ſunt, pertulimus? Immo vero indeſinenter perferimus, & ne rediviva iterum radice ſuccreſcat, inceſſabilibus laboribus fatigamur? Nunquam tamen vos in his omnibus concertantes aut collaborantes nobis adhæreſcere conſenſiſtis. Sed nunc pro reconciliandis Theutgaudo & Gunthario, totius hujus malis fabricatoribus, ſatagitis, curritis, anxiamini, & nobis crebro id ipſum mittere minime recuſatis: quoſque neſcio, quomodo amaricatos appelletis, dum certe illi pene quotidie potum amaritudinis propinare nobis non deſinunt. Nam quoties eorum facti memoria inter aliorum dura quæque nobis ingerentium infertur, toties nos abſque mœroris amaritudine remanere nequimus. Ceſſet itaque veſtræ gloriæ jam nos ſuper hoc pulſare ſublimitas, & quod fieri non poteſt, tandem aliquando prætermittat. Dum enim non poſſumus adipiſci, quod volumus, neceſſe eſt, ut hoc velimus conſequi omnino, quod poſſumus & debemus. Nam Sedis Apoſtolicæ ſententia tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari neceſſarium ducat: niſi forte ſic prolata ſit, ut retractari poſſit, vel immutanda ſecundum præmiſſæ tenorem conditionis exiſtat. Theutgaudus igitur & Guntharius hujus Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis ſententia perculſi, ſi patienter egerint, & malorum, quorum plantatores fuere, eradicatores extiterint, atque ſi hæc perfecta in ſe humilitate, digniſque pœnitentiæ fletibus abolere ſtuduerint, poterunt utique alia miſerationis Eccleſiaſticæ beneficia præſtolari: prioris tamen miniſterii, aut cujuscunque ſacerdotalis officii dignitatem fruſtra quidem ſperare poterunt, reſumere autem in ſempiternum non poterunt. Sed quia caritas excellentiæ veſtræ pro his dolet, laudamus: quia & nos, ſicut ad eorum detrimentum tunc zelo & juſtitia Dei commoti gementes devenimus: ita & nunc, quoties eorum reminiſcimur, toties ingenti cruciatu mentis accendimur, atque de ipſorum diſcrimine illis valde compatimur & condolemus. Secundum nam-

namque: *Si quid patitur* (a) *unum membrum, compatiuntur & omnia membra.* Verum ſi de his, vel de actibus eorum, vel quæ ſit penes nos de ipſis fixa ſententia, pleniter, ut innuitis, cognitum vobis fieri cupitis, ad epiſtolæ tenorem, quam ad Venerabiles Epiſcopos regni veſtri transmiſimus, ſi placet, induſtria ſublimitatis veſtræ recurrat. Optamus gloriam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere, ô dilectiſſime Fili. Data III. Kalend. Novemb. Indictione I.

Epiſtola Nicolai LXXIII. apud Binium Tomo III. Concil. Part. I. è quo Sirmondus & alii.

(a) I. Corinth. XII, 26.

NICOLAI PAPÆ
AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS RESPONSORIA AD PP. SYNODI TICINENSIS.

SUMMA. Reprehendit illos, quod Theutgualdum, & Guntharium ſuis gradibus reſtitui cupiant. Exponit, quam graviter deliquerint, tum in ſuſcipienda Ingeltrude Boſonis conjuge refuga, & excommunicata, tum in adſtruendo, & defendendo Lotharii repudio; & quod propterea merito fuerint depoſiti. Quare hortatur, ut deſiſtant, & ut Lotharium ad exſequenda juſſa Pontificis inflectant.

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENTISSIMIS, ET SANCTISSIMIS FRATRIBUS NOSTRIS ARCHI-EPISCOPIS, ET EPISCOPIS IN REGNO LUDOVICI GLORIOSI REGIS CONSTITUTIS.

GAudemus quidem, Fratres, & plane vobis non immeritò congaudemus, quoniam per caritatem vos Teutgualdo, & Gunthario dudum damnatis compati, & condolere conſpicientes, etiam pro recuperandis in priſtinum dignitatis gradum non modicè ſatagere contemplamur. Sed triſtamur, & valde triſtamur, Cariſſimi, quia ſic pro duorum hominum dejectione ſatagitis, ut plurimæ multitudini Chriſtianæ plebis per eos læſæ minime conſulatis: ſic pro duorum hominum reſtaurando ſtatu pro criminibus manifeſtis eliſo certatis; ut tot fidelium caſum, qui eos per præcipitia ſunt ſecuti, nullo modo perpendatis. Sed quid mirum, quando etiam cum eſſetis vicini locis illis, in quibus Teutgualdus, & Guntharius Eccleſias Chriſti ſibi commiſſas videbantur quidem regere, non autem regebant; in quibus etiam licenter, & ſine quavis prohibitione, tam Waldrada, quam Engeltrudis uxor Boſonis, proſtitutionis ſuæ ſibi lupanaria quodammodo præparaverant, nec contra inſurgentem morbum medicinale ferrum exacuiſtis, nec ad excitandos ſopore noxio oppreſſos eodem tempore fratres caritatis pedibus cucurriſtis; ſapientiſſimo Salomone de talibus admonente, atque dicente: *Diſcurrere* (a) *feſtina, ſuſcita amicum tuum!* Quod non ſolum tunc minime vos egiſſe liquet: verum etiam poſtquam nos erecti ſagittas Divinæ Pharetræ jaculare adverſus hujusmodi prô nefas longe lateque cœperimus, nobis collaborare ſollicite procuraſtis? Denique ubi ſuper hoc labor veſter apparuit? Ubi concurſus vel ubi ſacerdotale ſtudium cla-

[a] Proverb. VI, 3.

claruit? Quandò aſcendiſtis ſuper montem excelſum? Quando evangelizaſtis Sion? Quando quaſi tuba exaltaſtis vocem? Quando annuntiaſtis cuilibet in hac culpa detento ſcelera ſua? Quando aſcendiſtis ex adverſo, & oppoſuiſtis murum pro domo Domini? Quando pro ea latratus dediſtis? Quando Phinees, ut ceſſaret quaſſatio, imitati eſtis? Quando Danielem in puniendis adulteris Presbyteris ſectati eſtis? vel quando nobiſcum, ut caſtrorum acies ordinati ſtetiſtis? Quando nobiſcum Dominum in choro laudaſtis? Vel quando columbas imitati gregatim contra milvos incedere ſtuduiſtis? Quando cantavimus ſimul: *Deus in* (b) *loco Sancto ſuo, Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo.* Et rurſus: *Ecce quam* (c) *bonum; & quam jucundum habitare fratres in unum*? In unum ſcilicet mente magis quam corpore. Quodſi nihil horum egiſtis, nec in nullo nobiſcum convenire voluiſtis: ſed ſicut laboribus noſtris diverſo tempore, pro deſtruendis, quæ viri prædicti fabricaverant impenſis, minime communicaſtis; ita & dolorum noſtrorum participes fieri recuſaſtis: quid nunc ſatagitis, & anxiamini, & pro duorum virorum reſtauratione, innumerorum prævenire vultis fidelium ſubverſionem? An plurimorum interitum parvipenditis, & duorum virorum caſui ſolummodo condoletis? Et ſola quidem illorum vobis ruina gravis; noſtræ vero, & totius Eccleſiæ, cui Deo autore ſervimus, quotidiana ſollicitudo, & pro eradicandis, quæ ipſi plantaverunt malis inceſſabilis cura, & intolerabilis profecto vexatio, levis, & contemnenda videtur? Sed nos, quæ pertulimus, immo quæ de factorum ipſorum origine quotidie toleramus, non contemnenda ducimus, nec levia poſſumus æſtimare; quorum graviſſima nos cernimus, & non vos pondera bajulare. Quamvis & charitatem veſtram incommodis noſtris cognitis compati minime diffidamus, & jam nunc expoſita nequaquam perſunctorie poſſe credamus.

Ordiamur ergo hiſtoriam Teutgualdi, & Guntharii, ſi tamen non tragœdia potius ſit dicenda: & ut partim ſaltem, quæ nos experti ſumus de illis, vos quoque ſcire valeatis, quantum Epiſtolæ caventes prolixorem ſermonem curſim differere poſſumus, texentibus nobis advertite. Igitur cum Engeltrudis, uxor Boſonis Comitis, ad Gallias proprio relicto viro cum adultero, adultera transmigraſſet; & vir ejus eam cum multo labore reducere voluiſſet, nec tamen aliquo modo potuiſſet, Eccleſiaſtica cœpit auxilia poſtulare: ordinemque ſervans, primam in toto terrarum orbe ſedem appellans, ut Eccleſiaſtico decreto eam ab his, qui illam muniebant, erui; & ſibi reddi præciperet, ſupplicavit. Unde deceſſor noſter Sanctæ Memoriæ Benedictus Papa, quouſque ſuperſtes exſtitit, apud Imperatorem, & Regem, ac Principes interveniens, & concertans; atque Epiſcopis, & cunctis fidelibus ſcribens, ut revocaretur, ſuadere, & authoritate Apoſtolica jubere non deſtitit. Cui decedenti effectu nullo percepto, per Chriſti gratiam nos in Epiſcopatu ſubrogati, ſucceſſimus etiam in labore, cui licet longe meritis impares ſucceſſimus in honore. Qui ut revocaretur eadem fœmina, & verbis, & frequentibus litteris ad omnes perſonas in omnes partes miſſis; ad quas neceſſitas poſtulabat, non deſtitimus agere. Sed & ſic minime nobis proficientibus, cœperunt hinc inde à Pontificio noſtro Epiſcopales litteræ deſtinari, ſuggerentes videlicet, ut tam morbida ovis, ne totum gregem contaminaret, Eccleſiaſtico judicio de ipſo grege Dominico pelleretur; maxime quæ tot ſalubribus monitionum medicamentis ſanari minime conſenſiſſet. Decretoque, & authoritate præmiſſa, juſſum eſt Mediolani Epiſcoporum Concilium fieri; ad quod ipſa vocata, ſi certo tempore non occurreret, ab ipſo Sacrato Collegio vinculis anathematis vinciretur. Quodque illa ſtatuto tempore non occurrente, patratum eſt; ſententiamque in ipſam *à Synodo authoritate noſtra convocata*, nos quoque, ut Sacri Canones præcipiunt, conſenſu noſtro firmavimus. Inter hæc vero, cognoſcentes eandem fœminam in regno degere Lotharii Regis, non ſatis habuimus, quæ de ipſa geſta fœmina fuerant: ſed ad hanc revocandam prioribus noſtris laboribus adhuc quærendi ſtudium appoſuimus: reminiſcentes videlicet Domini, qui de cælis

[b] Pſal. LXVII, 7.

[c] Pſal. CXXXII, 1.

cælis ideo ad terram descendit, ut quæreret, quod perierat: juxta quod à Psalmista rogabatur, confitente, atque dicente: *Erravi* (d) *sicut ovis, quæ perierat, require servum tuum.* Missaque Epistola nostra, fratrum, & coëpiscoporum nostrorum in Regno præfati Regis constitutorum, & præcipue Teutgualdi, & Guntharii, in quorum Diœcesibus eadem perdita libere mulier morabatur, torporem valide redarguimus; & quam ob rem inter eos licenter illam degentem minimè ad virum proprium redire coëgerint, non mediocriter increpavimus: indicantes etiam hanc à nobis anathematis vinculo innodatam, & ab omni Christiana communione remotam, sed Teutgualdus atque Guntharius tunc Episcopi, & præcipuum locum, & familiaritatem apud Principem obtinentes, non solum eam, cum possent, nequaquam ad conjugem proprium reverti suasione fecerunt, aut authoritate canonica, juxta quod à sede Apostolica crebro fuerant adhortati, minimè compulerunt; præsertim cum in Diœcesibus eorum commorari sæpè commemorata, & damnata fœmina diceretur: verum etiam ut licitè posset omnium frui communione, atque in refuga obstinatione, sine cujusquam contradictione, vel impedimento subsistendi, valeret potentum quorumcunque potiri solatiis, hanc absolvere, quantum in ipsis fuit, atque recipere temere præsumpsere. In quo etiam si Sedis Apostolicæ judicium à quovis retractandum fuisset, etiamsi ab inferioribus potiorem sententia solvenda prorsus exstiteret; quantum Teutgualdus, atque Guntharius circa Sacros Canones, & præcipuè Nicænos qui luculenter innuunt, *Non debere* [e] *qui abjiciuntur, ab aliis recipi*, contumaces exstiterint, ipsi vos solerter advertite. Sed ne tale quid eos commisisse dubitetis, scitote coram omni Ecclesia nostra illos hoc se peregisse confessos.

Interea flagitium in Theutbergæ Reginæ dejectione, admissione Waldradæ, à Rege Lothario perpetratum, horum cœpit adulationis, & iniquæ defensionis fomentis crescere, atque latius diffamari. Qua de re nos hoc agnoscentes, quanta potuimus instantia, ne tantum scelus committeretur, inhibuimus; & per fideles quoque, nec non & scripta nostra suadere contendimus. Mittit Rex Lotharius duos ad nos Comites, per quos in scriptis, & verbis innuit, Episcopos Regni sui, cum aliis quibusdam, sibi dare authoritatem Theutbergam repellendi, & Waldradam in matrimonium sortiendi: sed se, ut ordo custodiretur, à nobis hujusmodi potius authoritatem, & judicium petere, atque consilium præstolari. Quo nos audito, missos quidem destinare tam concite nos pro hujusmodi negotio non posse respondimus: missuros tamen eos postea certissime repromisimus, admonentes etiam nullatenus interim à quoquam de hujusmodi causa quidquam penitus deliberandum. Sed ille horum, Theutgualdi, & Guntharii, tunc Episcoporum, ut postea claruit, authoritate fretus, legatos nostros non præstolans, publico, festoque nuptiarum ritu celebrato, Waldradam sibi jure matrimonii sociavit. Verumtamen missi Sedis Apostolicæ, qui jam profecti fuerant in Gallias, atque ad Lotharium pervenientes, quod ad illum fuerint missi, secundum pollicitationem nostram dixerunt: & quod binos ex Regno Gloriosissimorum Regum, Ludovici scilicet, Caroli majoris, & Caroli junioris, convenire secum pariter cum Episcopis Regni sui faceret, juxta præceptionem nostram ipsi Regi suggerere studuerunt, & quod Theutbergam Sedem Apostolicam appellantem, data idonea à Rege Lothario securitate, eidem conventui adesse præcepimus, verbis asseruerunt. Non enim Epistolas, quas ad vos, vestrumque regnorum Episcopos miseramus, secum habere poterant: quippe quas sibi ab amicis Lotharii Regis jam constabat ablatas. At vero Rex Lotharius, horum duorum Magisterio usus, nec Theutbergæ Reginæ indubitatam de servanda justitia, vel de non inferenda violentia, certitudinem tribuere voluit, nec alios præter Regni sui Antistites, videlicet quos vel beneficiis vel minis, jam ad votum suum deflexerat, ad illum conventum, qui penes urbem Metensium congregabatur, penitus expectavit. Sed corruptis, immo ad favorem suum traductis legatis nostris quod libuit, nullo resisten-

[d] Psalm. CXVIII.

[e] Canones Nicænos Tomo I. pag. 138.

refiftente patravit, factoque conventu Antiftites, qui convenerunt, inter quos præcipuum Theutgualdus, atque Guntharius faftigium retinebant, & eminentiori poteftate vigebant, prævenientes, immo fibi ufurpantes, atque vindicantes judicium noftrum, videlicet quod & Theutbergæ Reginæ primum appellatione, ac deinde Lotharii Regis petitione permoti, jam nos laturos repromiferamus, inchoatumque tam per miffos, quamque per Epiftolas noftras habere luce clarius videbamur; Theutbergam Reginam obnoxiam crediderunt, atque condemnandam in abfentia putaverunt. Scriptoque de his, quæ illic pro voto Regis iniqua funt fauce deprompta, quodam profano libello, ea fic cenfentes illibata perfiftere, propriis fubfcriptionibus roboraverunt; Theutgualdo primitus, & Gunthario in ipfis fubfcriptionibus, ficut & in cæteris geftis, præcellentibus, & alios fe fequi peftifere compellentibus. Qui mox Romam venturos, ac nobis de his quæ gefferant, rationem pofituros fe per omnia fpoponderunt. Tandemque pervenientes noftro funt confpectui coram omni Ecclefia præfentati; & dum ab eis, qualiter ea fuerint gefta, requireremus, jam memoratum libellum offerentes, perhibuerunt, nec plus, nec minus, nec aliter quidquam fe geffiffe, nifi ut oblatus videbatur continere libellus. Quo accepto, ac coram Epifcoporum noftrorum cœtu, qui nobifcum aderat, atque coram ipfis Theutgualdo fcilicet, & Gunthario, recenfito, quam multipliciter hunc reprehendimus, ac per omnia reprehenfibilem judicavimus; & quæ in eo gefta legebantur, qualiter inimica juftitiæ, Deoque perofa confifterent, audientibus ipfis elimatius expofuimus. Quamvis nec tunc omnia reprehenfionum ejus loca in ipfis profanis geftis inventa fint, nec rurfus omnia, quæ inventa funt, nunc ad memoriam noftram valeant repedare: tanta tamen, ac talia fuere, ut pro his merito Canonicam depofitionis Theutgualdum, & Guntharium oportere fubire fententiam, Sancta mecum Synodus refidens fæpius acclamaret. Qua de re zelo Divino, ecce coram Deo dicimus, permoti, nec aliud nifi juftum judicium exercere cupientes, communi confenfu, caffato primum adulteris favente Concilio, quod apud Metenfium urbem congregatum fuiffe fupra commemoravimus, in eos, quod gementes memoramus, depofitionis fententiam dedimus; & fi juxta præcedentem confuetudinem aliquid de Minifterio facro deinceps forte tetigiffent, excommunicavimus.

Primo quidem, quia noftris pro Engeltrudi, vel Teutberga, feu Waldrada falubribus juffis obedire contempferunt. Nam inobedientia tam horrendum malum eft, ut idololatriæ merito comparetur, dicente Samuële: *Quafi* (f) *peccatum ariolandi eft repugnare: & quafi fcelus Idololatriæ, nolle acquiefcere.* Unde merito Apoftolus ait: *In* (g) *promptu habentes ulcifci omnem inobedientiam.*

Secundo, quia eamdem Engeltrudim à nobis, & à Synodo abjectam, & anathematizatam recipere, & abfolvere præfumpferunt: & hoc contra canones, & præcipue contra ipfum *Nicænum* magnum Concilium, quod hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur, fanxiffe dignofcitur. Sed & Beatus Papa *Gelafius*, quod eadem, quæ ligavit, & maxime prima fedes, debeat abfolvere, non femel exponit.

Tertio, quia fraudis, vel falfitatis rei manifeftiffime claruerunt, dum Epiftolæ noftræ, miffis noftris, pro caufa Engeltrudis refugæ, transmiffæ, atque apud urbem Metenfium in jam defignato nefando conventu recitatæ, quædam fraude fubtraxiffe, quædam vero falfo addidiffe, atque commutaffe reperti funt; talemque illam effecerint, qualem libitui fuo congruere poffe judicaverunt.

Quarto, quoniam adulterio detentis non folum paftoraliter non reftiterunt, nec ut fpeculatores venientem gladium annuntiaverunt; verum etiam his confentiendo, & favendo, in nequitia perfiftendi fiduciam tribuerunt, & tantum flagitium tota virtute defendere fine tenus tentaverunt. Unde merito adhærefcere fecit Dominus linguas ipforum palato illorum, videlicet, ut qui linguam facinus

[f] I. Reg. XV, 23.   [g] I. Corinth. X, 6.

cinus arguendi non habuerant, hanc nec ad bona quoque prædicandum saltem habere potuissent: juxta quod alias cantatur; *Peccatori* (h) *autem dixit Deus*, usque, *& cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ille quippe cum adulteris portionem suam ponit, qui his vel consentiendo, vel favendo, vel non corripiendo, similis illis, sicut vitiis, ita & pœnis efficitur. Juxta quod & Apostolus hujusmodi scribit: *Quoniam* (i) *qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.*

Quinto, quia de negotio, unde ab utraque parte, id est, & à Teutberga, & à Lothario, juxta quod jam memoravimus, fuerat appellatum, isti præter authoritatem nostram id sibi subripientes, judicare, ac diffinire temere præsumpserunt: & hoc adversus canones: siquidem de appellationibus, quæ apud memoriam Sancti Petri fiunt, judicandum Romani Præsulis arbitrio, & consilio sacræ Regulæ commiserunt. Verum isti, Beati Petri reverentiam præ oculis non habentes, & judicium quod utraque pars, a nobis efflagitavit, & nos exsequi cœperamus, temeraria præsumptione diffinierunt; & Theutbergam, etiam ad Ecclesiam confugientem, damnatione opprimi censuerunt.

Sexto, quia hoc in absentia peregerunt, contra illud, quod tropice dicitur: *Ne* (k) *maledicas surdo.* Surdo quippe maledicit, qui absentem condemnat. Surdus namque quodammodo est, qui in absentia positus, quæ sibi objiciuntur, non audit. Quamvis absentia ipsa, non studio Teutbergæ, vel conscientia vulnerata, ut isti putant, sed timore Regis, idoneam illi nolentis tribuere securitatem, & factiosi consilii suspicione, fuerit merito procurata.

Septimo, quoniam non solum ipsi subscribentes in profanis gestis, cuncta quæ male compilata fuerant, sine respectu Sedis Apostolicæ roboraverunt, verum etiam alios subscribere compellentes, eorum omnium prævaricationis auctores effecti sunt: & tot animarum rei constituti sunt, quot, utpote præeminentes, in hoc vel verbo, vel facto, prævaricationis præcipitium demerserunt. Sed si volumus cuncta, quæ ab illis gesta fuisse, tam per oblatum a se libellum, quam per alia indicia nobis, & Sanctæ Synodo patuerunt, latius scriptis insinuare, facilius charta, quam nobis sermo deficiet.

Septem ergo capitula, quæ causam depositionis Teutgualdi, & Guntharii præcipue genuerunt, nos commemorasse sufficiat. Solet namque per septenarium numerum universitas significari. Cæterum quis eorum omnia, quæ sive ante, post damnationem, perperam commiserunt, enarrare sufficiat? Qualiter videlicet nos se frustra redarguisse mentiti sunt: contra illud, quod Deo dicitur: *Perdes* (l) *omnes, qui loquuntur mendacium:* Qualiter primum quidem Theutbergam per electum ab illis judicium purgatam, denuo impetere contra Divinam, & humanam legem minime formidaverint. Qualiter hanc postea (hoc utraque lege inhibente) sine accusatore damnaverint. Qualiter testes quosdam quidem, quibus imperari à Rege poterat, contra leges publicas in ejus damnationem, quosdam autem domesticos Imperantis admiserint. Qualiter contra reverentiam sacerdotalem, turpia quæque, adversus Apostolum, ac criminosa, nec non & nauseam penitus, & pudorem omnibus inferentia verba etiam scriptis tradiderint, & palam cunctis ostenderint; cum teste Domino etiam de otioso verbo reddituri sint homines rationem. Vel qualiter jam damnati, auribus Imperatoris adversus sacras Regulas molesti fuerint: vel qualiter ordinationi Dei in Beato Petro Ecclesiæ Romanæ collatæ restiterint, & contra privilegia sedis ejus capitula obtrectationum conscripserint, & per totum pæne occidentale clima disseminaverint: qualiterque per ea, etiam jam pro tanto piaculo perculsi, Lothario in scelere perdurandi robur dari suaserint. Sive qualiter nos tyrannice penes Sanctum Petrum positos afflixerint, oppresserint, & quibus potuerunt, malis fatigaverint: adeo ut homines eorum adyta Sancti Petri violaverint, & in Ecclesia ipsius sanguinem fuderint. Qualiter etiam ibidem nobis matutinales hymnos celebrantibus, illi noctu post tribunal Ecclesiæ ipsius cum complicibus, & fauto-

[h] Psal. XIX, 16
[i] Roman. I, 32.
[k] Levit. XIX, 14.
[l] Psal. V, 7.

fautoribus suis, contra Chalcedonense Concilium, conjuraverint, & conspiraverint, & in ipsis Diœceseon nostrarum principalibus locis conventus, & singulorum negotiorum ordinationes, & conciliabula, canonibus id inhibentibus, etiam adversus nos factiose patraverint, & cum nostris quoque suffraganeis tractatus iniquos, & fictiones quasdam texuerint. Postremo qualiter Ecclesias dudum sibi commissas, & postea cum sacerdotio perditas, hactenus obtinere occupatas præsumant, & ut tyranni pro suo libitu moderentur. Ecce quæ in Ecclesia Christi Theutgualdus, & Guntharius operati sunt, & operantur: præter illa, quæ Guntharius specialiter commisit, divinum tangendo ministerium, pro quo a sacris Regulis etiam locum habere satisfactionis penitus interdicitur. Verum in ipso jam suæ prosecutionis exordio, quod penes crebro dictum, perniciosum Metensem conventum habuerunt, talem se gerere animum liquido monstraverunt. Nam licet postea ibidem missi nostri deviaverint, dicendi tamen principium satis pacifice orsi sunt. Sed hi, quia modicum quid redargutionis contra se sonuisse audierunt, protinus in furorem proruperunt; & verba, quæ nos de illis minime dixeramus, nos dixisse perhibuerunt; seque fautores, plantatores, & rigatores vitiorum appellare asseveraverunt. Et certe nos ea, quæ de illis dolenda supra descripsimus, nondum cognita tenebamus, ut de ipsis tunc ista secure fateri possemus: & tamen hi jam, conscientia stimulante, nos astruere garriebant, quæ nos utpote incognita, minime dicere convenerat. Quid est hoc, nisi quia nobis etiam tacentibus, Spiritus Sanctus jam quod plantatores, & rigatores vitiorum essent, non per aliena, sed per propria ipsorum ora ostendere voluit? Et sicut olim per Caipham, quod oportebat fieri, protulit, ita & per istos, licet non ex se, quod manifestari conveniebat, expressit? Quæ tamen isti nos de se loqui penitus denegabant, si vitam eorum, moresque cognitos haberemus: hæc videlicet ore suo, & labiis propriis asserere procurantes, ut laudatæ vitæ, ac morum esse per omnia viderentur.

Jam vero si ludibria ipsorum, & scenica vultis acta liquido nosse, gesta præfati *Metensis Concilii*, quod nos tamquam adulteris favens, *Prostibulum*, dum cassaremus, duximus nuncupandum, quærite, & revolvite. Favit sane idem prostibulum adulteris, dum Lothario, Waldradæ, & Engeltrudi cuncta pro voto consenserit, & aliis hoc sequentibus adulterandi exempla præbuerit. Ecce pro quibus toties rogatis, ecce pro quibus indefessi satagitis. Quamvis & nos non mediocriter caritati vestræ congratulemur, cum vos mœrentibus proximis compati conspicimus: quoniam & nos de illis non modice condolemus, & crebris urgemur pro eis gemitibus. Et revera dolendi sunt, quia, dum inter suos caput primitus essent, docentes mendacium facti sunt cauda: Ecclesiam videlicet Domini tantis fluctibus immiscere, ac tantis laboribus immittere procurantes. Dolemus ergo illos, dolemus plane & Ecclesiam Dei, quæ tot per eos discrimina sustinet. Nam sic per Prophetam Samuel Saülem legitur deplorasse. Quin immo & Dominus, prævidens Jerusalem maxime culpa Sacerdotum funditus evertendam, flevisse ab Evangelista describitur. Non autem nos, qui membra sumus, injuriarum nostrarum memores esse volumus, aut talionem, ut ipsi forsitan arbitrantur, eis reddere meditamur. Sed quia ipsi præcipue caput nostrum in repulsione innocentis fœminæ, & admissione mœchæ, ad iracundiam provocaverunt, illos plangimus, & deflemus. Adeo ut in memoratorum scriptis gestorum ab his interlocutio facta solummodo memoretur; (*) ita ut omittamus alia, in eisdem gestis aperte scriptore dicente reperiatur: *Theutgualdus & Guntharius, qui causam Theutbergæ recognoverant, & judicaverant:* & rursus Rege Lothario de istis adstruente: *Quidquid in ista causa feci, horum Sanctissimorum Episcoporum usus sum consilio.* Quin etiam dum in jam dictis fœtidis gestis, inter innumera detestanda, quæ ad confirmationem ipsius facinorosæ mœchæ hinc inde compilare præsumpserunt, Episcopi, qui convenerant subscribentes, eadem gesta, immo per ea flagitium roborarent; ventum est ad quemdam Fratrum & Coepiscoporum nostrorum, qui tantum usque ad nostram deliberationem subscripsit, eadem esse gesta servanda. Quod cernentes Theutgualdus, & Guntharius, arrepto cultello omne, quod Antistes providus ad

(*) *Lege:* & ut.

ad deliberationem noſtram ſervandum eſſe deſcripſerat, raſerunt, nomine ſolo Epiſcopi relicto, cætera ſicut ipſi voluerunt, temere præſcribentes. Quod nobis idem Epiſcopus intimavit; & id ita geſtum eſſe, in ipſis authenticis geſtis luce clarius patet: nam ubi ſanum eſt, evidentiſſime claret. In tantum quippe ad roborandum flagitium cor, & linguam, & calamum acuerunt; ut quæ ſemel vel dicto, vel ſcripto in ejus confirmatione diffinierant, etiam coram nobis omni ſua virtute, quousque ceciderunt, defendere niterentur.

Verum quid in pluribus immoramur, & eorum geſta peremptoriam illis damnationem inferentia narrare conamur, cum hæc nec lingua loqui, nec ipſa mentis memoria retinere ſufficiat? Sed quia fraternitas veſtra ſtudet ſcriptis ſuis benigne his miſericordiam implorare, & reſtitutis priori ſtatu conſolationem his poſtulat adhiberi; & nos non inconvenienter, quod licitum eſt, & rationabiliter flagitatur, concedere procuramus: denique ſi præfati viri, Theutgualdus ſcilicet, & Guntharius, patienter egerint; & malum, quod ſui favoris ſtudio perficere paſſi ſunt, radicitus exſtirpatum exſtiterit; atque ſi hoc perfecta in ſe humilitate, dignisque pœnitentiæ fletibus abolere ſtuduerint, quin & pax, quam conturbaverunt, Eccleſiæ Chriſti reddita fuerit: tum profecto poterunt Dei ſolius intuitu, & veſtræ fraternitatis affectu, alia miniſtrationis Eccleſiaſticæ noſtro nutu, atque ope freti beneficia promereri: prioris tamen miniſterii, vel cujuscumque Sacerdotalis officii dignitatem fruſtra quidem ſperare poterunt, reſumere autem in perpetuum non poterunt.

Ceſſet itaque veſtræ fraternitatis jam nos ſuper hoc pulſare ſolertia; & quod fieri non poteſt, tandem aliquando deſinat. Nam Sedis Apoſtolicæ ſententia tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque poſtmodum deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari neceſſarium ducat: niſi forte ſic prolata ſit, ut retractari poſſit, vel immutanda ſecundum præmiſſæ tenorem conditionis exſiſtat. Portent igitur ignominiam dejectionis ſuæ; quia *eſt*, teſte Scriptura, *confuſio adducens gloriam.* Sint interim in ſignum & in portentum omnibus, quos vel ipſi deceperunt, vel quibus audaciam perſiſtendi in nequitia præſtiterunt: quatenus & iſti tanta confuſione reſperſi, quod ore fatentur, corde quoque teneant, & ſalventur: & illi non bene ſibi ſubreptum fuiſſe, ut ad tantum piaculum laberentur, patenter agnoſcant. Nam malum adhuc imminet, adhuc foveri non deſiit, adhuc libertatis aditum, & licentiæ tempus exſpectat. Probat hoc Waldradæ, etiam poſt adulterii publicum ſcelus, gloria vigens: atque Reginæ Theutbergæ, dilectæ filiæ noſtræ, etiam poſt præſtita juramenta, nec ancillarum qualitati coæquata dejectio. Denique quando Lotharius Rex uxorem ſibi debitam, ſæpefatam ſcilicet Theutbergam, in præſentia Miſſi noſtri reſumpſit, duodecim, ſicut audiſtis, illuſtres Comites juramenta ſua vice repromittere juſſit, ſe de cætero ita Theutbergam fore retenturum, & tractaturum, quemadmodum Regem legitimam conjugem ſuam Reginam retinere convenit, & tractare. Sed prô dolor! tanto nunc, quod vos forte non latet, hanc ſubmittit opprobrio, tantæque deteſtationi, tantæque, quod ſolo dictu grave eſt, inopiæ ſubjicit; ut non dicamus aliquem penes(*) virum neceſſitatem patientum adjuvare, verum nec ſibi, nec propriis queat homunculis omnino præſtare. Sed è contra Waldrada, mœcha, & omni communione privata, licet à Lothario ſolo corpore videatur excluſa, cujus tamen cordi nunquam deeſſe multis exhibetur indiciis; & cacumen regium, & nocendi, vel adjuvandi, quos vult, omnimodam obtinet poteſtatem. Ecce fratres, germina, ecce fructus, qui de Theutgualdi, & Guntharii jacto ſemine ſunt exorti. De quibus tamen, ſi fraternitas veſtra veraciter ac utiliter dolet, & aliquod eis vult impertiri ſuffragium; curet, neceſſe eſt, vulnus, quod ipſi non ſolum minime ferro juſtitiæ reſecarunt, verum etiam oleo iniquæ adulationis, & perſuaſionis foventes creſcere longe lateque fecerunt, nobiſcum pariter incidere, ac ſtudioſe mederi. Quamvis ipſi jam fati viri, ut prætulimus, quantum ad Sacerdotium ſpectat, recipiendi nullam valeant habere fiduciam. Si enim, quod in

(*) *pro*: pene.

in his destruximus, reædificaremus, prævaricatores a Domino procul dubio constituemur, & quasi de non bene gestis pœnitentiam commutasse videbimur. Ac per hoc nec isti hujusmodi animadversionem paventes emendabuntur; nec hi, qui hactenus inchoatum scelus introrsus retinent, puniendum putabunt; nec cæteri, qui ad hujusmodi possunt relabi flagitium, per hos salubriter eruditi, consultius committere pertimescent, quod tanta viderint dissoluta remissione laxari.

Revertimini ergo fratres ad vos, & redite ad cor: & recognoscite contra vitia ministerium vestrum: ipsum per quem tantum Ecclesia Dei scandalum patitur, Lotharium scilicet Regem, zelo ferventiori, & majori corripientes, & admonentes instantia: quo subveniat & miseris illis, quos pro se juramento constrinxit. Reginam videlicet Theutbergam, conjugem suam, juxta tenorem præstiti Sacramenti tractans, & se a reatu vice sua jurantium tegens; mittat etiam ad nos Waldradam: ut per hoc & ipse securam de cætero vitam ducat, & nos causa illius tantis ulterius laboribus non subdamur. Non enim justum est, ut legitima tantam apud ipsum incommoditatem, ac dehonestatem patiatur, & ab adultera gloria dignitatis ejus surripiatur. Quod si Rex Lotharius ita fieri denegat, & se veraciter audire, ac perficere velle monita nostra fatetur, quemadmodum nobis dilectus filius noster Ludovicus Rex inclytus ex ipsius assertione significavit; quæsumus, interrogetur vel a vobis, vel studio vestræ suggestionis a jam fato pio Rege, quare nobis scribens, vel aliis satisfaciens, sicut indicat de Waldrada, quod post Missi nostri reversionem non ad eam accesserit, ita non indicat de conjuge sua Theutberga, quod eam secundum datorum tenorem juramentorum tractet, atque retineat. Nisi quia non habet, unde glorietur; nec agit sic erga eam, ut nobis id veraciter referre possit, & gratiarum à nobis inde percipere valeat actiones: dum non solum illa nulla munificentia ipso largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis & egestate summa tabescit. Dicatur ergo ei a pio Principe, vel a vestra Sacerdotali suadeatur industria, ut quando nobis mittit, ad Waldradam se nequaquam contra interdictum nostrum accedere; mittat etiam, quod & Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, & secundum Regiam dignitatem retineat: ita dumtaxat, ut, quod mittit, veritate fulciri aliis etiam attestantibus cognoscamus. Denique quando illa repulsa ipse Rex Lotharius Theutbergam uxorem suam reduxit, diffinitum fuisse constat, ut eadem Waldrada in Italiam mitteretur, quatenus utrum Romam, necne pervenire debuisset, nostræ censuræ decreto præstolaretur. De his quippe personis, quarum Sedes Apostolica specialiter inchoat agitare negotium, sicuti nos Lotharii, & Theutbergæ Regum, atque Waldradæ pellicis exsequi controversiam cœpimus; nulli fas est alii vel removere, vel aliquid diffinire, nisi forte, cui ipsa præceperit. Waldrada ergo, quam nostris hortatibus, nostris decretis, a Lotharii constat remotam esse lateribus, nostris quoque specialiter debet, ad congruam Ecclesiæ, quam læsit, satisfactionem summitti judiciis. Quod quamdiu Lotharius non egerit, sicuti nec nobis requies, nec Theutbergæ securitas, sic nec ipsi poterit tuta pax, aut aliqua inesse salutis fiducia.

Tanto igitur solicitius ad correctionem illius operam date, tantoque instantius non solum illum, ut in his nobis obediat, admonete; verum etiam & dilectum filium nostrum Ludovicum excellentissimum Regem, quo eum ad audienda nostra monita semper incitet, cohortamini; quanto attentius legitis: *Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Non solum autem hinc gloriosum Regem vestrum adite, verum etiam specialiter deprecamini, ut admoneat, & suadeat eidem Lothario, quatenus Romam nonnisi purgatus, & quando nos annuerimus, venire præsumat. Nam nisi nobis obediens suspicionum, & malæ famæ sordes diluere primum curaverit, videat, ne forte leprosorum more de castris Dominicis cum maxima confusione pellatur. Quomodo vero ipsas possit ponere sordes, breviter intimamus: videlicet si Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, & secundum Regiam dignitatem retineat; Waldradamque ad

ad nos accelerare compellat, atque in præfatis Ecclesiis, ordine, quem ei dictavimus, Antistites ordinare permittat. Nam quamdiu Waldradam sic manere dimiserit, sicut omnibus liquet, Theutbergamque nec Regio cultu, nec conjugali dilectione tractaverit; quamdiu etiam Theutgualdum, vel Guntharium Ecclesias dudum sibi cum sacerdotio ablatas obtinere permiserit occupatas, nec à lepra injusti criminis, nec à sordibus pessimi odoris, id est, malæ opinionis vel suspicionis liber esse poterit; nec prius Ecclesiam gressibus intrare valebit, nec Sacerdotibus Christi libera eum, vel secura tangendi, vel intra castra recipiendi profecto quibit esse facultas. Ergo laborate in hoc nobiscum Carissimi! decertate pariter Fratres! quia sicut labor est multiplex in terris, ita nos merces copiosa manebit in cœlis. Nec dubium est, hunc juvenem plurimos habere nunc pro sua potentia vel dominatu sibi consentientes: de quorum omnium profecto conversione, ac salute omnes simul lætabimur, si horum Princeps Dei gratia præveniente, communibus nostris sudoribus perfectius emendabitur.

Præterea noverit Sanctitas vestra, jam memoratum sublimissimum Regem vestrum pro Theutgualdo, & Gunthario, ea qua vos, nobis affectione scripsisse: cui quia super hoc brevi scripto respondimus, si plenius nosse placet, quæ de illis sit penes nos fixa sententia, industriam ejus ad hujus Epistolæ, quam Fraternitati vestræ destinavimus, tenorem scrutandum direximus. Quam ob rem agat Sanctimonia vestra, ut ipsius piis ad legendum obtutibus cum debita reverentia, seu celeri diligentia deferatur. Porro si aliqui fortasse sunt, qui dicant liberam esse Waldradam, & ideo huc proficiscendi ei non debeat imponi necessitas; noverint, non esse liberam, quæ à peccato superata, ipsius & ancilla addicta est: Petro dicente Apostolo: *A quo enim quis superatur, ejus & servus addictus est.* Et rursus alibi: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* A quo videlicet ista nondum liberata, ejus profecto adhuc ancilla credenda, ac per hoc nostro est judicio speciali purganda, cujus decreto iniquitas ejus agitari cœpit, & Christo propitio abolitionem percipere. Nam nisi illam nondum à crimine liberam esse sciremus, nequaquam eam pro liberatione tam sua, quam fautorum ejus, in Italiam venire quoquomodo faceremus: licet eam per ministros suos postea, ne huc perveniret, Satanas impedierit. Jam vero si jussa nostra vel Sanctiones impleverit, ideo se putat ancillam; ergo Lotharius Rex servus dici debet, qui utcumque nostra fecisse mandata dignoscitur: ergo ista teneatur pro domina, quæ inobediens permanet; & dominetur Lothario, qui utcumque studuit nostris obedire decretis: quod absurdissimum est, & omnino nefandum. Verum si tanta Rex Lotharius intentione Waldradam voluisset mœcham ad nos mittere, ad ejus scilicet à nobis causam legitime definiendam, quanta voluit legitimam Theutbergam destinare conjugem, ad falsa contra se exorta scelera proferenda; forte jam nobis qualiscumque pax vel reddita requies haberetur. Atque utinam sic studeat Waldradam ad nos destinare, quæ habet de scelere suo quod pandat; sicuti gestiebat Reginam Theutbergam; quæ non quidem habebat, quod de crimine panderet, sed quod de violentia, & jugi pœna illata sibi multipliciter enarraret; & quam injustis minis, ut contra se falsum crimen coram nobis depromeret, multifarie compellebat. Optamus Fraternitatem vestram in Christo nunc, & semper bene valere. Datum pridie Kalendas Novembris, Indictione I.

Baronius.

Hardouin. Concilior. Tomo V. p. 286. *& seqq.*

NICO-

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
SANCTISSIMIS ET REVERENTISSIMIS CONFRATRIBUS NOSTRIS ARCHI-EPISCOPIS, ET EPISCOPIS IN REGNO LOTHARII REGIS ECCLESIAM DEI GUBERNANTIBUS.

De Waldradæ excommunicatione tertio jam ſcribit : notat illorum deſidiam, & referri ad ſe jubet, an Lotharius cum Theutberga converſetur, & quomodo eam tractet?

OPtaremus tandem aliquando ſecuri de correctione Lotharii Regis effecti, ad alia Eccleſiaſticarum diſpoſitionum negotia ſtilum protendere. Sed nec peccata conſummata ipſius, quæ mortem generant, utcumque permittunt; nec ſtudium veſtrum, quo finem tantum ſcelus accipiat, ita vigilanter ac Epiſcopaliter adverſus id ſaltem nobiſcum decertando favorem juſtitiæ demonſtrat. Quapropter attonite ſatis cor veſtrum non ſolum miramur, ſed & deflemus. Quis enim non lugeat tantam linguæ deſidiam: tam remiſſas negligentiæ manus? Quando inter tot paſtorum cuſtodias, nec lupi gregi non parcentis inſidiæ præcaventur, nec leonis aditus quærentis, quem devoret, excluduntur. Et certe cum unumquemque Chriſtianum zelus Dei comedere debeat; multo magis vos eodem zelo uri oportuit, qui ejuſdem Sanctæ Domus, utinam non ad majus periculum veſtrum, eminentiorem gradum eſtis & ordinem conſecuti. Sed his prælibatis, ecce tertio nunc vobis omnibus, eſſe Waldradam, filiæ noſtræ Teutbergæ Reginæ iniquiſſimam æmulam, conſortio Chriſtianorum, & communione privatam, noſtris Epiſtolis indicamus. Denique poſtquam imminentia miſſi noſtri, ſicut ipſi noſtis, Lotharius Waldrada repulſa, Teutbergæ Reginæ conjugi ſuæ obedienter (*a*) ſe ſe reſtituit, & præſtiti Sacramenti ſatisfactione certiſſima finem ſceleri dediſſe, merito credi poterat: ſtatutum eſt, ut tanto fieret ab eodem Rege Waldrada remotior, quanto antiqui hoſtis calliditas talibus non deeſſe convincitur. Statutum eſt etiam, ut ipſa mulier in Italia interim remota, noſtræ præſtolaretur cenſuræ tenorem: & ſi hanc Romam venire neceſſarium duceremus, incunctanter occurreret: quatenus coram nobis conſiſtens, aut ſe, ſi poſſet, innoxiam exhiberet, aut commiſſum confeſſa miſericordiam impetraret. At illa in Italia quidem licet coacta venit: Romam vero mentis obſtinatione victa proficiſci deſpexit. Immo tamquam irreprehenſibilis conſcientiæ retro converſa in provinciam properandi greſſum protendit. Quo audito, intelleximus, eam flagitium ſuum nulla velle correctione terminari, nec proprium vulnus ulla deſiderare ſubſequente medela curari. Quapropter ſententiam in eam excommunicationis, uſque ad correctionem, (*b*) & idoneam noſtram

Waldradam, quæ Arſenii juſſu Romam itura erat, ſed Italiam ingreſſa retro in Galliam migraverat, Nicolaus Papa nil amplius differendum ratus, anno 866. IV. Nonas Februarii, convocata Eccleſia, publice excommunicavit. De quo facto ſcribit Pontifex Reverendiſſimis Confratribus, Archi-Epiſcopis & Epiſcopis per Italiam, Germaniam, Neuſtriam & Gallias conſtitutis.

Literas refert Baronius ad h. a. 866. N. XXIV. & XXV. initium: *Decreveramus quidem circa Waldradam mœcham.* Finis: *data Idus Junii, Indictione XIV.* Anno ſequenti 867. VIII. Kal. Februarii Indict. XV. ſcripſit hanc ad Epiſcopos in Regno Lotharii, cujus initium: *Optaremus tandem aliquando.*

(*a*) Anno 865. Attiniaci.

(*b*) Anno 866. die Purificationis B. Mariæ.

noſtram & totius Eccleſiæ ſatisfactionem, protulimus. Nam quantum ſit ipſa cunctis ſeverius punienda, in hoc certum eſt demonſtrari, quod Rex quidem Lotharius adeo iniquitatem ſuam agnovit, ut hanc etiam & corrigeret. Ipſa vero nec agnovit, nec confeſſa eſt, nec venenum ſuæ mentis deſeruit. Verumtamen in itinere cœpto reducta, nec percuſſa doluit, nec attrita voluit recipere diſciplinam. Quippe quæ nec reverſa eſt ad percutientem ſe, nec etiam duriora vulnera ſenſit. Merito ergo ea inter mortuos reputata: quæ nimirum neque in ſuis penetralibus occultata, immo jam fœtida jacens per confeſſionem foras egreditur: vobis ejusdem in jam fatam mœcham ſententiæ prolatæ notionem duximus noſtris litteris exaratam denuo deſtinandam: admonentes videlicet, ut ſaltem vos & ſubjectos veſtros ab operibus ejus mortuis obſervaretis, & ut præceptum eſt, pollutum (*c*) minime tangeretis. Quamvis easdem litteras, ut relatione nonnullorum audivimus, immo ut lucri nullius effectu didicimus, recipere Fraternitas veſtra renuerit; nec in hoc, pro quo miſſæ ſunt, vel a nobis excitata vigilare, ſive quamlibet operam dare curaverit. Quæ res, ſi veritate minime fulciretur, profecto quantum proficeret, aut non proficeret, Pontificio noſtro ſolertia veſtra jam dudum (*d*) congruo retuliſſet. At vero cum nil ex hoc nobis retulerit, patenter datur intelligi, nihil hinc ſtudii, ut admonita fuerat, eam penitus habuiſſe. In quo liquido patet, quid ageretis nullis hortatibus noſtris pulſati, qui nullum in Eccleſiaſticis correctionibus laborem geritis etiam à nobis toties incitati. Sed ſaltem nunc, quod hactenus omiſiſtis, incipite: ita ut unusquiſque veſtrum veraciter dicere cum Pſalmiſta valeat: *Nunc* (e) *cœpi.* Et noviſſime cum Apoſtolo ſecurus & lætabundus fateri: *Bonum* (f) *certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, & de cætero repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Verum jam fortaſſe malitia ſibi finem imponeret, niſi quidam veſtrum magis ſua, quam quæ JEſu Chriſti ſunt, quærerent. Quidam ſibi peritura, ſeu toxicata beneficia ſubtrahi metuunt: pro juſtitia quidam loqui renuunt, favere autem mœchis tota virtute contendunt, ac per hoc æternis beneficiis juſto judice decernente privantur. Quamquam meminiſſe nihilominus debeant, nos penitus non latere, quantum ipſi favorem mœchis præſtiterint: nimirum qui ſurreptiones ſuas in profanis geſtis nos dudum reperiſſe non neſciunt. Quibus etſi forte Apoſtolica moderatione ignovimus, qualiter tamen his, quibus pepercimus, fuerit ignotum recolimus. Denique ſic præterita dimiſimus, ut futuris congruam adhibuerimus cautelam; & ſic ſe noſſent illi proviſum judicium evaſuros, ſi ſe ſcirent in idem flagitium favendo nunquam penitus incurſuros. Nunc ergo quoniam minus ſe ſe caute ab eo munierunt, in judicium, quod dilatum eſt, inciderunt. Quatenus & illis, & his qui mittere pro impetranda venia contempſerunt, valde providendum eſt, ne a communione noſtra, ac per hoc ab univerſalis Eccleſiæ compage ruant; ſicque demum de gradibus ſuis minus in finem, quam volumus, exſultent. Præterea ſi quis, ut fama mentitur, æſtimat nos Waldradæ in Galliam remeandi licentiam dediſſe; vel ſi qui ſunt, ad quorum notitiam Epiſtolæ noſtræ propter occultationem earum non pervenerunt; ſi ſcire non recuſant, quæ ſuper hujusmodi negotio noſtra fuerit immota ſemper intentio, *Chriſtianum & Waltarium* Comites interrogent; quos Romam licet non uno eodemque, tamen continuato tempore venientes, non ſolum ut Lotharius, quatenus a pravitate tandem ceſſaret, jugiter admoneretur, hortati ſumus: verum etiam eis, quia Waldrada erat excommunicata, multipliciter intimavimus; pro eo ſcilicet, quia impœnitens permanere proponens, a nobis ſalutis ſuæ remedium ad limina veniens Apoſtolorum, ut ſtatutum fuerat, minime poſtulaverit. In quo conſiderandum eſt, quia ſi idcirco potiſſimum per nos Waldrada mulitata eſt; quoniam cœptum ſalutiferum iter non perfecit, quomodo ut retro rediret noſtram licentiam habere valuerit, ignoramus. Sed ad vos nunc nobis, fratres cariſſimi, ſermo eſt, & ad veſtræ beatitudinis reverentiam noſter ſtilus dirigitur: quatenus ſi adeo zelus veſter non accenditur, ut Phinees

(*c*) Iſaiæ XII.
(*d*) *pro* congrue.
(*e*) Pſalm. LXXVI.
(*f*) II. Tim. IV.

nees imitari videatur, videlicet ut quod ille materiali, vos exerceatis gladio ſpiritali; ſaltem Nathan, Eliam, ceterosque Prophetas, qui delinquentes Reges ſalubriter corripuerunt, æmulatione ſacerdotali, ſeu paſtorali ſolicitudine revocari non renuat. Nam etſi quondam Elias, infirmitate victus humana, furorem Principis fugit, ſed & ſcelera ejus ſæpe redarguit, & impavidus exprobravit. Similiter & ille beatus Paſtor Eccleſiæ Petrus, qui prius quidem ad unius muliercalæ vocem, fragilitate ſuperatus & ipſe humana, quod eſt Divina geſtum diſpenſatione, dum mori timuit, auctorem vitæ negavit: poſt acceptum Sancti Spiritus donum, cujus partem, & vobis ineſſe non immerito credimus, adeo etiam poſt minas, poſt cædes, vires Principum preſſit, ut merito in igneis linguis Spiritum Sanctum accepiſſe probetur. Nimirum qui quos replevit ardentes, fecit pariter & loquentes, nec non & flamma divini zeli, atque ſuorum mirabilium verborum facibus corda Principum mundi accendendentes. Et revera quis infirmabatur, & illi non infirmabantur? quis ſcandalizabatur, & illi non urebantur? ſed ne diutius immoremur, verbis vos ſolum jam nunc ipſius Apoſtolorum Principis convenire curamus; & quod ille Presbyteros alloquens proſecutus eſt, ad vos multo magis pertinere colligite; & quale malum ſit adulterium, vel quid vos maneat, ſi ſtudioſi, vel ſi deſides fueritis inventi, ex ſermone illius, qui per Beatum Clementem recitatur, attendite. Ait enim: " Et quid (g) in omnibus peccatis adulterio gravius? Secundum namque in pœnis obtinet locum: quoniam quidem primum habent illi, qui aberrant a Deo, etiamſi ſobrie vixerint. Propter quod vos, o Presbyteri, Eccleſiam excolite, & adornate ſponſam Chriſti ad pudicitiam. Sponſam autem dico omnem Eccleſiæ Chriſti congregationem: quæ ſi pudica inventa fuerit a ſponſo ſuo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur; & vos, velut miniſtri ſponſæ, & amici ſponſi, ingenti gaudio & lætitia perfruemini. Si vero ſponſa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipſa quidem tamquam indigna extrudetur a regalibus thoris: Vos autem pœnas dabitis, ſi forte per veſtram negligentiam, & deſidiam obrepſerit contagio ſæva peccati." Ecce audiſtis diſcrimen veſtrum, inertes. His itaque decurſis, Sanctimoniam veſtram hortamur, & per incomprehenſibilem Sanctam Trinitatem vos omnes pariter obſecramus, ut litteris veſtris ſine mora per Legatos veſtros idoneos directis nobis veraciter indicetis, ſi ſecundum juramentum præſtitum coram Miſſo noſtro, Lotharius cum Theutberga converſetur? Aut ſi ita illam tractat, quemadmodum Rex legitime ſibi conjunctam debet tractare Reginam? Et qui ſint illi, qui nullo pacto a nobis diſſidentes, adulteris nullum conſentiunt præſtare favorem? Nec non & hanc Epiſtolam noſtram oſtendatis, & excommunicationis Waldradæ tenorem manifeſtum facere ſtudeatis. Jam vero, qui hæc veſtrum agere & intimare, quæ diximus, poſtpoſuerit, & ipſe ſe obnoxium & fautorem adulterorum palam oſtendet: & hoc nobis erit ſignum, eum toto conſenſiſſe facinori, ſi obedire huic inſtituto noſtro neglexerit. Ac per hoc tamquam conventum a nobis & admonitum, ac ſalubri monimini ſatisfacere nolentem, ſed per omnia vobis inobedientem, noſtra ſeu totius Eccleſiæ hunc communione conſtituimus eſſe remotum. In promptu (h) videlicet, ſecundum Apoſtolum, habentes omnem ulciſci inobedientiam. Sane, cui perſonam dirigendi nulla facultas ſuppeditat, ſaltem ſcripta eamdem indicantia mittere minime parvipendat. A qua indulgentia Viridunenſem Antiſtitem non inconvenienter excipimus: quem omnino præcipimus non ſolum litteras ad nos, verum & perſonam de proprio clero mittere, ſine qualibet mora vel excuſatione, prorſus idoneam. Optamus Sanctitatem veſtram nunc & ſemper bene valere. Data VIII. Kalendas Februarii. Indict. XV.

X x NICO-

Nicolaus Papa obiit 867. Idib. Novembris, Indict. I. Indictio XV. currebat à Januario ad Septembrem. *Annales Bertiniani & Anaſtaſius.*

[g] Clemens Epiſt. I. [h] II. Corinth. X.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
LOTHARIO GLORIOSO REGI.

Quod Theutberga tædio afflictionum contra se ipsam scribat. Cæterum dissolvi ejus conjugium non posse, nisi Lotharius cœlibem quoque vitam spondeat.

Audito revertente Misso nostro, correctionis tuæ, ut ita dicamus, initio, gratias Deo condignas egimus; & ut tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparavimus. Sed, heu! adversa nuntia venientia hujus intentionis nostræ proposito celeriter obviaverunt. Quapropter compulsi sumus mutare vocem: & qui ad gratiarum actiones os aperire disposueramus, in luctus & increpationes adhuc officium linguæ coacti dirigimus. Siquidem Epistolam nunc suggestionis Theutbergæ Gloriosæ Reginæ missam, deferentibus legatis ejus, suscepimus; quam nihil intimare reperimus litteris, nisi quod illi asserere videbantur verbis. Verum in utroque obstupefacti pariter, & mirati sumus: atque tam repente stili, & mutatæ petitionis sensus perpendentes, nihil tale illam nobis intimasse (*a*) quoque tempore recoluimus. Siquidem cum ad relationem omnium pæne, qui ex Gallicanis, & Germanicis Regionibus Romam orationis gratia veniunt, vel multorum illic degentium, oculos mentis inflectimus; plurimum distare conspicimus, quod ipsa nunc dumtaxat significat, & quod hi omnes quotidie propemodum verbis & apicibus innuunt: quippe quam inremotam cuncti afflictionem, ac intolerabilem pressuram, nimiamque violentiam pati testantur. Quamvis illa contra, sponte ac libenter a Regia dignitate exui se velle ac optare fateatur & copula. Quæ illi quidem aliter, hæc vero aliter prosequi cernitur: ita ut omnium assertionibus legaliter a te admissa, inique deinde accusata, post hæc judicio, quo tibi & omnibus subjectis tuis, nec non & Episcopis placuit, evidenter purificata, deinde secundo repulsa, postremo monitis & decreto nostro, pariter & hortatu filii nostri excellentis Augusti, jure recepta dicatur. Ipsa autem his omnibus contraria nunc effecta, & suæ ipsius oblita professionis, nescimus, quæ frivola fateatur: quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Didicimus tamen multorum relatu ac multis indiciis, te ad imitationem eorum conversum, de quibus Apostolorum Princeps dicit: *Si enim* (b) *refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini nostri & Salvatoris nostri JEsu Christi, his rursus implicitii superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Continget enim illis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Didicimus, inquam, te, qui prolixo tempore in scelere permanens, Ecclesiæ Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc; & qui in sordibus eras, sordescere adhuc. Et certe in reversione Legati nostri te correptum audientes, ultra quam dici valeat, exsultavimus, & omnipotenti Domino gratias immensas retulimus: putantes videlicet, de apprehensis a te honestis moribus, tandem aliquando fragrantiam in odorem suavitatis ad Dominum dirigi, non fœtorem de iteratæ nequitiæ tuæ colluvione per mundum ultra dispergi. Sed heu! e contrario, pro suavi odore fœtor, non in quo currendum sit, sed qui tota velocitate fugiendus exsistat, ecce hac illaque diffunditur. Siquidem, ut opinamur, tibi non sufficit solum adulterium perpetrasse, nisi apponas, ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium exitium acquisisti, quando in tanta sublimitate positus, per exemplum tuæ mœchiæ

(*a*) *al.* quoquo.

(*b*) II. Petr. II.

mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaveris? Nam majora facit crimina sublimitas dignitatum. Illud autem, quod prænominata Regina quasi Waldradæ testimonium perhibet, dicens, eam fuisse tuam uxorem legitimam; aut invita, aut frustra conatur adstruere: quandoquidem illius nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat. Cum magis nos ita sentiamus, quod justum, & ita intelligamus, quod æquum est, ut etiam Theutberga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis unquam Waldradam in uxorem possis, aut permittaris assumere. Utrum ergo Waldrada legitima tua fuerit aliquando conjux, Ecclesia Dei satisfactione Theutbergæ non eget. Unum tamen scimus, quoniam nec nos, nec eadem Sancta Ecclesia, auctore Deo, qui adulteros judicabit, te, si Waldradam quandocumque resumpseris, etiam Theutberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. Illud vero, quod dicit, Romam se velle venire, nobisque passiones, & quædam secreta sui pectoris reserare, fieri non convenit: quoniam & securitas itineris, quam prætendit, nulla est: & quamdiu Waldrada ita tibi juxta posita est, diaboli versutia non abesse convincitur. Dum enim Theutberga discedit, Waldrada incunctanter accedit: nimirum quia, dum lex repellitur, prævaricatio confestim inducitur. Ceterum quis ignorat, Theutbergam hæc contra se multis pressuris subactam deponere; ac innumeris malis attritam, immo mortis periculum formidantem, quod solo Deo custode frequenter evasit, asserere? Cum etiam, ut prædiximus, pæne omnes religiosi & clari viri Galliarum & Germaniæ hæc ita se (*) crebra relatione testentur. Adeo ut hæc eam, quæ nunc scripsit, nobis scripturam fore, ante multum temporis præscierimus. Verum nos talem confessionem ejus, quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus. Quamobrem quisquis contra Theutbergam agit, non solum Ecclesiam Dei graviter lædit; verum etiam Sedem Apostolicam, cujus judicium non licet retractare, vehementer adversus se commovere convincitur: quoniam illa ex utraque parte provocata, id est, tam a te, quam a Theutberga, cujus vestri negotii exsecutrix & interemptrix effecta est. Jam vero, si eadem Theutberga Romam venire disponit, & licentiam a te, conjuge videlicet suo, proficiscendi adepta fuerit, securitas est ei prorsus certissima tribuenda, qua freta nusquam metuat, se per hominem aliquid incidere læsionis. Quod omnino non provenire poterit, nisi Waldrada Romam prius mittatur, & de ea, quod conveniens sit, diffiniatur: & ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, ut sæpe dicta Theutberga nec veniens, nec commorans, nec rediens aliquod patiatur incommodum. Quod si minime pro repellenda a te sinistra suspicione promiseris agere, cessandum est; & ne talibus fraudis insidiis acquiescamus, omnimodis præcavendum. Tuque summo studio præfatam Theutbergam conjugem tuam tanquam propriam carnem fovere, ac diligere procurato; & ne illam separari a te ullo pacto consentias, vigilanter attende. Unde si vult a te discedere, corripe, immo corrige eam, & a tali intentione per omnia satage revocare. Jam vero, si amore pudicitiæ separationem quærit, & conjugalis connubii solutionem efflagitat; certum est Apostolo prædicante, (c) quoniam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Verum si & ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissolvere vis, tantum ne simulate fiat, concedimus. Nam licet scriptum sit: *Quod* (d) *Deus conjunxit, homo non separet*: Deus tamen, & non homo separat, quando divini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis, nos grato permittimus animo, celeremque præbemus assensum. Aliter autem fieri mutuam vestram separationem prohibemus: si quidem scriptum legimus: *Erunt* (e) *duo in carne una.* Quod divus Gregorius (*f*) exponit, dicens: " Si igitur vir & " uxor una caro sunt, & religionis causa " vir dimittit uxorem, vel mulier vi- " rum, in hoc mundo remanentem, vel " fortasse ad illicita migrantem; quæ est " ista conversio, in qua una eademque caro

(*) *Supple:* habere.
(*c*) I. Corinth. VII.
(*d*) Matth. XIX.
(*e*) Genes. II.
[*f*] Lib. IX. Epist. 39.

" caro & ex parte tranſit ad continen-" tiam, & ex parte remanet in pollutio-" ne? Si vero utriſque conveniat, con-" tinentem vitam ducere, hoc quis au-" deat accuſare? Quando certum eſt, " quod omnipotens Deus, qui minora " conceſſit, majora non prohibuit." Porro ſi ſterilitas accuſatur, cogita Saram nonagenariam, Annam quoque & Eliſabeth. Quam tamen ſterilitatem fortaſſe non facit infœcunditas, ſed iniquitas. De aliis poſtremo vitiis, audi quid cœleſtis bibliothecæ cultor dicat (g) Hieronymus: " Grave, inquit, pondus " uxorum eſt, ſi excepta fornicationis " cauſa eas dimittere non licet. Quid " enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, " ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi gu-" loſa, ſi vaga, ſi jurgatrix & maledica, " tenenda erit iſtiusmodi? volumus, " nolumus, ſuſtinenda eſt. Cum enim " eſſemus liberi, voluntate nos ſubjeci-" mus ſervituti: & revera ut verbis uta-" mur Apoſtoli: *Alligatus* (h) *es uxori?* " *noli quærere ſolutionem.* Ergo, glorioſiſſime Rex, eſto propria contentus uxore, & præter illius, alterius umquam ne quæras conſortium. Et certe, quantum humanus ſufficit invenire intellectus, eadem crebro memorata mulier non ſolum inſons ſæpe comprobata eſt, verum & Eccleſiæ auxilium, atque judicium provocaſſe dignoſcitur. Inſuper & Sancti Apoſtolorum Principis Petri præſidium expetivit. Unde Sedes Apoſtolica cauſam veſtram per ipſam cœpit diſcutere, & quidquid quæſtionis emerſiſſet, ſpeciali judicio ſuo reſervare propoſuit. Qua de re non putamus te in tantam tui perniciem devolvendum, ut contra noſtras diffinitiones, vel adverſus crebro dictam feminam, beati Petri refugio prorſus innixam, agere quocumque modo conſentias: cum tibi potius & regno tuo, quam Theutbergæ, ſi ad hoc tam immane piaculum dilapſus fueris, acquiras omnino diſpendium. Igitur conſilium noſtrum accipe, & monita noſtra tanquam affectuoſi patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem, linguam, corpusque refrena: præcipue Waldradæ pellicis tuæ, & dudum a te repudiatæ communionem declinans, & ejus conſortium perpetuæ oblivioni contradens. Excommunicata eſt enim, & uſque ad præſentiam noſtram ab omni Chriſtianorum contubernio ſequeſtrata; ſicut totus jam novit Occidens, & jam jamque per Miſſos noſtros minime cum plagis ceteris Oriens ignorabit. Quamobrem cavendum eſt, ne cum ea pari mucrone percellaris ſententiæ, ac pro unius mulieris paſſione, & breviſſimi temporis deſiderio, vinctus & obligatus ad ſulfureos fœtores, & ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt: ac per hoc ipſi crudelius, quam ceteri puniuntur. Sed ut manifeſtius nos vera dicere ſcias, beatum Papam Gregorium audi, qui ait: " Scire etenim Prælati debent, quia " ſi perverſa umquam perpetrant, tot " mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos " ſuos perditionis exempla transmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non ſoli moriuntur. Hæc autem nos tibi nunc ſcripſiſſe, & quaſi inter nos & te, verba noſtra exceſſus tuos corripientia diſcurriſſe ſufficiat. Ceterum præcave, nequando nobis [i] ſecundum Domini præceptum, duos aut tres teſtes adhibeamus: immo vero ne hoc Eccleſiæ Sanctæ dicamus, &, quod non optamus, decreto fias cunctis ſicut Ethnicus & Publicanus.

Porro Excellentiam veſtram hortamur, ut hoc exemplar Epiſtolæ ad Lotharium miſſæ, (k) quouſque illum noſtris monitis obedire perfecte cognoveritis, apud vos nemine alio ſciente retineatis. Si autem ſuæ obſtinationi non ceſſerit, & quæ ei ad præſens dirigimus, perficere diſtulerit, vel ſi Theutbergam Reginam debito honore non retinuerit; veſtra ad omnium notitiam, quæ de eo ſtatuimus, faciat venire ſublimitas, & juxta noſtræ cenſuræ modum ad gloriam veſtram transmiſſum huc illucque diſpergat.

NICO-

(g) In Matth. Cap. 19. (h) I. Corinth. VII. (i) Matth. XVIII.
[k] Etſi hæc Epiſtola ad Lotharium ſcripta fuerit; addita tamen ſub finem admonitio indicat, eam miſſam fuiſſe ad Regem Ludovicum, producendam ab hoc, vel occultandam, prout circumſtantiæ poſtulaverint.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
DILECTÆ FILIÆ THEUTBERGÆ GLORIOSISSIMÆ REGINÆ.

Arguit, quod contra se ipsam tædio victa scribat, negatque fieri posse quod suggerit, ut continentiæ studio conjugium dissolvat, nisi Lotharius maritus cœlibem quoque vitam promittat.

EPistolam suggestionis tuæ Præsulatui nostro deferentibus Legatis tuis missam suscepimus; & quod nihil ipsa litteris, quam quod illi verbis indicaverit, evidenter agnovimus. Verum in utroque obstupefacti pariter, & mirati sumus, atque tam repente stili, & petitionis mutata verba considerantes, nihil tale te nobis intimasse quoquo tempore recoluimus. Sed quid nobis talia scribis, & suggeris, cum nos te nobis hæc, & scripturam & suggesturam longe ante præscierimus? Verum cum ad relationem omnium pæne insignium personarum, quæ in Gallicanis & Germanicis Regionibus consistunt, mentis inflectimus oculos; multum inter se distare conspicimus, quod ipsa nunc dumtaxat significas, & quod illi quotidie propemodum verbis, & apicibus innuunt. Omnes enim te irremotam afflictionem, intolerabilem oppressionem, nimiamque violentiam pati testantur. Tu autem his contraria suggerens, nullo cogente, sponte ac libenter a Regia dignitate exui te velle ac optare fateris, & cetera, quæ illi quidem aliter, tu vero aliter prosecuta esse dignosceris. Ita ut omnium assertionibus legitime a Lothario Rege admissa, inique deinde accusata, post hæc purgata, deinceps denuo repulsa, postremo decreto nostro jure recepta dicaris: tu autem his omnibus contraria nunc affecta, & tuæ ipsius oblita professionis, nescio quæ frivola fatearis, quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Intelleximus tamen eum, qui nocuit Sanctæ Dei Ecclesiæ, nocere adhuc, & qui in sordibus erat, sordescere adhuc. Intelleximus, inquam, jumenta in stercore suo proposuisse putrescere; & cui non sufficit solum adulterium perpetrasse, & falsitatis præstigia, ac iniquitatis adinventiones in funiculo vanitatis contraxisse, apposuit, ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum præcipitaret exitium. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium acquisivit interitum, qui in sublimi positus per exemplum suæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos demersit? Illud tamen, quod Waldradæ perhibes testimonium, dicens, eam fuisse legitimam uxorem Lotharii, frustra conaris adstruere, quandoquidem tuo nullo prorsus hic testimonio quis indigeat: cum magis ita nos sentiamus, quod justum est, & ita intelligamus, quod æquum exsistit, ut te etiam reprobata, etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis fine sui discrimine regulis, Waldradam mœcham in uxorem unquam permitteretur assumere. Utrum ergo Waldrada legitima fuerit aliquando conjux, Ecclesia Dei satisfactione tua non eget. Unum tamen scito, quoniam nec nos, nec eadem Sancta Ecclesia, Deo auctore, qui adulteros judicabit, Lotharium, si Waldradam quandoque resumpserit; etiam te, ut prætulimus, decedente, dimittet omnibus modis impunitum. Illud vero, quod dicis, Romam te velle venire, nobisque passiones, & quædam secreta tui pectoris reserare; fieri non convenit. Quoniam & securitas itineris, quam prætendis, nulla est; & quamdiu Waldrada ita Lothario juxta posita est, ab illo quoquam te discedere non permittimus. Dum enim tu discesseris, illa recipi procul dubio creditur, & in longinquitate tua ipsa confestim admittitur. Quod autem sterilis, ut asseris, permanere dignosceris, non hoc corporis infecunditas, sed viri facit iniquitas: quamvis Deo fecundante legamus, quoniam *Sterilis* (a) pepe-

(a) I. Reg. II.

peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Perhibes etiam, quod matrimonium inter vos non divinitus fuerit ordinatum, & idcirco permanere non poſſit: quoniam *omnis (b) plantatio, quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Sed recole, quia vineam Deus plantavit, quam exſpectavit juxta Iſaiam, ut [c] faceret uvas, & fecit labruſcas; & quæ ſecundum Jeremiam converſa eſt (d) in amaritudinem vitis alienæ. Deus ergo plantavit matrimonium veſtrum; ſed conjugis tui vitio converſum eſt in amaritudinem: & dum exſpectatum eſt, ut faceret uvas, fecit, heu! labruſcas, vel etiam ſpinas. Sed hæc quidem ex innumeris Epiſtolæ tuæ ſola commemorare libuit. Ceterum quis ignorat hæc te multis preſſuris ſubactam depromere, ac innumeris malis attritam proferre; cum etiam ut prædiximus, omnes religioſi, & clari Galliarum, & Germaniæ viri hæc ita ſe habere frequenti relatione teſtentur; adeo ut hæc te nobis ſcripturam fore ante multum temporis agnoverimus? Sed his omiſſis, hortamur te, ac vehementer admonemus, ut ipſa tibimet manum non inferas, nec mortis fomitem generes. Melius quippe tibi eſt, ut veritatem loquentem alius te occidat, quam tu te ipſam, mendacium dicens, interimas. Sta igitur intrepida atque conſtans; & mortem, quam quoquo modo ſemel experiri debes, præcipue pro veritate ſuſtinere ne paveas. Quoniam cum Chriſtus ſit veritas, quisquis pro veritate moritur, pro Chriſto procul dubio moritur; pro qua videlicet Joannes occiſus Baptiſta martyrium ſumpſiſſe dignoſcitur. Quod ſi ille proximi juſtitiam loquens interficitur: quanto potius tu Dei juſtitiam loquens, & de veritate tua teſtificans, nullius mortis formidare debes exitium: Beati enim, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, non ſolum alterius, ſed & ſuam. Verum nos hanc confeſſionem tuam, quam non voluntas, ſed vis extorſit, nequaquam pro confeſſione recipimus: nec permittimus tantum vitium radices extendere, quod niſi evulſum intime fuerit, ad multorum perniciem poteſt accreſcere. Denique ſi hoc licet, omnes viri poſſunt, quas jure ſortiti ſunt fœminas, ſi has odio habuerint, diverſis afflictionibus macerare, & quod legitime non fuerint aſſumptæ, fateri cogere: quin etiam, ut mortale crimen contra ſe dicant, illatis intolerabilibus pœnis compellere. Quis enim magis nocere valet, quam civilis hoſtis? Vel quis amplius lædere poterit, quam uxorem maritus? Sed nos tales fraudes præcavere debemus; & ne proficiant, in ipſo novitatis earum principio detruncare. Nec tamen putamus Lotharium, virum videlicet tuum, in tantam ſui perniciem devolvendum, ut vitæ tuæ inſidiari quocumque modo conſentiat; cum non ſibi, vel regno ſuo minus, quam tibi, ſi ad hoc tam immane piaculum dilapſus eſſet, acquireret omnino diſpendium. Siquidem, tu, quantum humanus intellectus ſufficit invenire, non ſolum innoxia ſæpe comprobata es, verum & Eccleſiæ ſemper auxilium provocaſſe dignoſceris. Inſuper & Sancti Apoſtolorum principis præſidium refugiumque petiſti. Unde Sedes Apoſtolica tuam cauſam cœpit diſcutere, & ſpeciali, quidquid quæſtionis emerſiſſet, judicio ſuo reſervare propoſuit. Quamobrem quisquis contra te agit, non ſolum Eccleſiam Dei graviter lædit; verum etiam Sedem Apoſtolicam, de cujus judicio non licet retractari, vehementer adverſus ſe commovere convincitur. Sane ſi tu Romam venire diſponis, & licentiam proficiſcendi a conjuge tuo adipiſci vis; nos econtra multo magis hortamur, ut ſuadere modis omnibus eidem viro tuo procures, quatenus prius ſecuritatem tibi certiſſimam tribuat, qua freta nuſquam metuas, te per hominem aliquid incidere læſionis, Quod omnino non provenire poterit, niſi Waldrada prius Romam mittatur, & de ea, quod conveniens ſit, diffiniatur; & ita demum talis immunitatis certitudo ſubſequatur, ut tu nec veniens, nec commorans, nec hinc rediens, aliquod patiaris incommodum. Quod ſi renuit ad repellendam a ſe ſiniſtram opinionem agere, ceſſa, & ne talibus fraudis inſidiis acquieſcas, omnino præcave. Callide quippe tam ille, quam ſatellites ejus, te decipere moliuntur, & verſutæ ſuæ tergiverſationis pedicis ſupplantare procul dubio machinantur. Porro ſi amore pudicitiæ, ut aſſeris, ſolutionem matrimonii quæris, hanc tibi nullo pacto noveris

(b) Matth. XV. [c] Iſaiæ V. [d] Jeremiæ II.

veris tribuendam, nisi vir tuus eamdem pudicitiam non ficte sectatus exstiterit. Denique ut cum Beato Gregorio Papa dicatur, si continentiam (*e*) quam vir appetit, uxor non sequitur; aut quam uxor appetit, vir recusat; dividi conjugium non licet: quia scriptum est: *Mulier* (f) *sui corporis potestatem non habet, sed vir; & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Optamus gloriam tuam in Christo nunc & semper bene valere, dilectissima filia. Data Kalendas Februarii, indictione XV.

(*e*) Lib. 9. Epist. 39.

(*f*) I. Cor. VII.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
DILECTO FILIO LUDOVICO GLORIOSO REGI.

Ut Lotharium ad diligendam Theutbergam excitare pergat, & Ingeltrudem ad Bosonem maritum redire compellat.

PRecamur amabilem dilectionem vestram, ut Regem Lotharium monere nullo pacto desistatis, ut debitam dilectionem Teutbergæ Reginæ uxori suæ semper impendat: nec sibi blandiatur, quasi studeat eam cogere, ut aliquod sibi crimen impingat, & per hoc valeat illam a suo consortio sequestrare: quoniam hoc nec ipse legaliter agere prævalet, nec nos talibus præstigiis, & tam fraudulentæ calliditati locum dari permittimus. Sed etiamsi abundante iniquitate, qualibet astutia, potius autem violentia, tale quid machinari potuisset, Waldradam ei mœcham, cujus immundo desiderio ad ista intendit, anhelat, & pervenire dementer affectat, nullus conjugali fœdere permitteret sociari; nisi cunctarum regularum temerator, & infractor inveniri voluisset. Agite igitur circa eum benigne: & quoniam filius Germani vestri est, tamquam os vestrum & carnem monere, increpare, immo vero etiam severius corripere, quin & quoquomodo corrigere studeatis, mentis scilicet ejus salutem magis, quam corporis anhelantes. Postremo, fili carissime, non vos latere credimus, quot & quantos labores pro refuga illa Bosonis uxore sæpe pertulimus; & quoties eam, ut ad justitiæ tramitem remearet, salubriter admonuerimus: & qualiter etiam non resipiscentem, sed nequitia sua pertinaciter persistentem, gladio anathematis percusserimus. Quæ nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam. Vir autem ejus, innocens videlicet, in ejus absentia hinc inde labore non modico fatigatur, quoniam nec ipsi reconciliari absenti prævalet, nec alterius illa vivente consortium ei conjugale conceditur. Qua de re quoniam improbitatem, & insolentiam ejusdem viri continuam patimur, volentis scilicet ardenter ad secundum, imo ad illicitum convolare connubium; obnixe dilectionem vestram deposcimus, ut pro revocanda ea omne studium pro Dei amore sumatis, quinimo & eamdem perditam, ac sæpe damnatam feminam lucrari Domino valeatis. Ita ut si monitis provocata viam suæ salutis non arripit, saltem pressuris per vestram industriam angustata resipiscat: & quæ ad Dominicam cœnam sponte intrare noluit, dum tantum intret, vel compellatur invita. Nam forte de hujusmodi Dominus per Prophetam dicit: *Ecce* (a) *ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret & non inveniet eos, & dicet: vadam & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc.* Quod venerandum oraculum si tropice differatur, non parvam utilitatem generat. Verum nunc breviter dicendum est, quoniam si eadem femina, sicut nec debet, nullius communione frueretur, & non exquisitis voluptatibus potiretur; si denique vias suas spinis septas

(*a*) Oseæ X.

ſeptas pateretur, ſi in terrenis deſideriis de impoſſibilitate laſſaretur; jam Deum profecto ad mentem reduceret, & ad amorem viri proprii vel invita rediret. Sic ergo pervicax illa, & impœnitens anima, quæ diu eſt adultera conata perſiſtere, ſic fortaſſe, ſi tamen neceſſitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur, fidelis jam decerneret eſſe conjux, quæ merito ac veraciter deinde dicere poſſet: *Revertar* (b) *ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc.* Optamus gloriam veſtram bene valere, dilectiſſime fili. Data Nonis Martii. Indictione XV.

(*b*) Oſeæ VII.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
DILECTO FILIO LUDOVICO GLORIOSO REGI.

Conqueritur de Lothario, quod nihil eorum præſtet, quæ promiſit. Probibet, ne Romam veniat, priuſquam Waldradam, ut juſſus eſt, eo dirigat, & Theutbergam tractet ut Reginam, & Treveris atque Coloniæ legitimi Epiſcopi ordinentur. In embolo, de reditibus Sancti Petri.

SYllabarum veſtrarum tenore pandiſtis, vos una cum dilecto filio noſtro Carolo Glorioſo Rege, fratre videlicet veſtro, ad commune colloquium veniſſe: cui quia defuit Lotharius Rex, nepos ſcilicet veſter, perhibetis vos ad eum jam dictum fratrem veſtrum Carolum Regem, adjuncto ſibi quodam ex Epiſcopis regni veſtri, miſiſſe: quatenus prout vobis per Epiſtolas noſtras ad vos directas injunximus, ab illis admoneretur, ut in omnibus juſſionibus noſtris obediens exſiſteret. Quod quia tam utpote pii Principes juſtitiam diligentes, quam proximi ſalutem per caritatem quærentes, noſtriſque nihilominus adhortationibus obſecundantes, egiſtis, debitas gratias agimus: quantum tamen lucri efficacia veſtra, vel noſtra monita penes eumdem Regem Lotharium impetrarint, fateor, hactenus non elucet. Sed dicitis, eum tam abſentem, quam poſtea præſentem, a vobis ipſam admonitionem benigne ſuſcepiſſe, deindeque profeſſum fuiſſe, in omnibus ſe noſtris præceptionibus pariturum. Quod quia ſæpe audivimus, non tamen hinc effectum percepimus, ſatis ingemiſcimus, & hujus rei gratia ultra, quam dici poſſit, affligimur. Nimirum qui etiam pro ſua ipſius ſalute quotidie laborantes, apud ipſum nihil omnino proficimus, dum quod ſermone dicit, facto non perficit: & præcipue, cum verba ejus, ut arborum folia, ſonare quidem poſſint, ſaturare vero, cum ſint ſine fructu, non poſſint. Quamobrem, dum quærimus, cui hujusmodi vir valeat comparari, nullus menti convenientius occurrit, quam ille filius, cui apud Matthæum pater dixiſſe legitur: *Fili* (*a*) *vade hodie, operare in vinea mea.* At ille reſpondens ait: *Eo Domine, & non ivit.* Unde merito figuram Judaici populi exprimit. Ipſe quippe repromittebat Moyſi dicens: *Cuncta* (b) *quæ locutus eſt Dominus, faciemus*: non tamen, quæ verbis repromittebat, rerum affectibus adimplebat. Ita, proh dolor! & iſte nepos veſter, ſemper quidem monita noſtra velle audire, ſemper adimplere cupere proteſtatur: non tamen quod ore, quod ſcriptis opportune, importune ſæpiſſime profitetur, operibus exercere, vel factis exhibere contendit; & paternis monitis noſtris non tamquam filius obediens paret, ſed tamquam ingratus poſt tergum repedavit. Si quidem in quo aliquando apparuit Rex Lotharius nobis obediens? Aut quid ab illo exegimus niſi ſalutem ſuam? niſi jurationem quam (*c*) læſit Eccleſiæ? niſi Theutbergæ Regi-

(*a*) Matth. XIX. (*b*) Exod. XXI. (*c*) *fortè* præſtitit.

Reginæ conjugis ejus apud Sanctum Petrum præsidium requirentis securitatem? Nisi nostram etiam post tot labores aliquando requiem? Nam hinc inter innumeras alias curas præcipue laboramus, hinc omnimodam de Waldrada mœcha, & excommunicata suspicionem adimendam sæpe decrevimus. Hic etiam, ut novi Trevirensi, & Coloniensi Ecclesiis antistites darentur, injunximus: videlicet qui nec per Theutgualdi, & Guntharii dudum Episcoporum, nec per jam fatæ Waldradæ favorem provehere ntur; sed Canonice a filiis, & de filiis jam nominatarum Ecclesiarum electi, & ab his, qui earumdem Ecclesiarum Antistites soliti sunt consecrare, regulariter ordinarentur. Sed cum hæc omnia nos opportuna esse ac necessaria prospicientes, ipsi Regi Lothario crebro mandassemus, quod nostræ institutionis exsecutor effectus, ut hæc consummarentur annueret, immo ut sua prorsus exsecutione perpetrarentur, insisteret; aliquid horum effectum quemlibet accepisse nos profecto nondum cognovimus: & tamen ille nostra se velle proficere in omnibus monita profitetur. Denique Waldradam ad nos non solum non misit, sicut sæpius illum hortati sumus; verum etiam Ticinum, dum ad nos tendere crederetur, jam profectam, in Gallias reducere procuravit. Filiam vero nostram Teutbergam Reginam, quæ Beati Petri se tegmine semper muniri poposcit, non solum sicut reginam secundum præstitum juramentum non tractat: verum etiam nec pro timore Dei, nec pro Sancti Petri reverentia, nec pro conjugali fœdere, nec etiam pro eodem collato juramento, saltem in minimis quibusque negotiis suam hanc esse participem recognoscit. Quippe quam omni egestati, omni opprobrio, omni prorsus abjectioni submittit. Porro de præmemoratis Ecclesiis ordinandis non solum mandata nostra contemnit; sed & sacrorum canonum præcepta conculcat: dum videlicet viduatis Ecclesiis non compatitur, sed has tanto tempore sine rectore manere permittit. Ecce, fili carissime, quomodo Lotharius Rex instituta nostra custodit: ecce quomodo verum est, quod dicit nostra se velle in omnibus observare decreta. Et adhuc ad nos se properare velle demonstrat: cum id ne sine nostra licentia præsumeret, nos ei sæpe districtius injunxerimus, & prohibuerimus. Verum quamobrem Lotharius Romam proficisci gestiat, miramur, si vestram latere potuit prudentiam. Itaque impleat prius cuncta, quæ præmisimus; totius occasionis, vel sinistræ suspicionis fomitem a se procul abjiciat, immo vero a nostris mentibus amputet: & tunc, si ei sit huc veniendum, a nobis est solicite providendum. Siquidem etiam si cuncta, quæ nos ei supra commemoravimus injunxisse, penitus adimpleta potuisset ostendere, nec sic ei contra interdictum nostrum Romam fuerat properandum: quanto minus nunc, quando toties a nobis admonitus nihil de eis consummasse convincitur? Igitur dilectio vestra illum nunc venire Romam, quæso, prohibeat: alioquin, mihi credite, si contra propositum nostrum forte præsumpserit, minime cum qua cupit honestate vel hic suscipietur, vel hinc profecto egredietur. Nam sicut mulier Domino fide proximans tangit; turba vero, licet tangit, tamen comprimit; sic, proh dolor! isto in tempore quidam etsi tangere, etsi opprimere videntur, tactus tamen eorum, quia non ex fide, pressuram gignit, & approximatio turbationem adducit. Ergo necesse est, ut talem se in cunctis exhibeat Rex Lotharius, ut nos eum gratanti animo primitus suscipere delectemur; & ita demum venientem expansis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit, nisi Waldrada Romam, sicuti cœptum fuerat, dirigatur, ut videlicet nos causam ejus ad finem legitimum perducamus, qui de ipsius prævaricatione semel initium judicandi suscepimus: & nisi reginam Theutbergam, secundum tenorem juramenti, ab ipso audiamus Rege Lothario conjuge suo tractari: videlicet ut talem se circa illam mente administret, & opere, qualem diligens Rex erga dilectam conjugem suam se debet demonstrare reginam: & nisi de proprio Clero in Agrippinensi Colonia, atque Treverensi Ecclesiis Episcopos ordinari permiserit: eos scilicet, qui nec Waldradæ, nec Guntharii, nec Teutgualdi favore vel eligantur, vel etiam consecrentur. Hæc sunt, carissime,

ſime, quæ ſi Lotharius nepos veſter callide non perfecerit, hunc veraciter nos audire velle procul dubio poterunt indicare. Atque ſi ſaluti ejus veſtra caritas conſulit, eum magnopere ſuadeat incitare; & non ejus foris perſtrepentibus verbis facile credat, ſed operum facta, ſecundum perſpicaciſſimam proprii affluentiam ſenſus, conſideret. Dicit enim Joannes Apoſtolus: *Filioli* (d) *mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Nam ſi noſſe libet excellentiæ veſtræ, quid ſit, unde Lotharius jactat ſe noſtram in omnibus adimplere voluntem, nos evidenter aperiemus. Videlicet quia nobis, immo Deo noſtro obediens, Theutbergam ſuam conjugem recepit, Waldradam vero, utpote adulteram, merito ſequeſtravit, nec ad illam poſt reverſionem legati noſtri acceſſit. Sed prudentia gloriæ veſtræ jam valet advertere, quid proſit, ſi ad eam non pedibus corporis, & tamen paſſibus mentis accedit. Quid prodeſt, quia forinſecus ab illa ſequeſtratus cernitur, qui tamen ei valde conglutinatus intrinſecus intelligitur? Quid autem proficit dilectæ filiæ noſtræ Theutbergæ Reginæ, quia non ex toto ab illa videtur corpore prolongatus, dum tamen eſſe cùm ea mente minime probatur adnexus? Quid ei proficit, conjugalis fœderis, vel Regiæ dignitatis nomine ſolo frui, quæ caret omnibus, quæ ad perfectæ dilectionis & conſimilis ditionis pertinere videntur inſignia? Nam quis, niſi æmula ejus, Waldrada videlicet, quæ non ſolum pro adulterio commiſſo, ſed pro impœnitenti corde vinculis eſt excommunicationis innexa, regni cum Lothario culmina poſſidet, gloria fruitur, jura tenet, & omnia ſuo diſponit arbitrio? Quæ licet à colloquio ejus ſejuncta ſpecie tenus videatur exſiſtere, per internuntios tamen, & diverſos ſatellites, tantumdem penes ipſum, vel etiam magis valet, quam ſi legitima conjux haberi quoquo modo potuiſſet. Nam nemo apud Regium apicem eſt adjutus, niſi per illam: vix uſquequaque læſus, niſi propter illam, quiſquam eſſe refertur. Illa quippe penes eum gratiam poſcentibus impetrare, ipſa ſola, quibus mavult, beneficia parare conſuevit. Jam vero ſi ita non eſt, ut dicimus; id eſt, ſi vel Theutberga Regina tantam apud ipſum incommoditatem, & dehoneſtatem non patitur: nec Waldrada mœcha gloria tanta non fruitur; quare nobis ſcribens, vel aliis ſatisfaciens, ſicut indicat Waldrada, quod poſt miſſi noſtri reverſionem non ad eam acceſſerit: ita non de conjuge ſua Theutberga, quod eam ſecundum datorum tenorem juramentorum tractet, atque retineat; niſi quia non habet, unde glorietur? nec agit ſic erga eam, ut nobis id veraciter referens, gratiarum à nobis inde percipere valeat actiones? Dum non ſolum illa nulla munificentia ipſo largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis, & ut prætulimus, egeſtate ſumma tabeſcit? Dicite ergo illi vos, cariſſime, & veſtra ſagaci conventione ſuadere contendite; ut quando nobis mittit, ad Waldradam poſt reditum miſſi noſtri, contra interdictum noſtrum, ſe nullatenus acceſſiſſe; mittat etiam, quod Theutbergam uxorem ſuam juxta præſtita juramenta benigne tractet, & ſecundum Regiam dignitatem retineat: ita dumtaxat, ut quod mittit, veritate fulciri, aliis etiam atteſtantibus cognoſcamus. Mittat nihilominus nobis, quod in præfatis Eccleſiis ordine, quem ſupra dictavimus, Epiſcopi ſint regulariter ordinati: & tunc perhibenti, ſe noſtra velle juſſa perficere, credemus, & condignas Deo gratias referemus. Nam quamdiu Theutbergam Regio cultu, & conjugali dilectione non retinet; & Teutgualdum vel Guntharium Eccleſias dudum ſibi cum ſacerdotio ablatas obtinere permiſerit occupatas; licet Waldradam non videat, hi tamen gradus ſunt (*e*) quamvis ad ima mergentes, per quos illum ſenſim ad ipſam tendere prudens quiſque patenter agnoſcit: dum & illos fovet, quos ad pronefas ductores habuiſſe claret; & eam affligit, quam debita correctione præmiſſa Chriſto juvante recepit. Accuſatores autem habere Lotharium, non niſi illum, qui accuſator fratrum in Apocalypſi (*f*) Joannis appellatur, & opera ejus, quæ & ipſa ejuſdem antiqui hoſtis inſtinctu patrantur, profecto comperimus. Quæ vero Lotharius Rex, veſter nepos, operatur, accuſa-

(*d*) I. Joan. III. (*e*) *forte* quemvis. (*f*) Apoc. XII.

accuſatore non indigent. Manifeſta quippe Apoſtolo teſte (g) ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria & reliqua. Optamus gloriam veſtram nunc, & ſemper bene valere, dulciſſime fili. Data quarto Kalendas Novembris, Indictione I.

Statuit præterea nobiſcum excellentiæ veſtræ legatus, ut mediante Majo menſe *hujus primæ indictionis*, pro unius anni reditibus rerum ſancti Petri, in regno veſtro ſitarum recipiendis, noſtros miſſos direxiſſemus: cum duorum annorum jam tempora præterierint, ex quo reditus ex illis debuerunt eſſe collecti, & nos ex eis nihil recepimus. Porro ſi, ſicut per multos, & hunc eumdem veſtrum legatum cognovimus, Arſenius inde aliquid collegit; licet nobis aliquid non detulerit, de præteritis annis collegit, non de futuris. Unde rogamus gloriam veſtram, ut pro mercedis veſtræ cumulis, collectis omnibus illis, per veſtri culminis viros, ad Apoſtolorum limina orationis gratia venientes, antequam de finibus regni veſtri foras ea duci jubeatis, nobis ſignificetis: ut his interim in tutiſſimo a prudentia veſtra ſtatuto loco reconditis, ſi a ſpiritali filio noſtro Auguſto obtinere potuerimus, ut cum ipſius homine noſtrum illuc dirigamus; & ea ut nobis ſine aliquo diſpendio deferantur, recipiamus; gratiarum actiones Domino rependendæ ſunt. Sin autem, miſſum noſtrum, Deo opifice, deſtinabimus; qui qualiter in veſtro regno ſint recondita ac cuſtodita, cum veſtro miſſo prævideat: & his nihilominus interim in veſtro regno bene ſalvatis, aut nobis renuntiet, aut certe quidquid præviderimus, vel ſanxerimus, facere non omittat. Aut ſi gloria veſtra, quæcumque illa fuerint, infra territorium ditionis veſtræ, videlicet uſque Bononiam, aut Ravennam perduci fecerit, tantum ut ſecura ſint, hoc multo amplius utile & gratum habebimus; quoniam & nos deinde modo, quo valuerimus, uſque Romam ea ferri jubebimus.

(g) Galat. V.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS.

Anno Chriſti DCCCLXIX. Hadriani II. Papæ III.

SUMMA. Electio & Conſecratio Williberti in Archiep. Colonienſem, contra Hilduinum, à Carolo Calvo deſtinatum Colonienſi Eccleſiæ Antiſtitem.

Ut primum mors Lotharii, Lotharingiæ Regis, Placentiæ mortui VI. Idus Auguſti (alii pridie Nonas Junii) anno 869. *pervulgata, Gallias penetravit, illico Carolus Calvus Lotharienſe Regnum inivit, & ope Adventii Metenſis Epiſcopi occupavit. Advolavit is protinus Metas, ubi ab Hincmaro Remenſi, Francone Tungrenſi, & Adventio Metenſi ſolemni ritu menſe Septembri Rex inauguratus, Treverenſi Cathedræ Bertolphum, Adventii Nepotem, præfecit. Tum Aquiſgranum profectus, Colonienſi Metropoli Hilduinum Abbatem impoſuit, quem a Francone Tungrenſi, Suffraganeo Colonienſi, Sacerdotio voluit initiari.*

Interea Ludovicus Germanicus, qui cum Carolo Calvo Lotharienſe Regnum inter ſe æquis ſpatiis partiendum prætendebat, Lutbertum Moguntinum Præſulem deſtinat; qui Clero, populoque Colonienſi Agrippinenſi Antiſtitem eligendum proponat, & electum conſecret.

Ludbertus, cum ob Carolinæ factionis periculum Coloniam palam non auderet intrare, Tuitii, in oppoſita civitatis ripa, ſubſtitit, evocatis ad ſe Cleri & populi Primoribus, quorum omnium ſuffragiis e Clero ſanctitate, doctrinaque illuſtriſſimus electus eſt Willibertus, lumen in tantis ſex annorum tene- bris

bris Metropolis Illuſtriſſimum. Tum omnes conſcenſis navibus cum Ludberto Moguntino, & aliis, quos adduxerat, Præſulibus, Coloniam ingreſſi, magna Cleri, civiumque gratulatione ad Sedem Pontificiam deduxerunt, ac ornatum Infula conſecrarunt Archi-Epiſcopum.

Anno ſequenti 870. Indict. III. Adrianus II. Papa ſcribit Ludovico Germanico, abſque Sedis Apoſtolicæ judicio & conſilio non fuiſſe Gunthario ſubſtituendum Coloniæ Antiſtitem. Roma V. Kalend. Julii. Indict. III.

Cum ab Adriano II. Pallium non impetraſſet Willibertus, ob omiſſa quædam in libello ſupplice: in quo nec fidei ſuæ paginam, ſeu profeſſionem, ediderat, nec ſignificaverat, à ſe acceptari Synodos univerſales, nec decretales Pontificum Romanorum conſtitutas meminerat, nec hæc propriæ manus ſubſcriptione munierat, demum neminem miſerat, qui Epiſtolam ſcriptam jurejurando firmaret; (*Gratian. Diſt. C. Cum optatum.*) Joannes VIII, re examinata, Pallium eidem miſit anno 873. unde ante eum annum Synodum celebrare non potuit.

Annales Metenſes. Crombach. Tom. II. Metropolis Colonienſ. MS. pag. 1329. *ad annum* 869., *alii plerique ad annum* 870. *referunt Conſecrationem Williberti*, puta:

Annaliſta Saxo Eckhartinus Tom. I.

Annales Francorum Pithoeani, ſeu Fuldenſes, & addunt Luitpertum Moguntinum cum quibuſdam Suffraganeis ſuis profectum Coloniam.

Hermannus contractus in Chronico refert ad 870. tum Conſecrationem Williberti, tum Eccleſiæ dedicationem, & multa pro ſtatu Eccleſiæ decreta. In ſecundo certo errat. Sigebertus Gemblacenſis ad annum 871. refert Dedicationem Eccleſiæ Colonienſis, contra omnes.

SYNODUS MAGNA,

ANNO INCARN. DOMINICÆ DCCCLXXIII. (*a*)

INDICT. VIII. SUB PIISSIMO REGE LUDOVICO, ANNO IMPERII EJUS XXXIII. APUD COLONIAM AGRIPPINAM COLLECTA, VI. KAL. OCTOB.

SUMMA. I. Licentia proprietatis Canonicis a Gunthario indulta confirmatur.

II. Libertas electionis Prælatorum.

III. Præpoſiti poteſtas in Clericis gubernandis, & cura temporalium.

IV. Licentia teſtandi confirmatur.

V. Dedicatio Metropolitanæ Eccleſiæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, WILLIBERTUS DIVINA PRÆDESTINANTE CLEMENTIA COLONIENSIS CIVITATIS ARCHI-EPISCOPUS.

NOverit omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter Guntharius Sedis noſtræ VENERABILIS Paſtor, divino ductus amore, una cum conſenſu & voluntate ſuorum Clericorum ac Laicorum noſtræ Matricis Eccleſiæ rebus privatim ſingulis (*b*) Monaſteriis ad hunc perti-

(*a*) Annales Fuldenſes referunt hanc Synodum ad 870. Sigebertus Gemblacenſis ad 871. uterque erronee, quia Willibertus ante 873. nondum Pallium acceperat ab Joanne VIII.

(*b*) Mrs *in MS.*

pertinentibus, ac canonice in eis commorantibus ſumptuum ſuorum neceſſaria habenda delegavit atque contradidit: (c) quatenus deinceps videlicet eadem monaſteria & iidem Canonici futuris temporibus perpetualiter inde conſiſtere quiviſſent, absque alicujus ſumptus indigentia. Præterea quidem & hoc quisque Eccleſiæ amator agnoſcat, qualiter jam fatus vir paſtoralis (ſumptibus neceſſariis, ut prælibatum eſt in præſignatorum jus Clericorum, ex donatione ordinabiliter atque regulariter delegatis, atque diſtributis) illis (d) conceſſit atque donavit, ultra licitum fore cum ſecura poteſtate, & libero arbitrio inter ſe ordinare, & facere tam de ſua electione, quam de omnibus ſuis rebus abſque ejus conſultu & imperio. Similiter vero cunctis innoteſcat, quod idem ſupra memoratus Paſtor in futurum præcavens, ne Prælati, ordine regiminis confuſe utendo, aliquando inter ſe fortem defenſionem inde incurrerent, ac ne ob hoc ſtatutum Clerici tandem inſtabiles denuo ſicut prius, absque correctionis, & increpationis timore huc illucque vagabundi liberius diſcurrerent; decrevit, ut (e) Præpoſito in ſibi ſubjectis nullus nec prælatione, nec poteſtate ſuperponeretur, ſed idem potius in ambobus ſuper omnes præſtantiſſimus haberetur, ac inſuper eorundem ſubjectorum res communes interius, exteriuſque ipſe ſolus cum conſilio prudentum, benevolentiumque fratrum gubernans, diligenterque providens, totum in ſuam aſſumeret reſervandam cuſtodiam, quidquid ex his debiti proveniret, & ſic poſtea ſumma cura atque diligentia id ipſum in illorum utilitatem miniſtrando diſpenſaret. Nihilominus, ſcilicet ipſe idemque beatæ & dignæ memoriæ vir, & divini conſilii inſpiratione admonitus, firma ac perpetua lege ſancivit, ut nullus unquam Pontifex ſine illorum conſcientia, ſive conſenſu, de ipſa ſubſtantia, minimam unquam præbendam alicui per potentiam tribueret, aut item in domibus, ſive in ædificiis in urbe, vel exterius circa urbem, ſibi jam a quibuslibet in eleemoſynam datis, ſeu deinceps donandis, aut uſquam alibi in cæteris univerſis illorum locis in omnibus rebus, absque conſenſu, & communi cunctorum voluntate, quidquam eis per potentiam, ſive per aliquam vim deſtrueret, illorum donationem ſeu traditionem, quam (f) inter ſe in clauſtro de qualibuscunque ſuis rebus, teſtibus adhibitis feciſſent, hoc illis quaſi in jus hæreditarium firmiter concedens, quatenus quisque illorum ſive nobilis, ſive ignobilis eſſet, uſque in ſempiternum liberum haberet arbitrium, ſuam manſionem cum cæteris quibuſcunque rebus donare, ſeu etiam tradere cuicunque ſuo confratri voluiſſet, poſt obitum ſuum poſſidendam, abſque ullius Epiſcopi conſultu, ſive contradictione. Hujus itaque ordinationis ac conceſſæ electionis, atque memorialis decreti præſens conſcriptum ob memoriam & eleemoſynam noſtri fieri volentes, juſſimus (g) illud in conſpectu totius ſynodalis Conventus publice recitari, quem ſimul nobiſcum hodierno die collectum habuimus ob noſtræ Eccleſiæ dedicationem faciendam, & ob (h) plurima divina tractanda negotia, id eſt, coram Luitberto, ſancto Viro, Moguntienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo, nec non Bertolpho, Trevirenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo, ac coram plurimis aliis Epiſcopis tam ſuis, quam noſtris Suffraganeis, nec non coram cæteris omnibus ſacri ordinis viris præſto habitis, quatenus illorum communi examinatione probaretur, ſi eſſet a nobis recipiendum, nec ne. Cunctis autem unanimiter dijudicantibus, non ſolum recipiendum fore, verum etiam digne & juſte ſecundum regulam adimplendum, eo quod (i) regulariter atque rationabiliter in omnibus ordinatum haberetur, tam noſtra manu ſubtus id firmavimus, quam etiam propriis ſingulorum manibus roborari fecimus. Unde juxta illorum judicii auctoritatem una cum ipſis proferre damnationis ſententiam firmiſſime decrevimus, quisquis quaſi Eccleſiaſtici ordinis violator & con-

(c) Guntharius, *Venerabilis Paſtor* dicitur, mox infra vocatur *Beatæ & dignæ memoriæ vir.* Unde certum eſt, poſt patrata annis 860. 863. 864. & excommunicationem toleratam eundem pœnitentiam dignam egiſſe: ut hæc Epitheta honoris meruerit triennio poſt mortem.

(d) Libertas Electionum.

(e) De temporalibus curet Præpoſitus.

(f) Licentia teſtandi.

(g) Synodus habita propter dedicationem & ſacra negotia.

(h) Synodales Perſonæ

(i) Willibertus & alii ſubſcripſerunt.

contemptor hoc in perpetuum ausu temerario vel infringere, vel disturbare aggrederetur. Et (k) ideo quicunque successorum nostrorum id scienter facere præsumpserit, omnibusque Consiliariis ejus, quorum consilio hoc nefas egerit, *Deus conteret dentes, & in ore ipsorum molas confringet Dominus. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens. Convertantur ad vesperam, & famem patiantur ut canes.* Ac propter hæc opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum sit. *Pedes eorum ad malum currant: cogitationes eorum inutiles, vastitas & contritio in viis eorum. Viam pacis nesciant, & non sit judicium in gressibus eorum: semitæ eorum incurvatæ sint, in tenebris ambulent, & palpent sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectent. Salus elongata sit ab illis, multiplicatæ sint iniquitates eorum coram te, Domine. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur in æternum, Domine. Fiant corruentes in tempore furoris tui Domine, & duplici contritione contere eos Domine Deus noster. Amen.*

Decidant a cogitationibus suis, convertantur dolores eorum in caput ipsorum, & in verticem eorum iniquitates eorum descendant. Pones eos Domine in clibanum ignis in tempore vultus tui: fructum eorum de terra perdes: erubescant & conturbentur, & deducantur in infernum: muta fiant labia eorum. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, veniat mors super illos. Destrue illos in finem, & disperge illos in virtute tua Domine. Evelle eos de terra, & radicem eorum de terra viventium. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: obscurentur oculi eorum, ne videant: effunde super eos iram tuam. Fiat habitatio eorum deserta. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Deleantur de libro viventinm. Fiant cum illis, qui dixerunt Domino Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Imple facies eorum ignominia, erubescant & conturbentur in sæculum sæculi. Fiant dies eorum pauci & anni eorum non memorentur amplius.* Maledicti sint in agro, maledicti in domo, maledictus fructus eorum. Habeant oculos & non videant, aures & non audiant, nares & non odorentur, gustum & saporem nesciant, sensum ut non intelligant, tactum inutilem atque insensibilem, præstante te, JESU Christe, qui vivis, & dominaris per cuncta sæcula. Amen.

His ita rite peractis prostraverunt se in terram, adorantes Dominum atque laudantes dicebant: Benedictus Dominus, quod suæ sanctæ Ecclesiæ talem dignatus est conferre Pastorem. Tunc surgentes in medio Luitbertus atque Bertolphus Archiepiscopus dixerunt: O Sanctissimi Patres! licet adhuc de authoritate Sanctorum Patrum parvam damnationis sententiam inferre? Respondentibus omnibus: licet: Luitbertus Archi-Episcopus dixit: Quisquis, ut ante dictum est, vel Ecclesiastici Ordinis violator, & contemptor, hoc perpetuum, infringere aggredietur, vel quicunque successorum nostrorum id potestative, seu qualicunque modo, vel ingenio, irritum facere præsumpserit, fiat ei juxta Apostoli sententiam dicentis: *Qui nos conturbat, portabit judicium, quicunque est ille*: & iterum: *utinam abscindantur, qui nos conturbant.* Insuper sciat, se irrevocabili anathemate innexum haberi, & in extremæ ultionis die cum diabolo, & Angelis ejus cruciandum, juxta hoc, quod S. Basilius de Pastoribus Ecclesiæ dixit: Si is, qui præest, fecerit, aut cuiquam, quod a Domino prohibitum est, facere jusserit, vel quod præceptum est, præterierit, aut potestative mandaverit; Sancti Apostoli Pauli sententia ingerenda est ei dicentis: *Etiamsi nos, aut Angelus de Cælo Evangelizaverit vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Si quis prohibet nos facere, quod a Domino præceptum est, & à Sanctis Patribus traditum est: vel rursum imperat fieri, quod Dominus, & SS. PP. prohibent, execrabile sit Deo & omnibus, qui diligunt Dominum. Item de eodem, de cujus supra Episcopus dixit: Qui Clero præest, si præter voluntatem Dei, præterquam quod in Scripturis Sanctis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid vel imperat; tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur. Actum Coloniæ in supra dicta civitate V. Kalend. Octobr. die, sub piissimo Rege Ludewico, anno Imperii illus XXXIII. Anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXIII. Indict. VII.

Ego

(k) Maledictiones Synodales.

Ego Wilibertus prædictæ civit. Colonienſis Archi-Epiſcopus, qui hoc præſens regularis electionis conſcriptum fieri juſſi, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Luitbertus Moguntienſis Eccleſiæ Archi Epiſcopus, conſentiens conſcripſi.

Ego Bertolphus Treverenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Bernardus Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.

Ego Alfridus Hildinisheimenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.

Ego Theodoricus Mimidonenſ. Eccl. Epiſc. ſimiliter.

Ego Gerolphus Firdenſis Eccleſiæ Epiſc. ſimiliter.

Ego Luithardus Paderbornen. Eccleſ. Epiſ. ſimiliter.

Ego Hildigrimus Halverſtad. Epiſc. ſimiliter.

Ego (l) Hodolphus Mimigernafurdenſ. Eccleſiæ Epiſc. ſimiliter.

Ego Odilboldus Trajectenſ. Eccl. Epiſc. ſimiliter.

Ego Lubertus (m) Oſnabrugenſis Eccl. Epiſ. ſimiliter.

Lubertus Presbyter ſimiliter.

Sibaldus Presbyter & Præpoſitus ſimiliter.

Everhardus Presbyter ſimiliter.

Hundolphus Presbyter ſimiliter.

Reginhardus Presbyter ſimiliter.

Ego Adelwinus indignus Diaconus ad vicem Adeloldi Presbyteri atque Cancellarii ſubſcripſi.

Et manu Wiliberti.

Miſerere Domine, miſerere miſero Williberto indigna agenti, & digna patienti: aſſidue peccanti, & tua flagella quotidie ſuſtinenti. Memento mei Deus in bono, Deus ne deleas miſerationes meas, quas feci in Domo Dei mei & in cæremoniis ejus. Amen.

Corroboratio Glorioſiſſimorum Archi-Epiſcoporum, Domini Wiliberti Colonien. Luitberti Moguntin. Bertolphi Treviren. nec non & aliorum Epiſcoporum ac Suffraganeorum ſuorum cum cæteris ſacri ordinis viris quam plurimis, ac nobilibus Laicis, de ſumptibus Canonicorum, & de electione perpetualiter habenda, ac regiminis regulares ordinatione, ut ſi qui eam infringere conentur, ſi ut infra ſcriptum, teneantur ſummo anathemate, uſque in perpetuum, niſi pœnitendo reſipiſcant; extinguaturque lucerna eorum in perpetuum. Amen.

Ex pervetuſto Bibliothecæ Gelenianæ Cod. MS. Hermanni de Weſalia, Canonici S. Severini & B. M. V. Aquisgranenſi à Friderico III. Auguſto creati, deſcripſit HEISTER, & edidit poſt Suffraganeos Colonienſes anno 1641.

(l) *al.* Odolfus, & Hedolfus, & Holdolfus. Pro Odolfo Eckhartus corrigit *Bertolfus. Tom. II. Hiſtoriæ Wurceburg. pag.* 582.

(m) Pro Luberto ſubſtituit Eckhartus *Egibertus.* L. cit.

§. II.

In eadem Synodo ab iisdem Epiſcopis confirmata eſt Fundatio Illuſtriſſimi Parthenonis (a) *Aſſindienſis, cujus hæc eſt clauſula.... Ego Alfridus,* ſic Heiſter *inchoat.*

ALfridus, Dei diſponente providentia Hildeſienſis Eccleſiæ Antiſtes. Cum inter immenſas Dei Patris miſerationes, quibus humanum genus gratuita pietate revelare dignatur, præcipue eam, qua conſtat, conſubſtantialem, coæternum ejus filium pro nobis incarnatum, & crucifixum fuiſſe, ad memoriam reducerem; circa me vero ſpecialiter divitias bonitatis ejus non ſine admiratione perpen-

[a] Nunc Eſſendienſis, intra Diœceſin Colonienſem: nam anno 1598, altera Remigii, Synodo Diœceſanæ Colonienſi in Metropoli noſtra celebratæ vocatas interfuit Decanus Chriſtianitatis Aſſendienſis, ut conſtat ex Catalogo Prælatorum hujus Synodi *in Volumine XXIV. Farraginam Gelenii* 235. *ſervato apud Bibliothecam ampliſſimi Magiſtratus Colonienſis.*

perpenderem, qui me nullis exigentibus meritis de ſordibus levatum, inter Principes Eccleſiæ conſidere, & ſolium gloriæ tenere fecit; ne tantis ejus beneficiis ingratus apparerem, quid retribuerem Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, diu multumque mecum cogitare cœpi. Tandem itaque ex Divina, ut credo, inſpiratione occurrit animo, Sanctiſſimam & ſemper Virginem Mariam, unicum, ſingulare præſidium peccatorum poſt Deum eſſe; cui ſi quid venerationis impenderem, id & Deo fore gratum, & animæ meæ, patrocinantibus me (*a*) meritis arbitratus ſum profuturum. Opitulante itaque Dei gratia in prædiolo meo, quod *Asnide* vocatur, in honore Sanctæ, & individuæ Trinitatis conſecratam, Sanctæque ſemper Virgini Mariæ, & SS. Martyribus Coſmæ, & Damiano dicatam Eccleſiam, his quæ Domino donante poſſidebam, conſtruxi, in qua (*b*) immaculatum ſacrificium ſanctimoniæ tam animæ quam corporis Deo in cordis, & ſpiritus contritione offerendum, ſanctimonialium congregationem coadunare, eique victus & veſtitus neceſſaria providere, ſpiritualem quoque matrem, quæ regulariter (*c*) præſideat, eidem ex eadem præficere curavi. Ne vero poſt mei exceſſum futuris ſeculis de electione, Abbatiſſæ diſſenſio oriatur, ex decreto *Sergii* Papæ, & ejus ſucceſſoris *Adriani* ſancitum eſt, & eorum privilegiis confirmatum, ut nec prece, nec pretio, nec ullo omnino unquam modo alterius Congregationis ſanctimonialis dictis ſanctimonialibus præponatur, ſed quæcunque ex eisdem, & in Dei timorem ſuis ſororibus præficiatur. Quod tamen conſuetudinarium jus tam miniſtrandis ſuis rebus impoſuerim, & perpetualiter offerendum, vel in paucis abſolvam. (*d*) Poſſeſſiones Eccleſiæ traditas vel tradendas interiores vel exteriores tam mobiles, quam immobiles, cum conſilio Deum timentium, ſumma cum diligentia Abbatiſſa procuret, redditusque earum tam in ſua quam in ſororum æquabili diſtribuat utilitate, id ſumopere cavens, utpote Deo rationem redditura, ut de communibus earum rebus ne vel unam minimam præbendam abſque earum conſilio vel utilitate, alicui (*e*) tradat, ne quod abſit, penuria familiaris rei urgente ruptis ſanctimoniæ habenis liberius hac vel illac abſque Dei timore vagentur. Si quæ vero ſanctimonialis ibidem habet propriam domum, aut aliud ædificium vel a ſe emptum, vel dono ſibi datum, vel aliquas res undelibet juſte acquiſitas, nihilominus ex omnibus ſupra dictis neque Abbatiſſa, neque aliquis alius ei auferat, neque ullo modo auferendum ſuadeat: ſed eadem ſanctimonialis libero arbitrio eandem domum, & cuncta, quæ inibi poſſidet, ſorori ſuæ, vel amico ad eandem Eccleſiam pertinenti, abſque alius contradictione, ſive morti proxima ſit, ſive vitæ, quocunque modo voluerit, tradat. Id ipſum vero, & Clericis ibidem ſervientibus, conſtituimus, ſi quis antedictam earum aliquam Eccleſiæ poſſeſſionem, Abbatiſſa largiente, ſuſceperit, tali ſuſcipiat conditione, ut poſt ejus obitum eandem poſſeſſionem Eccleſia abſque illius contradictione ſuſcipiat, reſtitutis prius omnibus tam mobilibus, quam immobilibus rebus, quæ in illa eſſe videbantur, ea die, qua ipſe eam ſuſcepit: aut ipſa vivens, prout voluerit, diſponat, aut aliquis amicorum ejus poſt illius mortem pro ſalute animæ diſtribuat. Conſtituimus etiam, ut nullus hominum vel Advocatus aliquis aliquam Juriſdictionem in civitate prænominata habeat, excepta Abbatiſſa *Aſſindi* præter intruncationem manum vel armorum proclamationem. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIII. ſub piiſſimo Rege Ludovico, anno Imperii ejus XXXIII. apud Coloniam Civitatem V. Calend. Octobr. in ipſo die Dedicationis Baſilicæ S. Petri. Ego Alfridus Epiſcopus hoc privilegium coram Domino Wiliberto prædictæ civitatis Archi-Epiſcopo recitavi, nec non coram Luitberto Moguntiacenſi Archi-Epiſcopo, & Bertolfo Treverenſi Archi-Epiſcopo, & Bernardo Virdunenſi Epiſcopo, atque Tiederico Mimidonen. Epiſcopo, & Herolfo Ferdenſi Epiſcopo, & Luithardo Paderbornenſi Epiſcopo, atque Heldegrimo Halverſtadienſi Epiſcopo, & Odolfo Mimigernafurdenſi Epiſcopo, & Othi-

(*a*) Forte: *ejus.*
(*b*) *ad* recte legit Schaten. & Crombach.
(*c*) Regulæ præſideat. *Crombach.*
(*d*) abſolvatur. *Crombach.*
(*e*) alieno idem.

Othiholdo, Trajectenſi Epiſcopo, & coram Luitberto Oſnabrugenſi Epiſcopo, nec non coram aliis quam plurimis ſacri ordinis Viris, qui ob ſupra dictæ Eccleſiæ dedicationem convenerant.

Crombach. in Metropoli Colonienſ. MS.
Schatenus Annal. Paderbornenſ. ex Archivo Eſſendienſi.
Leuckfeld in antiquitat. Halberſtad. pag. 622.

Privilegium hoc, quo Altfridus, ex Fuldenſi Monacho Epiſcopus Hildenesheimenſis, in Synodo Colonienſi anni DCCCLXXIII. Collegio Virginum in prædiolo ſuo, quod Asnide vocatur, extructo, ubi congregationem Sanctimonialium adunavit ſub Abbatiſſæ regimine, & ejus loci Sanctimonialibus liberam rerum ſuarum, domorum & ædificiorum proprietatem, & de iis diſponendi facultatem conceſſit, ſecundum Sanctionem Sergii Papæ, ejuſque ſucceſſoris Hadriani, ſerius *Mabillonius* fabricatum ſcribit in gratiam Canonicarum, quæ ex monachabus factæ ſunt. Neque enim prope fidem eſt, Altfridum ex monacho Epiſcopum, alterius inſtituti, quam monaſtici Sanctimoniales in loco abs ſe extructo collocâſſe: & ampliora privilegia indulſiſſe, quam regula Aquisgranenſis anni 816. Canonicabus indulget. *Mabillon. Annal. Benedictinorum Tomo III. Lib. XXXIV. pag.* 22.

§. III.

Gerresheimenſis Cœnobii Sanctimonialium fundatio, a Williberto & univerſo Clero Colonienſi acceptata, & collaudata in Synodo Colonienſi nationali hujus anni.

IN Trinæ Unitatis & Individuæ Trinitatis gratia, Monarchiam Imperatoris gubernante LUDOVICO Imperatore Auguſto, & Sanctæ Eccleſiæ Colonienſi fideliter præſidente WILLIBERTO Archi-Epiſcopo, REGENBERG indigna Chriſti famula, & militis GERRICI filia, pro ſpe & requie futuræ beatæ vitæ, ea, quæ ad me hæreditario jure pervenerunt, jura mancipiorum, prædia & Eccleſias quaſdam ad Cœnobium, patrio nutu ac ſumptu in *Gerresheim* pro remedio cœleſtis Patriæ conſtitutum, & a Venerabili ſupradicto Archi-Epiſcopo dedicatum tradidi, atque ſub teſtimonio & auxilio Archi-Cancellarii Luttardi, nec non Archi-Capellani Lutberti, atque Advocati hujus præſcripti loci, Hatebolda patruelis noſtri, ſub auctoritate Regali atque Pontificali concedens firmavi.

Notum autem facere cupimus tanquam præſentibus, futura ætate advenientibus, quod juſſu atque rogatu Genitoris noſtri GERRICI, lege perpetua prædia noſtra Sanctimonialibus ibidem Deo ſervientibus, & arrhabona, quæ ſita eſt in Linchoſte (*a*) cum univerſis decimationibus ad vinum jugiter propinandum iisdem Monialibus eſt ſtabiliter firmatum. Eccleſiam vero, quæ eſt in Meiderich, (*b*) ad album panem ſororum noſtrarum conſtituimus, & coram omnibus firmamus. Baſilica autem, quæ eſt in Sumuburno, cum univerſa decimatione ad panem ſiligineum, carnem & caſeum, eadem lege confirmando ſtabilimus. At vero Eccleſia, quæ eſt in Mintert, decimationis utilitatem ad nos pertinentem, ad quadrageſimale mandatum, & ad panis, carnis, caſeique uſum promittendo conſtituimus. Eccleſiam quippe Pirnam cum dimidia parte decimationis mihimetipſi providens ſeparo, aliam autem dimidiam ſororibus noſtris ad meliorem cereviſiam, & ad panem nigrum ſtabiliter relinquo.

Si quid autem [quod abſit] noſtris, aut ſequentibus temporibus his Eccleſiis paſtoris ruina adverſi acciderit, hoc firmiter imperamus, ac ſtabiliter firmamus prædictorum Dominorum auctoritate & imperio, ut nunc, nec ulli ſequenti Abbatiſſæ, ab his prædictis Baſilicis & prædiis ex me, & præſentibus meis traditis, ac

(*a*) Linzii ad Rhenum, ſex ſupra Bonnam leucis.
(*b*) Prope Duisburgum ſita eſt Eccleſia Meiderich.

ac Sanctimonialibus ad præbendam constitutis, liceat transmutare, donare, vel cuicunque præstare, nisi B. Hippolyti Martyris Christi Monasterii Præpositæ & Decanæ imperio, atque concordi omnium sororum prece & consilio.

Hujus quidem rationis seriem mihimetipsi primum laudabiliter, cunctisque sororibus vero acceptabilem, literis mox placuit coram Archi-Episcopo WILLIBERTO, nec non Principibus multis Clericis atque Laicis ea lege denotari atque signari, ut si quis Advocatus, seu Cœnobii hujus Prælata superveniens, eam infringere, vel jura mancipiorum permutare voluerit, a præsente Archi-Episcopo WILLIBERTO, atque universo COLONIENSI Clero infelici damnatus anathemate, vivens atque videns cum Dathan & Abiron, & Juda proditore nequam descendat, ubi vermis immortalis mordet, & ubi flamma inextinguibilis ardet.

In Crombach Metropoli MS. ad h. annum.

Heister fragmentum duntaxat refert. Uterque Synodo Coloniensi anni 873. *Confirmationem hujus fundationis attribuunt.*

Non obstantibus his privilegiis, hac libertate proprietatis rerum, concessa a Gunthario & Williberto, [vid. Tomum I. pag. 467. Canonem XXXV. Concilii Aquensis, & nostras ibidem Notas] Canonici tamen hoc Sæculo nono & decimo, communi mensa, dormitorio, & clauso Monasterio utebantur, & custodia rerum omnium Præposito demandata erat. Differebant tamen a Monachis lineo habitu, licito esu carnium, & hac proprietate. Vide mores Sæculi octavi Tomo I. pag. 282. *de voto Monachorum, & de Clericatu* Canon. LXXIII. pag. 283. Canon. LXXVII. deinde pag. 204. Concilii Carthagin. Can. XXXII. quod Clerici de sibi donatis possint facere, quod eorum Præposito congruit.

CONVENTUS REGIS LUDOVICI, ET EPISCOPORUM IN FRANCONOFURT ET MOGUNTIÆ.

Anno Christi DCCCLXXIII. Joannis VIII. Papæ II.

CUm Ludovicus, Germaniæ Rex, VII. Kal. Februarii, Curiam in Franconofurt intrasset, in præsentia illius & Optimatum suorum, Episcoporum videlicet atque Comitum, malignus spiritus Karolum, filium ejus, nimium invasit, & graviter vexavit, ita, ut a sex viris fortissimis vix teneri potuisset. Et quidem satis juste: qui enim Regem a Deo electum, & ordinatum decipere voluit, ipse deceptus est; & qui Patri suo insidiose laqueos tendere consiliatus est, ipse in laqueos Diaboli incidit: quatenus ex ipsa vexatione diabolica disceret, non esse consilium contra Deum. Rex autem, & omnes, qui cum illo erant, vehementer contristati lacrymas fuderunt.

Cumque duceretur ad Ecclesiam, ut Episcopi pro ejus sanitate Domino supplicarent, nunc exili, nunc grandi voce clamitans, morsum se tenentibus aperto ore minabatur. Conversus igitur Rex ad æquivocum suum (Ludovicum filium) ait: Videsne, o Fili, cujus dominio vos mancipatis tu, & frater tuus, quando adversum me aliquid sinistri machinari cogitatis? Modo intelligere poteris, si antea noluisti, quod juxta veritatis sententiam nihil opertum est, quod non reveletur. Confitere ergo peccata tua, & age pœnitentiam, & Deum humiliter postula, & tibi relaxentur. Ego etiam, quantum in me est, indulgentiam tibi tribuo.

Comprehensus autem ab Episcopis, & ab aliis viris, turbato Patre & omnibus, qui adfuerunt, vehementique stupore perculsis, ductus est in Ecclesiam; & Luitbertus Archi-Episcopus, induens se sacerdotalibus vestibus Missam cantare cœpit: cumque ventum fuisset ad locum Evan-

geli

gelii, cœpit magnis vocibus patria lingua clamare, & ſic continuis vocibus *væ* illud clamavit, uſque dum Miſſa celebrata fuit. Quem Pater ejus Epiſcopis, & aliis Fidelibus committens per ſacra loca SS. Martyrum deduci præcepit, quatenus illorum meritis & orationibus a Dœmone liberatus, ad ſanam mentem, Domino miſerante, redire prævaleret.

Annales Fuldenſes ſeu Pithoeani. *Annales Francorum.*

Liberationem hujus Energumeni Caroli Craſſi, Luitberto Moguntino tribuit *Serarius Lib. IV. rerum Moguntiacarum.*

Adamus Bremenſis S. Remberti Bremenſis Archi-Epiſcopi meritis acceptam refert.

Idem Karolus poſt ſedatam infeſtationem Diaboli, viva voce multis audientibus retulit, ſe toties adverſæ parti traditum, quoties contra Regem conſpirationem iniiſſet. *Annal. Fuldenſes.*

JOANNES PAPA VIII.
WALONI EPISCOPO METENSI.
Concedit Pallium, certis diebus deferendum ad vitam.

JOannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Walæ venerabili Epiſcopo Mediomatricorum Eccleſiæ, quæ & Metis vocatur, in honore ſcilicet Sancti Stephani primi Martyris. Si paſtores ovium ſolem geluque pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt, ac ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore, quantaque cura debemus eſſe pervigiles nos, qui paſtores animarum dicimur? Attendamus ad ſuſceptum, officium exhibere erga cuſtodiam Dominicarum ovium non ceſſemus, ne in die divini examinis pro deſidia noſtra ante ſummum paſtorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia ſublimiores inter ceteros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad miſſarum ſolemnia celebranda conceſſimus, diebus vitæ tantummodo: quod tibi, non Eccleſiæ tuæ, aliter privilegiis in ſuo ſtatu manentibus, uti concedimus. Quoniam indumenti honor modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo utriſque poſſis eſſe conſpicuus. Itaque vita tua filiis tuis ſit regula. In ipſa ſe ſemper conſiderando proficiant, ut tuum poſt Dominum videatur eſſe, bene quod vixerint. Corrigant, ne proſpera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa dejiciant; ſed quidquid illud fuerit, virture patientiæ devincant. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiſcretus inveniat. Sub ea videlicet ratione concedimus fraternitati tuæ, ut a ſecretario uſque ad ſacrum Altare, & ab Altari uſque ad ſecretarium, ſicuti priſca extitit (*a*) palleatis conſuetudo, indui debeas. Auctoritate tamen Beati Petri Apoſtolorum Principis, licentiam diebus vitæ tuæ, ſub jure & ditione noſtra, ut diximus, habeas. Nullum uſum, vel conſuetudinem ſucceſſoribus tuis per hoc noſtrum tibi conceſſum Apoſtolicum privilegium habere cenſuimus. Et neque Epiſcopus (*b*) Archi-Epiſcopus adverſus te pro hoc altercationis contentionem commoveat. Ita Domino regente, & gubernante cor tuum, commiſſam exequi gubernationem ſtudeas, ut adepto hujus honoris officio, dignitate & probitate morum amplius procures adornari. Scriptum per manum Gregorii, ſcrinarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Septembrio. Indictione XII. Data VIII. Idus Septembris, per manum Walperti humil-

(*a*) *forte* palliatis. (*b*) *forte addendum* aut.

humillimi Episcopi Sanctæ Portuensis Ecclesiæ, anno Domino propitio Pontificatus Domini nostri Joannis summi Pontificis, & universalis Papæ in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli, sexto.

Illustrissimus Honthemius Histor. Treverens. Diplom. Tomo I. N. CXII.

CONCILIUM TREVERENSE.

De causa Walonis Metensis Suffraganei, Pallio donato utentis.

Ex Romana Synodo, quam ad annum aliqui DCCCLXXVII. rejiciunt, Walonem rescriptum de usu Pallii retulisse suspicor. Quo cum contineretur, quibus utendum illo diebus esset, ipse contra auctoritatem sui Metropolitani, Paschalibus etiam festis, qui exempti videbantur, cum Pallio processit; adeoque plus in eo sibi sumpsit, quam fas, scitaque Canonum ei permitterent. Qua Bertolfus re intellecta, ut erat sui juris impiger exactor, literis evocatum ad se Treviros, causam dicere, & rationem facti reddere, Walonem compulit. Qui, ubi præsto ad imperium Metropolitani adfuit, Bertolfus Clerum advocat, (c) magnaque frequentia ejus ordinis *de Walone quærit, unde, quando, vel quonam ipse pacto, Pallii usum impetrasset? Etsi namque Bertolfum latere non poterat, plerosque ejus Ecclesiæ Episcopos, Pallio jam olim usos, spectasse tamen aliud in hac causa videtur, quandoquidem non obscurum ei, privilegia isthæc transire, quod ajunt, cum personis: neque successoribus concedi, nisi petentibus. Ad hæc, si quid de novo obtigisset, indulgentia summæ sedis, id Metropolis nullo incommodo, & intra limites recepti moris, ni datum Walo ostenderet, eum conveniri posse, haud ignorabat.*

WAlo autem non rudis artium fori, partes ac numeros defensionis diligenter executus, quod palmarium hic erat, privilegio se scripto tuebatur. Quare priusquam responsum daret, privilegium Pontificium clara voce pronuntiat; quo facto, dicere deinde ingreditur, utique se primum non esse, qui eum honorem usurpasset, sed habere exemplum; decessores namque suos Antistites, præclaros viros scilicet, eum ritum servasse, fuisseque authorem primum Urbicium, (d) cujus deinde vestigia Chrodegandus, Pipini Regis ex sorore nepos, Angilramnus, & Drogo secuti sunt.

Sed Bertolfus his minime placatus, acrius insistere, Canonem in medium proferre, quo Suffraganeus quidquam, vel in Ecclesiam introducere novi moris, vel instituere absque Metropolitani sui consilio & authoritate, prohibetur; simulque officii illum admonens, Pallii usum omnem omnino, ni jus, auctoritatemque Metropolitani sui obnuntiantis agnosceret, interdicit. Verum, Walone Pontificis summi imperium obtendente, Bertolfo autem Metropolitæ jus violari a Suffraganeo neutiquam patiente, ad tacitam res simultatem rediit; unde indies gliscente magis atque magis inter eos discordia, Walo cum Metropolita suo palam diffidere cœpit.

Quod ubi Hincmarus Remorum Archi-Episcopus cognovit, non nescius, quantam Ecclesiis adferre perniciem prava Antistitum inter se dissidia soleant, literas ad Walonem dedit, quarum & *Flodoardus* meminit prudentiæ ac sani consilii plenas, quibus illum & ad Bertolfi obsequium reduxit, & in pristina cum Metropolitano gratia posuit.

Browerus Annal. Treverens. ad annum 876. *N. CLXIV.*
Flodoardus, Historiæ Remens. L. III. Cap. 23.
Historiæ Treverensis, editæ a Martenio in Spicilegii secundo Volumine pag. 213.

JOAN-

(c) Ex his verbis *Concilium* convocatum a Metropolitano, pro dijudicando facto Suffraganei sui Episcopi, colligi videtur.
(d) *forte:* Urbicum.

JOANNES PAPA VIII.

INVITATORIAS AD SYNODUM TRECENSEM SCRIBIT WILLIBERTO, AGRIPPINÆ EPISCOPO.

ECclesiastica exigente utilitate, quoniam Deo duce ad Galliarum partes venire commodum duximus. Quapropter Fraternitatem vestram necessario commonere studemus, uti secundum cœlitus sibi sapientiam datam frequenti adhortatione suggeras Ludovico Regi, (a) aliisque Confratribus, ut ad nostræ mediocritatis colloquium, atque generalem SYNODUM, juxta Christi voluntatem apud Trecas congregatam, venire non omittat: vel, si aliqua necessitate prædictus Rex præpeditus fuerit, &, ut non optamus, properare distulerit, ad locum prædictum, quo cum Ludovico Rege locuturi sumus, nomine tenus destinet, quatenus sub cuncta celeritate Regum filiis congregatis, totius Christianitatis Dei gratia Duce consulere communiter valeamus utilitati. IV. Idus Junii, Indict. XI.

Binius edidit CCCVIII. Epistolas Joannis VIII. inter quas hæc non est, uti nec in appendice.

Crombach ad hunc annum hanc servavit.

Moguntino Luidberto scriptas Invitatorias ad Synodum Trecensem, lege *apud Binium Tom. III. Concil. Parte II. pag. 56. Epist. CVI. inter Joannis VIII. Epistolas.*

(a) Nullus Regum Germaniæ, nec Bajoariæ, nec Lotharingiæ, comparuit in Synodo Trecensi, quia Ludovico II. Imperatore defuncto, Joannes VIII. Carolum Calvum patruum, feriis Natalitiis anni 875. coronaverat Imperatorem, qui & thesauros defuncti Imperatoris rapuerat. Attamen Ludovicus Germanicus Pater hos sibi thesauros deberi prætendebat, uti & Imperatorium decus. Carolum Calvum ex Italia reversum, Ludovicus junior nepos apud Antonacum, mense Octobri anno 876. prostraverat, ereptis thesauris, & signo Augustali capto, quod gestabat Comes Reginarius hoc prælio fusus.

Eadem de causa nullus ex Episcopis in Germania, Bajoaria, & Lotharingia Germanica comparuit in Trecensi Synodo, abs dubio a Regibus suis prohibiti.

CONCILIUM COLONIENSE PROVINCIALE,

CONTRA RAPTORES RERUM ECCLESIASTICARUM, OPPRESSORES PAUPERUM, ET INCÆSTAS NUPTIAS, CELEBRATUM ANNO DOMINI DCCCLXXXVII. TEMPORE STEPHANI VI. DICTI V. CAROLI CRASSI IMPERATORIS ANNO VIII.

ANno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo octogesimo septimo, in Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis, Indictione tertia (a) Kalen. Aprilis convenerunt in urbe Agrippinensi una cum consensu gloriosissimi Imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luidberti Archi-Episcopi, Willibertus humilis ejusdem præfatæ urbis Archi-Episcopus, Franco Tungrens. sedis

(a) Corrige: quinta Indictione.

dis Epiſcopus, Odilbaldus Trajectenſ. ſedis Epiſcopus, Wulfelinus Mimigarnafurdenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Druogo Mimidonenſ. Eccleſiæ Epiſcopus, cum conſenſu venerabilis Rimberti Epiſcopi, præſentibus etiam bonæ devotionis Abbatibus, Nevolongo Indenſis Monaſterii Abbate, Andulfo Werdinenſ. Monaſterii Abbate, Folchario Aquisgrani Palatii Abbate, cum præfatarum ſedium Presbyteris, & Diaconibus, & laicis quibusdam religioſis, celebrata Synodo, ea quæ ſubjecta ſunt, divini amoris inſtinctu de negotiis Eccleſiaſticis promulgaverunt.

CAPUT I.

Quod Clerus Mimidonenſ. (*b*) Eccleſiæ Presbyterum nomine Druogonem vocatum, Epiſcopum unanimi conſenſu ad Epiſcopalem promoveri ordinem petierunt, quorum petitione effectum præbentes, ad paſtorale eum promovimus officium.

CAPUT II.

Quod Franco venerabilis Tungrenſ. ſedis Epiſcopus, cura paſtorali permotus, & divini amoris zelo ſuccenſus, ſuggeſſit, Sanctam Dei Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, a ſchiſmaticis & raptoribus, qui neque Deum præ oculis habent, neque ullius verentur occurſum, neque divina, humanave lege a malo coërcentur, ſed ad omne malum præcipites feruntur, graviter vexari. Cujus ſuggeſtioni valde condolentes, illiusque zelo ſecundum Canonicæ inſtitutionis decreta compatientes, decrevimus, eos, qui tam pertinaci ſtimulo irretiti ſunt, ut ea mala Sanctæ matri Eccleſiæ inferrent; aut ſtatuto tempore pia conſideratione illorum ſaluti conſulentes, videlicet in feſtivitate Sancti Joannis Baptiſtæ, octavo Kalendas Julii, in foro Julii, (*c*) quando *iterum Deo annuente Synodus celebranda erit*, pœnitentiæ, & emendationi ſecundum priſcorum ſtatuta Patrum, ſe ſummittant; aut ſi inſtigante diabolo, cujus inſtinctu ad tam nefandum pervenerunt flagitium, hoc contempſerint, perpetuo & irrevocabili eos anathemate feriendos eſſe denunciamus. Eos vero, qui crebra admonitione, & diuturna, conventi ſunt, ut reſipiſcerent, & ad pœnitentiæ remedia confugerent, more canum ad vomitum rapacitatis, abſque Dei reſpectu reverſi ſunt, ſtatuimus, ſine dilatione gladio anathematis eſſe puniendos.

CAPUT III.

Hæc ita ſtatuimus, quoniam neceſſe eſt, non transgredi terminos Patrum, ſed magis aſſenſum præbere diffinitioni eorum. In decretis namque *Anacleti Papæ capite ſecundo legimus*, quod omnis oppreſſus liberum ſacerdotum (ſi voluerit) appellet judicium, & à nullo prohibeatur, ſed ab his fulciatur & liberetur. *Ex Concilio Toletano quarto, capite trigeſimo primo*, Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam ſibi a Deo curam non ambigant. Ideoque dum conſpiciunt judices ac potentes, pauperum oppreſſores exiſtere, Sacerdotali eos commonitione redarguant. Item *ex Concilio Toletano I.* Si quis de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperiorum, aut religioſum exſpoliaverit, & mandaverit eum ad ſe venire Epiſcopus, ut audiatur, & contempſerit; mox invicem ſcripta percurrant per omnes Provinciæ Epiſcopos, & quoscunque adire potuerint, excommunicatus habeatur ipſe, donec audiat, & reddat aliena. Talium enim ſcelerum patratoribus, ſicut in *capitularibus glorioſiſſimorum imperatorum Caroli* [d] *&* *Ludovici* (e) continetur, niſi poſt puram, & publicam pœnitentiam, & per Eccleſiæ ſatisfactionem, & per impoſitionem manus

(*b*) Anno 886. obierat Wulfarius, Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Huic Succeſſor hoc anno in Synodo Colonienſi a ſuo Metropolita & Suffraganeis conſecratur juxta veteres Canones.

(*c*) Ob Synodum, in Forojulii indictam, ſuſpicatur Eckhartus, Berengarium Ducem Forojulienſem hic peti: eo quod hic Dux Liutwardi Vercellenſis Epiſcopi Sedem diripuerat, atque expoliaverat. Hic Liutwardus abs dubie Franconi, Tungrenſi Epiſcopo, author fuerit, ut querimoniam de vexatis Eccleſiis Synodo proponeret. *Eckhartus L. XXXI. Hiſtoriæ rerum Francicar. pag.* 690.

(*d*) Tomo I. noſtro pag. 426. N. VIII, IX, X, XI.

(*e*) Vide Tomi hujus Ingelheimenſ. Capitula I. II. pag. 36. 37.

nus Episcoporum, nec vivis nec mortuis communicare debemus.

CAPUT IV.

Ut nullus laicus, quamvis religiosus, præsumat aliquid de rebus Deo dicatis, vel Ecclesiæ facultatibus, id est, nec dandi basilicas, nec auferendi, sine consensu Episcopi habeat potestatem, neque ex dote Ecclesiæ, id est; ex uno manso, & quatuor mancipiis census exigatur, sed juxta *Concilium Aurelianense primum cap.* 19. omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in ejus ordinatione, & potestate persistant, in cujus territorio positæ sunt. Si quis vero contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

CAPUT V.

Omnibus constat manifestum fore, nos nil temeritatis, neque novitatis in hac Synodo, ubi in *Jesu* nomine, qui est salus omnium, congregati sumus, statuisse, sed causa vestræ salutis, divino admoniti instinctu ferventes, immo pastorali cura permoniti, vobismetipsis consulentes secundum divinæ institutionis normam, & juxta nobis à Deo datam sapientiam, pie & juste vivere unumquemque admonemus, quatenus Deo reddentes, quæ Dei sunt, & vos nobis (prout oportet) auxilium ferentes, nosque vobis secundum Apostolum spiritualia seminantes, ad vitam pariter perveniamus æternam.

CAPUT VI.

De incestis autem conjunctionibus, unde multimodis fines regionis nostræ circumquaque, instigante diabolo, polluuntur, *secundum Agathens. Concilium cap.* 61. nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. *Ex Concilio Ilerdens. cap.* 4. De his, qui se incesti pollutione commaculant, placuit, quousque in ipso detestando, & illicito carnis contubernio perseverent, usque ad Missam tantum Catechumenorum in Ecclesia admittantur, cum quibus etiam *nec cibum sumere* ulli Christianorum, sicut *Apostolus jussit*, oportet. Quod si conventi fuerint, & ad pœnitentiæ remedia convolaverint, seque Sacramento constrinxerint; ulterius tam nefanda, & prorsus abominanda pollutione non esse polluendos: iterumque ad recidiva malitiæ, & vitæ pristinæ sordes relapsi fuerint, ab Episcopo civitatis comprehensi, sicut *in Concilio Toletano, cap.* 7. reperitur, in cujus territorio sunt, rursum legibus pœnitentiæ in monasteriis subdantur inviti. Quod si facere per aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicuti priscorum canonum statuerunt decreta, quousque iterum resipuerint, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur: sed & hi, qui post excommunicationem vel interdictum, cum eis communicaverint. De virginibus autem sacratis *In Concilio Elibertano cap.* 13. scriptum est: si mœchaverint virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem servierint libidini, non intelligentes, quid amiserint; placuit, nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia lapsæ, toto tempore vitæ suæ ejusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere. *Ex Concilio Chalcedonens. cap.* 16. (f) Virginem, quæ se Domino Deo consecravit, non licere nuptialia jura contrahere. Quod si hoc inventa fuerit perpetrans, excommunicetur. Confitenti autem decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci Episcopus, misericordiam, humanitatemque largiri.

Binius Tomo III. Parte II. pag. 110. 111.

(f) Tomo I. pag. 179.

CON-

CONCILIUM MOGUNTIACENSE.

Occasione Arnulphi novi Regis, disciplinæ Ecclesiasticæ propter incursiones Northmannorum reformandæ causa celebratum,

Anno Domini DCCCLXXXVIII. tempore Stephani Papæ VI. dicti V. Anno I. Regis Arnulphi. (*a*)

Prælocutio Synodi Moguntiacensis.

FRatres, nosse & animadvertere Sanctitatis vestræ prudentiam oportet, quia omnipotentis Dei nutu omnia providentis, & secundum interni consilii sui judicium cuncta dispensantis, hic congregati sumus. Cujus conventus caussam perpendere, & diligenti solicitudine considerare debemus. Omnipotens namque Deus occulto dispensationis suæ examine rectores, pariterque pastores Ecclesiæ suæ præfecit, quam sibi suo sanguine acquisivit, mundans eam lavacro aquæ in verbo, quæ quot malis oppressa, quot ventis tribulationum illisa, plus jam in nostris tribulationibus videmus, quam in codicibus legimus. Tamen quia causa illius, nostrique insuper officii cura convenimus, tractare & considerare nos condecet, qua ex causa, cujusve peccato talia nobis acciderunt, qualia hactenus passi sumus, & quotidie sine cessatione patimur. Cujus considerationis vim recolentes, nos peccasse, nosque reos esse, secundum Prophetæ exemplum profiteamur. Non enim tanta vis tribulationum, neque tot tempestatum impetus Ecclesiam Dei impeterent; si juxta alterius Prophetæ dictum, ascenderemus ex adverso, & opponeremus nos murum pro domo Israël, ut staremus in prælio in die Domini. Ideoque charissimi & reverendissimi Fratres, ascendat unusquisque nostrum tribunal cordis sui, & quid his agendum, qualiterve consulendum sit, divina instigante gratia, communi consensu, & concordia charitatis affectu decernamus, & secundum divinæ institutionis normam perscrutemur. Mirum quippe non est, (quia omnes in communi peccavimus) talia nobis contigisse. Sed quia nos, qui cæteris ferre ducatum debuimus, nostri officii curam postponentes, ad exteriora dilapsi sumus, specialiter nos hæc causa petit, reosque fore notat, quorum inertia nobis per abrupta gradientibus, omnis grex divinitus nobis commissus, præcipitio patuit. Qua de re humiliter ac devote præveniamus faciem ejus in confessione, mundantes nos secundum Apostolicum dictum, ab omni inquinamento carnis & spiritus. Patet namque, quia juxta veridicæ rationis assertionem, cæcus cæco ducatum præstans, ambo in foveam cadunt. Quo enim animo, quave fronte divinam pietatem pro peccatis populi nobis commissi exorare poterimus, quos funibus peccatorum constat fore irretitos? Ecce labentibus tot annorum curriculis, nunquam nec generali, nec etiam Provinciali Synodo coadunati sumus, ut aliquid dignum necessariumve Ecclesiæ, cui annuente Deo præsumus, mutuis collationum sermonibus conferremus. Sed quia nunc auxiliante Domino, & imperante serenissimo seniore nostro Arnulpho Rege convenimus, divinam suppliciter imploremus misericordiam, quatenus ea

(*a*) Carolus Crassus Imperator III. h. nom. Filius Ludovici Regis Noricorum, vel Bajoariæ, anno 887. mense Novembri, in Comitiis Triburiensibus ab omnibus Francis, Saxonibus, Thuringis & Bajoariis deseritur, quibus demum & Alamanni cum Ministris adhærent. Obiit Carolus Pridie Idus Januarii 888. In iisdem Comitiis Proceres Arnulfum, Carolomanni ex Concubina filium, Ducem strenuum bello, invitant, & Regem creant. Igitur annus 888. primus est Regni Arnulfi a Decembri anni superioris. Nam III. Idus Decembris Indict. VI. a Septembri inchoata apud Forcheim Sigehardo, Fuldensis Monasterii Abbati, liberæ electionis privilegium instauravit Arnulfus, jamtum Divina favente gratia Rex. *Schaten. in Annalib. Paderbornens.*

ea præveniente & ſubſequente, conventum & actionem iſtius Synodi, ſibi acceptabilem facere dignetur, & Chriſtiano proficientem populo ad ſalutem & vitam perpetuam, nobisque ad æternæ remunerationis felicitatem & gloriam. His vero breviter prælibatis, ponamus ante oculos adhuc peccatorum noſtrorum vulnera, & congrua eis quæramus medicamina. Lugeamus ergo ſecundum Prophetam, & quæramus capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lacrymarum, ut plangamus interfectos filiæ populi noſtri. Quis enim ſiccis oculorum luminibus valeat enumerare mala gentis noſtræ & Sanctorum? Videte & conſiderate, quam præclara & nobilia Servorum Dei ædificia deſtructa & incenſa ſint, & funditus ad nihilum redacta, altaria defoſſa, & penitus conculcata, ornamenta Eccleſiarum Dei valde pretioſa & mirifica, direpta & igne exuſta. Epiſcopi & Sacerdotes, & cæteri ordinis Eccleſiæ Viri, gladio truncati, & diverſis pœnarum generibus morti addicti. Omnis ætas utriusque ſexus, gladio & igne, diverſo mortium genere conſumpti. Quid ergo amplius his dici poſſit? Omnia deſiderabilia & pretioſa nobis ablata ſunt, veluti olim ſub comminatione & everſione Judaici templi illis dictum eſt; *Ecce* (b) *ego tollam a vobis deſiderabile oculorum veſtrorum ſuper quo pavet anima veſtra.* Multi ergo noſtrum, quibus hoc malum contigit, nobilium ædificio templorum, gregique ſibi commiſſo metuebant, quæ omnia, ut oculis intuentium patent, ablata ſunt, & penitus ſubverſa. Cujus ſubverſionis periculum incolæ Monaſteriorum utriuſque ſexus metuentes, huc illucque vagantur incerti, penitusque omni ſolatio deſtituti, quid agendum, quove declinandum, errabundi cum periculo ſuæ profeſſionis, & ſine paſtore, ignorant. Sed his interea malis amaricati, & pene uſque ad mortem afflicti, aliud e vicino malum nos coanguſtat & opprimit. Quod quanto vicinius, tanto gravius, nobisque, qui paſtores dicimur, periculoſius. Ecce enim e latere turba raptorum & ſchismaticorum ſævit, qui pauperes & humiles Chriſti opprimunt, & interimunt, neque Dei reſpectum habentes, nec ullam hominis perſonam verentes. Ab his namque, ſi deeſſet paganorum ſævitia, redigeretur in ſolitudinem terra: quia nec ſexui, nec ætati, nec paupertati parcere ſciunt, ſed omnes, quos poſſunt, abſque Dei reſpectu & miſericordia deſpoliant, & crudeliter, ſui immemores, aut igni, aut gladio, aut quocunque mortis genere interimunt, hocque nihil putant & parvipendunt. Nec etiam pœnitentiæ colla ſubmittere volunt. Quibus omnibus circumſepti malis, illius Apoſtoli non immemores ſumus ſententiæ; qua ait: *Foris* (c) *pugnæ, intus timores.* Unde, quia Dei providentia hoc ſpatium nobis conceſſum eſt, quo mutuis frueremur adſpectibus, & alternis relevaremur collationibus, quid de his, & cæteris rebus emendatione dignis agendum ſit, decernere ſtudeamus.

(*b*) Ezech. XXIV. (*c*) II. Corinth. VII.

§. II.

CAPITULA, IN MOGUNTIACENSI CONCILIO FACTA, ARNULPHI REGIS ANNO I.

Anno Incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti octingenteſimo octogeſimo octavo, anno etiam primo regni Domini Arnulphi, glorioſiſſimi Regis, hæc Capitula apud Moguntiam civitatem a Luitberto, ejuſdem civitatis Archi-Epiſcopo, nec non & a Williberto, ſacræ ſedis Colonienſis, ſeu etiam Ratbodo, Trevirenſis Eccleſiæ venerabilibus Archi-Epiſcopis, cum ſuis Suffraganeis, cæteraque non modi-

modica multitudine, Abbatum scilicet, & aliorum Sacerdotum, tenenda, observanda, ac firmiter habenda constituta sunt.

CAPUT I.

Ut fiant orationes pro Rege.

STatuimus, ut oratio ab omnibus nobis, tam pro glorioso Rege Arnulpho, seu etiam & pro gloriosa conjuge sua, nec non & pro statu totius Christianitatis, prout nos debitores esse cognoscimus, in Ecclesiis nostris assidue celebretur.

CAPUT II.

De officio Regis.

Ut annuntietur glorioso Regi nostro Domino Arnulpho, quid sit Rex, quidve vocari debeat. Rex a recte regendo vocatur. Si enim pie & juste, & misericorditer regit, merito Rex appellatur; si his caruerit, non Rex, sed tyrannus est. Antiqui autem omnes Reges tyrannos vocabant. Sed postea pie & juste & misericorditer regentes, Regis nomen adepti: impie vero, injuste, crudeliterque principantibus, non Regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Quia Rex a regendo dicitur, primo ei studendum est, ut semetipsum, suamque domum, Christi adjuvante gratia, ab operibus nequam emaculet, bonisque operibus exuberare faciat, ut ab ea cæteri bonum exemplum semper capiant. Ipse & salutiferis Christi præceptis fideliter atque obedienter obsecundet, & recte agendo, eos, quibus temporaliter imperat, in pace & concordia, atque charitate, cæterorumque bonorum operum exhibitione, quantum sibi divinitus datur, consistere faciat, & dictis atque exemplis ad opus pietatis, & justitiæ, & misericordiæ solerter excitet, attendens, quod pro his Deo rationem redditurus sit; quatenus ita agendo, Sanctorum Regum, qui Deo syncere serviendo placuerunt, post hanc peregrinationem consors efficiatur. De Rege autem, qualis esse debeat, ita in Deuteronomio legitur: *Cum* (a) *ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et post pauca: *Non* (b) *habebit uxores plurimas, quæ illiciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum: legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec extollatur in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel.* Attende, quod timor Dei, & custodia præceptorum ejus, & humilitas, quæ non patitur eum extolli super fratres suos, & justitiæ rectitudo non solum Regem, sed & filios ejus longo faciat regnare tempore. Ut ergo Princeps extollentiam cavere debeat, Ecclesiasticus admonens, ait: *Principem* (c) *te constituerunt? Noli extolli, sed esto in illis, quasi unus ex illis.* In Proverbiis: *Rex,* (d) *qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Item: *Misericordia* (e) *& veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus.* ISIDORUS: Qui recte utitur potestate regni, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente humiliet, proponens sibi exemplum humilitatis David, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter se se dejiciens, dixit: *Vilis* (f) *incedam, & vilis apparebo ante Deum, qui elegit me.* FULGENTIUS in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: Clementissimus quoque Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloria, quia apicem terreni principatus accepit: sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat: si magis in timore Deo servire, quam in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum, quam metuendum cunctis exhibeat: si subjectis salubriter consulat: si justitiam sic teneat, ut misericordiam non derelinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum, prodesse suum

(a) Deuter. XVII. (b) Ibidem. (c) Eccl. XXXII.
(d) Prov. XXIX. (e) Prov. X. [f] II. Reg. VI.

ſuum faciat principatum. Magis enim Chriſtianum regitur, ac propagatur imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quam cum in parte quacunque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur.

CAPUT III.

Quid ſit proprie miniſterium Regis.

Regale miniſterium ſpecialiter eſt, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & juſtitia, & ut pacem & concordiam habeant, ſtudere. Ipſe enim primo debet defenſor eſſe Eccleſiarum, & ſervorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipſius enim terror & ſtudium hujuſcemodi, in quantum poſſibile eſt, eſſe debet primo, ut nulla injuſtitia fiat: deinde, ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat: nec ſpem deliteſcendi, ſive audaciam male agendi cuiquam relinquat. Sed ſciant omnes, quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidpiam mali, quod admiſerint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem, erit & modus juſtæ correptionis. Quapropter in throno regiminis poſitus eſt ad judicia recta peragenda, ut ipſe per ſe provideat & perquirat, ne in judicio aliquis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod cauſa, quam juxta miniſterium ſibi commiſſum adminiſtrat, non hominum, ſed Dei cauſa exiſtit, cui pro miniſterio, quod ſuſcepit, in die tremendi examinis rationem redditurus eſt. Et ideo oportet, ut ipſe, qui judex eſt judicum, cauſas pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo conſtituti ſunt, & vices ejus agere debent in populo, injuſte, aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittant. Plura igitur ſunt ex auctoritate Sanctarum Scripturarum de miniſterio Regis, quæ ſcribere potuimus: ſed ne oneroſa glorioſo Principi noſtro hæc admonitio noſtra exiſtat, hæc perpauca ſcripta ſufficiant.

CAPUT IV.

In Synodo Toletana, ut Eccleſiæ cum rebus ad ordinationem Epiſcopi pertineant, præcipitur.

Multi contra canonum conſtituta, ſic Eccleſias, quas ædificaverint, poſtulant conſecrari; ut dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerint, cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum diſplicet, & in futurum prohibetur. Sed & omnia, ſecundum conſtitutionem antiquam, ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant.

CAPUT V.

Ne Presbyteri ſine conſenſu Epiſcoporum per Eccleſias conſtituantur, vel ab eis rejiciantur.

Quicunque Presbyter per precium Eccleſiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur: quoniam contra Eccleſiaſticæ regulæ diſciplinam agere dinoſcitur, qui alium Presbyterum legitime ad Eccleſiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque ſibi taliter vendicaverit, quod vitium late diffuſum ſummo ſtudio emendandum eſt. Itemque interdicendum videtur Clericis, ſive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præſumat dare Eccleſiam ſine licentia & conſenſu Epiſcopi ſui.

CAPUT VI.

Ut nullus Eccleſiaſticas res invadere præſumat.

Ne cui liceat res vel facultates, Eccleſiis, aut Monaſteriis, vel Xenodochiis pro quacunque eleemoſyna cum juſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quiſquis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum canonum ſententiis conſtrictus, ab Eccleſiæ liminibus excludatur, donec ab ipſo, quæ ſunt ablata vel retenta, reddantur. *Ex eodem Concilio, Capite eodem:* Si quis quolibet tempore, cujuslibet poteſtatis aut ordinis perſona contra inſtitutionem Sancti Concilii venire tentaverit, aut aliquid de conſuetudine, vel facultate Xenodochiorum, vel Eccleſiarum abſtulerit, (quod Deus avertat) ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

CAPUT VII.

De varia vexatione Sacerdotum.

Relatum eſt Sanctæ Synodo, quod à malis Chriſtianis plurimæ vexationes Sacerdotibus Chriſti, ſeu cæteris Clericis inferioris gradus ſæpiſſime inferantur. Unde viſum eſt Sancto Concilio, ne in antea talia exiſtant, jaculo ſpiritali eos percu-

percutere; ut ſi quis Clerico aliquam injuriam, ſeu calumniam ingeſſerit, a liminibus Sanctæ Eccleſiæ arceatur uſque ad condignam ſatisfactionem.

CAPUT VIII.

Decretum in nonnullos, qui Sacerdoti Wurtzburgenſi nares, capillosque abſciderant, verberibusque male affecerant. (f)

Ad aures Sanctæ Synodi Arno venerabilis Wirtziburgenſ. Eccleſiæ ſe reclamavit, quod quidam ſceleſti quendam honorabilem Presbyterum ſuum comprehendiſſent, eique nares abſcidiſſent, & capillos capitis incidiſſent, nec non & ſævis verberibus cruciatum, ſemivivum reliquerant. Unde tanto ſcelere inaudito peracto, Sancta Synodus viſceribus miſericordiæ erga eundem commota, ſtatuit communi conſenſu, ut iidem temerarii, Deique contemptores, qui tale ſcelus auſi ſunt perpetrare, anathematis vinculo conſtringantur, quouſque a proprio Epiſcopo poſt dignam pœnitentiam abſoluti, Sanctæ Matri Eccleſiæ ſociari mereantur: nullusque cum eis in aliquo communicet, niſi in hoc, ut eos ad dignam ſatisfactionem peragere hortetur. Si quis autem poſt hanc ſententiam a nobis prolatam, ſciens cum eis communicaverit, uno eodemque mucrone cum ipſis ſciat ſe a nobis eſſe percuſſum.

CAPUT IX.

Ubi Miſſarum ſolemnia peragi liceat.

Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi permiſerit, celebranda eſſe cenſemus. Concedimus etiam, ut ſicubi (quod noſtris exigentibus culpis per plurimum eſt factum a Nortmannis, ſeu alio qualicunque modo) Eccleſiæ fuerint incenſæ, in capellis Miſſas interim liceat celebrare, donec ipſæ Eccleſiæ reſtaurari queant. In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub divo, ſeu in tentoriis, ſi tabula Altaris conſecrata, cæteraque miniſteria ſacra ad id officium pertinentia adſunt, Miſſarum ſolemnia celebrari permittimus.

CAPUT X.

De mulieribus, quod in domo Clericorum ſimul cum Clericis non debeant habitare.

Ut Clericis interdicatur, mulieres in domo ſua habere, omnimodis decernimus. Quamvis etiam ſacri canones, quaſdam perſonas feminarum ſimul cum Clericis in una domo habitare permittant; tamen (quod multum dolendum eſt) ſæpe audivimus, per illam conceſſionem plurima ſcelera eſſe commiſſa, ita ut quidam Sacerdotum cum propriis ſororibus concumbentes, filios ex eis generaſſent. Et idcirco conſtituit hæc Sancta Synodus, ut nullus Presbyter ullam fœminam ſecum in domo propria permittat, quatenus occaſio malæ, ſuſpicionis, vel facti iniqui, penitus auferatur.

CAPUT XI.

Ne invadantur prædia.

Attendendum (g) eſt omnibus, & fideliter cuſtodiendum, & illius uſurpationis contumelia depellenda, ne prædia uſibus ſecretorum cœleſtium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod ſi quis fecerit, poſt debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos jure promenda eſt, perpetua damnetur infamia, & infernali carceri tradatur, aut exilii perpetua deportatione feriatur: quoniam juxta Apoſtolum, *Oportet hujuſmodi hominem tradere* (h) *ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini.*

CAPUT XII.

Quot teſtibus Clerici convinci debeant.

Presbyter non adverſus Epiſcopum, non Diaconus adverſus Presbyterum, non Subdiaconus adverſus Diaconum, non acolytus adverſus Subdiaconum, non exorciſta adverſus acolytum, non lector adverſus exorciſtam, non Oſtiarius adverſus lectorem det accuſationem aliquam. Et non condemnabitur præſul, niſi in 72. neque præſul ſummus a quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt: *Non eſt* [i] *diſcipulus ſupra magiſtrum.* Presbyter autem in cardine conſtitutus, non niſi in 42. teſtibus damnabitur: Diaconus cardinarius conſtitutus urbis Romæ, non niſi in viginti ſex condemnabitur: Sub-Diaconus, acolytus, exorciſta, lector, oſtiarius, niſi, ſicut ſcriptum eſt, in 7. tetibus non condemnabitur. Teſtes autem ſine aliqua ſint infamia, uxores & filios habentes.

CAPUT

(f) *Harduini editio hujus Concilii* habet hunc titulum.
(g) Gratianus 27. Q. 2. Attendendum.
(h) I. Corinth. V, 5.
[i] Matth. X, 24.

CAPUT XIII.

De decimis ab antiquis Ecclesiis (i) *non subtrahendis, & ut antiquæ Ecclesiæ honorem suum habeant.*

Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

CAPUT XIV.

Quod nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare.

Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare, absque ejus voluntate, vel judicare. Quia sicut ejus irrita erit ordinatio, ita & judicatio: quoniam censemus alterius nullum judicis, nisi sui, sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus potest,

CAPUT XV.

Item de eodem.

Si quis Episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius parochianum sine consensu, & voluntate sui Episcopi; oportet, non sine increpatione in communi Concilio admitti, ita ut Ecclesiasticum ultra non solvat canonem.

CAPUT XVI.

De his, qui Sacerdotem sponte occiderint.

Qui Sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Jejunet autem usque ad vesperam, exceptis diebus festis, atque Dominicis. Arma non sumat, & ubicunque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrarum orationum officia, aut Missarum solennia celebrantur; ante fores basilicæ perseveret, orans ac deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus ingrediatur Ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel dum facultas conceditur, sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

CAPUT XVII.

De decimis dandis.

Admonemus atque præcipimus, ut decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse dari sibi constituit. Timendum est enim, ne, quisquis Deo debitum suum abstrahit, Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua. Qui vero decimas post crebras admonitiones, & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur.

CAPUT XVIII.

De quodam Altmanno, qui sibi commatrem spiritualem in conjugium habet sociatam

Perlatum est ad nos, quod quidam Altmannus nomine, sibi commatrem spiritualem, ex parochia Arnonis Episcopi scelesto conjugio associasset. Sed postea per Sacramenta ab ea separatus, modo iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam. Quem, quia tale scelus perpetratum habere audivimus, secundum constitutionem Sancti Gregorii Papæ, gladio spirituali percutimus, eumque anathematis vinculo innodamus.

CAPUT XIX.

De Presbyteris, qui crimine fornicationis sine aliquo capitali flagitio accusantur, & non habent collegas, cum quibus se excusare possint, aut si forte lapsi fuerint, quomodo satisfaciant.

In quorum judicio, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est, sed Regia via gradiendum. *In Concilio Neocæsareens.* (k) *cap.* 1. *scriptum est*: Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Item in Concilio *Carthaginensi capitulo vicesimo quinto* [l] scriptum est: Aurelius Episcopus dixit: præterea cum de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias incontinentia referatur; placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum

(i) Adde: *non.*

(l) Tomi primi nostri pag. 203.

(k) Tomi primi pag. 150.

tum eſt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri, ſed & Epiſcopi ſecundum priorum ſtatuta, etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ut tanquam non habentes eſſe videantur. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, niſi maturiori ætate.

CAPUT XX.

De precariis injuſte & irrationabiliter factis, easque cum vi & ſine noſtræ voluntatis conſenſu habere volunt, ſicut in Rhemenſi Concilio ſtatutum eſt. cap. 37.

Si quilibet hominum res Eccleſiæ per mendacia, vel mala ingenia in precariam ſibi acquirere voluerit, & poſt factas precarias, eadem mendacia ad aures ejuſdem Eccleſiæ rectoris delata fuerint; ipſa Eccleſia res ſuas, quæ & ei mendaciter abſtractæ fuerunt, pleniter abſque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille vero, qui res ſuas per eadem mendacia propter cupiditatem ipſius precariæ, eidem Eccleſiæ tradidit, ſimili modo in ſuam recipiat dominationem.

CAPUT XXI.

De his, qui in Eccleſiis, ſeu in atriis Eccleſiæ, rixas moverint, & mutuo inter ſe confligunt. Ex (*m*) Concilio Moguntiacenſi tempore Caroli. cap. 40.

Præcipimus, ut in Eccleſiis, ſive atriis Eccleſiarum, vel domibus, placita ſæcularia minime fiant; quanto minus rixæ & contentiones? Item capitulo trigeſimo nono: de honore Eccleſiarum, & his, qui ad Eccleſias confugiunt, & quod Eccleſia cum magna reverentia adeunda ſit, ſicut in capitulari Dominico continetur, & in Moguntiacenſi, & Turonenſi, ac Arelatenſi tempore glorioſi Imperatoris Caroli conventibus decretum eſt.

CAPUT XXII.

De his, qui decimas ſuas dare nolunt, & injuſte ſubtrahunt, ita ut qui quinque aut eo amplius aratra habuerint, juxta æſtimationem unius aratri perſolvant: & qui hæreditatem Eccleſiæ noſtræ ſibi vindicant, & de ſervis, qui decimas, dominis conſentientibus, dare nolunt.

Concilio Arelatenſi cap. 9. *ſcriptum eſt*, ut unusquiſque de propriis laboribus ſuis decimas, & primitias Deo offerat, ſicut ſcriptum eſt: *Decimas* (*n*) *& primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo.* Ubi nec liber, nec ſervus excipitur, qui omnes unum ſumus in Chriſto, apud quem nulla habetur perſonarum acceptio. Item in *Concilio Arelatenſi*, *capitulo vigeſimo*: ut Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ, nec decimis, nec ulla alia poſſeſſione priventur.

CAPUT XXIII.

De viris & fœminis, ſi adulterii reatu, ſive alicujus flagitii crimine accuſati fuerint, qualiter expurgari debeant.

Nam multi ſunt, qui ſecundum humanas leges divina ſpernentes judicia, teſtes, ac conjuratores ſibimet producere volunt. Quos minime admittentes, ſicut unum confitemur Deum, unam fidem, unum baptiſma, ita etiam una per totum mundum Eccleſia uniformiter pari lege, & ſimili religione excolenda eſt. Itaque decernimus, ut juxta divinæ legis ſanctionem, & ſecundum ipſius ſedem civitatis, in qua ratio ventilatur, unaquæque gens, & cuncta adjacens parochia ſubjaceat, ita ut auctoritate Epiſcopi, aut judicii examine, aut Sacramenti proteſtatione ſe expurget. Et non minus, quam quatuordecim annos ætatis habeat, qui ad teſtimonium admittendus eſt, ſecundum cenſuram canonicæ inſtitutionis, ſicut in *Africano Conc.*(o) *cap.*98. ſcriptum eſt: Teſtes ad teſtimonium non admittendos, qui nec ad accuſationem admitti præcepti ſunt, vel etiam, quos ipſe accuſator de ſua domo produxerit. Ad teſtimonium autem infra annos quatuordecim ætatis ſuæ non admittantur.

CAPUT XXIV.

De pace fruenda.

Decrevimus etiam, ut pacis bonum & concordiæ ab omnibus indirupte teneatur: quia ſi inter nos fideles, ut in Capitularibus Domini Caroli legitur, pax & concordia habenda eſt, dicente Apoſtolo: *Pacem* (p) *ſequimini, & ſanctitatem, ſine qua nemo videbit Deum*; multo magis inter Epiſcopos & Comites eſſe debet, qui poſt imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter ſe concordare debent, ut alterutrum ſibi ad Dei

(*m*) Vide Tomi primi noſtri pag. 412.
(*o*) Tomo primo noſtro pag. 225.

(*n*) Exod. XXII.
(*p*) Hebr. XII.

Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum non solum non noceant, quin potius adminiculo sint. Comitibus quippe, & judicibus, reliquoque populo expedit, ut in *Turonensi Concilio* legimus, temporibus præfati Principis acto, ut suis sint Episcopis consentientes, & obedientes, propter Dei amorem, & semper ab eis utile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & Episcopi prædictas personas similiter suscipiant, honorificeque erga eos in omnibus agant, & sic se se mutuis studeant sublevare consolationibus.

CAPUT XXV.

De Monasteriis Clericorum, Monachorum, atque puellarum, quæ clericis, sive laicis beneficii jure donata sunt, placuit, ut tales eis præficiant provisores, & præpositos, sicut in Cabilonensi Concilio scriptum est, qui & præesse noverint & prodesse, & qui ad Episcopum recurrant, & secundum ejus ordinationem ad conventum Synodi occurrant, & commissum sibi gregem canonice & cum magna religione custodiant, quasi rationem de animabus eorum reddituri.

CAPUT XXVI.

De Viduis præcipimus, ut nequaquam cito velentur, sed in potestate earum maneat, consentiente Episcopo, utrum nubant, an professionem castitatis assumant, usque dum probetur earum conversatio; ne forte de eisdem dici possit, quod ab Apostolo dicitur; *Quæ* (q) *autem in delitiis sunt, viventes mortuæ sunt.* Si autem propositum castitatis assumpserint, aut monasterii claustris regulariter constringantur, aut domi manentes, castitatem suæ professionis integerrime custodiant. Quodsi a proposito deviaverint, canonicæ institutionis censura corrigantur. Quod & de virginibus, si mœchatæ fuerint, statuimus, sicut *in Concilio Elibertano*, *Cap.* 13. scriptum est: Virgines, quæ se Deo dedicaverunt, si pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes, quid amiserint: placuit, nec in fine dandam eis esse communionem: quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia lapsæ, toto tempore vitæ suæ ejusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se a coitu; placuit eas in fine communionem accipere debere.

Binius Tomi III. parte II. unde Synodographi.

In hac Synodo hoc unum imprimis observatu dignum est, quod sicut hic; ita etiam apud omnes alios Scriptores antiquos, *Arnulphus* non *Imperator*, sed *Rex* duntaxat nominatus reperiatur; eo quod nefas esset, Imperatoris nomen assumere, nisi illud a Sede Apostolica prius collatum esset. Quamobrem perperam agere convincuntur, qui statim post obitum Caroli Crassi, Arnulphum, tanquam hæredem imperii, Imperatorem nominant. Hanc Synodum propter infelicem statum Ecclesiarum Germanicarum congregatam esse, indicant Patres in Præfatione hujus Synodi; cumque tribus prioribus canonibus Arnulphus Rex instruatur, & admoneatur, quomodo se in regimine regni bene disponendo gerere debeat, patet novam Regis Arnulphi electionem huic Synodo congregandæ occasionem aliquam præbuisse. De Luitperto Archi-Episcopo, qui Concilio præfuit, de ejusque rebus præclare gestis plurima scribit *Serarius Lib.* 4. *Hist. Mogunt.* *Nota Binii.*

(q) Timoth. V.

§. III.

Constitutio Synodalis, qua Patres Moguntiæ congregati, rogatu Bovonis Abbatis, confirmant Privilegia Corbejensium, & Herivordensium Monasteriorum.

Convenit Episcopali auctoritati (a) pie soliciteque semper cogitare, quatenus ita Ecclesiarum Dei (b) solicitudinem habeant, ut sacris locis, in quibus

Collatio editionis *Schateni* cum Joannis XV. Bulla confirmatoria Synodalis Moguntinæ constitutione, facta a Christiano Francisco Paullini *in Syntagmate rer. Germanicarum* Opusculo XIV. Decretum Augustæ Synodi Moguntinæ edito anno 1698. in 4to.

(a) *Joann. XV. addit:* maximeque summi Præsules debent.

(b) *Joann.* Oblitus hanc vocem Dei.

bus jugi Deus famulantium ſedulitate placatur, opportuna conferre ſuffragia non detrectent. Unde ego Luithbertus (c) licet indignus Maguntiacenſis Archi-Epiſcopus, omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus ſuggero, quia (d) Venerabilis Frater noſter Bovo, Abbas (e) (f) Monaſterii, quod vocatur nova Corbeja, (g) attulit nobis, quam plurima chirographa glorioſiſſimorum Principum, ad confirmationem privilegiorum ejusdem Monaſterii promulgata, inter quæ proxime ei collatum communiter, & ipſius, & Herivordenſis Monaſterii ſtatum confirmabat, datum ſcilicet a glorioſiſſimo Rege Arnulpho, his ipſis diebus noviter ad Regnum provecto. Super hæc etiam chartas duas oſtendit Romanorum Pontificum, Adriani, (h) atque Stephani, in ipſis chartis concedentium, ut in tuitione S. Sedis Apoſtolicæ præfatum novæ Corbejæ monaſterium perpetualiter haberetur, ſimulque Apoſtolica auctoritate decernentium, ut idem monaſterium pleniſſimam habeat immunitatem ab omnibus quoquo modo foris, vel intus monaſterium, in res ad illud pertinentes ſeſe præter voluntatem Abbatum loci ipſius permiſcere cupientibus.

His igitur omnibus apud nos relictis, petiit præfatus Venerabilis Abbas, quo & ea, quæ ſacris literis piiſſimorum Principum confirmata fuerant, noſtra quoque auctoritate roboraremus, & his, quæ ab Apoſtolica Sede decreta ſunt, noſtræ ſubſcriptionis chartulam adjungeremus. Nos itaque conſiderantes, religioſam eſſe (i) petitionem ejus, paſtoralisque eſſe officii, Servorum Dei jugiter utilitati, commodisque proſpicere, decernimus, ut præfata [k] duo monaſteria, Corbejenſe videlicet Monachorum, atque Herivordenſe Sanctimonialium, de omnibus rebus, quæ vel in communi ſupra memorati Principis (l) carta, vel ſpecialibus aliorum Principum (m) præceptis confirmatæ eis (n) eſſe noſcuntur, (o) nihilominus talem (p) ex Eccleſiaſtica & Epiſcopali (q) Sanctione obtineant firmitatem; ut nihil habeant, unde ſe tueri poſſint, quicunque ſibi promittunt hæc aliquo ſe poſſe immutare (r) vel infringere. Habeant igitur præfata Monaſteria liberam in omnibus diſponendi regulariter poteſtatem, ut quæcunque eisdem Monaſteriis in auro, vel argento, in agris, & (s) famulis, ſeu quibuslibet rebus fuerint oblata, ſive in præſenti die collata eſſe [t] conſtant, in diſpoſitione maneant eorum, qui eisdem locis Prælati ſunt, ut quicquid ſecundum Dei timorem regulariter (u) & canonice diſpoſuerint ad Eccleſiæ ipſius utilitatem, liberam in omnibus, cum conſenſu [x] fratrum, ſororumve, faciendi habeant poteſtatem. Et ut plenius proſequamur, quod Sanctos Apoſtolicos jam dictos intendiſſe ſentimus, atque ante eos B. Gregorium, & (y) Reverendæ memoriæ Nicolaum ſanxiſſe de ſtatibus Monaſteriorum prædictorum (z) invenimus, Nos humiliter tantis auctoritatibus ſub-

(c) *Joann. XV.* Servus Servorum Dei Joannes, Sacroſanctæ Apoſtolicæ Sedis Præſul.
(d) *Joann. habet:* quod.
(e) *Joann. ſic:* Venerabilis Abbas Dithmar.
(f) Bovo erat ſextus Abbas novæ Corbejæ in Saxonia, & idem erat Præpoſitus, ſeu Proviſor Monaſterii Herefordienſis Sanctimonialium.
(g) *Joann. ita:* Per interventum Hildebrandi, Mutinenſis Epiſcopi, noſtram efflagitavit clementiam, ut omnia præcepta glorioſiſſimorum Imperatorum, ſeu Regum, ſive quorumlibet Principum chirographa, nec non etiam, quæ a noſtris Prædeceſſoribus Adriano atque Stephano collata, vel conſtituta ſunt, noſtra quoque auctoritate firmaremus, atque roboraremus, & his, quæ ab Apoſtolica Sede decreta ſunt, noſtræ ſubſcriptionis chartulam adjungeremus.
(h) Adriani IV. & Stephani VI. originalia exhibita Concilio: ſed Gregorii IV. & Nicolai I. nonnisi apographa habuiſſe videntur.
(i) Hanc voculam omiſit *Joann.*
(k) Nec hanc vocem habet *Joann.*
(l) *Joann.* Principum.
(m) Nunc hæc verba *Joann. omittit.*
(n) Hæc vocula *a Joanne omiſſa.*
(o) *Joann.* agnoſcuntur.
(p) *Joann.* addit tamen.
(q) *Joann.* ſimpliciter habet Apoſtolica.
(r) *Joann.* Aliquando.
(s) *Joann.* vel.
(t) Hanc vocem *omiſit Joann.*
(u) *Joann.* ac.
(x) *Joann.* Conſilio.
(y) *Joann.* ac.
(z) Hæc vox *a Joanne omiſſa.*

ſubſcribendo confirmamus, ut nullus Epiſcopus Padabrunnenſis (a) aliquam ex eis vel accipiat, vel expoſcat portionem, neque vel in his, quæ regiminis locum tenent, vel in ipſis congregationibus, aut in ipſis cœnobiis, poteſtatem obtineat, neque ipſorum dominatione potiatur ulla, neque in Clericis, neque in famulis, & in (b) omnibus, quæcunque ad Monaſteria ipſa videntur habere poſſeſſionis reſpectum, ſicut ab omnibus eis hactenus ſervatum & conſenſum eſt Epiſcopis, in quorum Parochiis res eorundem Monaſteriorum conjacere videntur, [c] nec ad ipſa Monaſteria, vel cellas eorundem, vel ipſe per ſe Epiſcopus, vel Oeconomicus ejus, vel Archi-Presbyter, aut Archi-Diaconus illius, ſeu quælibet ex ejus agentibus perſona, poteſtatem habeat accedendi, niſi forte neceſſitatis cauſa, vel dilectionis gratia, vocatus advenerit, ne importunitate ſui, miniſtrorumque ſuorum inquietudine ſacris locis ſiat moleſtia, neque in Eccleſiis præfatis (d) Monaſteriis ſubjectis, vel in Presbyteris, eisdem Eccleſiis ordinatis, aliquam tentet facere perturbationem, novam conſtituendo, & antiquam conſtitutionem violando; ſed ſicut regulariter & canonice diſpoſita ſunt, & longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcuſſa. Ordinationes, quæ neceſſariæ fuerint, ipſis Monaſteriis agere non differat, altaris quoque & Baſilicarum benedictiones, ſive conſecrationes, prout neceſſitas poſtulaverit, vel in ipſis Monaſteriis, vel in agris eorum, libenter concedat, chriſma quoque, oleumque conſecratum per ſingulos annos præbere non differat, & pro his omnibus nullum munus exigat, ne Spiritus Sancti gratiam vendere conatus, Simonis, quod abſit, (e) damnationem incurrat. Hoc conſtitutum non ſolum Padabrunnenſem (f) verum etiam omnium locorum Epiſcopos, ubicunque præfata Monaſteria, vel Eccleſias, vel Agros, vel familias habere noſcuntur, obſervare ſine cunctatione ſeu contradictione oportet, ut nullus poteſtatis jure rebus eorundem Monaſteriorum abutatur, ſed maneant omnia in poteſtate eis Prælatorum & regulari diſpoſitione, quæcumque, ut diximus, vel in agris, vel in familiis, vel in decimis eis conſtant eſſe collata, ſicut & Apoſtolica & Imperialia præcepta, partim ſimul, partim ſingillatim (g) eis confirmaverunt. Abbatem vero, vel Abbatiſſam in his locis eligendi ſemper habeant poteſtatem, & eam perſonam eligant, quæ propoſitum converſationis in utrolibet Monaſterio, & moribus & habitu profiteatur, non Canonicum, aut laicum, neque alterius Monaſterii monachum, in quo ſpecialiter Nos audire dignetur Regia Dominatio, ut nullam eisdem Monaſteriis præponant perſonam, quæ non ab ipſis congregationibus fuerit regulariter electa. Debent enim mundi Principes honorem præſtare Deo, quem ſibi volunt præſtari a Deo, videlicet, ut, quemadmodum cupiunt a Deo ſibi collatum Regni honorem conſervari; ſic Eccleſiæ Chriſti ſuam non dedignentur ſervare legem. Non enim decet, neque juſtum videri poterit, ut ſibi militantibus de Eccleſiæ Chriſti poſſeſſionibus mercedem reſtituant, & quod de Rep. ſua tribuere debent, reddere velint de his, quæ collata ſunt Deo. (h) Qua de re noverit clementia vel nunc conſiſtentium, vel ſucceſſionis jure omnium futurorum Principum, a ſede Apoſtolica ſancitum, noſtraque ſubſcriptione roboratum, nec non & antecedentium Regum præceptis cautum, ut prædictis Monaſteriis nullas (i) præficiant perſonas (k) de quocunque ordine, niſi quæ per electionem probabilem ſumantur. (l) Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus

Bbb

(a) *Joann. & Annal.* Paterbrunnenſis.
(b) *Joann.* aut in.
(c) Hic ita pergit *Joann.* Namque ipſius præfati Monaſterii Abbati, ſuisque ſucceſſoribus, licentiam damus juxta Altare ſedendi, populoque infra ſuum Monaſterium, vel cellas, verbum Dei prædicandi ac docendi. Ita ut nullus Epiſcopus per ſe ad ipſa Monaſteria, vel cellas eorundem, vel œconomus ejus, vel Archi-Presbyter &c.
[d] *Joann.* habet: privatis.
(e) *Joann.* inde quod abſit.
(f) *Joann. & Annal.* Paterbrunnenſem.
(g) *Joann.* ſingulatim.
(h) Hic totus paragraphus in Bulla Joannæa deſideratur.
(i) *Joann.* nullam.
(k) perſonam.
(l) ſumatur.

bus malignitatis occaſiones, & (*m*) neceſſe eſt (*n*) ſemper adverſarii (*o*) tela clypeo protectionis repellere, quod Apoſtolica decrevit auctoritas, nos quoque approbamus, ut, qui ordinati fuerint ad regimen ſæpedictorum Monaſteriorum, nulla poteſtate prævalente dejiciantur, niſi criminis cauſa fuerint deprehenſi, cujus merito Rectorum non debeant adminiſtrare officia; infamiæ vero maculis, ſeu criminis alicujus denotatione ſi fuerint appetiti, non præter canonicam, & regularem deponantur examinationem. Si quis ergo Apoſtolicæ ſedis decretum, cui nos hanc confirmationis cartulam (*p*) ſubſcripſimus, contempſerit, procul dubio damnationis cenſuram ſuſcipiet, quam credimus Divino Spiritu per Apoſtolicam linguam prolatam.

Nos igitur noſtram ſubſcriptionem annuli noſtri impreſſione ſignantes, obſecramus Fratres & (*q*) Coepiſcopos noſtros omnes, in quorum manus iſta devenerint, ſua (*r*) etiam auctoritate, & ſubſcriptione hæc confirmare velint; ut, quicunque hæc temerare præſumpſerit, generalitatis noſtræ ſententiis ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, de cujus favore ſibi blandiatur, aut ſe tueri poſſe putet a ſententia damnationis. (*s*) Cunctis autem iſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ quietis inveniant. (*t*) Et quia Apoſtolicæ auctoritati ſubſcribentes iſta edidimus, juſtum eſt, ut illam ſacram ſedem etiam in hoc honoremus, ut appellatio ad eam fieri liceat a prædictis locis, cum neceſſitas fuerit, eo videlicet tenore, ut ſi hoc conſtitutum ab aliquo fuerit prævaricatum, Metropolitanus eorum Epiſcopus, quo ego nunc, licet indignus, fungor officio, perſonam hujus ſanctionis violatricem conveniat, & hujus noſtri decreti teſtificationem innoteſcat, utque ab eo, quod prave geſſit, recedere non moretur, ex communi omnium Coepiſcoporum auctoritate conteſtetur. Et ſi ille contumaciter in ſui facti perpetratione perſtiterit, licentia eis ſit, Romanam, Apoſtolicamque ſedem adire, & neceſſitatis ſuæ cauſas ante Papam, qui tunc fuerit urbis Romæ, deponere, ut per eum cognita cauſa, reus juſtæ damnationis ſententia mulctetur.

Folco, munere Divino Metropolitanus Eccleſiæ Rhemenſis Epiſcopus, tenorem hujus ſanctionis perlegens, & diligenter pertractans, in omnibus eam probandam, & corroborandam eſſe judicavi, tam propter antiquum jus Monaſteriorum, etiam his cænobiis conſervandum, quam ad præcavendas nihilominus moleſtias, hic ſummatim prohibitas, quæ modernis temporibus contra ſacra Monaſteria per quoſdam Epiſcopos recenter ordinatos, nec non etiam per quorundam laicorum infeſtationem, graſſari cœperunt. Ad quas inhibendas rationabilis ordo ſervatus eſt, ut & glorioſorum Principum hic conceſſiones, & Pontificum Romanorum privilegia, & Archi-Epiſcopi ejuſdem Monaſterii his omnibus adſtipulatio, ut & cæteri velint Epiſcopi aſſenſum præbere, nequaquam hic ſpernenda contineatur petitio. Cujus gratia illectus ſimul & præſentialiter ab eodem venerabili Archi-Epiſcopo Luithberto, nec non a Bovone, Religioſo ejuſdem Monaſterii Abbate, rogatus, hoc decretum Epiſcopali auctoritate ratum eſſe decernens in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confirmavi, ſubſcripſi.

Willibertus, Agrippinenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, huic decreto, meæ mediocritati recitato, atteſtationem & aſſenſum præbens, quod neceſſario ac rite promulgatum ſit, ſub atteſtatione Nominis Divini illud confirmavi & ſubſcripſi. Thiad.

(*m*) *Joann.* ac.

(*n*) Hæc vocula omiſſa a *Joann.*

(*o*) *Joann.* adverſa.

(*p*) Hæc verba non habet *Joann.*

(*q*) Duo hæc verba negligit *Joann.*

(*r*) *Joann.* & *Annal.* addunt, ut.

(*s*) Hic addit *Joann.* Ab Imperatoribus etiam, aut Regibus, ſive Ducibus, aut a quacunque poteſtate, quæ pro tempore tunc ordinata fuerit, exponere cogatur mille libras auri optimi, medietatem prædictis Monaſteriis, ac medietatem Cameræ eorum Principum ſolvendam.

(*t*) Huc uſque *Joannes.*

Thiadmarus Ecclesiæ Saltzburgensis Archi-Episcopus, huic decreto consensi & subscripsi.

Redbodo Treverensis Archi-Episcopus, approbavi & subscripsi.

Joannes Rotomagensis Archi-Episcopus, consensi & subscripsi.

Hildegrinus Halverstadiensis Episcopus, consensi & subscripsi.

Adalgarius Ecclesiæ Hammaburgensis Archi-Episcopus, consensi & subscripsi.

Liawardus Vercellensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Arnoldus Wirziburgensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Hrodbertus Mettensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Adalhelmus Wurmacensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Godethancus Spirensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Wicbertus Hildenesheimensis Episcopus, consensi & subscripsi.

Dethmarus Viurdinensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Dodilo Camaracensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Honoratus Beluacensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Herdilo Noviomagensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Balthrammus Stratzburgensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Waldo Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Thiadulfus Curacensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Hactenus Schatenus in Annal. Paderborn. reliqua sunt Bullæ Pontificiæ Joannis XV.

Hæc omnia continuante & consummante Anno Dominicæ Incarnationis DCCC. supra LXXXVIII. in unitate S. Spiritus.

Sigillum, icone Luithberti insignitum, a longa vetustate exesum est. Si vero hoc anno subscripsit Hildegrinus Halberstadensis, utique anno superiori non decesserit: nec Wicbertus Hildesiensis anno DCCCLXXXIV. ut Bucelin. [x] autumat.

(x) Germaniæ Sacræ Parte I.

Huic privilegio Monasteriorum Corbeiæ & Herifordiæ, Biso Paderbornensis Episcopus non subscripsit, imo forte protestatus fuit.

Paullini in rerum Germanicarum Syntagmate edidit Decretum Augustæ Synodi Moguntinæ, anno 888. eruditis Notis illustratum, additis Diplomatibus Imperatorum & Regum, tum & Bullis Pontificum, hæc Privilegia horum duorum Monasteriorum suis annis identidem confirmantium.

Hujus Privilegii, anno DCCCLXXXVIII. in Concilio Moguntino dati, pro immunitate Monasteriorum Corbeiæ novæ, & Herifordensis, ob producta a Bovone Abbate instrumenta, repugnante licet Bisone Paterbrunnensi Episcopo, lati a tot Archi-& Epp. subscripti, non ante autumnum anni hujus meminit *Mabillon. Annalium Benedictin. Tomo II. L. XXXIX. N. XXXV. pag.* 269.

§. IV.

Consultatio de subtractis Ecclesiæ Osnabrugensi Decimis.

Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopus, detulit ad hoc Concilium querelam de subtractis Ecclesiæ suæ Decimis, quas Cobbo ob debitum Goswini Episcopi averterat ad Corbeiense, & Herivordiense Cœnobia. Statuere quidem Patres Canone XIII. supra relato : *Ne Ecclesiæ antiquitus constitutæ, decimis, aut aliis possessionibus priventur, & novis oratoriis attribuantur.* Ea tamen controversia, etsi multum in hac Synodo agitata, decisa non fuit. Stabat pro Osnabrugensi Ecclesia Metropolitanus ejus Willibertus, Archi-Episcopus Coloniensis: productæ in hanc rem literæ Caroli M. & Hadriani Pontificis, quibus prima ejus Ecclesiæ dos ac fundatio in decimis monstrabatur facta. Additæ quatuor aliorum Pontificum tabulæ, quibus idem asserebatur confirmatum. Contra, hanc Cobbonis abalienationem propugnabant Antistites horum Monasteriorum, multi Dynastæ &

& Comites, quos inter Allo & Hermannus referuntur, filii, ut conjectura est, Cobbonis, Teclenburgici Comitis.

Hi, cum acerrime se opponerent, res affecta magis, quam confecta fuit, donec tandem Arnulfus anno 895. in Wormatiensibus Comitiis, abrupta lite, Osnabrugensibus Decimas reddi juberet.

Schatenus in Annalibus Paderbornens. ad hunc annum.

CONCILIUM METENSE.

Anno Christi DCCCLXXXVIII. Stephani VI. PP. IV. Arnulphi Regis I.

Ad reformandos mores fidelium congregatum, tempore Arnulphi Regis.

Anno ab incarnatione Domini nostri JEsu Christi, regni Domini Arnulphi gloriosissimi Regis, die Calendarum Majarum, acta est Synodus in suburbio Metensis civitatis in Ecclesia Sancti Arnulphi, ab Archi-Episcopo venerabili Ratbodo Treverens., & a Rotberto (a) *prædictæ civitatis Præsule. Dado quoque Virdunens. Ecclesiæ Reverentissimus Episcopus, & Arnoldus Tullensium Episcopus, & Stephanus inclytus* (b) *Abbas, & multi Sacerdotes, cum Comitibus, & pluribus nobilibus, & Deum timentibus viris, adfuerunt, ubi pari voto, parique consensu pro vera charitate, & tranquillitate Sanctæ Dei Ecclesiæ, quam redemit Christus sanguine suo, sibi invicem occurrentes, hæc in commune Præsules locuti sunt.*

CAPUT I.

EPiscopi, & Presbyteri, & fideles laici, qui ante nos fuerunt, juxta sacram canonum auctoritatem sæpius in Christi nomine convenientes, justitiam Dei statuerunt, & idcirco pacem suis diebus habuerunt, juxta illud, quod scriptum est: *Pax* (c) *multa diligentibus legem tuam Domine, & hominibus bonæ voluntatis.* (d) Nos autem, qui tanto tempore transacto, comprovincialem Synodum non habuimus, & invicem quærere misericordiam Dei neglexímus, videmus in nobis completum esse, quod per Prophetam Dominus dicit: *Terram* (e) *vestram in conspectu vestro alieni devorant, & erit in vastitate hostili.* Ergo qualiter a Nortmannis hæc omnia in nobis completa sint, nemo dubitat: quomodo etiam a perversis Christianis undique atteramur, omnes in commune sentimus, sicut scriptum est: *Populum* (f) *tuum Domine humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt.* Quærenda est igitur pietas Christi, qua pagani arceantur, & statuenda est lex Dei, qua cru-

(a) Ratbodo, Treverensis Episcopus, Rubertum Metensis Ecclesiæ Episcopum consecravit 10. Kalend. Maji anno 884. *Marianus Scotus.*

Ratbodus Treverorum, acri doloris morsu ex Normannicæ cladis sensu perstrictus, Metim Provinciale Concilium indixit, ad quod non Episcopi modo, & Sacerdotes Treverorum Provinciæ, sed & Comites, multique cum splendore natalium illustres, tum excellenti virtute, doctrinaque viri accesserunt. *Browerus Annal. ad h. a.*

(b) Forte Sancti Michaelis, ut conjicit *Calmetus.*

(c) Psal. CXVIII, 155. (d) Lucæ II, 14. (e) Esai. I.

(f) Psal. XCV.

crudelissimi nostræ gentis homines a vastatione pauperum repellantur. Idcirco quidquid in nobis pravæ voluntatis est, abjiciamus, & de paganis, Christo auxiliante, pacem obtinere valebimus: auctoritatem Sanctorum Patrum contumacibus nostris imponamus; & velint, nolint, pro timore etiam gloriosissimi nostri senioris Arnulphi Regis, ad satisfactionem venire faciemus: & sic justitiam Dei statuendo, poterimus ejus misericordiam invenire, quem nos cognoscimus pravis actibus graviter offendisse.

CAPUT II.

Dominus loquitur per Prophetam dicens: *Afferte* (g) *omnem decimam in horreis meis, & probate me in hoc*, *dicit Dominus*: *si non aperuero vobis cataractas Cœli*, *& dedero vobis fructus usque ad abundantiam.* Scimus enim, quoniam peccatis exigentibus, clauditur cœlum, & fit nostris diebus sæpissime fames: ideo statuimus, ut deinceps nemo seniorum de Ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem, sed solummodo Sacerdos, qui eo loco servit, ubi antiquitus decimæ fuerant consecratæ: ipse eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicæ ædificia, vestimenta quoque Sacerdotalia, & cætera utensilia suo ministerio congrua obtinenda. Hæc omnia Episcopi de suis Ecclesiis, & cæteri attendere decreverunt. Unusquisque Presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi forte antiquitus habuerit capellam, vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari. Est enim multum laudabile coram Deo & hominibus, si unus Presbyter unam Ecclesiam salubriter providerit, & utiliter rexerit: quoniam non est nobis cura animarum adhibenda pro temporali commoditate, sed cunctis Sacerdotibus est optandum, ut cum suis ovibus à Christo recipiant pascua vitæ æternæ. De uno manso & de terris pro sepultura datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione nullus census deinceps exigatur, & pro sepultura nullum pretium detur.

CAPUT III.

Sacerdotes, qui vice Mosis, Iram (h) Domini super populum servientem precibus suis debent mitigare, attendentes etiam, ne illud fiat, quod scriptum est: *Maxima* (i) *ruina populi in culpa Sacerdotum fuit:* nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam habeant, nec matrem, nec sororem: sed auferentes omnem occasionem satanæ, Angelicam vitam ducant, & Domino Deo casto corpore, & mundo corde, finetenus serviant. Nam licet hoc sacris litteris crebrius inhibitum esse videatur, tamen quia hoc nefas in quibusdam oriri videbatur, idcirco communi decreto statutum est: & hoc interdictum a sancta Synodo nimium laudatum est, cuncti Presbyteri, ut libros & Sacerdotalia vestimenta suo Episcopo in proxima Synodo ostendant, & ut chrisma suum sub sigillo & sera semper custodiant, a prædictis Episcopis expresse commendatum est. Et ut nemo Clericorum arma portet, vel indumenta laicalia induat, id est, cottos, vel mantellos sine cappa non portet: & laici cappas non portent, & nullus alteri suscipiat a fonte infantem, nisi qui apprime signaculum, id est, abrenuntiationem diaboli & professionem Catholicæ fidei tenuerit: & infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat, quia in hujuscemodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit. Nam unus Deus, unum baptisma, unus, qui a fonte suscipit, debet esse pater vel mater infantis. Hæc omnia generaliter interdicta sunt, quia & grandis levitas erat, & gravitas vel religio clericalis nimis in talibus vilis efficiebatur.

CAPUT IV.

Gunthertus, Metensis Ecclesiæ primicerius, obtulit libellum proclamationis super Judæos, qui habitant Metis. Quapropter interdictum est juxta capitula Sanctorum Patrum, ut nemo Christianorum cum eis manducet, & bibat, vel quicquid comedi aut potari potest, a Judæis accipiat. Nimis enim, juxta quod ait *Cæsarius* Arelatensis Ecclesiæ Episcopus, indignum est, atque sacrilegum, eorum cibos a Christianis sumi; cum ea, quibus nos fruimur, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Judæi. Et omnes eorum convivas, ipse & Sanctus

(g) Malach. III. (h) Exod. XXXII. (i) I. Esd. IX.

ctus *Siagrius*, Eduorum Episcopus, cum aliis multis excommunicaverunt.

CAPUT V.

In locis vero non consecratis, id est, in solariis, sive in cubiculis, propter infirmos, vel longius iter, a quibusdam Presbyteris sacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum est: & ut basilicæ, a Chorepiscopis consecratæ, ab Episcopis consecrentur, roboratum est: quia juxta decreta *Damasi* Papæ, *Innocentii & Leonis*, vacuum est atque inane, quidquid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio: & quod ipsi iidem sint, qui & Presbyteri, sufficienter invenitur.

CAPUT VI.

Duæ Sanctimoniales propter suum facinus de Monasterio Sancti Petri sine velamine erant ejectæ: sed juxta sacros canones sancta constituit Synodus, ut velamina illis redderentur, & intra monasterium in ergastulo ponerentur, parvo pane, & aqua brevi cum abundantia divini verbi usque ad satisfactionem fruerentur. Quidam etiam Diaconus, qui de sacrilegio confessus, & convictus fuit, pro misericordia in carcere poni jussus est, interdicto ministerio, & ut pro eo omnes generaliter orarent, injunctum est.

CAPUT VII.

Quædam fœmina, nomine Ava, cum sui fratris consilio, & auxilio, qui vocatur Folcrius, & cum aliis consanguineis suis, suum maritum dimisit, & ad eum redire noluit. Unde illorum Sacerdos, servus Dei, vocabulo Folcardus, ad suam Dominam, & ad ejus fratrem veniens, ut eos a tanto scelere traheret, confestim ab eodem, & suis complicibus castratus est. Pro his omnibus ad Synodum vocati venire noluerunt, & idcirco usque ad satisfactionem excommunicati sunt. Viri pestilentes vastabant miserabiliter istam provinciam, pro quo scelere ad Synodum vocati, sicut scriptum est: *Eripite* [k] *pauperem & egenum*: alii venerunt; alii venire noluerunt: illi qui adfuerunt, Synodo satisfecerunt: cæteri autem canonice excommunicati sunt. Pari etiam tenore excommmunicatus est quidam homo, vocabulo Theodricus, cum complicibus suis, quia quandam viduam fugiendo prostratam super corpus Sancti Eventii rapuit, & de Monasterio traxit, & in uxorem sibi eam taliter sociavit. Quidam vir nomine Lantbertus, interficiens consanguineum suum, & ducens ejus uxorem, nomine Waldradam, juravit coram Archi-Episcopo, quod tale conjugium dimitteret, & iterum ei se sociavit, & adhuc eam habet; idcirco excommunicatus est.

CAPUT VIII.

Quæsitum est a Sancta Synodo, quid de eis sacra fieri auctoritas juberet, qui cum prædictis excommunicatis communionem habeant? Nam non tantum laici, verum etiam Presbyteri in celebratione Missæ excommunicatos recipiunt: & quid de his, qui in eadem excommunicatione mortui fuerint; verum ad hæc tanta auctoritas prolata est. Sanctus Petrus Apostolus in ordinatione Sancti Clementis ita plebes alloquitur: *Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos cum illo nolite amici esse, & prudenter observare debetis avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum: sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur.* Istius transgressores Sanctus Petrus, & omnis auctoritas excommunicat. Servis autem a propriis libertis, sive beneficiatis venerabiles Episcopi in communione Dominorum absolutionem dederunt. Sanctus Leo Papa de excommunicatis, & ita defunctis taliter decrevit: Horum causa judicio Dei est servanda, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur: nos autem, quibus viventibus non communicamus, mortuis communicare non possumus.

CAPUT IX.

Precando rogaverunt prædicti Episcopi, orare pro Domino Rege Arnulpho, & triduanum in proximo celebrare jejunium, ubi cum litaniis, & magna corporis afflictione precaremur Deum, ut faciat nos converti ad se in toto corde, & animo volenti: adaperiat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat

(k) Psalm. XXXIV.

ciat pacem: & placeat redemptori noſtro eripere oppreſſos, revocare in anguſtiis conſtitutos: & ſic talia agendo, mereamur obtinere hic indulgentiam, & in futuro pacem ſine fine manſuram. Amen.

Binius Concilior. Tom. III. P. II. p. 115.

Propter mendum actorum ſciri nequit, quoto anno Chriſti, quove Pontifice præciſe hæc Synodus congregata fuerit: quia tamen idem Ratbodus Treverenſis huic, & præcedenti Moguntinæ interfuit, & propter Nortmannorum incurſiones, tempore Arnulphi Regis celebratam eſſe conſtat, *ex Cap. I. & ultimo*; nulla mihi ratio occurrit, ob quam ego hanc Synodum hactenus Moguntinæ ſtatim poſtpoſitam, nunc ab ea disjungerem. *Nota Binii.*

Sirmondus credidit referendum hoc Concilium ad 895.
Hardouin. & Calmet. retulerunt ad 888.
Browerus ad annum 893. *Binius annum non addidit.*
Eckhartus ad annum 888. *ſed numerat Canones XIII: qui ſunt iidem noſtris IX.*

SYNODUS FORCHEIMENSIS
NATIONALIS.
Anno Chriſti DCCCXC. Stephani V. Papæ VI. Arnulfi Regis German. III.

Patres confirmant petitam a Biſone Epiſcopo Paderbornenſi Fundationem Monaſterii Heriſienſis.

QUoniam omnibus, qui curæ Pontificialis funguntur officio, id maxime convenit, ut ad Divinæ laudis augmentum, monaſteriorum conſervationibus, & Deo ibidem famulantium utilitatibus, provectibusque proſpiciant. Idcirco ego Sunderholdus, humilis Moguntiacenſis Sedis Archi-Epiſcopus, una cum venerabili Colonienſis civitatis Archi-Epiſcopo Herimanno, nec non & aliis Coepiſcopis, ac Conſacerdotibus noſtris, qui nobiſcum *ad præſentem Synodum* convenere, petitionem fratris noſtri Biſonis Paderbrunnenſis Epiſcopi, qua nos ſtatum Heriſienſis Cœnobii unanimitatis noſtræ ſcriptis confirmare & corroborare poſtulat, cenſeo gratanter accipiendam: nam nobis oſtendit cartulam quandam, continentem Synodalis Decreti conſenſum, quo venerandæ memoriæ deceſſor meus Liutbertus Archi-Epiſcopus, & alii, quamplures Epiſcopi, una cum illo in Synodo apud Wormatiam habita congregati, rogatu Liuthardi, tunc ejusdem Padarbrunnenſis ſedis Epiſcopi, qui prædictum puellare Cœnobium ſimul cum ſorore ſua, nomine Walburg, primum inchoaverat, ipſum cum omnibus rebus ſuis, tam decimis, ad uſus ancillarum Dei ibidem deputatis, quam poſſeſſionibus mutuatis, firmum ac ſtabile manſurum fore decreverunt, eandemque cartulam ſubſcriptionibus propriis corroboraverunt. Alteram quoque offerens cartam, quam ſæpe jam dictæ Padarbrunnenſis Eccleſiæ Sacerdotes, & univerſus pariter Clerus nuper fieri poſtulavit, ſuisque ſubſcriptionibus confirmavit, de conſenſu videlicet ſuo ſuper ſtatu ejusdem monaſterii primitus in illa parochia conſtruendi, & de rebus omnibus, quas nunc habere videtur, illuc juſte legitimeque collatis. Quapropter juxta petitionem præfati Fratris & Coepiſcopi noſtri, juſtum & utile ſatis eſſe credimus anteceſſorum noſtrorum ſalubre decretum, quo Chriſti famulabus quietam & tranquillam in ejus ſervitio ſecuritatem, auctoritatis ſuæ unanimi ſententia providere ſtuduerunt, noſtris quoque ſanctionibus confirmare; ne quis futuris temporibus ex his, quæ vel hujus Epiſcopi Biſonis, vel Anteceſſoris ſui diebus illuc collata noſcuntur, ſive in Decimis, a præfata generali Synodo conceſſis, ſeu poſſeſſionibus undecunque mutuatis, aut quorumlibet fidelium largitione traditis, aut deinceps tradendis, omnino aliquid auferre, vel diſpoſitionem Monaſterii deſtruere præſumat, niſi ſeſe velit vinclo perpetui anathematis condemnari. Ergo ut hoc noſtræ unani-

unanimitatis decretum firmiorem in Dei gratia teneat ſtabilitatem, noſtris id ſubſcriptionibus corroborare curemus; id ipſum Coepiſcopos, & Suffraganeos noſtros, qui modo abſentes ſunt, cum primum hæc in eorum manus ſcripta devenerit, facere poſtulantes, ſicut eos in nullo penitus a noſtræ unanimitatis conſenſu diſſentire velle confidimus.

Actum Foracheim, Palacio Regio. Anno Incarnationis Dominicæ DCCC XC. Regni vero piiſſimi Regis Arnulfi Anno III. Indict. VIII.

Signum Sunderholdi Moguntiacenſis Archi-Epiſcopi.
Signum Herimanni Colonienſis Archi-Epiſcopi.
Signum Arn. Epiſcopi. (*a*)
Signum Vuiberti Epiſcopi. (*b*)
Signum Hrodberthi Mediomatricæ ſedis Epiſcopi.
Signum Godethanki Epiſcopi. (*c*)
Signum Egilmari Epiſcopi. (*d*)
Signum Erkanboldi Epiſcopi. (*e*)
Signum Adalgarii Epiſcopi. (*f*)
Signum Dadonis Epiſcopi. (*g*)
Signum Biſonis Epiſcopi. (*h*)
Signum Ailmari Epiſcopi. (*i*)
Signum Agiulfi Epiſcopi. [*k*]
Signum Drogonis Epiſcopi. (*l*)
Signum Vuitberti Epiſcopi. (*m*)
Signum Vuolfhelmi Epiſcopi. [*n*]
Signum Lihardi Abbatis. (*o*)
Signum Faraberhti Abbatis. [*p*]
Signum Haththonis Abbatis. [*q*]
Signum Gerhardi Abbatis. (*r*)
Signum Godeſcalci Abbatis, (*s*)

Schatenus Tomo I. Annal. Paderborn. ad h. a. Ex Reginone, Hermanno Contracto, & Annal. Fuldenſibus.

(*a*) Wurceburgenſis. (*b*) Werdenſis. (*c*) Spirenſis.
(*d*) Osnabrugenſis. (*e*) Aichſtatenſis. [*f*] Bremenſis.
[*g*] Virdunenſis. (*h*) Paderbornenſis. (*i*) ſive Engelmarus Patavienſis.
(*k*) Neſcitur ſedes. (*l*) Mindenſis. (*m*) ſive Wicbertus Hildenesheimenſis.
[*n*] Mimigarnefordenſis Epiſcopus.
[*o*] Lege Sigehardus Fuldenſis Abbas. [*p*] Prumienſis.
(*q*) Augienſis. (*r*) Laureshamenſis. (*s*) Corbeienſis v. Abbatis.
Eckharti eſt hæc notatio.

§. II.

IN eadem Synodo (Wichbertus Epiſcopus Verdenſ.) obtinuit ab Arnulpho Rege, ut omne patrimonium ſuum in Weſtfalya in Wyeneswalt, in Ballana, in Muchuris, Gheretum, Heribrunno, poſt obitum ſuum cederet Eccleſiæ memoratæ, *nempe* Eccleſ. S. Mariæ, S. Cæciliæ, & Sancti Fabiani in Verda: adjiciens idem Princeps, ut nulla perſona judiciaria poteſtatem habeat in hiſce bonis aliquid ordinandi. Actum Foracheym Anno Domini DCCCLXXXX.

Schatenus Loco citato.

§. III.

Actio politica inter Regem Arnulfum & Primores Regni conciliatos, in qua fuere deſignati Zuentiboldus & Ratoldus filii Arnulfi ſucceſſores, defectu legitimi hæredis.

EXeunte menſe Maedio Rex Arnulfus apud Villam, quæ dicitur Foraheim generale conventum habuit, ibique diſputans de ſtatu Regni ſui conſultum eſt, ut eodem tenore Primores Francorum, prout Bajoarii, juramento confirmarent, ne ſe detraherent à Principatu, & a Dominatu filiorum ejus Zwentibulchi quidem & Ratoldi, qui ei de concubinis erant nati. Quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem Regiæ ſatisfacientes voluntati, dexteram dare non recuſabant, eo tamen modo, ut ſi de legali ſua uxore, heres ei non produceretur.

Annales Fuldenſes apud Freherum.

CON-

CONCILIUM WORMATIENSE.

In causa Hermanni Coloniensis, & Adalgarii Hamburgensis Episcoporum, de Bremensi Ecclesia contendentium, indictum,

Circa Ann. Domini DCCCXC. tempore Stephani V. P.

De hac Synodo in libello de vitis Pontificum, quem sub titulo Luitprandi jam recens in lucem emisit Nicolaus Serarius, in vita Stephani V. ista scribuntur. Hic Hermannum Coloniensem Archi-Episcopum, & Adalgarium Hammaburgensem Archi-Episcopum, de Bremensi Ecclesia contendentes, Wormatiam ad Synodum venire *jussit*, ubi Fulconi Rhemensi Episcopo, vice sua commissa, causam eorum examinari mandavit.

De hac eadem Synodo Flodoardus Lib. IV. Cap. I. ista: Papa scribit Fulconi Rhemensi pro altercatione, quæ versabatur inter Hermannum Coloniensem Archi-Episcopum, & Adelgarium Hamburgensem & Bremensem Episcopum, pro qua Hermannus Papæ suam direxerat querimoniam. Adelgarius autem & suam direxerat, & postmodum per semetipsum accesserat, proclamans, ab Hermanno Ecclesiæ suæ privilegia violari. Ideoque in suam præsentiam commonuerat utrumque venire. Sed quoniam Adelgario veniente Hermannus defuit, tantæ liti finem imponere Papa distulit, ne quippiam præpropere judicare videretur, unde rediviva contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca injungit huic Præsuli nostro, sua ipsius Papæ vice Synodum convocare apud WANGIONEM civitatem cum vicinis Suffraganeis, limitaneisque Episcopis, ad quam Hermannum Agrippinæ Coloniæ, & Sonderoldum Moguntinum cum suis Suffraganeis, nec non & eundem Adelgarium occurrere jusserat, quatenus quid cuique debeatur, diligens examinatio declararet. Hæc Flodoardus Historiæ Remens. L. IV. C. I. pag. 314. 315.

Binius Concilior. Tom. III. Parte II. pag. 117.

Mors Stephani V. Papæ 891. mense Septembr. & Vastationes Normannicæ gentis anno 891. videntur obstitisse, quo minus hæc Synodus hoc anno ageretur.

Flodoardus Histor. Remens. L. IV. C. I. p. 315. clare dicit per seipsum Adalgarium Romam accessisse, & facit mentionem quinque Epistolarum hic indicatarum:

I. Hermanni Archiep. Colon. ad Adalgarium Bremensem - -	anno 890.
II. Ad Stephanum V. Papam - - - -	890.
III. Adalgarii Epistola ad Stephanum V. Papam - -	890.
IV Stephani V. Papæ Epistola ad Fulconem Remensem -	891.
V. Stephani V. Papæ ad Sunderoldum Moguntinum - -	891.

quæ perierunt injuria temporum.

CONCILIUM FRANCOFORDENSE (*a*) PROVINCIALE.

Anno Christi DCCCXCII. Formosi Papæ II. Arnulphi Regis V.

De Subjectione Adalgarii, Bremensis Episcopi, erga Metropolitanum Coloniensem Hermannum.

§. I.

EPISTOLA FORMOSI PAPÆ, (*b*)

AD ADALGARIUM, HAMBURGENSEM ARCHI-EPISCOPUM.

Formosus, Servus Servorum Dei, Reverendissimo & Sanctissimo Adalgario Archi-Episcopo Hammaburgensi.

Arbitrabamur, tuam Sanctimoniam, prout injunctum fuerat, ad Apostolicam Sedem festinare, quatenus disceptatio, quæ inter te, & Hermannum Agrip-

Agrippinæ Coloniæ Reverendiſſimum Archi-Epiſcopum ventilatur de Bremenſi Eccleſia, finem perciperet: ſed ipſo per ſuos vicarios inſiſtente, & querimoniam multiplicante, cur tuam non exhibueris præſentiam, ſaltem per defenſorem vicarium, non modicum miramur. In quo ſuſpicare tribuitur ſummopere, contentionem non odire, qui judicii æquitatem conatur ſubterfugere: præſertim cum & *Moguntiæ* Sanctiſſimus Archi-Epiſcopus, cui de hac re, ut veritatem inquireret per Confratres & conlimitaneos Epiſcopos injunctum fuerat, ad nos ſcribens, ſignificaverit: quatenus venientibus Reverendiſſimis Epiſcopis ad *Franckenford*, (*c*) de hac eadem re diligentiſſima facta fuerit inquiſitio, omnesque Diœceſani ejusdem *Colonienſis Epiſcopi*, Francho videlicet Tungrenſis, (*d*) Voldebaldus Trajectenſis, Wofelmus Mimigardewordenſis, Druogo Mimidonenſis, Egilmarus Osnabrugenſis, ſub teſtificationis prætextu teſtificati ſunt, *uſque adte nullum Bremenſis Eccleſiæ* Præſulem modum ſubjectionis, Colonienſi Antiſtiti contempſiſſe, ſed ſemper deceſſores ſuos, qui eidem Bremenſi Eccleſiæ præfuerunt a temporibus ſuæ Chriſtianitatis, ſedi Colonienſi, fuiſſe ſubjectos: verum, quia tantorum virorum teſtimonium fruſtrari non expedit, & ad ſtatutum veniendi tempus feſtinare, vel delegare vicarium diſtuliſti, tanti temporis querimoniam, ac Legatorum conſtantem inſtantiam, nihili pendere inhumanum videbatur: Quapropter artati, hinc ne Colonienſis Eccleſia juſtitiam perderet, inde ne Hammaburgenſis Eccleſia, quæ ad gentium vocationem inſtituta fuerat, ſubſidio deſtituta, deficeret; diſpenſative cenſuimus, quatenus quoad uſque, Divina ſuffragante gratia, prælibata Hammaburgenſis Eccleſia, in tantum dilatetur, ut Epiſcopum inſtituere valeat, jam memoratam Bremenſem Eccleſiam ad ſubſidium habeat, & quoties in magnis ac præneceſſariis canonicis negociis oportuerit, non ſubjectione aliqua, ſed affectu fraternæ caritatis Hammaburgenſis Archi-Epiſcopus, qui ejusdem Bremenſis Eccleſiæ Regimen obtinet, per ſe, aut vicarium, ſuam vicem gerentem, in adjutorium Colonienſis Archi-Epiſcopi invitatus accedat. Dilatata autem Hammaburgenſi Eccleſia largitore omnium bonorum amminiculante, & fundatis Epiſcopis, ſæpe-memorata Coloniæ ſedes Bremenſem recipiat Eccleſiam. Inhumanum quippe eſt inter ſæculares, aliena jura pervadere: quanto magis Sanctiſſimos Epiſcopos, ſtatutos a Patribus transgredi terminos, & eos litigare, qui pacis debent ſubditis exempla præbere. Hæc autem, ad hoc decreta eſt diſpenſatio, ut pax vigeat, ceſſet contentio, & juſtitiæ vigorem miſericordiæ compaſſio temperet, ſcientes, ſine pacis bono nullum Deo munus fore acceptabile.

Philippus Cæſar in Triapoſtolatus appendice.

Lambecius in Chronologia L. I. rerum Hammaburgenſ. ſed ad annum 895.

Cenſura Adami Bremenſis de hoc facto his verbis continetur: " Anno Adalgarii VII. " Hermannus Colon. Archi-Epiſcopus magnis Adalgarium noſtrum fatigabat injuriis, Bremam Coloniæ ſubjugare conatus. Collecta igitur apud Triburiam Synodo, Haddone Moguntino præſidente, caſſata ſunt Apoſtolicæ Sedis privilegia, & glorioſorum Principum annullata ſunt præcepta, conſentientibus iniquis Decretis Formoſo Papa, & Arnulfo Rege. Deinde facta ſubſcriptione Adalgarius Archi-Epiſcopus in cauda Concilii poſitus eſt. " Hæc Adami Bremenſis cenſura præter errores chronologicos parum reverens eſt erga Papam Formoſum, & Patres Concilii Provincialis Francofordienſis: nam Papa Formoſus non immemor olim Decretorum a Gregorio IV. & Nicolao I. Pontificibus, a Ludovico Pio, & Ludovico filio, Rege Germaniæ, ex cauſa hic in Pontificio diplomate allegata oſtendit, nihilominus Bremenſem Epiſcopum, ut ut hujus Eccleſia in ſubſidium alimentorum & defectu Suffraganeorum unita fuerit Eccleſiæ Hamburgenſi, debuiſſe Colonienſi Metropolitæ v. g. ad Synodum invitanti, reverentem ſubjectionem, quæ, cum a tunc vivente Adalgario Bremenſi neglecta dicatur, hinc Pontifex ex Concilii Francofordienſis, & ſua ſententia ſubjectionem illam præſtandam decernit erga Metropolitam Colonienſem.

(*a*) Colligitur ex Epiſtola Papæ Formoſi hic inſerta, judice *Godefrido Henſchenio*, Hagiographo Antwerpienſi ad diem III. Februarii pag. 407. contra *Adamum Bremenſem, Albertum Stadenſem, Baronium, Binium & Synodographos*, hanc cauſam ad Synodum Triburienſem rejicientes.

(*b*) Formoſus Papa ſedit a Septembri exeunte 891. ad 27. Maji 896.

(*c*) Ergo poſt Synodum Francofordienſem.

(*d*) alias Odebaldus.

§. II.

§. II.

Arnulfus Rex confirmat ad instantiam Episcoporum Vibrechti & Bisonis privilegia Herifordiensis Cœnobii, concessa a Patre suo Karolomanno Rege.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Arnolfus Divina favente Clementia Rex. Si servorum & ancillarum Dei petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuimus ac pie prospicimus, id nobis & ad præsentis vitæ cursum salubriter transeundum, & ad perpetuæ beatitudinis præmia feliciter promerenda, liquido profuturum esse confidimus. Quamobrem noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet atque futurorum industria, qualiter Vuicprecht & Biso, venerabiles ac dilecti Episcopi nostri, precati sunt una cum Chonrado fideli Comite nostro Clementiam nostram, quatenus sororibus sanctimonialium in Monasterio Herifordt nominato, sub honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ constructo atque dicato, Domino famulantibus, electionem suam inter se intrinsecus ab antecessoribus nostris eis prius per præceptales cartas concessum, pro remedio animæ pii Genitoris nostri Karolomanni Regis, & deinde nostræ, cæterorumque parentum nostrorum, simili modo concederemus, nostræque auctoritatis scripto eam corroboraremus. Quorum petitionibus, & salubri consultui libenter assensum præbuimus, & præsens præceptum inde conscribi jussimus, quidquid boni antecessores nostri eidem cœnobio contulerunt, & omnia privilegia ab ipsis illuc concessa eidem concedentes, ac nostra auctoritate confirmantes, & juxta illorum monitionem iisdem sororibus securum per hoc præceptum concedimus arbitrium, & potestatem, inter se Abbatissas eligendi, quamdiu Deus aliquam inter illas eidem præsignaverit ab ipso docta, quæ famulas Dei inibi Domino militantes gubernare ac regere possit: nullusque successorum nostrorum hanc nostræ auctoritatis certam (*) potestatem habeat violare, ut ipsas ob hoc, melius pro nobis, & prælibato Genitore nostro, aliisque parentibus nostris exorare delectet. Et ut præsens auctoritatis nostræ præceptum nulla unquam mutabilitate violetur, seu violari conetur, manu propria illud firmavimus, annulo nostro assignari præcepimus.

Signum Domini Arnolfi Invictissimi Regis (L.S.)

Signum Domini Hludovici Serenissimi Regis (L.S.)

Ernestus Notarius ad vicem Theotmari Archi-Capellani recognovi & Ss.

Data III. Nonarum Novembrium die, anno Incarnationis Domini DCCC XCII. Indictionum XI. Anno Regni Arnolfi Regis V. Actum Franchonofurd in Dei nomine feliciter. Amen.

Schatenus Annal. Paderbornensium Tomo I. L. III. ad h. a.

Annum Regni V. hæ literæ præferunt, quem alii VI. ab anno 887. deducunt. Indictio similiter hujus anni X est, non XI; nisi sequentem a Septembri numerarint, aut certe scriptoris error in his intervenerit. Quem vero Wicpret Episcopum cum Bisone conjungat, incertum habeo; Nam duo Arnulpho Rege ejus nominis Wicberti Saxoniæ Episcopi fuere, alter Hildesiensis ex Corbeiensi Monasterio, ut diximus, traductus, alter Verdensis ex familia Widekindi M. præclarus ea tempestate Episcopus; quemadmodum hic Crantzius retulit. Qua vero ex causa Biso Episcopus noster ad Palatium profectus sit, nec ex fastis nostris, nec ab aliis accepimus. *Nota Schatenii.*

(*) *forte*: cartam.

ACTA ET DECRETA CONCILII TRIBURIENSIS.

Anno Chrifti DCCCXCV. Formofi Papæ V. Arnulfi Regis VIII.

Hoc Concilium a XXII. Germanorum Epifcopis ante annos DCXXX. eft Triburiæ prope Moguntiacum celebratum, fub Imperatore Arnolfo, anno Incarnationis Domini DCCCXCV. tam fancta fane intentione & diligentia, ad refecandum omnem palmitem inutilem, ad extirpandam cujuslibet hærefeos radicem, ad tollendam fchismatis occafionem, ad corrigenda clericorum vitia, ad præcavenda populorum fcandala, breviter ad reformandos mores & ftatus non modo clericorum, fed & laicorum, ut Gratianus poftea pleraque Capitula, diligenti ftudio recitaverit in volumine Decretorum. Eft autem Triburia adhuc hodie villa, ultra Rhenum prope Moguntiacum, quæ Germanica lingua dicitur Tribur.

Nota Joannis Cochlæi primi Editoris anno 1524. *ex codice MS. Bibliothecæ Brixinenfis.*

DECRETA ET CAPITULA CONCILII TRIBURIENSIS.

XXIV.

Annales Metenfes, Regino in chronico, Hermannus contractus in chronico, Marianus Scotus *in Chronico* ad annum 895, fed Marianus addit, fuiffe Synodum 96. Epifcoporum, cum Abbatibus, & probatis multis Clericis. Annalifta Saxo Eckharti *Tomo I. Scriptorum medii ævi* ad annum 894. ait, Triburiæ Synodum magnam LXXVI. Epifcoporum celebratam fuiffe. Albertus Stadenfis ad 896.

XXIV. De virgine ante XII. annos velata, non consentiente patrono, sub cujus erat patrocinio.
XXV. De viduis velatis.
XXVI. De monachis regulariter exeuntibus, sive fuga regularis disciplinæ elapsis.
XXVII. De clericis, qui semel in clero deputati sunt.
XXVIII. Ut nullus Episcopus alterius ministrum Ecclesiasticum sollicitet.
XXIX. Ut nullus servum, ante perfectam libertatem, Episcopus ordinare præsumat.
XXX. De eo, si quis ab Apostolico falsam detulerit Epistolam.
XXXI. De furibus & latronibus.
XXXII. De Ecclesia a compluribus coheredibus obsessa.
XXXIII. De claudis & aliqua parte corporis minutis, si sacro ordini possint adjungi.
XXXIV. De eo, si quis in hoste contra paganos interficit captivos Christianos.
XXXV. Ut nullus Comes, nullusque judex diebus festis, vel Dominicis, seu jejuniorum aut quadragesimæ, placitum habere præsumat, & ut nullus pœnitens illo veniat.
XXXVI. De eo, si duo fratres simul arborem succiderint, & cadente arbore unus eorum interfectus fuerit.
XXXVII. De muliere, cujus infans aliquo casu propter negligentiam ejus moritur.
XXXVIII. Si quis liber libertam duxerit, ulterius habere debebit.
XXXIX. Si quis alienigenam in matrimonium duxerit, habere debebit.
XL. De eo, quod quidam uxorem alterius, vivente eo constupravit & insuit, & insuper juramento confirmavit, eo moriente, conjugem eam accipere.
XLI. De eo, si quis duxerit uxorem, & concumbere non valens cum ea, frater ejus clam violaverit illam.
XLII. Si quis de uno in alium transmigrat Episcopatum, & consanguineam suam polluerit, vel aliquod crimen commiserit.
XLIII. Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius ejus vel frater inscius violaverit illam.
XLIV. Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater ejus ignarus duxerit illam uxorem.
XLV. Si quis cum duabus sororibus fuerit pollutus.
XLVI. Si cujus uxor constuprata fuerit, & propterea maritus perdere illam machinaverit.
XLVII. Si quis spiritalem habet compatrem, cujus uxor commater non est, eo defuncto ejus viduam licet ei ducere uxorem.
XLVIII. De eo, si quis suæ spiritalis commatris filiam duxerit uxorem.
XLVIIII. De his, qui in adulterio filios genuerunt, ut omnino separentur.
L. De eo, si quis aliquem per inclusionem a recta fide subverterit, vel perdiderit, ut dupliciter puniatnr.
LI. De eo, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit.
LII. De homicidiis non sponte commissis.
LIII. De eo, si quis filium suum non sponte, sed casu contingente occiderit.
LIV. De his, qui voluntarie homicidium fecerint.
LV. De pœnitentia XL. dierum.
LVI. Post XL. dies pœnitentia primi anni.
LVII. Pœnitentia secundi & tertii anni.
LVIII Pœnitentia quarti, quinti, sexti, & septimi anni.

INCIPIT EPISTOLA PRÆLOQUUTIVA SEQUENTIUM CAPITULORUM.

CUm constet omnibus, Divinam legem tractantibus, post Evangelia & limpidissima novi Testamenti fluenta, beatorum Canonibus Apostolorum, & Sanctorum Patrum apud Niceam Bithyniæ congregatorum constitutis, nec non & Apostolicorum Romanæ Sedis Pontificum decretis, satis occurrisse, restitisse, & oppugnasse, sive hæreticis, sive schismaticis, & omnibus veræ fidei oppugnantibus regulas; sed antiquus serpens, qui dicitur diabolus, & satanas, inimicus humani generis, nova venena malitiæ suæ, dulci poculo Sancti Spiritus admiscere, & bono semini Sancti Evangelii, zizania suæ pravitatis & profanæ iniquitatis, subseminare non desinit. Sicut in Matthæo, cum bonæ messi zizania fuissent inserta, scriptum est: *Inimicus homo hoc fecit.* (a) Et de ejus satellitibus, sub squamarum specie, in Job perhibetur. *Una* (b) *uni conjungitur*, &

(a) Matth. XIII. (b) Job. XLI.

& ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Unde neceſſe eſt, ejus perverſiſſimis machinationibus & ſatellitum ſuorum inſecutionibus, ex Autentica poteſtate contraire, & novum Paradigma veræ aſſertionis opponere. Quapropter Rex Regum, *cujus* (c) *regnum* (ut Pſalmiſta canit) *regnum eſt omnium ſæculorum*, omnibus Eccleſiaſticæ ſublimitatis ordinibus, nec non & ſæcularis potentiæ dignitatibus, novum Principem *Arnulfum* Regem pacifico ordine perpetuæ tranquillitatis præferre dignatus eſt. Cujus cor, Sancti Spiritus ardore inflammare, & zelo divini amoris voluit accendere, ut totus cognoſcat mundus, non ab homine, neque per hominem, ſed per ipſum Dominum eum eſſe electum. Conſiderans enim idem ſapientiſſimus Rex, profundæ mentis intuitu, abundantem in ſe Sancti Spiritus gratiam, quia quos repleverit, ardentes in ſe, pariter & loquentes facit de ſe: anno incarnationis Jeſu Chriſti Domini noſtri DCCCXCV. Regni vero ſui VIII. Indictione XIII. Menſe Majo, ejuſdem Sancti Spiritus inſtinctu, & primatum ſuorum conſultu, venit in villam Regiam, videlicet Triburiam, in terra Francorum conſiſtentem, cum Epiſcopis infra conſcriptis, Abbatibus, Comitibus, & omnibus regni ſui Principibus, nec non convenientibus Eccleſiaſticorum, & ſæcularium innumeris turbis: quatenus infatigabili perſeverantia, divina & humana tractarentur, atque emergentia mala comprimerentur, ut eo liberius ſancta Dei Eccleſia, ſuo potiretur honore. Cum autem ſapientiſſimus Rex Concilium ſacrum continuari decreviſſet, placuit ſibi & univerſo clero, ut peracto triduano jejunio, litaniis & orationibus, ſuper ſe de cœlis promiſſum invitarent adjutorium: ſicut ipſe Salvator aſcendens in cœlum, Diſcipulis ſuis promiſit, dicens: *Ecce ego* (d) *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; ut futura Concilia in ipſo inchoarentur, & per ipſum finirentur, qui eſt initium & finis, & ſupplementum legis, ut Apoſtolus Romanis ſcribens ait; *Finis* (e) *enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Quo peracto, pergens ad Palatium, regale ſedit ſolium, indutus veſte ſplendidiſſima, quam texit ſapientia, repletus eſt prudentia, erectus & potentia, pro ſua magnitudine ſtipatus multitudine, tractans practice de ſtatu regni, & theorice de ordine & ſtabilitate Eccleſiarum Chriſti, & qualiter boni quiete viverent, & mali inulte non peccarent. Interim Epiſcoporum ſacer conventus, in Baſilica prædictæ villæ, poſt communes orationes, & preces finitas, honorificentiſſime infulati, Pontificalibus ſedibus ſuffulti, mentibus ſerenati, prudentia præditi, Sacroſanctum ingreſſi ſunt Synodale colloquium. Inter alia namque, quibus divina, & humana tractaturi erant, communi voto & pari conſenſu, de collegio ſanctorum ſacerdotum, gnaros & idoneos direxerunt mediatores, ad præfatum pium Regem, inquirentes, quo ſtudio, vel quali benignitate, ſecundum ſapientiam & poſſibilitatem, ab ipſo Deo ſibi datam, Eccleſiam Chriſti, illi per regalem poteſtatem, & ipſis per ſacerdotalem eminentiam, commiſſam defendere, & miniſterium illorum amplificare, & ſublimare dignaretur. Proponentes ei propriam Regis eminentiam, id eſt, ut miſericordia, & modeſtia omnes præcellat, & non ſecundum perſonam judicet. Atque juxta Salomonem, *juſtitiam* (f) *judicium & æquitatem diligat.* Addentes inſuper ſacrarum exempla litterarum, quibus ſapientia alumnos, ſuis laboribus educatos inſtruens, ait: *Meum* (g) *eſt conſilium & æquitas, mea prudentia, mea eſt fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Et item: *Rex* (h) *qui judicat in veritate, thronus ejus in æternum firmabitur.* Præferentes etiam ei inſtitutiones Martini Epiſcopi ad Mironem Regem, quibus eum ad honeſtatem vitæ, & pietatem morum, ordine rationis inſtituens, ait: Prudentis proprium eſt, examinare conſilia: atque ſubjunxit: Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur. Præſentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Et ſermo tuus non ſit inanis, ſed aut ſuadeat, aut moneat, aut conſoletur, aut præcipiat. Quibus Rex Theo-

(*c*) Pſal. CXLIV. (*d*) Matth. XXVIII. (*e*) Rom. X.
(*f*) III. Reg. III. (*g*) Prov. VIII. [*h*] Prov. XXIX.

Theologiam quasi ab alto differentibus, ab augusta mentis suæ sede (quia ut Sapientia ait: *Cor* (i) *Regum inscrutabile est*) Arcanum mysterii sui revelans, in hæc verba prorupit: O Pastores Ecclesiarum Christi, & clarissima lumina mundi, agite, quæ vobis imposita est, curam pastoralem. Et juxta Apostolum, *Instate* (k) *opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate, in omni patientia & doctrina*, ut vigili cura & admonitione sedula, oves Christi ad caulas æternæ vitæ introducere mereamini. Habetis me, omnibus Ecclesiæ Christi adversantibus, & vestro Sacerdotali ministerio renitentibus, oppositissimum bellatorem. Quia, ut Apostolus Romanis scripsit: *In his* (l) *omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Et item: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei*, & unanimitate sancta, beatissimi Patres. Gratulantes igitur beati, qui missi sunt, Sacerdotes, congredientibus quibusdam Optimatibus, de throno Regis, causa justæ legationis & veræ unanimitatis, ad Sanctam Synodum directis, reversi sunt ad eos, qui miserant illos. Perambulantes igitur, & sacrum Conventum inrumpentes, & Ecclesiam illic congregatam consolatoria responsione lætificantes, siluerunt, & quid deinceps acturi essent, taciti expectare cœperunt. Exurgentes igitur de sedibus suis Reverentissimi Patres, cum astanti Clero, ter quaterque proclamantes, & Divinæ Majestati supplicantes: EXAUDI CHRISTE, ARNOLPHO MAGNO REGI VITA, & sonantibus campanis, *Te Deum laudamus*, concinentibus cunctis, glorificantes, & JEsum Christum conlaudantes, qui in servis suis consolabitur, qui Ecclesiæ suæ Sanctæ tam pium & mitem consolatorem, tamque strenuum adjutorem, ad honorem nominis sui, condonare dignatus est. Et peractis Divinæ Majestati precibus, inclinantes se, coram pii Principis astantibus Missis, gratificantes, & magno Principi laudes debitas persolventes. Deinde recto ordine consederunt, & prævio Sancto Spiritu, quædam Capitula magis necessaria, ex Canonicis institutionibus subscripserunt. Errata corrigere, superflua abscidere, recta via regia coartare. Post hæc prudentissimus Rex Regnorum, Sacrosanctis Divinæ Religionis interfuit mysteriis, & Sancti Patres, secretis palatinis. Et concordia erat in cunctis, ad laudem JEsu Christi Domini nostri, cui sit laus & gloria per infinita sæculorum sæcula.

EXPLICIT EPISTOLA.

Communis oratio pro concordia tam Cleri, quam populi.

CAPUT I.

POst ingressum Sancti, & Synodalis colloquii, e cœlis Divinum implorabant auxilium, ut Deus omnipotens, qui, David canente: *Inhabitare* (m) *facit unanimes in domo. Et dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ in domo sua*, in sancta videlicet Ecclesia, Clerum & populum unanimes dignaretur cohibere, virtutem & fortitudinem dare, ut in nullo diffiderent, quatenus rationabilia meditantes, & dictis concordarent & factis.

De quodam Presbytero excæcato, & de excommunicatis interrogatio synodalis.

CAP. II.

Cum hæc pro unitate tam Cleri, quam populi tractarentur, quidam Presbyter venit medius, a quodam laico excœcatus, ejusdem criminis, propter quod cœcus fuerat effectus, liberrimus, ut testatur Episcopus, in cujus Sancta Synodo post excœcationem coram positus securus est factus. Quapropter idem Episcopus præcepit, ut veniret laicus, & de tam nefando scelere satisfactionem procuraret agere. Qui nequaquam consensit, sed communem Episcoporum Synodum appellavit. Perpendentes Episcopi, lamentationem Hieremiæ impleri, *Aurum* [n] *obscurari, lapides Sanctuarii ab hostibus destrui*, & iterum in membris suis Christum crucifigi, suspirantes, & compassibiliter ingemiscentes, vicariis pro se & sancto Clero transmissis, proclamantes, & pium Ecclesiarum defensorem appellantes, & consilium postulantes, quid statuere dignaretur pro talibus & similibus, qui pro diversis erratibus, & certis criminibus sunt incorrigibiles, & justo anathemate, mucrone Apostolici sermo-

[*i*] Prov. XXV. [*k*] II. Tim. IV. (*l*) Rom. VIII.
(*m*) Psal. LXVII. (*n*) Thr. IV.

fermonis abfciduntur, quo ait: *Tradite* (o) *hujufmodi Satanæ in interitum carnis, ut fpiritus falvus fit in die Domini.* Et iterum: *Cum hujufmodi nec cibum fumere.* Sed tamen, indurante diabolo, quamvis excommunicentur, ad pœnitendum non emolliuntur: fed ficut fcriptum eft, *Impius* (p) *cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*: profundum peccatorum intuentes, & in defperationem proruentes: *Et erit* (q) *noviffimus error pejor priore.* Mittentes etiam ei contra eos fcripta inftituta canonica, in canonibus Sanctorum Apoftolorum Cap. XI. Quod cum (r) excommunicatis non fit orandum. In Nicæno magno (s) Concilio, Cap. V. Qui fuo peccaverunt evidenter Epifcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æftimentur. In Antiocheno (t) fancto Concilio, Cap. II. Ut fi quis Epifcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, feu quilibet ex Clero communicare deprehenfus fuerit cum excommunicatis, etiam ifte communione privetur, tanquam qui regulam confundat Ecclefiæ. In Epiftola Califti Papæ: Ut nemo cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, aut ofculo communicet, nec eis Ave dicat.

Refponfio Regis, & de excommunicatis fententia univerfalis.

CAP. III.

Nos igitur, quibus Regni cura, & folicitudo Ecclefiarum Chrifti commiffa eft, aliter regnum & imperium, jure Ecclefiaftico regere & gubernare non poffumus, nifi hos, *Qui Ecclefiam Chrifti, non* (u) *habentem* (ut Apoftolus ait) *maculam, neque rugam,* conturbant, zelo fidei perfequamur. De quo Rex David teftatur, *Nonne*, (x) *qui oderunt te Deus, oderam illos, & fuper inimicos tuos tabefcebam? Perfecto* (y) *odio oderam illos, inimici facti funt mihi.* Et cum Evangelium legeretur, audivimus, *Si te non* [z] *audierit, fit tibi ficut Ethnicus & Publicanus.* Et alibi: *Qui percutit malos in eo, quod mali funt, minifter Domini* [a] *eft.* Idcirco non potentiam oftendentes, fed juftitiam exhibentes, præcipimus, & auctoritate noftra injungimus omnibus regni noftri Comitibus, poftquam ab Epifcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur; ut ab ipfis comprehendantur, & ante nos perferantur: ut qui Divina judicia non verentur, humana fententia feriantur. Unde per quendam Sapientem dictum eft: *Rex,* [b] *qui fedet in folio judicii, diffipat omne malum intuitu fuo.* Si enim tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare ftuduerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, judicio Epifcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia: & præcepto noftro, Vueregeldi nulla ab eis extorqueatur compofitio. Conftringanturque proximi & eorum cognati cum juramento, ne in illis eos vindicent, fed pacem ad eos & concordiam fervent.

De injuria & contumelia, quod abfit, Presbyterorum.

CAP. IV.

Si quis Presbyter, quod abfit, quia Sacerdos altiffimi Dei eft, vulneratus, vel quibuslibet injuriis & contumeliis dehoneftatus, evaferit & fupervixerit, tota compofitio perfolvatur Presbytero. Si autem articulo mortis præventus obierit, precium Vueregeldi tripartita partiatur divifione. Id eft, altari, cui ordinatus fuerat, pars una: Epifcopo, in cujus Diœcefi erat, altera. Tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si vero in atrio Ecclefiæ aliquid ex iftis Presbytero factum fuerit, fupra dicto modo Presbytero, & pro Presbytero folvatur. Sed quia, ut *Hilarius Papa* omnibus Epifcopis per diverfas Provincias *in Epiftola fua* fcribit, injuria Sacerdotum & Ecclefiarum, facrilegium eft; facrilegium in atrio factum, altari, & Domino ejusdem loci perfolvatur. Sacerdotes enim non funt lacerandi, fed potius coronandi. Quia de his Ecclefiafticus liber loquitur, dicens: *In tota* (c) *anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius fanctifica, & Miniftros ejus non derelinquas, & honorifica Sacerdotem.* Et ISIDORUS: His enim, ficut & Epifcopis, difpenfatio myfteriorum Dei commiffa eft. Præfunt enim Ecclefiæ Chrifti, & in

(o) I. Cor. V. (p) Prov. XVIII. (q) Matth. XXVII.
(r) Tom. I. noftro pag. 132. (s) Tom. I. noftro pag. 138. (t) Tom. I. noftro pag. 157.
(u) Ephef. V. (x) Pfal. CXVIII. (y) Pfal. CXXXVIII.
(z) Matth. XVIII. (a) Rom. XIII. (b) Prov. XX.
(c) Eccl. VII, 31.

in (*d*) confessione Divini corporis & sanguinis, consortes sunt Episcopis, similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

Quali pœnitentia subjacere debeat, qui Presbyterum voluntarie morti tradiderit.

CAP. V.

Si quis Sacerdotem, non coactus, sed propria voluntate seductus, morti tradiderit, secundum sententiam Apostolicorum, & nostrorum moderni temporis Sacerdotum, quinquennio plenissimæ castigationi pœnitentiæ substernatur. Ita ut carnem non manducet, nec vinum bibat: jejunet autem usque ad vesperam, exceptis Dominicis, & diebus festis. Arma non portet, & ubicunque eat, pedibus incedat. Ecclesiam non intret, sed ante fores stet, orans Dominum puro corde, ut abluatur tanto crimine. Expleto vero quinquennio, introducente Episcopo, ingrediatur Ecclesiam nondum tamen communicans, sed intra audientes stans. Et aliud quinquennium, indulgentius introeat, indultum. Quo vero expleto, cum decimi anni cursus fuerit finitus, gratia communicandi, & licentia concedatur ei equitandi. Maneat autem in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut purificationis mereatur culmen.

De eo, qui evaginato gladio atrium Ecclesiæ intraverit.

CAP. VI.

Si quis temerarius atrium Ecclesiæ evaginato gladio, præsumptiose intraverit, sacrilegium facit. Et idcirco sacrilegium in atrio Domini factum, sacrilegii more, altari, & Domino persolvatur. Dominus dicit in Evangelio: *Omnes enim, qui* (*e*) *acceperint gladium, gladio peribunt.* Id est, qui se ipsos, vice talionis per peccatum in præsenti ulcisci desiderant, gladio ipsius peccati, in anima moriuntur. Quanto magis is, qui secundum atrium, quod Dominus sibi præ ceteris segregavit locis, suæ Sanctæ Ecclesiæ ad honorem, polluit & temerarius irruperit, gladio peccati & iniquitatis suæ mortuus jacuerit? Quapropter opus est pœnitentia, ut resurgat ad vitam, qui gustavit mortem.

De his, qui res Ecclesiæ, sive interiores, sive exteriores rapiunt.

CAP. VII.

Quicunque timorem Domini postponentes, & Ecclesiastica judicia non verentes, res Ecclesiæ rapiunt vel auferunt, ut in Epistola *Anacleti* Papæ legitur, sacrilegium faciunt. Papa dixit: Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Unde tanta auctoritate Apostolicæ sententiæ suffulti, sancimus, & unanimes judicamus, ut res Ecclesiæ tripliciter componantur. Insuper vero bannus Episcopalis exquiratur. Qui vero exteriores Ecclesiæ res rapiunt vel fraudant, Comite agente coerceantur, ut res ablatæ legitime restituantur & componantur. Si vero non procuraverint, vel non emendaverint, ab Episcopo canonice constringantur, ut res restituantur.

De his, qui contemnunt Bannum ab Episcopis impositum.

CAP. VIII.

Nemo contemnat, neque transgrediatur bannum ab Episcopis superpositum. Sciat & abhorreat, in *Epistola Beati Clementis* dictum contra se scriptum. Si vobis Episcopis, non obedierint omnes tam majores, quam & inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus & linguæ: non solum infames, sed etiam extorres a regno Dei & consortio fidelium, a liminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt. Et audiat ipsum Dominum in Evangelio dicentem: *Qui* (*f*) *vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit.* Quapropter nos Evangelicam & Apostolicam considerantes auctoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus & confirmamus, ut si quis post hanc hujus Sancti Concilii diffinitionem, inventus fuerit, corrupisse bannum ab Episcopis impositum, XL. dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale, & aqua.

(*d*) *lego* consecratione. (*e*) Matth. XXVI, 52. Genes. IX, 6. [*f*] Luc. X.

De eo, si Episcopus Ecclesiasticum, & Comes sæculare placitum una die condixerint.

CAP. IX.

Cum autem Episcopus Ecclesiam, a Domino Deo sibi commissam regens, Episcopatum circumeundo perrexerit, & placitum canonice constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit: atque Comes eadem die, sciens placitum ab Episcopo condictum, vel nesciens, placitum cum populo suum condixerit, & per bannum illuc venire præceperit; placitum Comitis omnes postponant, & Comes ipse: idemque populus, post Episcopum festine pergant, scientes, se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide Catholica invigilare: non cumulum pecuniarum, sed lucrum congregare animarum. Unde in eadem *Beati Clementis Epistola*: Vestrum, qui legatione Domini fungimini, est docere populos. Eorum vero est, vobis obedire, ut Deo. Et in *Epistola Alexandri* Papæ, successoris *Evaristi*: Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit, & sicut multis nocet, ita a multis est arguendus: & quia Dei causam impedit, & statum Ecclesiæ conturbat; ideo a liminibus ejus arceatur. Quapropter nullus Comes, nullusque judex, nullus omnino in clericatu, vel sæculari habitu constitutus, legationem Episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. Ut autem unanimitas & concordia sit inter Episcopos & Comites; placuit, ut si quis Episcopus domi residens, conventum populi esse voluerit, & Comes nihilominus in ipsa eademque die placitum esse dixerit, effectum obtineat, qui prior indicaverat. Salva tamen dignitate & potestate Episcopi.

Ut Episcopus non deponatur, nisi a XII. Episcopis, Presbyter a VI, Diaconus a tribus.

CAP. X.

Statutum est in hac sancta & universali Synodo, ut nullus Episcopus deponatur, nisi a XII. Episcopis, Presbyter a VI, Diaconus a tribus. In *Concilio Carthaginensi*, *Cap. XII.* Fœlix (g) Episcopus dixit: Si quis Episcopus in reatum aliquem incurrerit, & non potest plurimos congregare Episcopos: ne in crimine remaneat, a XII. Episcopis audiatur. Et Presbyter a VI. cum proprio suo Episcopo. Et Diaconus, a tribus Episcopis audiatur. Et in eodem (h) Concilio, *Cap. XX.* Ut Presbyter a VI. Diaconus a tribus discutiatur Episcopis. Reliquorum Clericorum causas, etiam solus Episcopus loci, cognoscat & definiat.

Si quis Clericus homicidium fecerit, ab ordine cessare debebit.

CAP. XI.

Si quis Clericus, quamvis nimium coactus, homicidium fecerit, sive sit Presbyter, sive Diaconus, deponatur. Legimus in *Canonibus* [i] *Apostolorum*: quod Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur. Quanto magis is, qui hoc immane scelus fecerit, ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet, *sicut* (k) *ipse ambulavit, & ipse ambulare. Qui cum malediceretur, non remaledicebat: cum percuteretur, non repercutiebat: cum pro nobis pateretur, non comminabatur.* Et ipse in Evangelio suo præcepit: *Si quis* (l) *te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram.* Non enim debemus occidere, cum Dominus dicat: *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Nec *malum pro malo reddere*, sed sicut Apostolus Romanis scribens, ait: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Si quis Clericorum præsens erit, ubi homicidium fuerit, & neque consensu, neque consultu, neque in aliquo homicidii reatu pollutus esse convincitur, nihil ei obsit, quin consecratus in gradu permaneat. Non consecratus, si alias dignus sit, promotus accedat.

Ut præter Pascha & Pentecosten Baptisma non celebretur, excepta necessitate periclitantium.

CAP. XII.

Sacrosanctum Baptismi mysterium, sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis, & legitimis in anno celebrari temporibus. Cum hoc sibi privilegium, ut in *Epistola Siricii Papæ* legitur *Cap. II.* & apud nos, & apud omnes Ecclesias,

(g) Tomo I. nostro. pag. 201. (h) pag. 202. (i) Tomo I. nostro pag. 133. cap. XXV.
(k) I. Petr. II. (l) Matth. V.

clesias, specialiter, cum Pentecoste sua, Dominicum Pascha defendit. In quo [ut legitur in *Epistola Leonis Papæ Cap. IX.*] orta est, & virtus muneris, & species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus JEsus Christus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: *Euntes* (m) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De quo utique ante passionem potuisset eos instruere, nisi proprie voluisset demonstrare, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic observantiæ, etiam Pentecostes, ex adventu Sancti Spiritus, sacra solemnitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo. Nam cum ad alios dies alia festa pertineant; hæc semper ad eum diem recurrit, qui resurrectione Domini est insignis, porrigens quodammodo manum auxiliantis gratiæ, & eos invitans, quos a die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, ut desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus consequantur. Ipse enim unigenitus Dei, qui in Pascha resurrexit, in fide credentium & in virtute operum, nullam inter se & Spiritum Sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura. Unde utrique sit proprium, non dissimile esse festum, ubi unum est Sacramentum. Sicut tunc, ita & nunc in remissionem peccatorum, baptismi celebratur Sacramentum, qui idem Spiritus Sanctus, cujus hic celebramus adventum, est *remissio omnium peccatorum.* Trina namque in baptismate inmersio, triduanam imitatur sepulturam. Et ab aquis elevatio, instar est resurgentis de sepulchro. Periculo quocunque modo præoccupatis & desperatis, omni tempore subveniendum, & baptismi Sacramentum est tribuendum, quia necessitas vix habet legem. Si enim valida infirmitate occupati, & desperati, ad Ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto baptisma celebretur, & procuratione Presbyteri, caute observetur & collocetur. Usque ad octavum namque diem, ipsa regeneratio sacra ab omni Christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur.

De decimis.

CAP. XIII.

De decimis *Augustinus*, doctor mirabilis, sub brevi ratiuncula satis videtur dilucidasse, cum ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus: nempe meus es, O homo! Mea est terra, quam colis. Mea semina, quæ spargis. Mea animalia, quæ fatigas. Meus est solis ardor. Et cum omnia mea sint, tu qui minus (*) accommodas, solam decimam merebaris, sed servo tibi IX. Da mihi decimam. Si non dederis decimam, auferam IX. Si dederis mihi decimam, multiplicabo IX. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur? sciat, quod ideo dandæ sunt, ut hac devotione Deus placatus, largius præstet, quæ necessaria sunt. Et ut ministri Ecclesiæ exinde relevati, liberiores fiant, ad spiritalis servitii expletionem. Et ut munus populi ex hinc, in cotidiana oblatione Domino immoletur, nec non secundum statuta canonum, in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes, juxta canones judicamus, de decimis & oblationibus fidelium, ut una sit Episcopi. Altera Clericorum, Tertia pauperum. Quarta restaurationi Ecclesiarum servetur, sicut in *Epistola Gelasii Papæ cap. XXVII.* legitur.

De decimis antiquarum, & noviter consecratarum Ecclesiarum.

CAP. XIV.

Placuit huic sancto Concilio, ut secundum sanctiones canonum, decimæ, sicut & aliæ possessiones, antiquis conserventur Ecclesiis. Sicut in *Calcedonensi* (n) *sancto Concilio statutum est cap. XVII.* Si quis autem in affinitate antiquæ Ecclesiæ, novalia rura excoluerit, decima exinde debita antiquæ reddatur Ecclesiæ. Si vero in qualibet sylva, vel deserto loco, ultra miliaria IV. aut V. vel eo amplius, aliquod dirutum conlaboraverit, & illic consentiente Episcopo Ecclesiam construxerit, & consecratam perpetraverit; prospiciat Presbyterum ad servitium Dei idoneum, & studiosum, & tunc demum novam decimam novæ reddat Ecclesiæ: salva tamen potestate Episcopi.

(m) Matth. ult. (*) *lego:* manus.

(n) Tomo nostro primo pag. 179.

De sepultura mortuorum.

CAP. XV.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem, ubicunque facultas rerum, & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus inopportunitatis difficultatem, impossibile videtur, exspectet eum terra sepulturæ suæ, quo canonicorum, aut monachorum, sive sanctemonialium congregatio sancta communiter degat, ut eorum orationibus judici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si & hoc ineptum & difficile estimetur: ubi decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus.

Ut sepulturam morientium nemo vendat.

CAP. XVI.

Abhorrendus, & Christianis omnibus devitandus mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam, sub precio vendere, & gratiam Dei vænalem facere: cum hoc nusquam sub Evangelica gratia meminimus nos invenisse, vel legisse. In Ecclesiastico namque libro scriptum est: *Mortuo* (o) *non prohibeas sepulturam, sciens, quia omnes moriemur.* Et item: *Omnia* (p) *quæ de terra sunt, in terram convertuntur.* Quid terra terram vendis? Memento, quoniam terra es, & in terram ibis, & quoniam mors tibi futura est, appropiat & non tardat. Recordare, quoniam non hominis est terra, sed, ut Psalmista commemorat, *Domini* (q) *est terra, & qui habitant in ea.* Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis, terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi forte proximi, & amici defuncti, propter nomen Domini, & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velit.

Ut nullus Laicus in Ecclesia sepeliatur.

CAP. XVII.

Secundum statuta Sanctorum Patrum, & experimenta miraculorum, prohibemus, & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in Ecclesia sepeliatur. Quidam mirabilis Doctor, nostræ diffinitioni consentiens, inquit. Nemo enim in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum, talem vivendo, suo corpori defuncto locum adquisivit. Corpora antiquitus in Ecclesia sepulta, nequaquam projiciantur; sed pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi vero hoc, præ multitudine cadaverum, difficile sit facere, locus ille *Cymiterium* & *Poliandrium* habeatur, ablato inde Altari, & constituto, ubi religiose sacrificium Deo valeat offerri. *Beatus Gregorius* in miraculis Patrum, memoria dignum, & huic rei congruum, refert miraculum, in Genuensi urbe contigisse. Ubi namque quidam Valentius nomine, Mediolanensis Ecclesiæ defensor, defunctus est, cujus corpus in Ecclesia Beati Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media, in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea repelleretur, atque traheretur foras. Ad quas nimirum voces cucurrere custodes, & videre duos quosdam teterrimos spiritus, qui ejusdem Valentii pedes cum ligatura constrinxerant, & eam ab Ecclesia clamantem animam vociferantem foras trahebant. Qui videlicet exterriti, ad sua strata reversi sunt. Mane autem facto, aperientes sepulchrum, ubi isdem Valentius positus fuerat, ejus corpus non invenerunt. Cumque extra Ecclesiam quærerent, ubi projectum esset, invenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut de Ecclesia fuerat abjectum. Ex qua re colligendum est, quia hi, quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat, ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt, quando hi, qui indigni sunt ab eisdem sacris locis, divinitus projiciuntur? *Sancta Synodus dixit*: Mira res, & multis expavescenda, ideoque per futura temporum curricula ab omnibus observanda.

De

(o) Cap. VII, 27. (p) Eccles. XLI, 13. (q) Psalm. XXIII, 1.

De vasculis, quibus mysteria sacra conficiuntur.

CAP. XVIII.

Vasa, quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ. De quibus *Bonifacius Martyr & Episcopus* interrogatus; si liceret in vasculis ligneis Sacramentum conficere? Respondit: quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. *Zephyrinus*, *XVI. Romanus Episcopus* patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tum deinde *Urbanus*, *XVIII. Papa*, omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus magis, & magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui servi patrisfamilias sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, ut deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis, & sanguinis Jesu Christi Domini nostri, in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, inde irascatur Deus.

Ne in calice, aut vinum solum, aut aqua sola offeratur.

CAP. XIX.

Alexander, successor Evaristi, dixit: Non debet enim, ut a patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus profluxit: ut videlicet per hoc indicet, (r) populos, qui secundum Joannem aquæ sunt, a Christo, cujus sanguis in calice est, dividi non debere. Cujus rei veritatem in hac Sancta Synodo confitemur, credimus & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini & aquæ mysteria sacra conficiat, sed ut duæ partes sint vini: quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.

De injuria Clericorum.

CAP. XX.

Si quis irreverens, timorem Domini postponens, in servos ejus sævire præsumpserit, quos ipse præ cæteris peculiari singularitate sibi segregavit, & coronæ suæ similitudinem, tradente Apostolorum Principe, (s) gestare fecit, & servos dici, & esse voluit, sortemque illorum se constituit, sicut de eis scriptum est, loquente ipso Domino: *Ego* (t) *hæreditas eorum. Dominus hæreditas mea est:* si quis (ut diximus) ullum eorum, quocunque ordine consecratum, cæsis vulneribus, vel quibuscunque injuriis angustaverit; jubeat eum Dominus Episcopus per bannum a se impositum ante se venire, & advocet cognitorem & adjutorem Comitem, & constringant protervum, Episcopus authoritate canonica, ut eidem Clerico, cui contra divinas & humanas leges contumelias ingessit, justam & debitam persolvat compositionem: & Comite agente, persolvat bannum Regibus debitum. Si vero agente protervia venire contempserit, justitiæque consentire detrectaverit, agantur super eum omnia, quæ supra scripta sunt in secundo & tertio capitulo, nisi iterum veniat, & justitiæ concordet.

De querimonia inter Presbyterum & Laicum.

CAP. XXI.

Si quis Presbyter contra Laicum, vel Laicus contra Presbyterum, aliquam habet querimoniæ controversiam, Episcopo regente, sine personarum acceptione finiatur, & Laicus præjuramento, si necesse sit, constringatur: Presbyter vero vice præjuramenti, per Sanctam Consecrationem interogetur, quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim, per quam corpus & sanguis Christi conficitur, juramento polluetur. Absit, cum Dominus in Evangelio discipulis suis, quorum vicem nos indigni in Sancta gerimus Ecclesia, dicat: *Nolite* (u) *omnino jurare. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Non dixit, quod amplius est, malum est: sed a malo, id est, a malo homine, de cujus incredulitate cogimur jurare. Ut enim in quadam omelia B. Bedæ Presbyteri legimus, si forte nos incautius jurasse contigerit, quod scilicet observatum, pejorem vergat in exitum, libere illud mutandum noverimus salubriori consilio.

 De

(r) Apoc. XVII. (s) I. Petr. II. (t) Num. XVIII. Deut. XVIII.
(u) Matth. V.

De eo, si quis liber aliquo crimine infamatur.

CAP. XXII.

Si quis fidelis, libertate notabilis, aliquo crimine aut infamia deputatur, utatur jure, juramento se excusare. Si vero tanto, talique crimine publicatur, ut criminosus a populo suspicetur, & propterea superjuretur; aut confiteatur, & pœniteat, aut Episcopo vel suo Misso discutiente, per ignem candenti ferro caute examinetur. Deus omnipotens, cum omnia nuda, & aperta sint oculis ejus (ut in Epistola *Evaristi* Papæ scriptum legimus) quo nos a dubiis, & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifeste agnosceret, quæ dicebantur. Unde ipse ait: *Descendam* (x) *& videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, compleverint, an non est ita, ut sciam.* Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temere, indiligenterque indiscussa quæque quo modo judicemus: sed exemplo Domini descendamus, videamus, & justo examine criminosos diligenter perscutemur, sicut ipse Sodomam: ut videamus, utrum clamorem populi compleverint, nec ne. Nam mala audita nullum moveant, sed ante audita diligenter inquirat.

De his, qui velatas, Deo consecratas, in conjugium duxerint.

CAP. XXIII.

Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscuerit, ut in constitutis *Gelasii Papæ Cap. vigesimo legitur*: protinus æquum est, a sacra Communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. *In Calcedonensi* (y) *Concilio*, cap. decimo sexto: Hoc perpetrantes excommunicentur: confitentibus, auctoritate Episcopi misericordia largiatur. *In Epistola Papæ Siricii cap. VI.* Velatæ, Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega se contagione miscuerint, vel de inlicitis complexibus publice, & libere filios procreaverint, has impudicas, detestabilesque personas, a Monasteriorum cœtu, & Ecclesiarum conventibus eliminandas esse, judicatum est, quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo Domini, & Canonica auctoritate in hac *Sancta Synodo* præcipimus, ut omnino separentur, & juramento conligentur, ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, & in publico, aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti, juste possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sint, dividant, & uterque sua provideat.

De Virgine ante duodecim annos velata, non consentiente patrono, sub cujus erat patrocinio.

CAP. XXIV.

Quæcunque Virgo sub patrocinio ante annos XII. non coacta, sed propria voluntate, sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem, nullo repetente, velata permanserit, ab eodem sancto habitu ulterius non recedat, sed sponsa vero Regi Christo, immaculato agno, ulterius incorrupta, & immaculata deserviat. Si vero idem patronus post annum & diem, sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam sponsam rapere; secundum præstituta canonum præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Christo Regi suam sponsam relinquat. Si quas de virginibus velatis curiosius, & diligentius investigare perstiterit, insistat *cap. decimo sexto Carthaginensis Sancti Concilii, & nonagesimo tertio Africani.* In Carthaginensi cap. decimo sexto (z) continetur, ut ante viginti quinque annos virgines non consecrentur: In Africano, nonagesimo (a) tertio: ut quicunque Episcoporum, aliqua urgente necessitate, vel periculo mortis angustante, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit, seu velavit, ante viginti quinque annos ætatis virginem, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum

tum

(x) Genes. XVIII.
[z] Tomo primo nostro pag. 201.
(y) Tomo primo nostro pag. 179.
(a) Tomo primo nostro pag. 228.

tum eſt, quin velata & conſecrata permaneat.

De viduis velatis.

CAP. XXV.

Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, prout conſtitutum eſt in decretis Papæ *Gelaſii cap.* 13. quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præſtituit. Quæ ſi propria voluntate continentiam profeſſa, ut in ejuſdem *Gelaſii cap.* 21. legitur, ejus intentio pro ſe reddat rationem Deo. Quia ſicut ſecundum Apoſtolum, ſi ſe continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur: ſic ſecum habita deliberatione, promiſſam fidem pudicitiæ Deo debet cuſtodire. Qua auctoritate paternæ ſuffulti ſententiæ, in hoc ſacro conventu ſancimus, & libere judicamus: quod ſi ſponte velamen, quamvis non conſecratum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, ſanctimoniæ habitum ulterius habere debebit: licet Sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen ſibi imponere, ut iterum poſſit deponere,

De monachis regulariter exeuntibus, ſive fuga regularis diſciplinæ elapſis.

CAP. XXVI.

Si quis monachus pro lucro animæ, vel animarum, a ſuo Monaſterio exire, & aliud propoſuerit intrare, conſentientibus Epiſcopo, Abbate, & fratribus, conſentimus, & concordamus, quia id feciſſe multos ſanctos legimus. Si vero fuga regularis diſciplinæ elapſus, propoſitum ſanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus, & ab hominibus deteſtandus, atque omni onere eſt gravandus: ut ſaltem rubore verecundiæ confuſus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta ſingularitatis profeſſione inimicus tenebat. Si autem tam irreverens & pertinax eſt, ut ad Monaſterium redire, & propoſitum monachi reluctaverit obſervare, impleantur ſuper eum conſtituta, quæ de eo ſcripta ſunt in ſancto canone in *Concilio Calcedonenſi* (b) *cap. IV. Papæ Siricii ſexto*, *Leonis* 26. quatenus retruſus ergaſtulo, decoqui poſſit pœnitudinis igne purgatorio.

De Clericis, qui ſemel in Clero deputati ſunt.

CAP. XXVII.

In Synodo (*c*) Calcedonenſi cap. 7. ſtatutum eſt, ut Clerici, qui ſemel deputati ſunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam. Et hoc tentantes, & pœnitentiam non agentes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegere, anathematizari. Nos autem eandem ſequentes canonicam auctoritatem, ſtatuimus, ut Clericus Eccleſiſtice nutritius in Eccleſia coram Clero, vel populo, legens, vel cantans, ſi poſtmodum relicto clericatus habitu, a caſtris Dominicis, quibus adſcriptus eſt, profugus, & apoſtata elabitur, & ad ſæculum egreditur; ab Epiſcopo canonice coerceatur, ut ad ſinum matris Eccleſiæ revertatur. Quod ſi in hac indiſciplinatione perdurat, ut comam nutriat, conſtringatur, ut iterum detondeatur, & poſtea nec uxorem accipiat, nec ſacrum ordinem attingat. Si vero huic hujus ſancti Concilii reluctaverit diffinitioni, ſecundum præſtitutam Calcedonenſis capituli conſtitutionem anathematizetur. *Sanctus Iſidorus* tales hippocentauris dicit eſſe ſimiles, qui nec equi, nec homines, atque quaſi bruta animalia, libertate ac deſiderio ſuo feruntur.

Ut nullus Epiſcopus alterius miniſtrum Eccleſiaſticum ſolicitet.

CAP. XXVIII.

In Nicæno ſancto (*d*) & univerſali Concilio continetur: propter multam perturbationem, & ſeditiones, quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, ita ut de civitate ad civitatem, non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus, transferatur, &c. *In Calcedonenſi* (e) *cap.* 20. Clericos in Eccleſia miniſtrantes, in alterius civitatis Eccleſiam ſtatutos fieri non oportet. Si quis Epiſcopus poſt hanc diffinitionem ſuſceperit Clericum, ad alium pertinentem; ſuſcipiens, & ſuſceptus, communione priventur, donec is, qui migraverat, ad propriam fuerit regreſſus Eccleſiam. Item *in Synodo* (f) *Sardicenſi cap.* 18. ut nulli liceat Epiſcopo, alterius

(*b*) Tomo primo noſtro pag. 177.
(*d*) Tomo primo noſtro pag. 139. Can. XVI.
(*f*) Tomo primo noſtro pag. 193.
(*c*) Tomo primo noſtro pag. 177.
(*e*) Tomo primo noſtro pag. 179.

terius Episcopi ministrum Ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. *In Africano cap.* 21. ut Clericum alienum nullus sibi privet Episcopus, præter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus &c. Item *In decretis Papæ Leonis*: alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi forte ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque convenerit. Quibus constitutis Sanctorum canonum operam dantes, & vestigiis patrum inhærentes, hoc secundum præfixos sanctos Canones statuimus, & justum esse decernimus.

Ut nullum servum ante perfectam libertatem Episcopus ordinare præsumat.

CAP. XXIX.

Secundum decreta Sanctorum Patrum præjudicamus, & nos id acturos profitemur, ut nullum servum Episcopus ordinare præsumat, antequam perfecta ditetur ingenuitate: quia non debet vilis persona fungi sacerdotii dignitate. *Leo Papa in Epistola sua cap. I.* Debet enim esse ab aliis securus, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. *Gregorius in decretis suis Cap.* 7. Multos ex Ecclesiastica familia novimus, ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi, in divino servitio valeant conversari. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi invenimur quædam negare, qui dedit omnia: unde necesse est, ut ab humano servitio liber recedat, qui divini obsequii districtam subire appetit servitutem. Sancta Synodus dixit: præfinita Patrum statuta, inviolabilem habeant firmitatem.

De eo, si quis ab Apostolico falsam detulerit Epistolam.

CAP. XXX.

In [*h*] memoriam B. Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licet vix ferendum, ab illa sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet sive sit Presbyter, sive Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse Epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit; salva fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per Epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta Legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat diffinire, ut & is corrigatur, & cæteris modus inponatur.

De furibus & latronibus.

CAP. XXXI.

Tranquillitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari testantur fures & latrones, qui ambulant inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res Ecclesiarum sæva mente adducti rapientes, & gregem Dominicum spoliando lacerantes. De quibus Salvator in Evangelio commemorat: *Qui* (i) *non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est & latro.* Atque subjungit: *Fur non venit, nisi ut furetur & mactet, & perdat.* Ubi quamvis hæreticos, qui fidem furantur Ecclesiæ, designet: tamen insecutione furum & latronum turbatam monstrat pacem Ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philipp. *Videte* (k) *canes, videte malos operarios. Canes* vocavit, quod non habent verecundiam: *malos operarios*: quia nulla faciunt, quæ pietati conveniunt. Et Dominus per Prophetam Esaiam: *Ego* (l) *Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam.* Unde nos, quæ Dominus diligit, diligentes, & quæ odit, odio habentes, statuimus,

(g) Tomo primo nostro pag. 211.
(h) Concilii Sardicensis Cap. III. Tomo primo nostro pag. 190. Vide ibid. pag. 356. inter Capitula Caroli Magni, anno I. Imperii promulgata, ex quo solo citat *Baluzius Tomo I. Capitularium*: Idem tamen negare non potest, anno 895. in Concilio Triburiensi instauratum fuisse hoc Capitulum: unde Burchardus recte facit, illud citans ex Triburiensi L. I. C. 220. quem sequuntur Ivo & Gratianus Dist. C. III.
(i) Joann. X. (k) Philipp. III. (l) Esai. LXI.

mus & judicamus, ut si quis post hæc Evangelica, & Apostolica, atque Prophetica verba, & diffinitionem pacatissimæ Synodi, inventus fuerit furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere: nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data, in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. B. Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & exspectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite vita, emendatione morum & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam. In Nicæno magno Concilio (*m*) statutum (*Cap.* 12. & (n) 26. *q.* 6. *De his vero*) legimus: Si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur, &c. Item de ultima pœnitentia, in Epistola *Innocentii Papæ Cap.* 21. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis permittente Salvatore nostro, a perpetuo liberentur exitio. Item de eodem *Carthaginensi* 7. (*o*) Et, *Cælestini* 15. ubi ait: Quid rogo aliud est, ultimam pœnitentiam negare periclitanti, quam mortem addere morienti?

De Ecclesia a compluribus cohæredibus obsessa.

CAP. XXXII.

Quæcunque Ecclesia a compluribus cohæredibus sit obsessa, concordi unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, & cura populi inreligiose agatur. Si vero contingat pro ea comparticipes diffidere, & sub uno Presbytero nolle eam procurare, & propterea jurgia & contentiones tam inter ipsos, quam inter clericos incipiant frequentare, quia juxta Apostolum *Servos Dei non oportet litigare*; Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorifice collocet eas, atque ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant Presbyterum, qui idoneus sit, sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant auctoritatem Episcopi, ut in nullis Ecclesiis nec constituantur Presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis, & non consentientibus. In Epistola *B. Papæ Clementis legitur*: Attendendum summopere est omnibus Presbyteris & reliquis Clericis, ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant, non utique Missas sine ejus jussu quisquam Presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, majores scilicet & minores, per ejus licentiam, quicquid agendum est, agant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt: ideo omnia ejus consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

De claudis & aliqua parte corporis minutis, si sacro ordini possint adjungi.

CAP. XXXIII.

In Nicæno Sancto & universali Concilio statutum est Cap. 1. (*p*) Ut si quis a Medicis per languorem defectus est, aut a barbaris abcisus, hic in Clero permaneat. In Epistola *Innocentii Papæ Cap.* 28. Qui igitur volens cujuslibet partem digiti sibi abscidit, hunc ad Clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contingit, hunc canones præcipiunt, & Clericum fieri, & si in Clero fuerit repertus, non abjici. Item in *Decretis Gelasii Papæ Cap.* 16. Ut nemo litteras nesciens, vel aliqua parte corporis imminutus, promoveatur ad Clerum. Hanc auctoritatem Sanctorum Patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque: ita, ut, si quis a medicis per languorem defectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, & inveniatur alias dignus, permaneat Clericus, & sacro ordini aptus.

(*m*) Tomo primo nostro pag. 139. Cap. XIII. mihi.
(*n*) Gratianus causa XXVI. q. VI. ex eodem fonte Nicæni Concilii.
(*o*) Tomo I. nostro pag. 200. Cap. VII. Carthaginensis Concilii.
(*p*) Tomo I. nostro pag. 137.

De eo, si quis in hoste contra paganos interficit captivos Christianos.

CAP. XXXIV.

Undique bella consurgunt, hostes sæviunt. Inimica gens paganorum insequitur populum Christianorum: impletum est enim, quod Evangelica testatur historia: *Surget gens* (q) *contra gentem, & regnum adversus regnum &c.* Et alibi scriptum est: *Pugnabit* (r) *orbis terrarum pro eo contra insensatos.* Quapropter zelo Divinæ æmulationis accensus Christianorum exercitus, procedunt ad bellum, confidentes in eum, qui dixit: *Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis.* Fit Conventus Christianorum & Paganorum: fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Unde fortissimo confortante Domino, sicut Matathias, Pater Machabæorum ait: *Non in* (s) *multitudine exercitus fit victoria belli, sed de cælo venit fortitudo*: sæpe fuit victoria Christianorum, victa est pars paganorum. Quare una cum interfectis paganis perempti fuerunt Christiani, captivi a barbaris, quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco justum decernentes, statuimus cum interfectoribus misericordius agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indulgentius transactis, penes Episcopum sit auctoritas & potestas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam.

Ut nullus Comes, nullusque Judex diebus Festis vel Dominicis, seu jejuniorum aut Quadragesimæ, placitum habere præsumat, & ut nullus pœnitens illo veniat.

CAP. XXXV.

Secundum Sanctorum statuta Patrum, in hoc sancto præjudicamus Concilio, ut nullus Comes, nullusque omnino sæcularis diebus Dominicis vel Sanctorum in Festis, seu Quadragesimæ, aut jejuniorum, placitum habere, sed nec populum illo præsumat coërcere: quia inde irascitur Deus, quod, cum tantum suo sancto servitio debet populus desudare, inveniatur lites & contentiones frequentare. Diebus vero Dominicis & Sanctorum festis, vigiliis & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. Diebus quadragesimæ & jejuniorum, summa devotione jejunandum, & omni intentione est orandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ, & nullæ lites vel contentiones habendæ. Arguit enim eos, qui contentiones & lites tempore jejuniorum, & qui a debitoribus debita exigunt, Dominus per Prophetam dicens: *Ecce* (t) *in diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie.* Ideo nobis, qui gregis Dei curam accepimus pastoralem, summopere curandum & prohibendum est, ne nostra desidia agente, præfatis diebus, ullus placitum habere, & populum nobis commissum a servitio Dei nostri audeat impedire. Præterea sancimus & præcipimus, ut nullus Comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse veniat; ne forte, dum jejunare & orare, atque pro salute suæ animæ debet invigilare, vaniloquiis & contentionibus cogatur laborare.

De eo, si duo fratres simul arborem succiderint, & cadente arbore unus eorum interfectus fuerit.

CAP. XXXVI.

Si contingat, duos fratres simul arborem succidere, sive in sylva, sive quocunque loco, & cadente arbore, alter alteri, fuge vel cave dixerit, & ipse stans sive fugiens, subtus ipsam arborem devenerit, & mortuus fuerit: superstes frater, innocens de morte defuncti dijudicetur. Quia non voluntate, non incuria illius, non denique consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu; sed dum ambo insisterent operi necessario, incautus & insperatus casu arboris depressus est, nemine penitus adjuvare valente. Hanc eandem statuimus diffinitionem de cæteris similibus, sive cognatis, sive nulla proximitate conjunctis. Istam diffinitionem tenuere Patres nostri Apostolici viri: ideo eorum exempla sequentes, per futura tempora inviolabilem eam custodimus, & posteris nostris sequendam transmittimus: quia grave peccatum est, & nostro ministerio contrarium, innocentem opprimere, & securum crimine scienter criminosum habere. Quidam

(q) Matth. XXIV. (r) Sap. V. (s) I. Macb. III.
(t) Esai. LVIII.

dam de ſapientibus ait : Premit inſontes debita ſceleri noxia pœna, juſtusque tulit crimen iniqui.

De muliere, cujus infans aliquo caſu propter negligentiam ejus moritur.

CAP. XXXVII.

Si quæ mulier, ut ſæpe contingit, infantem proprium prope ignem collocaverit, & alius, qui caldarium ſuper ipſum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipſa per ignem fervens egreditur, & infanti ſuperfunditur, & propterea mortuus agitur : mater infantis propter negligentiam judicio Sacerdotum pœniteat, & homo, qui caldarium pependit, ſecurus permaneat. Simili modo de cæteris ſimilibus, quæ ſæpe diverſe ſolent evenire & judicamus, & eſſe volumus.

Si quis liber libertam duxerit, ulterius habere debebit.

CAP. XXXVIII.

In decretis Papæ Leonis cap. XVIII. ſcriptum eſt : Non omnis mulier viro juncta, uxor eſt viri, quia nec omnis filius hæres eſt patris. Nuptiarum autem fœdera, inter ingenuos ſunt legitima & inter æquales. Itaque aliud concubina, aliud uxor; ſicut aliud ancilla, aliud libera. Igitur ſi quis filiam ſuam viro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam conjugato dederit, niſi forte illa mulier, & ingenua ſit facta, & dotata legitime, & in publicis nuptiis honeſtata videatur. Unde paternam ſequentes auctoritatem, ſub præſenti hujus Sancti Catalogo Concilii ſtatuimus, & libere judicamus, ut quiſquis liber libertam, hoc eſt, ex ancilla per manumiſſionem, & regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debeat, tanquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis cauſa : & quam diu illa vivat, nullam aliam accipiat. Eſt igitur, ut ex decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta & dotata legitime, & in publicis honeſtata nuptiis, & propterea jam non eſt concubina, ſed uxor legibus acquiſita. Hæc eadem lex, pro qualitate ſexus ſit fœminis & viris (*u*) libertas.

Si quis alienigenam in matrimonium duxerit, habere debebit.

CAP. XXXIX.

Quicunque alienigenam, hoc eſt, alienæ gentis fœminam (verbi gratia Francus mulierem Bajoaricam) utrorumque conſultu propinquorum legitime, vel ſua, vel mulieris lege acquiſitam, in conjugium duxerit : velit nolit, tenenda erit, nec ultra ab eo ſeparanda, excepta fornicationis cauſa. Quamvis enim, ut Apoſtolus ait : *Unus* (x) *Dominus*, *una fides*, *unum baptiſma*, utrique communis ſit nationi, legem tamen habent diverſam, & quantum ad ſæculum, interdum longe disjunctam. Quare ſi unus e duobus, unam carnem in duas dividere, & copulam nuptialem machinetur disjungere dicendo, non ſecundum ſuæ gentis legem jura matrimonii contraxiſſe ; & idcirco ſeparari poſſe : canonica inſtitutione diffinimus, & noſtro omniumque orthodoxorum judicio ſtatuimus, ut quod legis imperfectum ſit, perficiatur, & jus matrimonii nequaquam reſolvatur. Synodus Romana ait : Quod non dimittenda ſit uxor poſt baptiſmum, quæ habita eſt & ante baptismum. In baptiſmo ſolvuntur crimina, non tamen legitima conjugia. Cum enim in baptiſmo transmigrat de vita in vitam, & non mutat uxorem legitimam, quomodo mutat eam, qui non mutat vitam, ſed tranſit de gente ad gentem. Igitur quia jam ſuffugium non habent ſeparandi, impleant dictum Apoſtoli, *Ut* (y) *unanimes unum ſentientes permaneant in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Nos autem cognita referimus, quia quendam Francum & mulierem Saxonicam talia egiſſe cognovimus. Si quis poſt hæc, hujus ſancti Concilii inſtitutionem parvi pendens, aliam duxerit, cujuſcunque gentis ſit, canonice arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur.

De

(*u*) *forte*: libera. (*x*) Epheſ. IV. (*y*) Philipp. II.

De eo, quod quidam uxorem alterius, vivente eo constupravit, & insuper juramento confirmavit, eo moriente conjugem eam accipere.

CAP. XL.

Audivimus rem execrabilem, & Catholicis omnibus detestandam, quendam nefario fornicationis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse: & in augmentum iniquitatis, juramento confirmasse; si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam, sibi associaret toro, & legitimo matrimonio: si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur, quæ Apostolus enumerat, mala, *Quæ sunt* (z) *fornicatio, immunditia, luxuria*, &c. ad ultimum vero veneficia & homicidia, quia pro tam inlicito amore, alii veneno, alii gladio, vel aliis diversis sunt perempti maleficiis. Idcirco acutissimo ferro, & totius generis artificio resecanda, per quæ cœlestia regna sunt occludenda. *Quoniam*, ut idem Apostolus ait: qui talia agunt, *Regnum* (a) *Dei non consequentur.* Tale agitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

De eo, si quis duxerit uxorem, & concumbere non valens cum ea, frater clam violaverit illam.

CAP. XLI.

Si quis legitimam duxerit uxorem, & impediente quacunque domestica infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa: frater vero ejus, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculum eam humiliaverit, & violatam reddiderit, omnimodo separentur, & a neutro ulterius eadem mulier contingatur. Igitur conjugium, quod erat legitimum, fraterna commaculatione est pollutum: & quod erat licitum, inlicitum est factum, & ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat torum: si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia vero humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum: Idcirco Episcopus, considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur (b) matrimonio: ne, dum sperantur ad alta sublevari, corruant in cœnum.

Si quis de uno in alium omnino transmigrat Episcopatum, & consanguineam suam polluerit, vel aliquod crimen commiserit.

CAP. XLII.

Si quis de uno in alium omnino transmigrat Episcopatum, & si (quod absit) contingat eum filiam sororis suæ, amitæ, aut materteræ, avunculi vel patrui polluere, aut aliquod crimen committere; Episcopus, in cujus tunc diœcesi commoratur, & tali scelere criminatur, habeat jus & potestatem secundum canonicam auctoritatem, & nostram Synodalem institutionem flagitiosum coërcere, & ad pœnitendum emollire. Per quos enim melius rei veritas ventilatur & emendatur, quam per hos, inter quos habitat, & criminosus apparet?

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius ejus, vel frater inscius violaverit illam.

CAP. XLIII.

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius ejus, vel frater ejusdem rei inscius, cum eadem se polluerit, & postquam se pollutum esse cognoverit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit: quia hoc pœnituit, & confessus fuit, post peractam congruam pœnitentiam, legitimo utatur matrimonio, ne iterum mordente crudelissima libidinis bestia saucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nam ut Hieronymus ait: ferreas mentes domat libido. Mulier vero, quæ tantum nefas commiserat, ulterius pœniteat, atque continens & innupta permaneat.

Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater ejus ignarus duxerit illam uxorem.

CAP. XLIV.

Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater ejus, ejusdem sceleris ignarus, duxerit illam uxorem, frater

(z) Rom. I.

(a) I. Corinth. VI.

(b) *forte addendum* eos.

frater, qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non indicavit fratri uxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia, & condigna castigatione. Qua peracta, si continens esse non possit, indulgentia sublevetur, ne libidini prosternatur; quatenus legitimo consoletur matrimonio. De muliere vero sancimus, sicut de ea in Neocæsariensi sancto Concilio diffinitum legimus cap. 2. Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam fructum pœnitentiæ consequatur, si promiserit, quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincula dissolvat. Quod si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Episcopus vero potestatem habeat secundum conversationem ipsius, aut adjicere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamen ulterius continens & a viro disjuncta permaneat.

Si quis cum duabus sororibus fuerit pollutus.

CAP. XLV.

Simili modo secundum sanctos canones diffinimus, & judicamus de eo, qui cum duabus sororibus fuerit pollutus, ut usque in exitum vitæ pœnitens, & continens permaneat. Soror autem quæ posterior libidinis perforata aculeis, scienter se cum eodem commaculaverit, usque in finem vitæ pœnitens, & continens perduret. Si autem improvise contingit, condigna stringatur castigatione: & si velit, legitima utatur viri conjunctione.

Si cujus uxor constuprata fuerit, & propterea maritus perdere illam machinaverit.

CAP. XLVI.

Si cujus uxor constuprata fuerit, & propterea maritus capitali sententia delere illam machinaverit: ipsa vero urgente mortis periculo, ad Episcopum confugerit, & auxilium quæsierit, operosiori; si potest, Episcopus labore desudet, ne occidatur. Si vero non potest, nullo modo liceat ei, requirenti eam reddere viro, ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum, sed solerti cura transmittet eam ad locum, quem ipsa delegerit, ut secura vivere possit. Si vero interdum maritus eam invenerit, & repetierit, secundum sæculum potestatem (*) habuerit, quid agere ei velit. Sed audiat S. Augustinum dicentem: cum enim vir a virtute nomen accipit, & mulier a mollitia, id est, fragilitate: quare contra crudelissimam libidinis bestiam, vult unusquisque uxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadit? Nam quidquid contra fidem Catholicam mulieribus non licet, nec viris licet. Si autem eadem mulier timore perterrita, a loco, ubi eam Episcopus destinavit, aufugerit, & vir ejus ab Episcopo semel aut bis, vel sæpius repetierit, si vitam ei obtinere possit, perquirat, & reddat: sin autem, omnino non reddat. Maritus vero, quamdiu ipsa vivat, nullo modo alteram ducat.

Si quis spiritalem habet compatrem, cujus uxor commater non est, eo defuncto ejus viduam licet ei ducere uxorem.

CAP. XLVII.

Qui spiritalem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, & ejus uxor commater non est: liceat ei, defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? Numquid non possunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, vel in (*c*) id generatio secernit spiritalis.

De eo, si quis suæ spiritalis commatris filiam duxerit uxorem.

CAP. XLVIII.

Illud etiam nec canonica institutione diffinimus, nec introductione aliqua refutamus: sed propter eos, qui diversa (*d*) de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritalis commatris filiam, fortuito, & ita contingente rerum casu, in conjugium duxerit, consilio maturiori servato habeat, atque honeste legitimo conjugio operam det.

De his, qui in adulterio filios genuerunt, ut omnino separentur.

CAP. XLIX.

De his, qui in adulterio juncti, per

[*] *forte*: habeat. (*c*) Pro *in id*, Cochlæus legit *nulla*.
(*d*) Cochlæus habet *diverse* pro diversa, vel diversimode.

per incentiva libidinis malæ filium vel filiam genuerunt, canonice præjudicamus: ut quando ab Episcopo justa divisione separantur, eo tenore sejungantur, ne ultra spe reversionis deludantur. Quare si quid inter se proprietatis, aut pecuniæ communi donatione tradiderunt, ut (e) quæ communi servent infanti. De reliqua vero proprietate & pecunia, nullam alterius habeant communionem, sed uterque sua provideat: & ut velit, faciat. Et ut hoc verius credatur atque firmius observetur: verbo Domini præcipimus, & canonica atque Synodali impositione injungimus, quatenus juramento colligentur, deinceps & ultra sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, & in publico: nec ullam habere communionem in proprietate aut mancipiis, vel pecunia, sive ullis rebus, unde suspicio luxuriosi facti, aut scandalum libidinosi desiderii juste possit oriri.

De eo, si quis aliquem per inlusionem a recta fide subverterit vel perdiderit, ut dupliciter puniatur.

CAP. L.

Si quis vero, sive sit vir, sive mulier, aliquem à recta credulitate, & Catholica fide inlusione diabolica averterit: expedit ei, ut Evangelicus intonat sermo: *Ut suspendatur* (f) *mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Quia qui scandalizaverit alios, ut Deum offendant, ac de vera fide & salute recedant, multo melius esset ei, ut propriis vitæ suæ vitiis, & immunditia pollutus puniretur, quam pro suis & aliorum peccatis in infernum demergeretur. Et si quempiam veneno, vel herbis, aut diversi generis maleficiis perdiderit, velut pessimus homicida, duplici mulctetur pœnitentia.

De eo, si quis cum uxore alterius vivente eo, fornicatus fuerit.

CAP. LI.

Illud vero communi decreto secundum canonum instituta diffinimus, & præjudicamus, ut si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur inlicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium.

De homicidiis non sponte commissis.

CAP. LII.

Placuit nobis de homicidiis non sponte commissis, hic inserere, quod in Ancyrano sancto Concilio (g) cap. 22. legitur, ubi dicitur: de homicidiis non sponte commissis, prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit: secunda vero quinquennii tempus explere. Modus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem pœnitentium, possint & extendere tardantibus, & minuere studiose festinantibus.

De eo, si quis filium suum non sponte, sed casu contingente, occiderit.

CAP. LIII.

Si quis filium suum (quod absit) non sponte, sed casu contingente occiderit, secundum homicidia (*) sponte commissa pœniteat, ut sequenti subinfertur capitulo.

De his, qui voluntarie homicidium fecerint.

CAP. LIV.

De his, qui voluntarie homicidium fecerint, Ancyrano sancto (h) Concilio cap. 21. legitur: ut pœnitentiæ quidem jugiter se submittant: perfectionem vero, id est, communionis Christi gratiam circa vitæ exitum consequantur. Instituta Canonica, & Sanctorum Patrum decreta, nostro & omnium orthodoxorum judicio, inviolabilem habeant firmitatem. Nobis autem, qui pastores Christi ovium sumus, pro moderni temporis qualitate, & hominum fragilitate, bonum & utile videtur, ut his, qui voluntarie homicidium fecerint, auctoritate Synodali, & judicio generali, & modum castigationis imponamus, & certum ac definitum pœnitentiæ tempus præmonstremus: ne prolixum tempus pœnitentiæ generet fastidium negligentibus:

(e) Cochlæus edidit: *utique communi servent infanti.*
(f) Matth. XVIII.
(*) *forte:* juxta homicidia non sponte.
(g) Tomo I. nostro pag. 148.
(h) Ibidem eadem pagina.

bus: sed cursim exercitatis accrescat opus salutis.

De pœnitentia XL. dierum.

CAP. LV.

Si quis sponte homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingressu Ecclesiæ arceatur. Et nihil manducet illis XL. diebus præter solum panem & salem, neque bibat, nisi puram aquam. Nudis pedibus incedat. Lineis non induatur vestibus, nisi tantum femoralibus. Sæcularia arma non portet. Nullo vehiculo utatur. Ad nullam fœminam, nec ad propriam uxorem, his diebus misceatur. Nullam communionem illis XL. diebus cum aliis Christianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo, vel potu, aut ullis rebus. Si vero sint aliqui vitæ suæ insidiatores, ut præ illis non possit digne pœnitere, interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab Episcopo proprio pax ei ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit rite jejunare, adhibeatur ei misericordia, quousque convalescat, & tunc demum pœniteat. Si vero longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad Episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat: quia, ut *Gregorius Pastorali* commemorat libro: occultiora sunt vulnera mentium, quam corporum: & ars est artium, regimen animarum.

Post XL. dies pœnitentia primi Anni.

CAP. LVI.

Post illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu Ecclesiæ suspendatur: & abstineat se a carne & caseo, a vino & medone, ac mellita cervisia, nisi Dominicis diebus & Festis, qui per illum Episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum: & nisi vel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe, aut diu ad Dominicam curtem, vel si infirmitate detentus sit: tunc licitum sit ei, tertiam feriam & quintam, atque sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita duntaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id est, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat. Completo vero unius ejusdemque anni curriculo, ita castigatus rite, & ordinabiliter more pœnitentium, introducatur in Ecclesiam.

Pœnitentia secundi & tertii anni.

CAP. LVII.

Secundum vero & tertium annum simili modo pœniteat; excepto, quod prædictas tres ferias redimere jus habeat, ubicunque est, sive in domo, sive in itinere. Cætera per omnia observet, ut in primo anno faciebat.

Pœnitentia quarti, quinti, sexti, & septimi anni.

CAP. LVIII.

Quartum enim annum & quintum, sextum & septimum isto modo observet: jejunet autem his singulis tres quadragesimas: unam ante Pascha Domini a caseo & pinguibus piscibus, a vino & medone, & mellita cervisia: alteram ante nativitatem S. Joannis Baptistæ. Si vero desunt quadraginta dies ante nativitatem, impleantur post nativitatem. Tertiam quadragesimam, ante nativitatem Domini Salvatoris jejunet, & abstineat se a carne & cæteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis, tertia feria & quinta & sabbato manducet & bibat, quodcunque libeat, & secundam atque quartam feriam denario, aut prædicto denarii pretio, redimere jus habeat: sextam vero feriam caute observet. His septem annis rite expletis, reconcilietur & more pœnitentium sacris altaribus, & sanctæ communioni restituatur, atque perfectionem consequatur.

Subscriptio Episcoporum viginti duorum.

In hoc sancto Concilio præsidente, & adjuvante pio Principe Arnulpho gloriosissimo Rege, consederunt, qui convenerant, Sancti Patres, & venerabiles Ecclesiarum Pastores, & quæ Catholica fide promulgaverunt, pari professione confirmaverunt, & unanimes subscripserunt.

NOMINA EPISCOPORUM.

Hattho, Sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, subscripsi.

Her-

Hermannus, Sanctæ Agrippinensis, quæ & Coloniensis, Ecclesiæ Archi-Episcopus, subscripsi.
Rathbodo, Treverensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, subscripsi.
Waldo, (i) Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
Erchanbaldus, Eistatensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
Tuto, Radasbonensis Episcopus.
Adalpero, Augustensis Episcopus.
Salomon, Constantiensis Episcopus.
Theodolfus, Curiensis Episcopus.
Fringus (k) Basileensis Episcopus.
Baldramnus, Strasburgensis Episcopus.
Lotechaneus, (l) Spirensis Episcopus.
Theotelaus, Wormatiensis Episcopus.
Adalgarius, (m) Brumensis Episcopus.
Dado, Wirdunensis Episcopus.
Wigbertus, Hiltinesheimensis Episcopus.
Ruodolfus, Wirtziburgensis Episcopus.
Sigimundus, (n) Halvarastensis Episcop.
Ruodbertus, Metensis Episcopus.
Druogo, Mimidensis Episcopus.
Biso, Padarbrunensis Episcopus.
Egilmarus, (o) Osneburgensis Episcop.

Hæc subscriptio sacrosancta venerabili professione, & condigna responsione innumerabilium circumstantium Presbyterorum & Diaconorum, nec non & nobilium laicorum confirmata & laudabiliter approbata est, ad laudem & gloriam JESU CHRISTI Domini nostri, cui sit honor, laus & jubilatio per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Trithemius ait, se legisse nomina Abbatum, qui Concilio Triburiensi interfuerunt. Hugonis nempe, seu Huoggi, Fuldensis, Harderadi Hirsaugiensis, Harderadi Hersfeldensis, Murhardi Selingestatensis, Adelberti Corbeiensis, Wilhardi S. Albani Moguntinensis, Bertoldi S. Ferrutii Blidestadensis, Rheginonis Prumiensis, Hiltwini Laubiensis, qui & ipse Leodiensis Episcopus erat. Sed in Corbeiensi fallitur Trithemius: is enim tunc non erat Adelbertus, sed Gotescalcus: interfuit & Rotrudis Abbatissa Ehresteinensis Parthenonis. *Eckhart. Tomo II. rerum Franciæ Orientalis. Lib. XXXII. No. XXX.*

(i) Frigisingensis, *Cochlæus legit.*
(k) Eringus, *legit Eckhart.*
(l) Gotetanchus, *legit Eckhart.*
(m) Bremensis, *Eckhart.*
(n) Halvarastatensis, *Cochlæus.*
(o) Osnebruggensis, *Cochlæus & Eckhart.*

CAPITULA CONCILII TRIBURIENSIS,

SUB ARNOLFO REGE CELEBRATI,

Quæ desunt in Editionibus ordinariis a Cochlæo, Crabbio, Binio, Harduino factis, & sunt desumpta ex Burchardi Libris Decretorum.

Burchard. Libro I. cap. CCXXIX. citat cap. 26. Concilii Triburiensis.

De Episcopis, qui non visitatis Parochiis pretium servitutis requirunt.

RElata est coram Sancta Synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam Episcopi, nolentes ad prædicandum, vel ad confirmandum, suas per annum Parochias circumire, qui tamen exigant, ut mansiones, quibus in profectione uti debuerant, alio pretio redimant, qui parare debent. Quæ duplex infamia, & negligentia, & avaritia sanctæ Synodo horrori fuit magno: & statuerunt, ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut solicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.

Lib. II. cap. CCXXXIII. citat Burchardus cap. 50. Triburiense.

De Clericis, qui in rixa interficiuntur.

Quicunque Clericus, aut in bello, aut in rixa, aut gentilium ludis mortuus fuerit,

fuerit, neque oblatione, neque oratione pro eo postuletur; sed in manus incidat judicis: sepultura tantum non privetur.

Lib. II. cap. CCXXXVII. citat Burchardus Concilium Triburiense, cui interfuit Rex Arnolphus.

De prædicatione Presbyterorum.

Præcipimus vobis, ut unusquisque vestrum super duas, seu tres hebdomadas diebus Dominicis, seu festivitatibus Sanctorum populum sibi commissum, doctrinis salutiferis, ex sacra Scriptura sumptis, in Ecclesia sibi commissa post Evangelium perlectum instruere studeat, & jubeat illis, ut nullus de Ecclesia exeat, antequam à Presbytero, sive Diacono ultima laus, id est, *Benedicamus Domino*, aut, *Ite Missa est*, pronuntietur.

Lib. II. cap. CCIII. citat Burchardus cap. IV. in Concilio Triburiensi.

Ut testimonium laici contra Clericum nemo suscipiat.

Testimonium laici adversus clericum nemo suscipiat.

Lib. II. Burchardi cap. CCVI. citatur cap. 23. Conc. Triburiæ.

De substantia defuncti Presbyteri, cujus esse debeat?

Sancto Concilio allatum est, quod quidam laici improbe agant contra Presbyteros suos, ita ut de morientium Presbyterorum substantia partes sibi vendicent, sicut de propriis servis. Interdicimus itaque canonica auctoritate, ne hoc ulterius fiat: sed sicut liberi facti sunt ad suscipiendum gradum, & agendum Divinum officium, ita nihil ab eis exigatur præter Divinum officium. De peculiari vero Sacerdotum nihil sibi usurpent, sed totum in quatuor dividatur partes, una Episcopo, una altari, tertia pauperibus, quarta parentibus. Et si non sunt idonei parentes, Episcopus eam recipiat, & in usum Ecclesiæ diligenter distribuat, & si quis contra hæc facere præsumpserit, anathematizatur. *Idem can. exstat in cod.* 6209. *Vaticano MS. Romæ, unde Schannatus eum descripsit.*

Lib. II. cap. CCVII. citat Burchardus idem cap. 23. Conc. Triburiens.

De Presbyteris, qui sine testamento discesserunt.

Si quiscunque ex gradu Ecclesiastico sine testamento, & sine cognatione discesserit, hæreditas ejus ad Ecclesiam, ubi servivit, devolvatur, similiter & de sanctimonialibus.

Lib. II. cap. CCVIII. Burchardus citat cap. 27. Concil. Triburiens.

De Clericis, qui laicalibus vestimentis utuntur.

Ut laicalibus vestimentis Clerici non utantur, ut est, mantello, vel cotto sine cappa: nec pretiosis & ineptis calciamentis, & aliis novitatum vanitatibus, sed religioso & decenti habitu incedant.

Cap. 27. *interdicitur luxus vestium & comarum Clericis: sed neque his verbis neque cum his specialibus circumstantiis. Videtur esse Epitome capitis* 27. *Triburiensis.*

Lib. III. cap. XL. citat Burchardus cap. 20. Concil. Triburiens.

Quid Episcopo agendum sit, si plures heredes de eadem contendant Ecclesia.

Si plures heredes de communi contenderint Ecclesia, auferri jubeat Episcopus reliquias sacras, & Ecclesiam claudi, donec communi consensu & consilio Episcopi statuant ibi Presbyterum, & unde vivat.

Est capitis XXXII. Triburiensis tenuissimum excerptum.

Burchard. Lib. III. cap. LVI. citat cap. IV. Concil. Triburiens.

Ut Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis fiant.

Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, quod nostris peccatis exigentibus perplurimum est factum a Nortmannis, & a Slavis, & ab Ungariis, & a malis Christianis, seu alio quocunque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis, si Ecclesia defuerit, ut sub dio, seu in tentoriis: item si tabula Altaris consecrata, cæteraque sacra mysteria ad id officium pertinentia adfuerint; missarum solemnia celebrare concedimus, aliter omnino interdicimus.

Lib. III. cap. CXCVI. refert Burchardus cap. 30. Concil. Triburienſ.

De emunitate Eccleſiæ.

Si quis in atrio Eccleſiæ pugnam committit, aut homicidium facit, quidquid pro emunitate violata emendandum eſt, altari ſolvatur, cujuſcunque fuerit Eccleſia illa.

Lib. IV. cap. CI. citat Burchardus can. 22. Concil. Triburienſ.

De illis, qui gratiam Sancti Spiritus vendere conantur.

Dictum eſt, ſolere in quibusdam locis pro perceptione chriſmatis nummos dari: ſolere quoque pro baptiſmo & communione. Hoc ſimoniacæ hæreſis ſemen deteſtata eſt ſancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro chriſmate, vel baptiſmo, vel pro balſamo, nec pro ſepultura, vel communione quicquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſatione donentur.

Lib. VI. cap. X. citat Burchardus cap. 26. Concil. Triburienſ. cui Rex Arnulphus interfuit.

De Presbyteris, qui ſine orario occiduntur.

Ut Presbyteri non vadant, niſi ſtola, vel orario induti, & ſi in itinere ſpoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur, non ſtola veſtiti, ſimplici emendatione ſua ſolvantur, ſi autem cum ſtola, triplici.

Lib. VIII. cap. XXII. citat Burchardus can. XI. Concil. Triburienſ.

De Virginibus ſacris, quæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud Monaſterium ire diſpoſuerint.

Virgines ſacræ, ſi pro lucro animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud Monaſterium pergere diſpoſuerint, ibidemque commanere decreverint, Synodus concedit. Si vero fuga diſciplinæ alium locum quæſierint, redire cogantur.

Prima pars hujus Burchardini capitis nec cap. XI. nec alio Triburienſi continetur: ultima pars de apoſtatis monachis vel virginibus habetur cap. XXIII. & XXVI.

Lib. IX. cap. LXXV. citat Burchardus cap. VIII. Concil. Triburienſ.

De ingenuo, qui ingenuam acceperit uxorem, & poſtea ſervum ſe fecerit.

Perlatum eſt ad ſanctam Synodum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, & poſt filiorum procreationem occaſione divortii, cujusdam ſervum ſe fecerit, utrum neceſſario mulierem tenere debeat: & ſi tenuerit, utrum illa quoque ſecundum ſæcularem legem ſervituti ſubjici debeat? Judicatum eſt, uxorem minime debere dimitti, non tamen ob Chriſti legem mulierem in ſervitutem redigi, dum ille non ex conſenſu conjugis ſe ſervum fecit, quem liberum ipſa maritum accepit.

Lib. X. cap. XXV. Burchardus citat cap. XV. Concil. Triburienſ.

De illis, qui manducant, aut bibunt, aut portant ſuper ſe aliquid ad Dei judicium ſubvertendum.

Si aliquis manducat, aut bibit, aut portat ſuper ſe, unde exiſtimat Dei judicium pervertere poſſe, & exinde comprobatus fuerit, eadem ſententia feriatur, qua Magi & Arioli, & incantatores feriuntur. *Idem exſtat cod.* 6209. *Ms. Vaticano.*

Lib. XI. cap. LXXIV. citat Burchardus cap. 30. Concil. Triburienſ.

De eo, pro quibus cauſis quemlibet hominem anathematis vinculo ligari oporteat?

Quæſitum eſt in eadem Synodo, pro quibus cauſis quemlibet hominem Epiſcopali auctoritate vinculo anathematis ligari oporteat, atque unanimi cunctorum ſententia decretum eſt, pro his tribus criminibus fieri debere: Cum ad Synodum juſſus canonice venire contemnit: aut poſtquam illuc venerit, ſacerdotalibus reſpuit obedire præceptis: aut ante finitam cauſæ ſuæ examinationem a Synodo profugus abire præſumit.

Lib. XV. cap. IX. citat Burchardus cap. 50. Concil. Triburienſ.

Ut nemo contra canones eſſe præſumat.

Ut conſtitutiones contra canones & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſint momenti. *Idem cod.* 6209. *Vaticano Ms. exſtat.*

Lib. XVII. cap. XIX. citatur cap. I. Concil. Triburienſ.

De

De illo conjugato, qui cum filia materteræ ſuæ, vel avunculi, vel amitæ, vel patrui fornicatus eſt.

Interrogatum eſt, ſi quis cum filia materteræ ſuæ, vel amitæ, vel avunculi, vel patrui concubuerit, ſi conjugatus fuerit, liceatne illi alterius uti conjugio? aut non conjugato uxorem accipere? Juſtum eſſet, ſicut aliqua ſtatuta priorum habentur, ut in perpetuum a conjugio tales abſtineant; viſum eſt humanæ fragilitatis intuitu, ut poſt pœnitentiam non quidem penitus privetur conjugio, duriſſime tamen tam immanis fornicatio vindicetur, ſicut S. Papa Nicolaus, & alii Romani Pontifices ſtatuerunt, ne forte deſperati multiplicius peccent.

Lib. XVII. cap. XXV. citatur cap. VIII. Concil. Triburienſ.

De illis, qui infantes ſuos ideo a baptiſmo ſuſcipiunt, ut ſeparentur à conjugibus.

Nullus proprium filium, aut filiam à fonte baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filiam ad confirmationem ante Epiſcopum tenuerit: ubi autem factum fuerit, ſeparentur.

Lib. XIX. cap. CLVII. citatur cap. LI. Concil. Triburienſ.

De illis, qui die Dominico nupſerint.

Si quis nupſerit die Dominico, petat a Deo indulgentiam, & quatuor annos pœniteat.

Hactenus canones a Burchardo ſervatos ad Concilium Triburienſe pertinentes exhibuimus, qui deſunt editis: ſequuntur nunc duo canones Triburienſes adnotati in cod. 6209. Ms. Vaticano, unde Clmus Schannatus eos tranſcripſit in ſuis commentariis præter ſupra jam a Burchardo recenſitos.

De Clericis, ſi tonſuras dimiſerint & uxores acceperint.

Clericus, ſi tonſura dimiſſa uxorem acceperit, qui quidem ſit ſine gradu, nec ad Monaſterium a parentibus traditus, ſi uxorem duxerit, vel habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita ſua tonſuram negligere audeat; quem autem progenitores ad Monaſterium tradiderunt, & in Eccleſia cœpit cantare & legere; nec uxorem ducere, nec Monaſterium deſerere poterit: ſed ſi diſceſſerit, reducatur, ſi tonſuram dimiſerit, rurſus tondeatur, uxorem ſi uſurpaverit, dimittere compellatur.

Ut non ad teſtimonium recipiantur, quos accuſator à domo ſua produxit.

Malos ad teſtimonium non admittendos, qui nec accuſatorem admitti præcepti ſunt, vel quos ipſe accuſator de domo ſua produxit.

Ad teſtimonium infra XIV. ætatis annum nullus admittatur.

Hi Canones videntur addendi iis Canonibus, qui hactenus a Synodographis vulgati fuerunt. Quia & Burchardus, & codex MS. Vaticanus fidem merentur non vulgarem. Plures alios ex Concilio Triburienſi citavit Burchardus: ſed vel iiſdem omnino verbis, quibus editi, vel in pauciora contraxit, contentus ſententia enuntiata, reliquis prætermiſſis.

DIOECESANUS CONVENTUS TREVERENSIS.

De Elevatione Corporis S. Maximini.

Anno Chriſti DCCCXCVIII. Joannis IX. Papæ I. Arnulfi Imperat. III.

HOc, quod evenerat, referre ad Epiſcopum in commune decernunt. Tunc autem temporis RATHBODO venerabilis præſedit Eccleſiæ, qui re, *Fratrum relatione, comperta*, mox gaudens Monaſterium adiit, initoque cum Monachis conſilio, non ſubito, ac leviter, & quaſi temerarie, ad requirendum pretioſiſſimum B. Maximini Corporis theſaurum proſilire, ſed tantum opus jejuniis, precibusque ſuppliciter præmiſſis, ſumma cum veneratione ſtatuit inchoare. Proinde quoque non in hac tantum urbe, ſed in tota circumjacente Parochia, triduano in Deificæ Trinitatis nomine indicto jejunio, tertia ejusdem jejunii die, quæ ſexta ſabbati fuit, omnes adeſſe præcipiens, Clero, populoque comitatus, nudis pedibus, & cum Letaniarum ſolenniis Monaſterium petiit. Tanta autem tunc populi multitudo

tudo diverſis ex partibus fertur huc confluxiſſe, certatim, ac lætanter omnibus ſuæ ſalutis ſpectaculum adeuntibus, quod eam vix tota urbs Treverica, nedum anguſtus Monaſterii locus capere valuiſſet: nec defuit divinitus collata Maximini meritis curationum gratia; cum nullus, qui veniſſet ægrotus, non rediſſet adepta ſanitate curatus.

Suſceptus igitur a Fratribus ſumma cum honorificentia Præſul, mox ut orationem complevit, cum Monachis & Clericis ad locum ſupradictum, ubi ſpes erat, ſacras inveniendi Reliquias, devotus acceſſit: ſumptoque ferramento ſuperficiem pavimenti confringere cœpit. Deinde fratrum adſtantium frequens turba cœptum ab Antiſtite opus perniciter accelerat, ſubmotoque pavimenti fragmine cryptam memoratam ictu lapidis, ut ſupra diximus, pertuſam repererunt. Quam cum penitus diſſolviſſent, intus marmoreum ſarcophagum cernunt, quod apertum arcam præferebat cypreſſinam, quæ ſacratiſſimi corporis continens, omne pretium excedentem clauſerat gemmam.... Jam vero aperta arca, ut Venerabilis WENILO, qui geſtis rebus interfuit, etiam cum juramento ſæpe teſtatus eſt, ita integra veſtimenta, ita incorruptum totum corpus erat, ac ſi die eodem ibi conditum fuerint, naſo tantum excepto, qui ſarcophagi cooperculo modicum preſſus, & in lævam deflexus ſteterat..... Porro.... Venerandus Epiſcopus ſtolam, & pallium pro reliquiis auferens, alia illico ſanctis humeris circumdedit: moxque aſcenſo eminentiore gradu, populum, qui vocem audire potuit, multis exhortationum, & conſolationum verbis..... allocutus eſt. Fidem quoque tardioribus facere volens, ne aliquo dubitationis ſcrupulo ſuper inventione Sancti moverentur, ipſam ſtolam, & pallium cunctis ad videndum expandit, diemque illam deinceps ſolennem eſſe conſtituens, populum ſpiritualibus confirmatum benedictionibus, ac ſuper cœleſtibus beneficiis alacrem, tripudiantemque dimiſit.

Acta Sanctorum Antwerp. Tomo VII. Maji.
Hiſtoria Miraculorum S. Maximini auctore Sigehardo Monacho San-Maxminianæo.

SYNODUS AQUENSIS.

Anno Chriſti DCCCXCVIII. Joannis IX. Papæ I. Zuendeboldi Lotharing. Reg. IV.

In qua Trajectenſis ad Moſam Abbatia, Ratbodo Treverenſi Archi-Epiſcopo reſtituitur.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Zuendeboldus, Divina largiente clementia Rex. Si more Prædeceſſorum noſtrorum, Eccleſias Chriſti varie honoramus, credimus hoc ad profectum corporis & animæ pertinere: ideoque noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium, ac futurorum prudentia, qualiter venerabilis Genitor noſter Arnolphus, Trevirenſi, Metropolitanæque ſedi ad S. Petrum, Principem Apoſtolorum, quandam Abbatiam poteſtativo jure contradidit, ubi Ratbodus Reverendiſſimus Archi-Epiſcopus eſſe videtur. Quam poſtquam ad nos primitus, Deo, Patreque noſtro concedente, regni ſublimitas pervenit, ob fallentium ora, qui præfatum Epiſcopum, totamque illius tuitionis Congregationem hoc velle narraverant, injuſte Reginario in Precariam (*a*) conceſſimus. Quo ita geſto, noſtrorum ineuntes conſilium, Placitum generale Aquisgranenſi Palatio fieri, Fidelesque noſtros illuc venire ſtatuimus; quo & memoratus Archi-Epiſcopus Ratbodus veniens, ſe ad noſtram reclamavit Dominationem, quod jam dicta Abbatia de præfata ſede, illo, cæteraque

(*a*) Precaria, & Contractus Eccleſiæ, quo acceptis mutuo bonis rei alicujus conceditur uſus fructus uſque ad mortem ejus, qui accepit. *Hoſtienſis L. III. Summa de Precariis.* Vid. C. 4. *Precaria.*

teraque Congregatione neſciente, injuſte fuiſſet adempta. Quod nos circumcogitantes, ne forte incurreremus periculum in futuro, ipſam Abbatiam cum conſilio & judicio omnium noſtrorum videlicet *Epiſcoporum*, & Comitum antedictæ Sedi Treverenſi, reddidimus, quæ eſt in pago Moſelant, vocabulo Trajecta, quæ in beati Confeſſoris Servatii honorem conſecrata eſt, ipſique eundem Epiſcopum inveſtientes coram multitudine populi recipimus, ut ne ulterius ipſius, vel ſuccedentium temporibus, alicui per precariam concedatur. Quodſi alicujus ſuccedentium illius temporibus eveniat, anathematis ambo, & qui dat, & qui accipit, vinculis ligati, in æternum permaneant. Quod ut firmius habeatur, ipſi firmavimus, annuloque noſtro inſigniri juſſimus.

Signum ZUENDEBOLDI Glorioſiſſimi Regis. (L.S.)

Waltgerus Notarius, ad vicem Rutgeri Archi-Epiſcopi, Archique Cancellarii, recognovi.

Data tertio Idus Maji, ipſa die feſtivitatis S. Servatii, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCVIII. Indictione prima. Anno IV. Regis piiſſimi. Actum Aquisgrani Palatio. Inveſtituræ vero in ipſo Trajecto.

Browerus Annalium Treverenſium Lib. IX. ad hunc annum N. XLIII.
Miræus Op. Diplom. Tom. I. pag. 252.
Illmus Honthemius Hiſtoriæ pragmaticæ Treverenſ. Tomo I. Charta CXXX.

Nota. Æſtate ejusdem anni, Zuendeboldus Lotharingiæ Rex, *Aquas* Proceres convocavit; habitoque cum iis conſilio, formandis Regni negotiis, ac Reipublicæ conſtituendæ ſe tradidit. Ratbodus præſens expoſtulans coram Rege de adempta Eccleſiæ ſuæ S. Servatii Abbatia diſſeruit; quam Reginario fidiſſimo Comiti comprimis gratioſo Rex ipſe, dolo pellectus, poſſidendam tradiderat. Id nefas Archi-Epiſcopus eſſe contendebat, quod Pater, Arnolphus, diplomate dato ſanxiſſet; id filium velut irritum reſcindere, atque abolitum velle. Quare Zuendeboldus, accedente demum omnium Procerum, atque *Epiſcoporum conſenſu*, Abbatiam Ratbodo reſtituit; atque ut ratum id munus in perpetuum foret, ejusmodi hac de re tabulas confecit.

CONCILIUM PROVINCIALE SALTZBERGENSE.

SUB THEOTMARO ARCHI-EPISCOPO.

Anno Chriſti DCCCIC. Joannis IX. Papæ II. Arnolphi Imp. IV.

ENgilmarus, Pataviensis Epiſcopus, obiit, in cujus locum Wihingus, (*a*) quidam Alamannus, contra inſtituta Patrum prius Marahunenſis ab Apoſtolico deſtinatus Epiſcopus, Rege concedente, ſucceſſit.

Sed non multo poſt (*b*) a Deotmaro Archi-Epiſcopo, cæterisque Suffraganeis ſuis, contra voluntatem Regis, Canonicali judicio abjectus, ac Richardus ad eandem Sedem Epiſcopus in idipſum tempus ordinatus eſt.

Annales Fuldenſes editi à Frebero Tomo I. Script. German.

(*a*) Wihingus, Wichingus aliis, Epiſcopus ante Nitravienſis, vel Nitrenſis, fuit ab Arnulpho Rege electus anno 895. Cancellarius; idem erat, quem nuper Methodius, Maravorum Archi-Epiſcopus, in ea ſede collocaverat.

(*b*) *Anno* 899. *hanc Synodum ſtatuit Hanſizius, Tomo II. German. ſacræ de Salisburgenſi Archiepiſcopatu.*

Qui causam depositionis hanc putat; quod desponsus Nitraviensi Ecclesiæ, Pataviensem obtinere non posset, 2do. Theodmarus Metropolita, quem Regio favore fultus parum coluisse videtur, metuebat, ne Wichingus Laureacensis Metropoleos jura revindicatum iret. Quare posthabito Regis metu, in Concilio eum exanctoravit. Juvit sententiam Concilii Regis Arnulphi mors, secuta die 29. Novembris, & Metropolita Saltzburgensis jus suum in Maraviam, & Pannoniam hac vice strenue defendit.

REMEDIUS EPISCOPUS (a) CURIÆ RHETORUM,

EDIDIT HOS CANONES ECCLESIASTICOS PRO SUA DIOECESI.

I.

De licentia Corporis Domini.

Ex Epistola Clementis ad Jacobum Hierosolymorum Episcopum.

CErte tanta in Altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore, Clericorum diligentia consummentur. Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, nec putent sanctæ portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si igitur mane dominica porrigitur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserint: & si tertia, vel quarta hora acceperint usque ad vesperam. Sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt Sacramenta.

II.

De vasis sacris.

Ex eadem Epistola.

De vasis sane sacris ita gerendum est: Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quoniam non licet ea, quæ in Sacrario fuerint, male tractari, sed incendio universa tradantur. Cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, ubi nullus transitus habeatur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Pallas vero, & vela, quæ in sanctuarii sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum homilibus ministris intra sacrarium lavent, non ejicientes foras a sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne forte pulvis Dominici corporis male decidat, syndone foris delata, & erit hoc operanti peccatum: idcirco in sacrario ministris præcipimus cum diligentia custodire. Pallæ in alia pelve laventur, & in alia vela.

III.

Quo loco celebranda sit Missa.

Ex Epistola Clem. omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus missa.

Hic ergo, hoc est, in præsenti vita positos oportet vos agnoscere voluntatem Domini, ubi & agendi, & sacrificandi est locus: quoniam in aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecratus fuerit. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec rite celebranda.

IV.

De obedientia exhibenda Episcopis.

Ex eadem Epistola B. Clem. Papæ.

Vobis, qui Sacerdotio Domini fungimini, & in speculo estis positi, plus scire oportet, ut subditos vobis populos pleniter docere possitis, eisque ad regna

(a) Remedium, aliis Remigium, Curiensem in Rhetia Episcopum, vixisse inter 813. - 830. & fuisse numero XIX. ejus Ecclesiæ Præsulem *juxta Stumphium Histor. Germanicæ Helvetiæ L. X. pag.* 584. at juxta Bucelinum Episcopum XXIII. *Germaniæ sacræ Parte Ima* legimus.

na cælorum ducatum præbere Domino annuente valeatis : unde & ipſa per ſe Veritas ait : *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei : cæteris autem in parabolis*, & reliqua. Veſtrum enim, qui legatione Domini fungimini, eſt docere populos : eorum vero eſt, vobis obedire, ut Deo. Si autem nobis Epiſcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, & reliqui Clerici, omnesque Principes tam majoris ordinis, quam & inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperaverint, non ſolum infames, ſed & extorres à regno Dei, & conſortio fidelium, a liminibus Sanctæ Dei Eccleſiæ alieni erunt. Nam veſtrum eſt, eos inſtruere, eorum vero eſt, vobis obedire, ut Deo, cujus legatione fungimini, dicente Domino : *Qui* (b) *vos audit, me audit : & qui vos ſpernit, me ſpernit : & qui vos recipit, me recipit : & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.*

V.

Nihil abſque licentia Epiſcopi agendum.

Ex eadem Epiſtola inter cætera.

Qua propter cunctis fidelibus, & ſummopere omnibus Presbyteris, & Diaconibus, ac reliquis Clericis attendendum eſt, ut nihil abſque Epiſcopi proprii licentia agant. Non utique Miſſas ſine ejus juſſu quisquam Presbyterorum in ſua parochia agat, non baptizet, nec quidquam abſque ejus permiſſo agat. Similiter & reliqui populi, majores ſcilicet, & minores per ejus licentiam, quidquid agendum eſt, agant, nec ſine ejus permiſſo a ſua parochia abſcedant, nec in ea adventantes morari præſumant. Animæ vero eorum ei creditæ ſunt: ideo omnia ejus conſilio agere debent, & eo inconſulto nihil.

VI.

Quod omnibus baptiſmum percipere ſit neceſſarium.

Ex Epiſtola B. Clement. Papæ, ſcripta Julio, ac Juliano, & reliquis conſodalibus.

Sive enim juſtus ſit, ſive injuſtus, baptiſmum per omnia neceſſarium eſt. Juſto quidem, ut adimpleatur in eo perfectio, & regeneretur Deo : injuſto autem, ut peccatorum, quæ geſſit, remiſſio concedatur.

VII.

Baptizatos ab Epiſcopo conſignari debere.

Item ex eadem Epiſtola.

Omnibus ergo feſtinandum eſt ſine mora, renaſci Deo, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem gratiam Sancti Spiritus percipere, quia incertus eſt uniuscujusque exitus vitæ. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformis Spiritus gratia ab Epiſcopo, ut memoratum eſt, confirmatus ; quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos ſine neceſſitate, ſed incuria aut voluntate remanſerit, ut habeat, quod a Petro accepimus, & cæteri Sancti Apoſtoli, percipiente Domino docuerunt : & demum ex operibus bonis oſtendat in ſe ſimilitudinem ejus, qui eum genuit, patris. Poſt hæc vero agnoſcat Deum honorare, honor autem ejus eſt, ut ita vivat, ſicut ille vult : vult autem unumquemque ita vivere, ut homicidium, & adulterium neſciat : odium, & avaritiam fugiat : iram, ſuperbiam, jactantiam reſpuat, & execretur, invidiam quoque, & cætera his ſimilia penitus à ſe ducat aliena.

VIII.

Quid conferat aquæ baptiſmus ad Dei cultum.

Item ex eadem Epiſtola.

Primo quidem, quia quod Deo placuit, impletur : ſecundo, quia regenerata ex aquis, & Deo renovata fragilitas prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta eſt, amputatur, & ita demum pervenire poteritis ad ſalutem ; aliter impoſſibile eſt. Sic enim vobis cum Sacramento verus Propheta teſtatus eſt dicens : *Amen*, (c) *amen dico vobis, niſi quis denuo renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non intrabit in regnum Cælorum.*

IX.

(b) Lucæ X, 16. IX, 48. (c) Joannis III, 3.

IX.

Quod non ubique, & à solo sacrificandum sit.

Ex Epistola Anacleti Papæ scripta omnibus Episcopis, cæterisque cunctis fidelibus.

Deo enim perfecte sacrificantes non debent vexari, sed portari, consolari, atque ab omnibus venerari. Ipsi autem quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Deo perfecte in sacratis Domino locis sacrificare probentur. Ait namque authoritas legis Divinæ: *Vide*, (d) *ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in loco, quem elegit Dominus Deus tuus.* Episcopus Deo sacrificans, testes, ut præfixum est, secum habeat, & plures, quam alius sacerdos. Sicut majoribus honoris gradibus fungitur, sic majoris testimonii incrementatione indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut VII, aut V. aut III. Diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextera, lævaque contrito corde, & humiliato, ac prono stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio.

X.

Non tollendas res Ecclesiæ.

Ex eadem Epistola Anacleti Papæ.

Ergo, qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum judicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.

XI.

De ordinatione Episcoporum.

Ex Epistola Anacleti Pæpæ scripta omnibus Episcopis Italiæ.

Ordinationes Episcoporum authoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint Provincia, sunt celebrandæ: qui simul convenientes scrutinium diligenter agant, jejuniumq; cum omnibus precibus celebrent, & manus cum sanctis Evangeliis, quæ prædicaturi sunt, imponentes Dominica die, hora tertia, orantes, sacraque unctione exemplo Prophetarum, & Regum capita eorum more Apostolorum, & Moysi ungentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cujus virtus invisibilis sancto est Chrismate permulgata, & hoc ritu solemnem celebrent ordinationem. Quod si omnes simul convenire minime potuerint, assensum tamen suis precibus præbeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint. Porro & Hierosolymitarum primus Archi-Episcopus Beatus Jacobus, qui justus dicebatur, & secundum carnem Domini nuncupatus est frater, a Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus: successoribus videlicet dantes formam eorum, ut minus, quam a tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, nullatenus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.

XII.

De accusatione Sacerdotum.

Ex eadem Epistola.

Accusatio quoque eorum, super qua nos consulere voluistis, nonnisi ab idoneis, & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet: quia Dominus sacri sui corporis tractatores a vilibus, & reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit: sed ipse proprio flagello peccantes Sacerdotes a templo ejecit: unde liquet, quod summi Sacerdotes, id est, Episcopi a Deo sunt judicandi, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi.

XIII.

De querimonia contra Sacerdotes.

Ex eadem Epistola.

Si quis adversus Sacerdotes, vel Ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos recurrat charitatis studio; ut familiari colloquio commoniti ea sanent, quæ sananda sunt, & charitate emendent, quæ juste emendanda agnoverint. Si autem aliqui eos prius-

(*d*) Deuteron. XII, 13.

priusquam hæc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minime absolvantur, antequam per satisfactionem condignam egerint pœnitentiam, quoniam injuria eorum ad Christum pertinet, cujus legatione funguntur.

XIV.

De bipertito ordine Sacerdotum.

Ex Epistola Anacleti, scripta omnibus Episcopis, & reliquis Christi Sacerdotibus.

Sacerdotum fratris ordo bipertitus est, & sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari. Scitis autem, a Domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diversas Provincias ad prædicandum dispersos: cum vero messis cœpit crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi vero Apostolorum, Presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis, aut modicis civitatibus debent constitui, sed Presbyteri per castella & modicas civitates, atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni: singuli tamen per singulos titulos suos. Amplius, quam isti duo ordines Sacerdotum, nec nobis collati sunt, nec Apostoli docuerunt.

XV.

De his, qui Prælatos contemnunt.

Ex eadem Epistola.

Necesse enim est, ut Rectores a subditis timeantur, ab ipsisque corrigantur, ut humana formidine peccare metuant, qui Divina judicia non formidant. Deteriores quippe sunt, qui Doctorum vitam, moresque corrumpunt, his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt. Ipsi autem ea, quæ extra nos, licet nostra sint, auferunt: nostri quoque detractores & morum corruptores nostrorum, sive, qui adversum nos armantur, proprie nos ipsi decipiunt, & ideo juste infames sunt, & merito ab Ecclesia extorres fiunt.

XVI.

De his, qui Doctorum culpas produnt.

Ex eadem Epistola.

Multum vero distant, damna morum a damnis rerum temporalium: cum ista extra nos sint, illa vero in nobis. Sententia quoque Cham filii Noë damnantur, qui suorum Doctorum, vel præpositorum culpas produnt, sicut Cham, qui Patris pudenda non operuit, sed ridenda monstravit.

XVII.

De reprobis moribus Pastoris tolerandis.

Ex eadem Epistola.

Doctor autem, vel Pastor Ecclesiæ, si a fide exorbitraverit, erit a fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus; quia Rectores Ecclesiæ a Domino sunt judicandi, sicut ait Propheta: *Deus* (e) *stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Unde oportet, unumquemque fidelem, si viderit, aut cognoverit, plebes suas adversus Pastorem suum tumescere, aut Clerum detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus extirpare, prudenterque corrigere satagat, nec eis in quibuscumque negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint, antequam suo reconcilientur Doctori, præsumat: quoniam tam Sacerdotes, quam reliqui Fideles omnes, summam debent habere curam de his, qui pereunt: quatenus eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.

XVIII.

Quod Episcopus sine regulari mutatione Ecclesiam suam non dimittat, nec ipse ab ea dimittatur.

Ex Epistola Evaristi Papæ, scripta omnibus per Ægyptum Domino conglutinatis Fratribus.

Sacerdotes vero vice Christi Legatione funguntur in Ecclesia, & sicut ei est

(e) Psalm. LXXXI.

ſua eſt conjuncta ſponſa, id eſt, Eccleſia, ſic Epiſcopis junguntur Eccleſiæ unicuique pro portione ſua. Et ſicut vir non debet negligere uxorem ſuam, ſed diligere & caſte cuſtodire, & amare, atque prudenter regere; ita & Epiſcopus debet Eccleſiam ſuam. Et velut uxor, quæ ſub manu eſt viri, obedire debet viro ſuo, eumque amare & diligere; potius etiam Eccleſia Epiſcopo ſuo in omnibus obedire, eumque amare & diligere, ut animam ſuam debet: quia illud fit carnaliter, iſtud ſpiritaliter. Et ſicut vir non debet adulterare uxorem ſuam, ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam, id eſt, ut illam dimittat, ad quam ſacratus eſt, abſque inevitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, vel Regulari mutatione, & alteri ſe conjungat. Et ſicut uxori non licet dimittere virum ſuum, ut alteri ſe, vivente eo, matrimonio ſociet, ut eum adulteret, licet fornicatus ſit vir ejus, ſed juxta Apoſtolum, aut viro ſuo debet reconciliari, aut manere innupta; ita Eccleſiæ non licet dimittere, aut ab ea ſegregare Epiſcopum ſuum, ut alterum eo vivente accipiat, ſed aut ipſum habeat, aut innupta maneat, id eſt, ne alterum Epiſcopum, ſuo vivente, accipiat, ut fornicationis aut adulterii crimen incurrat. Nam ſi adulterata fuerit, id eſt, ſi ſe alteri Epiſcopo junxerit, aut ſuper ſe alterum Epiſcopum adduxerit, aut eſſe fecerit, vel deſideraverit, per acerrimam pœnitentiam aut ſuo reconcilietur Epiſcopo, aut innupta permaneat.

XIX.

Non infamandum, vel ejiciendum Epiſcopum, aut alterum in loco ejus conſtituendum.

Ex eadem Epiſtola.

Audivimus enim, quosdam a vobis infamatos & dilaceratos Epiſcopos a civitatibus propulſos (quia alibi Epiſcopi conſtitui non poſſunt, niſi in civitatibus non minimis) & alios in eis, ipſis viventibus, conſtitutos: ideo vobis ſcribimus, ut ſciatis hoc fieri non licere: ſed proprios revocari & integerrime reſtitui debere. Illos vero, qui adulterina fœditate ſuas ſponſas, quas & uxores eorum præfixo tenore eſſe intelligimus, tenent, ejici ut adulteros, atque infames fieri, eosque ab Eccleſiaſticis honoribus arceri jubemus. Si autem adverſus eos aliquam querelam habuerint, his peractis inquirendum erit, & auctoritate hujus Sanctæ Sedis terminandum.

XX.

Non temere judicandum.

Ex eadem Epiſtola.

Deus omnipotens, ut nos a præcipitantis ſententiæ prolatione compeſceret; & cum *omnia nuda, & aperta ſint oculis ejus*, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priuſquam manifeſte agnoſceret, quæ dicebantur. Unde ipſe ait: *Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, compleverint. An non eſt ita, ut ſciam?* Deus omnipotens, cui nihil abſconditum eſt; ſed omnia ei manifeſta ſunt, etiam, antequam fiant, non ob aliud hæc & alia multa, quæ hic prolixitatem vitantes, non inſeruimus, per ſe inquirere dignatus eſt, niſi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in diſcutiendis & judicandis negotiis eſſemus, & ne malum quorumquam prius præſumamus credere, quam probare. Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites ſimus, aut temere, indiligenterque indiſcuſſa quæque quoquomodo judicemus: dicente veritatis voce: *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*, & reliqua. Nam mala audita nullum moveant, nec paſſim dicta abſque certa probatione quiſquam unquam credat, ſed ante audita diligenter inquirat, ne præcipitando quiddam aliquis agat.

XXI.

De ſcriptis, vi extortis.

Ex Epiſtola Alexandri Papæ, omnibus Orthodoxis ſcripta per diverſas Regiones.

Ait enim ſic inter cætera: Similiter, ſi hujusmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, velut ſe liberare poſſint; quocunque ab eis conſcriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio; ad nullum eis præjudicium, aut nocumentum provenire cenſemus, neque ullam eis infamiam, vel calumniam, aut a ſuis ſequeſtrationem bonis, unquam auctore Domino, & Sanctis Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus ſuſtinere permittimus:

Con-

Confessio vero in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debeat.

XXII.

De querela contra Episcopum vel Actorem Ecclesiæ.

Ex eadem Epistola.

Si quis erga Episcopum, vel auctores Ecclesiæ, quamlibet querelam habere justam crediderit; non prius primates, aut alios adeat judices, quam ipsos, a quibus se læsum æstimat, conveniat familiariter non semel, sed sæpissimè; ut ab eis aut suam justitiam accipiat, aut excusationem. Si autem secus egerit, ab ipsis & ab aliis communione privetur, tanquam Apostolorum, aliorumque Patrum contemptor.

XXIII.

Nihil præter panem & vinum, aqua mixtum, ad Altare offerendum.

Ex eadem Epistola Alexandri, successoris Evaristi Papæ.

Non debet enim, ut a Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in sua Passione profluxisse dicitur. Ipsa vero Veritas nos instruit, calicem & panem in Sacramento offerre, quando ait: *Accepit (f) Jesus panem, & benedixit, deditque Discipulis suis dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Similiter postquam cœnavit, accepit calicem, dedit Discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic est Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, crimina enim atque peccata oblatis his Domino sacrificiis delentur: idcirco & Passio ejus in his commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus Hostiis delectabit, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in Sacrificiis majus esse potest, quam corpus & sanguis Christi: nec ulla oblatio hac potior est; sed hæc omnes præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente consummanda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.

XXIV.

De aqua sancta spargenda.

Ex eadem Epistola.

Aquam enim sale consperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si fimus vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua, quæ sale aspersa, divinisque precibus sacrata est, populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam (g) sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacrata, sterilitatem aqua sancta rerum & aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & a fantasmatis versutiis hominem defendit?

XXV.

Non eis communicandum, qui perturbant sacerdotes.

Ex Epistola supra scripta omnibus Episcopis constitutis per diversas Regiones.

Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum provectum avertit, & sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, & bonorum societate carendus. Et quia Dei causam impedit, & statum conturbat Ecclesiæ, ideo a liminibus ejus arceatur, ab omnibus talis est cavendus, & non in communione fidelium usque ad satisfactionem recipiendus. Est enim statutum olim: Is, qui statum conturbat Ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur, nec cum fidelibus communicet, qui eorum bona avertit.

XXVI.

Quod scismatici appellentur, qui cum sacerdotibus non auxiliantur.

Ex Epistola cujus supra.

Qui autem ex vestro collegio fuerit, & ab auxilio vestro se subtraxerit, magis

(f) Matth. XXVI, 26. I. Cor. XI, 24.

(g) Regum IV, 11, 20.

gis ſciſmaticus, quam ſacerdos eſſe probabitur: *Ecce,* (b) inquit Propheta, *quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum ſe ſolatio ſubtrahunt, & quod deterius eſt, fratribus inſidias præparant, aut laqueos ponunt. Item poſt pauca: Nos ergo, qui diſcipuli Domini, & dici, & eſſe cupimus, portare crucem Chriſti, & compati fratribus debemus, & non quaſcunque eis inſidias aut foveas præparare: quia talionem meretur, qui fratribus foveam parat. Nolite errare, fratres, quia Deus non irridetur. Hujus rei gratia vobis Dominus commiſit Eccleſiam ſuam, ut pro omnibus laboretis, & cunctis oppreſſis opem ferre non negligatis. Unde & Dominus per Prophetam loquitur dicens: *Judicate* (i) *mane judicium, & eruite vi oppreſſos de manu calumniantis; ne forte egrediatur, quaſi ignis, indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat.* Vos ergo, qui in ſummo ſpeculo a Domino conſtituti eſtis, attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones & ſcandala excitant, ne ſimul cum eis pereatis.

XXVII.

Quod ſacra vaſa non ab aliis, quam a Domino ſacratis hominibus, debeant contrectari.

Ex Epiſtola Xixti, ſucceſſoris Alexandri Papæ, ſcripta omnibus Epiſcopis.

Cognoſcat ſapientia veſtra, chariſſimi fratres, quia in hac ſancta Apoſtolica ſede a nobis & reliquis Epiſcopis, cæteriſque Domini ſacerdotibus ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab aliis, quam a ſacratis, Dominoque dicatis, contrectentur hominibus. Indignum enim valde eſt, ut ſacra Domini vaſa, quæcunque ſunt, humanis uſibus ſerviant, aut ab aliis, quam a Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præſumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo ſuo, & hi, qui etiam non peccaverunt, mala patiantur, aut pereant: quia perit juſtus ſæpiſſime pro impio. Attendite, fratres, ne talia veſtris in Eccleſiis permittatis deinceps fieri, ne grex pretioſo ſanguine Chriſti redemptus in præcipitium, quod abſit, ruat.

XXVIII.

De jejunio 7. ebdomadarum, ante Paſcha a Clericis obſervando.

Ex Epiſtola Teleſphori Papæ, ſcripta omnibus Epiſcopis.

Credimus ſanctam fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione fundatam, hanc tenere, & hanc univerſis populis exponere, qui videlicet a conſtitutis Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, nulla ratione diſſentiunt, per quos juſtum eſt, cæteros erudiri. Quapropter cognoſcite, a nobis, & cunctis Epiſcopis, in hanc Apoſtolicam Sedem congregatis, ſtatutum eſt, ut ſeptem ebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici in ſorte Domini vocati a carne jejunent. Quia ſicut diſcreta debet eſſe vita Clericorum a Laicorum converſatione, ita & in jejunio debet fieri diſcretio, & ſicut Laici & ſeculares homines nolunt eos recipere in inpulſationibus ſuis, quoniam in omnibus diſcreta debet ſemper eſſe, & ſegregata vita, & converſatio Clericorum a ſecularium Laicorum: & ſicut hi amplius ſunt applicati divinis cultibus, & familiares dicuntur Domini Salvatoris, ita moribus & converſatione, atque ſanctitate debent eſſe diſtincti. Has ergo ſeptem hebdomadas omnes Clerici a carne & deliciis jejunent, & hymnis, & vigiliis, atque orationibus Domino inhærere die, noctuque ſtudeant.

XXIX.

De tempore Miſſæ, & quod Angelicus hymnus dicendus eſt ſolummodo tempore congruo.

Ex eadem Epiſtola.

Nocte vero ſancta nativitatis Domini ſalvatoris Miſſas celebrent, & hymnum Angelicum in eis ſolenniter decantent: quoniam eadem nocte ab Angelo Paſtoribus eſt nunciatus, ſicut ipſa veritas teſtatur dicens: *Paſtores erant* (k) *in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum, & ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & timuerunt timore magno: & dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum; quod erit omni populo. Quia natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David: & hoc vobis ſignum,*

[b] Pſalm. CXXXII, 1. [i] Jeremiæ XXI, 12. [k] Lucæ II, 8. & ſeqq.

num; invenietis infantem, pannis involutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria (l) *in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Reliquis autem temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ; quia eadem hora & Dominus Crucifixus, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur. Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore, & in loco, in Missarum solemniis recitandus est.

XXX.

Ne absens accusetur, & qui accusare non possint.

Ex eadem Epistola.

Accusatores vero & accusationes quas leges sæculi non admittunt, & nos submovemus. Accusatori omnino non credi decernimus, qui absente adversario causam suggesserit ante utriusque partis justam dicussionem: nec hi, qui non sunt idonei, suscipiantur ad accusationem: & omnes, qui adversus Patres armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi, ac insidiandi. Hi vero, qui cum inimicis morantur, aut qui suspecti habentur, minime recipiantur: quia eorum æmulatio lacerat etiam innocentes. Hunc murum firmissimum statuerunt Patres nostri, & nos cum eis contra persecutores vestros. Hoc remedio eorum pellantur machinamenta, & vos sanctiores, & securiores famulari mereamini vestro Salvatori.

XXXI.

De Metropolitanis, ut nullus absque comprovincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas.

Ex Epistola Ygini Papæ, cunctis Apostolica fide, & doctrina vigentibus, scripta.

Cæterum, fratres: *Salvo in omnibus Romano Ecclesiæ privilegio*, nullus Metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas; quia irritæ erunt aliter actæ, quam in conspectu eorum omnium ventilatæ, & ipse si fecerit, coerceatur a fratribus.

XXXII.

Quo die Pascha celebretur.

Ex Epistola Pii Papæ, scripta omnibus in fide, & doctrina Apostolica manentibus.

Cæterum nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominico annuis temporibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes doctor fidei, & scripturarum fulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicta die celebraremus, & quidam inde dubitarent; ad corroborandas tamen animas eorum eidem *Hermeti* Angelus Domini in habitu *Pastoris* apparuit, & præcepit ei, ut pascha die Dominico ab omnibus celebraretur tempore suo. Unde & vos Apostolica auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere, quia & nos eadem servamus. Nec debetis a capite quoquo modo diffidere.

XXXIII.

Ne prædia Ecclesiastica aliquis tollat, & suis usibus applicet.

Ex Epistola cujus supra, Italicis fratribus scripta.

Ad Sedem autem Apostolicam perlatum est, quod sint inter vos contentiones, & æmulationes, & prædia Divinis usibus tradita, quidam humanis applicent usibus, & Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahant, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sibi secretorum cœlestium judicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus, judicetur. Ipsos autem, qui hoc agunt, Clericos, & Domini sacerdotes persequi, eosque infamare audivimus, ut malum super malum addentes deteriores fiant, non intelligentes, quod Ecclesia Dei in sacerdotibus consistat, & crescat in templum Dei. Et sicut, qui Ecclesiam Dei vastat, ejusque prædia & donaria exspoliat, & invadit, fit sacrilegus; sic & ille, qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegii

(l) Luc. II, v. 14.

crilegii reus exiſtit, & ſacrilegus judicatur.

XXXIV.

Quod non ſit gravius peccatum fornicatio, quam ſacrilegium.

Ex eadem Epiſtola.

Non ergo gravius peccatum eſt fornicatio, quam ſacrilegium: & ſicut majus eſt peccatum, quod in Deum committitur, quam quod in hominem: ſic gravius ſacrilegium agere, quam fornicari.

XXXV.

Quod nulli Archi-Epiſcopi Primates vocentur, niſi illi, qui Primas tenent civitates.

Ex Epiſtola Annitii (m) *Papæ, univerſis Eccleſiis, per Galliæ Provincias conſtitutis ſcripta.*

Nulli Archi-Epiſcopi Primates vocentur, niſi illi, qui primas tenent civitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli & Succeſſores eorum regulariter Patriarchas, vel Primates eſſe conſtituerunt. Niſi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſe ſit, propter multitudinem Epiſcoporum Primates conſtitui. Reliqui vero, qui alias Metropolitanas ſedes adepti ſunt, non Primates, ſed Metropolitani nominantur.

XXXVI.

De Ordinationibus Epiſcoporum.

Ex eadem Epiſtola, cujus ſupra.

De ordinationibus Epiſcoporum, ſuper quibus nos conſulere voluiſtis, olim in ſpiritu præceſſoris noſtri *Anacleti*, quædam jam decreta reperimus. Scimus enim, B. Jacobum, qui dicebatur juſtus, qui etiam ſecundum carnem Frater Domini nuncupatus eſt, a Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis Hieroſolymis Epiſcopum eſſe ordinatum. Si autem non minus, quam a tribus Apoſtolis, tantus vir fuit ordinatus, patet profecto, eos formam inſtituente Domino tradidiſſe, non minus, quam a tribus Epiſcopis, Epiſcopum ordinari debere. Sed creſcente numero Epiſcoporum, niſi neceſſitas intervenerit, debent etiam plures augeri, id eſt, Archi-Epiſcopus, ſi obierit, & alter ordinandus Epiſcopus fuerit; omnes ejusdem Provinciæ Epiſcopi ad Sedem Metropolitani conveniant, ut ab omnibus ipſe eligatur & ordinetur. Oportet autem, ut ipſe, qui illis omnibus præeſſe debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur. Reliqui vero conprovinciales Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, cæteris conſentientibus, a tribus juſſu Archi-Epiſcopi conſecrari poſſunt Epiſcopis. Sed melius eſt, ſi ipſe cum omnibus eum, qui dignus eſt, elegerit, & cuncti pariter conſecraverint Pontificem. Et licet iſtud neceſſitate cogente conceſſum ſit; illud autem, quod de Archi-Epiſcopi conſecratione Præceptum, atque prædictum eſt, id eſt, ut omnes Suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet: quia, qui illis præeſt, ab omnibus Epiſcopis, quibus præeſt, debet conſtitui: ſin aliter præſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt, quia irrita erit ejus ſecus acta ordinatio.

XXXVII.

Quod ſacratæ Deo fœminæ, vel Monachæ, ſacra vaſa, vel ſacratas pallas contingere, & incenſum circum altaria deferre non debeant.

Ex Epiſtola Soteris Papæ, ſcripta Epiſcopis per Italiæ Provincias conſtitutis.

Sacratas Deo fœminas, vel Monachas, ſacra vaſa, vel ſacratas pallas, penes vos contingere, & incenſum circa altaria deferre, perlatum eſt ad Apoſtolicam Sedem: quæ omnia reprehenſione & vituperatione plena eſſe, nulli recta ſapientium dubium eſt. Quapropter hujus Sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis reſecare funditus, quanto citius poteritis, cenſemus: & ne peſtis hæc latius divulgetur, per omnes Provincias abſtergi diutiſſime mandamus.

XXXVIII.

Quod Baptiſmus tempore Paſchæ celebrandus ſit Catholicis.

Ex Epiſtola Victoris Papæ, ſcripta Theophilo Epiſcopo.

Celebritatem Sancti Paſchæ die Dominica

(*m*) *forte* Aniceti, qui ſedit ab A.C. 163. ad 173.

minica agi debere, & Prædeceſſores noſtri jam ſtatuerunt, & vobis illud eadem die celebrare ſolemniter mandamus: quia non decet, ut membra a capite diſcrepent, nec contraria gerant. A XV. Maji vero Luna primi menſis uſque ad XXI. ejusdem menſis diem, eadem celebretur feſtivitas. Eodem vero tempore Baptismus celebrandus eſt Catholicis. Sed tamen, ſi neceſſe fuerit, aut mortis periculum ingruerit; gentiles ad fidem venientes quocunque loco, vel momento, ubicunque evenient, ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fontibus, tantum Chriſtianæ confeſſione credulitatis clarificatâ, baptizentur. Ipſis quoque, quod in Baptiſmo polliciti ſunt, ſummopere eſt attentendum, ne infideles, ſed fideles inveniantur.

XXXIX.

Quod inconſulto Romano Pontifice, cauſæ Epiſcoporum non debeant diffiniri.

Ex eadem Epiſtola.

Ea vos judicare, ad Apoſtolicam delatum eſt ſedem, quæ (*n*) propter noſtram vobis diffinire non licet auctoritatem, id eſt, Epiſcoporum cauſas. Unde ita conſtitutum liquet a tempore Apoſtolorum, & deinceps placuit, ut accuſatus vel judicatus a Comprovincialibus in aliqua cauſa Epiſcopus licenter appellet, & adeat Apoſtolicæ Sedis Pontificem: qui aut per ſe, aut Vicarios ſuos ejus retractari negotium procuret, & dum iterato judicio Pontifex cauſam ſuam agit, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur Epiſcopus: quoniam, quanquam Comprovincialibus Epiſcopis accuſati cauſam Pontificis ſcrutari liceat, non tamen diffinire, inconſulto Romano Pontifice, permiſſum eſt.

XL.

Epiſcoporum teſtes quot eſſe debeant, & ne abſens quiſquam judicetur.

Ex Epiſtola Zepherini Papæ, ſcripta omnibus per Siciliam conſtitutis.

Patriarchæ, vel Primates accuſatum diſcutientes Epiſcopum, non ante ſententiam proferant finitivam, quam Apoſtolica fulti auctoritate, aut reum ſe ipſe confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur teſtes: qui minores non ſint numero, quam illi diſcipuli, quos Dominus adjumentum Apoſtolorum eligere præcepit, id eſt LXXII. Detractores quoque, qui Divina auctoritate eradicandi ſunt, & auctores inimicorum ab Epiſcopali ſubmovemus accuſatione vel teſtimonio. Nec ſummorum quiſpiam, nec minorum acuſationibus impetatur, aut diſpereat, neque in re dubia certa judicetur ſententia, nec ullum judicium, niſi ordinabiliter habitum, teneatur. Abſens vero nemo judicetur, quia & divinæ & humanæ hoc prohibent leges. Accuſator autem eorum omni careat ſuſpicione, quia columnas ſuas Dominus firmiter ſtare voluerit, non à quibuslibet agitari. Nullum namque eorum ſententia non a ſuo judice dicta conſtringat, quia & leges ſæculi idipſum fieri præcipiunt. Duodecim enim judices quilibet Epiſcopus accuſatus, ſi neceſſe fuerit, eligat, a quibus ejus cauſa juſte judicetur: nec prius audiatur, aut excommunicetur, quam ipſi per ſe eligantur, & regulariter vocatus ad ſuorum primo conventum Epiſcoporum, per eos ejus cauſa juſte audiatur, & rationabiliter diſcernatur. Finis vero ejus cauſæ ad Sedem Apoſtolicam deferatur, ut ibi determinetur, nec ante finiatur, ſicut ab Apoſtolis, vel ſucceſſoribus eorum olim ſtatutum eſt, quam ejus auctoritate fulciatur.

XLI.

Quod nullus Epiſcopus propriis rebus ſpoliatus, antequam ſuis reveſtiatur, debeat ad judicia vocari.

Ex Epiſtola cujus ſupra, ſcripta fratribus per Egyptum Domino militantibus.

Nunciatum eſt enim Sedi Apoſtolicæ per Apocriſiarios noſtros, quoſdam fratrum noſtrorum, Epiſcoporum ſcilicet, ab Eccleſiis, & Sedibus propriis pelli, ſuaque eis auferri ſuppellectilia, & ſic nudos & exſpoliatos ad judicia vocari: quod omni ratione caret, cum ſtatuta Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, & præcepta Imperatorum, ac conſtitutiones legum idipſum provideant, &

(*n*) *forte:* præter.

& Apoſtolicæ Sedis auctoritas idipſum fieri vetet. Præceptum eſt ergo in antiquis ſtatutis, Epiſcopos ejectos, atque ſuis rebus exſpoliatos Eccleſias proprias accipere, & primo ſua omnia eis reddi, & ita demum, ſi quis eos juſte accuſare voluerit, æquo periculo facere judices eſſe decernentes, Epiſcopos recte ſapientes, & in Eccleſia convenientes, ubi teſtes eſſent ſingulorum, qui oppreſſi videbantur; nec prius eos reſpondere debere, quam omnia ſua eis, & Eccleſiis eorum legibus integerrime reſtituantur.

XLII.

De Ordinationibus.

Ex eadem Epiſtola.

Ordinationes vero Presbyterorum, & Levitarum tempore congruo, & multis coram adſtantibus ſolemniter agite: & probabiles, ac doctos viros ad hoc opus conſtituite: unde horum ſocietate, & adjumento plurimum gaudeatis.

XLIII.

De Conſpiratione contra Epiſcopos.

Ex Epiſtola Caliſti Papæ, ſcripta ad omnes Galliarum urbium Epiſcopos.

Conſpirationum vero crimina veſtris in partibus vigere audivimus, & plebes contra Epiſcopos ſuos conſpirare nobis mandatum eſt: cujus criminis aſtutia non ſolum inter Chriſtianos abominabilis eſt, ſed etiam inter Ethnicos, & ab exteris lege prohibita. Et idcirco hujus criminis reos non ſolum Eccleſiaſticæ, ſed etiam ſæculi damnant leges, & non ſolum conſpirantes, ſed & conſentientes eis. Anteceſſores vero noſtri quam plurima turba Epiſcoporum, quicunque eorum in ſacerdotali ordine ſunt conſtituti, aut exiſtunt, Clerici honore, quo utuntur, cadere præceperunt: cœteros vero communione privari, & ab Eccleſia extorres fieri juſſerunt, & non ſolum facientes, ſed eis conſentientes.

XLIV.

Excommunicatis non communicandum.

Ex eadem Epiſtola.

Excommunicatos quoque a ſacerdotibus, nullus recipiat ante utriuſque partis examinationem juſtam, nec cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, aut oſculo communicet, nec ave eis dicat: quia quicunque in his, vel aliis prohibitis, ſcienter excommunicatis communicaverit, juxta Apoſtolorum inſtitutionem & ipſe ſimili excommunicatione ſubjaceat. Ab his ergo & Clerici & Laici ſe abſtineant, qui eadem pati noluerint.

XLV.

Terminos non transgrediendos.

Ex eadem Epiſtola.

Nemo quoque alterius terminos uſurpet, nec alterius parrochianum judicare, aut excommunicare præſumat: quia talis dijudicatio, aut excommunicatio nec rata erit, nec vires ullas habebit; quoniam nullus alterius judicis, niſi ſui, ſententia tenebitur, aut damnabitur: unde & Dominus loquitur dicens: *Ne transgrediaris terminos antiquos.* (o) Nullus autem Primas vel Metropolitanus, Diœceſani Eccleſiam, vel Parrochiam, aut aliquem de ejus Parrochia præſumat excommunicare, vel judicare, aliquidve agere abſque ejus conſilio, vel judicio. Sed hoc obſervet, quod ab Apoſtolis ac Patribus, & prædeceſſoribus noſtris eſt ſtatutum, & a nobis confirmatum, id eſt, ſi quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo propriam pertinet Parrochiam, ſine conſilio & voluntate omnium comprovincialium Epiſcoporum, extra aliquid agere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjacebit, & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum. Sed quidquid de provincialium Epiſcoporum cauſis, eorumque Eccleſiarum, & Clericorum, atque ſæcularium, neceſſarium agere, aut diſponere neceſſe fuerit, hoc cum omnium conſenſu provincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis faſtu, ſed humilima, & concordi adminiſtratione.

XLVI.

De lapſu ſacerdotis.

Ex eadem Epiſtola.

Sed ſi aliquis lapſus quoquo modo fuerit, portemus eum, & fraterno corripiamus affectu, ſicut ait Beatus Apoſtolus

(o) Proverb. XXII, 28.

lus: *Si præoccupatus* (p) *fuerit in aliquo delicto; vos, qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Alter* (q) *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Porro S. David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit. B. quoque Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit. Et Dominus per Prophetam peccantibus pollicetur, dicens: *Peccator in quacunque die* (r) *conversus ingemuerit, omnium iniquitatum illius amplius non recordabor.* Errant enim, qui putant, Sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium condigne custodierint: & ipsi, qui hoc putant, non solum errant, sed etiam traditas Ecclesiæ claves dissipare, & abigere videntur, de quibus dictum est: *Quæcumque solveritis* (s) *in terra, erunt soluta in cœlo.* Alioquin hæc sententia aut Domini non est, aut non vera. Nos vero indubitanter tam Domini Sacerdotes, quam reliquos Fideles post dignam satisfactionem posse revocari ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: *Numquid* (t) *qui dormit, non adjiciet, ut resurgat? & qui adversus est, non revertetur?* Et alibi: *Nolo,* (u) *inquit Dominus, mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et Propheta David pœnitentiam agens, dixit: *Redde mihi* (x) *lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Ipse namque post pœnitentiam & alios docuit, & sacrificium Deo obtulit, dans exemplum Doctoribus Sanctæ Ecclesiæ, si lapsi fuerint, cum dignam pœnitentiam Deo gesserint, utrumque facere posse. Docuit enim, quando dixit: *Doceam* (y) *iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Et sacrificium Deo obtulit, dum dicebat: *Sacrificium* (z) *Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non spernis.* Videns etiam Propheta scelera sua mundata per pœnitentiam, non dubitabat prædicando, & Domino libando curare aliena.

Item post pauca: David enim dicit: *Beati,* (a) *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Mundatur ergo homo a peccato, & resurgit gratia Dei a lapsu, & in pristino manet officio juxta prædictas auctoritates. Videat, ne amplius peccet, & sententia Evangelica maneat in eo, quæ ait: *Vade* (b) *& amplius noli peccare.* Unde ait Apostolus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.*

XLVII.

De possessionibus Ecclesiarum.

Ex Epistola Urbani Papæ, scripta de communi vita, & oblationibus Fidelium.

Multitudinis (c) *autem credentium erat cor & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia:* & *virtute* (d) *magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis JEsu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, ante pedes Apostolorum. Dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum filius consolationis, Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit precium, & posuit ante pedes Apostolorum,* & reliqua. Videntes autem Sacerdotes summi, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles, plus utilitatis posse afferri, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant, Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus

Hhh

(p) Galat. VI, 1. (q) Galat. VI, 2. (r) Ezechiel. XVIII, 22.
(s) Matth. XVIII, 18. (t) Psalmo XL, 9. (u) Ezechiel. XXXIII, 11.
(x) Psalmo L, 14. (y) Psalmo L, 15. [z] Psalmo L, 19.
(a) Psalmo XXXI, 1. (b) Joannis VIII, 11. (c) Actuum IV, 32.
(d) Actuum IV, 33.

ribus plura & elegantiora possent ministrari fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex precio ipsorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & sumptibus eorum vivere. Ipsæ vero res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt usque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus, quibus Episcopi & fideles dispensatores eorum omnibus, communem vitam agere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Nec ergo debent in aliis usibus, quam Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum Fratrum, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, atque ad prædictum opus explendum, Domino tradita. Siquis autem, quod absit, secus egerit, damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, ut reus sacrilegii efficiatur, sicut illi fuerunt, qui precia rerum fraudabant prædictarum.

XLVIII.

Prædia dicata ne invadantur.

Ex eadem Epistola.

Attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata a quibusquam irruentibus vexentur: quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, & infernali carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis utatur, quoniam juxta Apostolum tradere oportet hujusmodi hominem *Satanæ, ut spiritus salvus fiat in die Domini.* (e)

XLIX.

De Sede Episcopi.

Ex eadem Epistola.

Quod autem sedes in Episcoporum Ecclesiis excelsæ constitutæ, & præparatæ inveniuntur in throno, speculationem, & potestatem judicandi & solvendi, atque ligandi a Domino sibi datam materiæ docet, unde Salvator in Evangelio ait: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo.*

Ex Goldasto Tomo II. rerum Alamannicarum Francofordæ 1613.

Cætera desiderantur, ut & NOTINGI Episcopi Capitula, quæ Remedio adjecit, fide Goldasti.

(*e*) I. Cor. c. V. v. 5.

DIGRESSIO

De Sæculi Noni Conciliis.

§. *I.*

De delectu Conciliorum.

SI ullo Sæculo, hoc nono insigni delectu opus Collectoribus Conciliorum; ne conventus politicos de publica re Regnorum, & sæcularium controversiarum, immisceamus Conventibus sacris de Ecclesia, & Ecclesiæ personis, rebus ac controversiis agentibus. Cum enim in hoc Sæculo nono, uti & præterito octavo, Reges, Proceres, Comites interessent iisdem Conventibus, quibus & Episcopi: cum secundo in eodem Conventu & loco tam Regni, quam Ecclesiarum negotia tractarentur: cum auctoritas Episcoporum, ob horum virorum sapientiam & sanctitatem, maximo loco esset apud Carolum Magnum, ejusque posteros, hoc sæculo Italiæ, Germaniæ, Galliæ imperantes: hinc omnes illi Conventus videantur alicui ad Concilia Germaniæ pertinere.

Verum absit, ut profana sacris, Comitia civilia Conciliis Ecclesiæ confundamus. Ostendimus, qua methodo personæ & causæ in his Conventibus Principum, & Episcoporum fuerint secretæ & separatæ, *in digressione ad Sæculum VIII. §. II. pag.* 350. *Tomi primi:* Eadem secretio personarum & causarum servata fuit in Conventibus Sæculi IX. Episcopi judicarunt personas, & causas Ecclesiasticas, quorum judiciorum executionem regia auctoritas promovebat: Rex, & Du-

Duces, & Comites judicabant causas politici Regni.

Ex hoc principio omisimus omnes illos conventus Regum & Procerum, in quibus sola divisio Regnorum agitata fuit inter filios & nepotes Caroli Magni, & Ludovicii Pii.

Excipio duos: quibus Episcopi non tantum intervenerunt, sed primariæ in illis personæ fuerunt, in quorum scientiam & sanctitatem, veluti arbitrorum, compromiserunt Reges; uti anno 860. in Conventu Confluentiæ nonis Junii celebrato: *pag.* 249. & in Conventu anno 842. Aquisgrani facto post prælium ad Fontanetum pag. 142. ubi Episcopali auctoritati, veluti justo Dei judicio, decidendum commiserunt Reges, Ludovicus Germaniæ, & Carolus Calvus Galliæ; quid post hoc prælium de populo Francorum, & Regno statuendum.

Reliquos Conventus, in quibus de solo Regno dividendo actum fuit, omisimus, licet Binius, Sirmondus, Labbeus, & Harduinus illos interseruerint suis Conciliis.

Cæterum tam illustria, plena, ac sacrorum Canonum medulla referta Concilia, hoc Sæculo in Germania celebrata fuere, ut ex iis solis domesticum jus sacrum conflare liceat.

Celebriora, & a posterioribus Canonistis laudata, sunt Concilium Moguntinum anni 813.

Aquisgranense anni 816. de vita Canonicorum & Sanctimonialium.

Aquisgranense anni 817. de instituto Monachorum sub Ludovico Pio.

Aquisgranense anni 836. tribus libris comprehendens vitam, & officia Episcoporum, Cleri, Regum, Principum.

Synodus ad Theodonis Villam anno 848. mense Octobri, Regibus Lothario, Ludovico, & Carolo congregantibus, præside Drogone Metensi.

Concilia Moguntina tria sub Rabano Archi-Episcopo, anno 847. 848. sed potissimum anno 857, in quo Canones XXXI. conditi fuere.

Synodus Tullensis apud Saponarias nationalis XII Provinciarum, anno 859. mense Junio, Canones XIII. condidit.

Synodus Wormatiensis famigerata anni 868. XVII. Kal. Junias, condidit XLV. Canones.

Concilium Moguntinum anni 888. sub Arnulfo Rege Canones XXVI. condidit: interfuere tres Metropolitani cum Suffraganeis & Abbatibus.

Synodus Metensis, eodem vel proximo anno, præside Ratbodo Treverensi, & Suffraganeis, Canones XIII. concinnavit.

Synodus Triburiensis anni 895., celeberrima Canonum LVIII. Mater, cum variis Metropolitanis, & magno numero Episcoporum & Abbatum.

Ex his Synodis potissimum Regino, Burchardus, Ivo, & Gratianus suas collectiones compilarunt.

§. II.

Quæ Synodi extra Germaniam habitæ, spectent ad Germaniam.

I. UNa Romana in causa Leonis III. & Missorum a Carolo Rege, ob definitionem Synodi Aquensis anni 809. de retinendo additamento: *Filioque.*

II. Duæ aut tres Romanæ, in causa divortii Lotharii, & Theutbergæ circa annum 863. 864. 865. & contra Legatos Apostolicos Metis corruptos, & prævaricantes.

III. Una Ticini in Liguria, in causa restituendorum Theutgaudi, & Guntharii in suas sedes Archi-Episcopales. Hæ quatuor, licet in Italia habitæ Synodi, necessario inserendæ erant integræ collectioni Conciliorum Germaniæ.

IV. Compendiensis, ubi Imperator Ludovicus Pius fuit contra leges omnes æqui, & justi exutus insignibus imperialibus: sed cum sit res mere politica [etsi pro dolor intervenientibus Episcopis executioni mandata] facile omissa fuisset in hac collectione: at quia iidem Episcopi & Proceres in aliis Conventibus Germaniæ fuere aut puniti, aut reconciliati, hinc ejusdem mentio prætermitti non potuit.

§. III.

De exitu Aquensis Synodi anno 809.

ETsi hæc Synodus Aquisgranensis anni 809. ad summum fuerit provincialis, aut nationalis (nam Episcoporum, qui interfuerunt, nomina non asservavit tempus) etsi Romanum Concilium anno 810. habitum noluerit improbare, factum ab Ecclesiis Germanicis, Francicis, Hispanicis, quæ vocem: *Filioque* addiderunt Synodo Constantinopolitanæ, & hoc cum additamento canebant in Palatio, & aliis Ecclesiis; attamen Papa, tenax veteris moris Ecclesiæ Romanæ, noluit in Ecclesia Romana id *addi*, sed symbolum, quale ex Concilio œcumenico prodiit, invariatum recitari & cantari decrevit, idem-

que, ut in Palatio Imperatorio & cæteris Ecclesiis paulatim induceretur, suadere allaboravit: sed frustra: reapse videmus Ecclesias Occidentales perrexisse in suo additamento: *Filioque*, & ad nostrum usque Sæculum in eo continuasse: Videatur Crites Baronii *Pagius ad hunc annum.*

§. IV.

Cur Canonizatio S. Swiberti, in Werda celebrata, sit omissa.

INter multas Synodos prætermissas numerari debet illa celeberrima, si Diis placet, acta Werdæ: quæ nunc *Cæsaris insula* dicitur, octavo a Colonia lapide, anno 805. pridie Nonas Septembris a Leone III. Papa in præsentia multorum Cardinalium, Archi-Episcoporum, Episcoporum, Prælatorum, ac Primatum, præsente Carolo Magno Imperatore.

Hagiographi Antwerpienses Tomo III. Martii ad diem XXVI. hujus mensis in Commentario prævio ad vitam S. Ludgeri §. VII. & VIII. fabulæ hujus de hac Synodo & Canonizatione, ineptias, anachronismos, & contradictionem contra omnes coævos Scriptores ostendunt, meque liberarunt onere hanc comœdiam confutandi. Surius post vitam S. Ludgeri subjicit Epistolam Marcellini de hac Canonizatione scriptam, & Sancto Ludgero tribus ab ejusdem morte Sæculis suppositam.

Sanfelicius Nuntius Coloniensis, jam viderat dudum confictam hanc Epistolam, & ut talem sprevit. Morinus *L. X. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ Cap.* 20. §. *II.* Natalis Alexander Histor. Eccles. *Sæculi IX. Cap. I. in vita S. Leonis.*

§. V.

Canonistæ Sæculi noni.

MUltos & magnos non solum in Scriptura sacra prædicanda & interpretanda; sed & in scientia Canonum Ecclesiæ peritissimos viros tulit Germania hoc Sæculo nono.

Eos hoc ordine recenseo.

I. SYMPERTUS, Augustanus Episcopus, & Abbas Murbacensis.

II. REMEDIUS, Curiæ Rhetorum Episcopus.

III. SMARAGDUS, Abbas S. Michaelis ad Mosam, Diœcesis Virdunensis.

IV. BENEDICTUS, Anianensis, & Monasterii S. Cornelii ad Indam Abbas.

V. AHYTO, Basileensis Episcopus.

VI. AMALARIUS, Metensis Diaconus.

VII. HALITGARIUS, Cameracensis & Atrebatensis Episcopus.

VIII. BENEDICTUS, Levita Moguntinæ Ecclesiæ.

IX. RABANUS MAURUS, Archi-Episcopus Moguntinus.

De horum plurimis egi in præfatione ad Tomum primum, in qua vitæ chronologiam, & operum catalogum exhibui. Hic autem scientiam eorum canonicam periclitabor, & ex quibus fontibus eam hauserint, paucis pandam.

I. SYMPERTI, Abbatis & Episcopi, Capitula Regularia ex nullo certo auctore collecta sunt, sed tum ex regula S. Benedicti, tum ex consuetudinibus variorum Monasteriorum: nulla enim ante annum 817. fuit universalis, vel universim aut accepta ab omnibus Monasteriis, aut saltem præscripta & insinuata regula, qualis ab eo anno cœpit, auctoribus post indicandis. Sunt igitur ea Capitula antiquissima Monasterii Murbacensis, quæ Petzius Tomo II. Thesauri Anecdotorum vulgavit: ex quo nos ea descripsimus.

II. REMEDII, Curiensis Episcopi, Capitula XLIX. ex Isidori literis suppostitiis veterum Romanorum Pontificum excerpta sunt: sub Carolo Magno verosimiliter scripta, imo ejusdem jussu, ut scribit GOLDASTUS, de quo valde dubito: nam Isidoriana collectio Carolo Magno nota minime fuit, uti Dionysiana ab Hadriano Papa eidem donata. Inserit sæpe auctoritates Scripturæ sacræ: cæterum ex illis suppositiis literis sua Capitula confecit.

III. SMARAGDUS, Abbas Monasterii S. Michaelis ad Mosam, in Diœcesi Virdunensi, Ord. S. Benedicti, scripsit Epistolam ad Papam Leonem III. jussu Imperatoris Caroli Magni, de processione Spiritus Sancti a Patre, Filioque, ventilata in Concilio Aquisgranensi anno 809. edita I. Tomo pag. 391. Dein librum Monasticæ professioni congruum scripsit, quem *Diadema Monachorum* nuncupavit; demum *Commentarios in Regulam S. Benedicti*, quos alii Rabano tribuunt.

IV. BENEDICTUS, Anianensis primum Monasterii, deinde S. Cornelii ad Indam, in Diœcesi Coloniensi, Ordinis S. Benedicti conditor, maximo in pretio fuit Carolo Magno, & Ludovico Pio, ejus Filio, Imperatoribus. Hic primus Germaniæ & Galliæ Monasteria, etsi Benedicti regulam profitentia, attamen diversissimis consuetudinibus utentia, imo & variis regulis, sub unam regulam S. Benedicti adunavit, & uniformitatem ubique inducere conatus est.

Sub eo, uti præcipuo Præside & Doctore, anno

anno 817. Synodus Aquisgranensis celebrata est, accitis ex omni Germania & Gallia Abbatibus, favente, & jubente Ludovico Augusto. Hic edidit codicem, quem *Concordiam Regularum* inscripsit, ex regulis *diversorum Patrum* collectam, ita tamen, ut prior Divi Benedicti Regula cunctis esset.

Natalis Alexander Historiæ Ecclesiasticæ Sæculo IX. C. III. art. XII.

Mabillon. in Annalibus Benedictinis.

V. HAITONIS, vel AHYTONIS, Basileensis Episcopi Capitula XV, ex quibus fontibus deprompta fuerint, non additur: facile tamen esset, ea ad Patres, vel ad Concilia antiquiora referre, & fontes coronare. Ipsus Haito eos quandoque indicat: ut Capitulo nono Concilium Nicænum primum: Cap. XV. Toletanum Capite XIX. sancivit nil in Ecclesia legendum, nisi quæ auctoritatis sunt Divinæ, aut quæ Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Cap. XXIV. Ut in Horis Canonicis Romanæ Ecclesiæ ritum imitentur Clerici suæ Diœceseos.

VI. AMALARIUS, Metensis Diaconus, & subin Lugdunensis Chorepiscopus, scripsit Libros IV. de Ecclesiasticis Officiis, dicatos Ludovico Pio Imperatori. Supplementum ad Libros IV. Amalarii de Divinis Officiis edidit P. Mabillon. Tomo II. Analectorum. Plura scripsit Liturgica, ex quibus observavit discrepantiam Gallicani & Romani ritus, quæ nos nunc non curamus. Scripsit & Tractatum Theologicum de præsentia, & prædestinatione Dei, contra Gotescalcum Moguntiæ damnatum.

Sufficit eundem in scientia Juris Monastici, & Ecclesiastici dedisse specimina non contemnenda. *Videatur Natalis Alexander Historiæ Ecclesiasticæ Sæcul. IX. Cap. III. art. IV.*

VII. Inter multa opera HALITGARII, Cameracensis & Atrebatensis Episcopi, cogitabam recudere Librum sextum inter sex Libros *de remediis peccatorum, & ordine, ac judicio pœnitentiæ..* quia hic sextus Liber est descriptus ab Halitgario ex codice MS. Romanæ Ecclesiæ, & antiquissimus est omnium, quem in hoc genere habemus. Verum cum in eo codice non *Canones* pœnitentibus reconciliandis præscripti, sed horum executio duntaxat, & praxis continetur, hinc potius inter rituales libros, quam Canonicos mihi recensendus videtur. Editus fuit Liber ab Hugone Menardo, ex codice MS. Monasterii Corbeiensis: deinde iterum a Morino post *Commentarium Historicum de disciplina in administranda pœnitentia* anno 1651. una cum aliis codicibus antiquis pœnitentialibus.

VIII. BENEDICTUS, Levita Moguntinensis Ecclesiæ, post collecta ab Ansegiso Abbate Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii, observavit ab eo Collectore multa utriusque Principis prætermissa fuisse, & ab eodem manum non admotam Capitulis anterioribus Pippini, & Carolomanni Regum; utramque lacunam Benedicti explere aggressus est, & jussu sui Archi-Episcopi Otgarii, cui & opus suum inscripsit, tribus libris supplevit Ansegisum, circa DCCCXLV.

IX. Venimus nunc ad RHABANUM præstantissimum Noni Sæculi Juris Canonici Doctorem, quod, ut cætera gesta ab isto viro officia, ac prælaturas omittamus, pauci ex tot libris, ab eodem editis, & in Præfatione Tomi primi enumeratis seligentur, ex quibus luculenta notitia veterum Conciliorum & Patrum, in hoc Archi-Episcopo residens, orbi demonstratur.

Primo loco ponimus ejus Epistolam Canonicam, scriptam ad *Heribaldum Episcopum Antissiodorensem* vel *Altissiodorensem* in Burgundia, nunc Gallia, Episcopum, a quo de diversis quæstionibus interrogatus fuerat per Nuntium submissum. Undique enim ad Rhabanum, velut oraculum, concurrebatur in dubiis Canonicis, vel Ecclesiasticæ disciplinæ, emergentibus. Respondet Sanctus Antistes ad singula capita prolatis Conciliorum, tum Pontificum Romanorum, tum aliorum Doctorum verbis, unde patet prona & expedita voluntas, & plena scientia ad quæcunque proposita dubia expedienda.

Similis fere erat liber inscriptus: *Pœnitentiale Rhabani*, sive eum ante, sive post hanc Epistolam, ex simili causa ediderit. Unde sat habuimus, concordiam utriusque indicare, cum iisdem pæne auctoritatibus, & verbis in utroque opere utatur.

Alterum specimen Canonum peritiæ habet Epistola scripta ad *Regimboldum Chor-Episcopum Moguntinæ Ecclesiæ*, quum ipse tum esset Abbas Cœnobii Fuldensis: sex quæstiones propositas partim ex scripturis Divinis partim ex Canonibus Patrum resolvit.

Tertium opus de Chor-Episcoporum statu, officio, potestate scripsit: quæ quæstio a medio septimo sæculo usque ad finem noni in multis Conciliis agitata fuit, & variis modis a variis definita. S. Rabanus stat pro Chor-Episcopis, si per manus impositionem a veris Episcopis ordinati sint (etsi specialem Cathedram, & civitatem non habeant) eo quod veri nominis Episcopi sint, & Episcopis propria munera obire valeant, & ab Episcopis debita cum charitate, & modestia tolerandi. Adstruit quidem ex Historia sacra, & Ecclesiastica multa pro sua sententia tuenda; at *consuetudine* plurima-

 rum

rum Ecclesiarum, & Episcoporum tolerantia potissimum se tuetur.

Quartum & quintum opus Canonicum est Epistola responsoria una ad *Humbertum Wurciburgensem* Episcopum, altera ad *Bonosum Abbatem Fuldensem: Quota generatione licitum sit connubium inter Christianos?* Hanc quæstionem eo sæculo nondum ulla authoritate generalis Concilii definitam resolvit magna modestia hoc pacto: *Ut post quintam generationem jam licitum connubium fiat: Quia lex Divina hoc non contradicit, nec etiam Sanctorum Patrum hoc dicta prohibent.* Ea resolutio, utut solida, & gravis, scrupulum movit Abbati *Bonoso*: ea de causa, quia ex veteris testamenti authoritate probaverat suam Thesin. Ostendit autem Rhabanus, Christum ipsum veteris testamenti authoritate sæpissime usum ad varia dubia definienda: Deinde ex Canonibus Patrum, & Conciliorum ostendit, hos concordare testimoniis veteris testamenti.

Secundæ Epistolæ altera pars est *de magicis artibus, & incantationibus, & superstitionibus*, quæ doctrina non tantum sæculo nono, sed hoc sæculo XVII. summe necessaria est: non quod quisquam in Dœcesi nostra dæmonem invocet, sed superstitiones innumeræ specie devotionis erga Deum, & sanctos illicitæ misellam plebem seducunt ad innumeras nugas, adeo, ut non sat sæpe contra has superstitiones eradicandas prædicari queat.

§. VI.

Quot, & quæ Synodi in causa Bremensis Ecclesiæ, subjectæ sub Coloniensi Metropolita, celebratæ fuerint?

CUm nonnisi sæculo octavo Bremensis Ecclesia erecta fuerit intra provinciam Coloniensis diœcesos, quæ proxime ad septentrionem pertingebat, & videbatur omnes illic nascituras Ecclesias complexura; hinc mirum non est jus Coloniensis Metropolitæ in Bremensem novam Ecclesiam, ejusque Episcopum. Verum cum anno 782. S. Willehadus in Wigmodiam venisset, inde iterum pulsus anno 782. per Carolum M. Eresburgo in easdem partes relegatus fuit: anno 787. Wormatiæ Episcopus in Wigmodia consecratus, verosimillime ab Hildebaldo Coloniensi Archi-Episcopo; anno 789. obtinuit fundationem, & dotationem Ecclesiæ Bremensis, subscribente Hildebaldo Arch. Colon. Archicapellano:

Anno 826. vel 827. in palatio vel Saltz, vel Ingelheim, denuo Ludovicus Pius suscepit consilium septentrionis Christo adjungendi. Anno 827. Hattaboldus Colon. Antistes navibus instructis novos Missionarios in Normanniam misit. Proficit missio: ampliatur. Anno 831. in conventu Aquisgranensi jussu Ludovici, Ansgarius consecratur primus Archi-Episcopus Hamburgensis; consentiente Willerico Bremensi Episcopo, Suffraganeo Coloniensi, per Drogonem Metensem sacri palatii Archi-Capellanum; anno 834. expeditur diploma Ludovici Pii Imp., & dotatur Archi-Episcopalis Ecclesia Hammaburgensis donatione cellæ Tournholti in Comitatu Flandriæ.

Defuncto Leuderico tertio Bremensi Episcopo, anno 847. quum vastatione Nordmannorum admodum desolata esset Brema, Imp. Rex Ludovicus voluit unire duas Ecclesias Bremensem & Hammaburgam, quo facilius sustentaretur S. Ansgarius, qui Hammaburgi erat consecratus Archi-Episcopus ante XVIII. annos, nempe ab 831. huic idem Bremensem simul commisit Ecclesiam: ab eo die discordia inter Ansgarium & Coloniensem Metropolitam, ac dein inter Ferdensem Episcopum: nam hic Regionem Transalbianam ad se pertinere contendebat.

Igitur in Concilio Moguntino primo sub Rhabano anno 847. hæc conjunctio Ecclesiarum Hamburgensis, & Bremensis, in persona unius Ansgarii ratificata fuit judicio Episcoporum, quos Rex Ludovicus consuluerat: deinde actum de Waltgario Ferdensi Episcopo placando. Sed necdum definitum, an Bremensis Ecclesia Cathedralis prorsus supprimenda præ Hamburgensi Archi-Episcopali, quia Ansgarius eo titulo ordinatus fuerat; an contra eadem Bremensis adhuc relinquenda, & sic relinquenda, ut Metropolitæ Coloniensi, ut ante fuerat, subjecta maneret? Hæc controversia in Synodo Wormatiensi anno 858. decisa fuit, ut ex Remberto Biographo Sancti Ansgarii ostensum est.

Nicolaus Papa primus audito Salomone Constantiensi Episcopo, legato a Concilio Wormatiensi, & a Ludovico Germanico Rege, confirmavit unitionem hanc duarum Ecclesiarum, cui Guntharius Colon. Metropolita in Synodo consenserat.

His ita constitutis, prout ex Synodis *hoc Tomo relatis*, ad suos annos constat, recruduit controversia circa subjectionem Bremensis Episcopi erga Metropolitam Coloniensem anno 890. 891. 892. quibus temporibus Hermannus Colon. Metropolita questus est apud Papam, Adalgarium Bremensem deesse suo obsequio, & reverentiæ erga Metropolim Coloniam. Papa utrumque Romam citat: quum vero Hermannus Coloniensis Romæ non comparuisset, indixit Papa Synodum

nodum Wormatiæ, & Fulconi Remensi commisit examen causæ hujus: Wormatiæ anno 891. Synodus indicta, sed non celebrata, tum ob irruptionem Nordmannorum, tum ob varias mortes: Igitur Francofurti Synodus indicta fuit circa 892. cui & Hattho Archi-Episcopus Moguntinus, quem Papa ejusdem causæ inquisitorem constituerat, & Hermannus Coloniensis cum suis suffraganeis & forte Fulco Remensis, interfuere: decretumque ab omnibus, modum aliquem observantiæ debere Bremensem Coloniensi, quod decretum Formosus Papa confirmavit, Epistola ad Adalgarium scripta, & hoc Tomo recitata pag. 385.

Hactenus Chronologia videtur stare sat firmo pede circa præcipuos cardines: quales sunt initium & consecratio Sancti Ansgarii in Hammaburgensem Archi-Epis. anno 831. quod post Lambecium *in Chronologia, & Auctario libri primi rerum Hammaburgensium p.* 103. 104. *Echardus & Hagiographi Antwerpienses invictis argumentis demonstrarunt.*

Imperfectam conjunctionem Hamburgensis Ecclesiæ cum Bremensi jam ab anno 847. defuncto Leuderico Bremensi pauci adverterunt: uti & fuisse de ea tractatum in Synodis Moguntinis anni 848. 849. pauci viderunt: Lambecius de ea non meminit, nisi ad annum 858. & ad Bullam Nicolai I. confirmatoriam: Sed ipse Papa Nicolaus in sua Bulla narrat a morte Bremensis Episcopi anno 847. defuncti, cogitatum fuisse a Ludovico Rege de hac conjunctione. Adamus Bremensis, dicit *a morte Bremensis* Regem contulisse Ansgario Bremensem Episcopatum *cap.* 24. *Historiæ Ecclesiasticæ*: Addit multum temporis fluxisse, ex quo Bremensem Episcopatum Beatus Ansgarius suscepit, antequam hoc a Papa Nicolao firmaretur. Nos decennium ponimus ab anno 847. ad 858. Biographus S. Ansgarii Rembertus in vita cap. XIX. & XX. testatur *plus uno* in Concilio tractatum fuisse hoc negotium: hæc Concilia nos statuimus 847. 848.

Tot igitur Synodales resolutiones in hoc Tomo primum comparent suo loco.

Tertia Synodus est Concilium Wormatiense anni 858. quod sua sede & anno dimovere conatur *CL. MANSI in supplemento Concil. Tomo I.* Contra Lambecium, & omnes hactenus scriptores, & ad annum 864. provectum voluit. Jam præter notas libro huic aspersas ad Synodos huc pertinentes videamus argumenta *CL. MANSI*; cur ad annum 864. ab anno 858. Synodus Wormatiensis sit removenda? *Primo* statuit tria Concilia in hac causa acta fuisse: primum anno 857. Moguntiæ: alterum 858. forte Moguntiæ ait, tertium Wormatiæ 864.

Quod hæ Synodi etiam in locis a *CL. MANSI* indicatis celebratæ fuerint, fundamentum dat Rembertus Biographus Sancti Ansgarii: verum, cur prima ad annum 857. protrahatur, non video: statim a morte Leuderici Bremensis, Ludovicus Rex statuit, Ansgario egeno, & desolato conferre Bremensem una cum Hammaburgensi, ad quam Ecclesiam ordinatus & consecratus fuerat; quia vero eo sæculo insolens erat, unum duos Episcopatus possidere; scrupulus justus motus fuit Regi de hac conjunctione, & ideo Episcoporum Concilium requisivit. Est autem Leudericus mortuus 847. non ergo decem annos Rex expectavit, ut requireret Consilium Episcoporum ab 847. ad 857. sed proximo tempore anno 847. Moguntiæ coacto Concilio, Procerum, & Episcoporum Consilium accepit pro conscientiæ suæ pace

Est igitur Mansi postulatum contra omnem verosimilitudinem, quod Rex decennium exspectaverit ad audiendam Episcoporum decisionem de conjunctione licita Ecclesiarum Cathedralium Bremensis, & Hammaburgensis in una persona Ansgarii.

Secundum argumentum Mansi, ex verbis Remberti *multum temporis fuisse*, ex quo sedem Bremensem gubernandam suscepit Ansgarius prius, quam authoritate Apostolica firmaretur, nil probat: Mansius ait intercessisse septem annos ab 857. ad 864. ego decem ab 847. ad 858.

Post hæc argumenta, Mansius recitat alia tria, in responsione ad Pagium, olim edita.

Primum est ex Bulla Nicolai I. data Indict. XII. *Ludovico Imp. anno suo quinto* ex chronista Saxone; sed ex Philippo Cæsare editore *in Tri-Apostolatu septentrionis*, ex Lambecio *ejus descriptore* legi poterat imperante piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato magno Imperatore anno quinto decimo, indictione XII. quæ duæ notæ reapse concurrunt. Nam annus Christi 864. est Ludovici II. Imperatoris decimus quintus (si ab 849. computetur, quo pater Lotharius eum Imperii consortem voluit) & Indictio XII. eidem respondet.

Crantzius Metropol. L. I. C. 38. easdem notas habet.

Lambecius easdem notas descripsit, attamen ad annum 858. retulit diploma Pontificium.

Lambecius autem citra ullam præfationem notas temporis adscripti erroneas ait esse, & loco anni XV. reponendum annum III. loco Indictionis duodecimæ, sextam reponendam judicat.

Hagio-

Hagiographi ad diem III. Febru. ſtant in anno 858. Conc. Wormatienſis.

Quod autem Adamus Bremenſis apud Pagium judicat, Bullæ Pontificiæ additum fuiſſe annum Chriſti DCCCLVIII. non me movet: credo enim cum Manſio, hoc ſæculo non fuiſſe numeratos annos æræ Chriſtianæ in Epiſtolis Pontificum. Aliæ duæ cauſæ me impellunt, ut credam, notas temporis bullæ additas vel nullas fuiſſe, vel præſentes eſſe falſas.

Poſt mortem Leuderici Ludovicus Germaniæ Rex, ſtatim voluit conferri hanc Eccleſiam Bremenſem vacantem Ansgario Hammaburgenſi: ſed conſcientia remordente recurrit ad Epiſcopos, & eorum Conſilio accquievit anno 847.

Waltgarius Ferdenſis Epiſcopus contra hanc conjunctionem proteſtatus eſt ob ſubtractam ſuæ Diœceſi Tranſalbiam Regionem. Habetur Concilium, & placatur hic Epiſcopus anno 848. vel proximo anno 849. Anno 853. juxta *CROMBACHIUM*, ſufficitur Guntharius in Cathedram Colonienſem, quæ ob temporum infelicitatem, pro dolor! vacaverat: & putemus, hunc Archi-Epiſcopum decennio tacuiſſe de ſubtracta ſibi anno 847. ſuffraganea ſede Bremenſi paulo ante ſuam evectionem ad Cathedram noſtram? Non ſane tacuit; ſed quamprimum ipſe confirmatus fuit, apud Regem inſtitit, & Wormatiæ tum a Rege, tum ab Epiſcopis, rogatus fuit, ut conſenſum ſuum daret huic conjunctioni Bremenſis cum Hamburgenſi, & ſubtractioni a Metropoli & Provincia.

Nunquam credam Guntharium undecim annis concoxiſſe hanc ſubtractionem: & cum Ludovicus Rex aliis, & ſuæ conſcientiæ quamprimum fecerit ſatis, conſultis Epiſcopis; cur Guntharii potiſſimam querimoniam ab anno 853. ad 864. rejeciſſet?

Alterum argumentum hauſerat Cl. Manſi: quod hæc conjunctio facta fuerit *ultimo tempore vitæ* Sancti Ansgarii: ſane ultimo tempore, ſexennio nempe ante mortem, quæ anno 865. evenit: non enim ſolus penultimus annus vitæ dicitur ultimum tempus.

Tertium argumentum deſumitur ex Reſponſis Nicolai I. datis Salomoni legato, relatis a *Baluzio Tomo V. miſcellaneorum.*

Ego ante, de hac collectione quam cogitarem, deſcripſeram pro mea notitia reſponſa Nicolai Papæ data Salomoni.

Quo ſæpius ea relego, eo confirmor magis in mea ſententia, quod hæc a Baluzio in aliquo cod. Ms. reperta reſponſa, ſint opuſculum otioſi collectoris, & corraſoris, qui geſta a Nicolao Papa ab 858. ad 867. colligere voluit: demum ea uni Salomoni legato data fuiſſe, imprudenter & imperite ſcripſit.

Pontifex Nicolaus, ut ex ejuſdem Epiſtolis patet, ſingulis perſonis, & factis ſingulas ſcribit Epiſtolas, cum indictione currente, ut literas ejus percurrenti patet. Cur jam hæc, tot, diſparata variarum cauſarum reſponſa uni Salomoni Conſtantienſi committeret, qui nonniſi a Ludovico Germaniæ Rege miſſus fuit poſt Concilium Wormatienſe pro cauſa conjungendæ Eccleſiæ Bremenſis cum Hamburgenſi? Ipſe Manſius adnotavit, nullum hactenus vidiſſe tot munera & cauſas Salomoni delegatas fuiſſe, quot habentur in his capitulis reſponſionum ad legationem Salomonis.

Secundo Salomon ſoli Ludovico Germaniæ Regi ſubdebatur, non Lothario, non Carolo Calvo: quid igitur horum Regum cauſas Salomoni committeret?

3tio Lotharius, Adventium Metenſem Epiſcopum, Rothaldum Argentoratenſem, Theutgaudum Treverenſ., & Guntharium Romam miſerat: quo ergo veroſimili colore hos legatos præterit, & Salomoni onus committit?

Siccine Pontificem ſapientiſſimum perſonas, tempora, cauſas in unum confundere, ſusque deque miſcere omnia, ut diverſis legatis, regnis & cauſis debita reſponſa uni Salomoni det, & eum Romæ ſuſpendat ab 858. ad 864. circa negotia, nil ad eum, nec ad ejus Regem Ludovicum pertinentia?

Ex his videbit, credo, ſapiens crites, quam parum illa capitula Nicolai circa cauſas diverſiſſimas pro tot diverſis provinciis, uni Salomoni commiſſa & reſponſa, ſcribantur ab improvido collectore.

Maneat igitur ex Remberti pene coævi ſcriptoris ſententia, cauſam conjunctionis in Concilio Wormatienſi per aſſenſum Guntharii definitam fuiſſe (quem conventum Schannatus in hiſtoria Wormatienſi ad annum 849. erronee refert) ſed qui poſt conventum Salomon mitti potuit ad Nicolaum Papam, nonniſi anno 858. electum?

Annaliſta Saxo Eccardinus, *Tomo I. p.* 196. ad annum DCCCLVIII. refert: Eodem anno " Bremenſis atque Hammaburgenſis " parochiæ coadunatio facta eſt ultimo tem-" pore S. Ansgarii ex autoritate Nicolai Papæ. Hermanni Corneri Chronicon, ab Eckharto Tomo II. editum, refert hanc coadunationem ad annum Chriſti 862. quem facit eſſe Ludovici II. Imperatoris quintum. Verum in Bulla Nicolai, quam Cornerus refert, narratur Ludovici Regis deſiderium con-

conjungendæ Ecclesiæ Bremensis cum Hamaburgensi in favorem Anscharii, natum fuisse post defunctum diœcesanum Bremensem (anno 847) cur hoc desiderium usque ad annum 862. dilatum fuit? Cum anno primo Nicolai, vel primo Benedicti Antecessoris impleri potuisset, si Metropolitæ Coloniensis, qui tum nullus extabat, teste Rimberto, consensus accessisset.

Ultimum Concilium in hac causa, denuo excitata, statuimus anno 892. Francofurti coactum fuisse, contra Synodographos, qui Triburiensi Concilio anno 895. hanc causam attribuerunt: sed Epistola Formosi Papæ dubium omne tollit, ut in notis diximus.

§. VII.

De Godeschalci damnatione in Concilio Moguntino.

GOdeschalcus nobilis Saxo erat, filius Berni Comitis, sub Eigile Abbate a primis annis in Monasterio Fuldensi secundum regulam S. Benedicti oblatus & tonsus; ut discimus ex *Hincmaro L. de non trina Deitate Sect. XII.* Rhabanus, Abbas ejusdem Monasterii, literis eundem informavit, & vitæ Monasticæ per vota mancipavit.

Pertæsus forte hanc vitam, aut præceptoris severitatem, provocavit ad Concilium Moguntinum, ejusque præsidem Otgarium anno DCCCXXIX.: conquerens, se a Rhabano Abbate ad monachi professionem adactum, & votum parentum de se puero factum, ratum habere coactum. Otgarius cum aliis Episcopis querelam Godeschalci audiit, & eum a voto absolvit. Rhabanus vero ab hac sententia ad Ludovicum Imperatorem appellavit, cui ea de causa libellum suum *de oblatione puerorum* obtulit. *Hæc ex Centuriatoribus Magdeburgensibus refert Eckhartus. Rerum Francicar. historiæ L. XXVIII.* N. 273. Eandem rem nos ex Centuriatorum fide transcripsimus in hoc secundum volumen pag. 54. Utrumque ignotum fuisse Clarissimo Natali Alexandro Ord. Prædic. *sæculi IX. Dissertatione V.* de hoc Godeschalco miretur quis in Doctore alias accurato & laudatissimo: nil enim aliud de ista pueritia Godeschalci meminit, quam eum fuisse ortu Germanum, & in Monasterio Augiæ divitis educatum fuisse in literis humanioribus, sed post in Orbacensi Monasterio Benedictino, Diœcesis Suessionensis professum fuisse, & a Rigboldo Ecclesiæ Remensis Chorepiscopo contra regulas Presbyterum ordinatum fuisse: exinde profectum Romam, per diversa Italiæ & Germaniæ loca vagatum, ubique sui erroris semina sparsisse.

Eckhartus paulo aliter sentit de causa, ob quam ex Germania ad Orbacense Monasterium venerit: sed parvi refert. Facta ultima vagabundi per Italiam, & Germaniam nota sunt.

Nunc ad Synodi Moguntinæ anno 848. in ejus causa habitæ acta progrediamur.

Rhabanus, Moguntinus Antistes, ex literis Notingi Episcopi, seu Veronensis, seu Vercellensis, didicerat, Godeschalcum & in Italia, & variis aliis locis disseminasse errorem suum de gemina prædestinatione Dei ad vitam, & ad mortem.

Eundem Monachum, cum apud Everardum Comitem, sive Marchionem Forojuliensem, commoratus esset, idem venenum palam & in privatis colloquiis sparsisse, Rhabano significatum fuerat.

Rhabanus, qui pueri indolem vanissimam, loquacissimam, ad novitates prurientem, olim noverat, scribit graves literas ad Notingum Episcopum, & Eberardum Comitem, a Sirmondo Tomo II. ultimæ Venetæ editionis recusas, quibus literis territus abire cogitur Godeschalcus. Demum Moguntiam advenit, promptus vel in Concilio errores suos tutari. Rhabanus eundem ad Concilium circa Kalendas Octobris 848. Provinciale citat. Comparet, offert libellum, quo non solum venerandum & sanctum Præsulem Rhabanum arguit ob literas ad Notingum datas, sed eundem veluti Semipelagianum traducit, in quæstionibus de libero arbitrio, cum Gennadio sentientem, & de voluntate Dei salvandorum hominum, ac redemptione sanguinis Christi pro omnium salute effusi.

Rhabanus, aliique Archi-Episcopi, & Episcopi, & Abbates, libello inspecto hominem examinant, impugnant, & convincunt erroris, sed quia contumacem & incorrigibilem deprehendunt, damnatum remittunt ad suum Monasterium, & Metropolitam Hincmarum, duplici cautione: I. Ut juramento firmet, nunquam se in regnum Germaniæ, Ludovicique rediturum. II. Rogant Hincmarum, ut eum recludat in Parochia sua, nec sinat eum amplius errorem disseminare, ac seducere populum Christianum.

Mabillon. Annal. Benedictin. Tomo II. pag. 681. 682. *ad annum* 848.

Hæc sunt, quæ ad Germanica duo Concilia in causa hujus miserabilis hæretici habita spectant; de cætero gesta in Gallia, & Conciliis Gallicis, quosve ibi repererit patronos, quos censores, lege sis *in Dissertatione V. Clarissimi P. Natalis Alexandri in Sæculum IX. Christianum.*

Epitomen do reliquæ vitæ Godeſchalci. In Synodo Cariſiacenſi ſub Carolo Calvo fuit denuo productus, interrogatus: & quia, uti in Moguntina Synodo, pertinax in errore, incorrigibilis inventus fuit, honore presbyterali dejectus, & pro ſua irrevocabili contumacia ſecundum leges Concilii Agathenſis, & regulam S. Benedicti, ut improbus, virgis cæſus, & ſicut decreverunt Germaniæ Provinciarum Epiſcopi, ne aliis noceret, in ergaſtulum retruſus fuit. Perrexit tamen ſcribere, & varias confeſſiones ſui erroris protrudere, ab aliis confutatus, a nonnullis defenſus. Eccleſia Lugdunenſis nunquam ejus errori favit, etſi errore facti nonnihil patrocinata ſit Godeſchalci locutionibus, ait *Natalis Alexand. loc. cit.*

Demum morte inſtante miſit ad eundem Hincmarus formulam Catholicæ fidei ſubſcribendam, atteſtans, ut erroribus renuntiaret, niſi vellet Sacramentis & ſepultura Eccleſiaſtica privari. Fruſtra fuit optimus Præſul: noluit ab errore diſcedere, & ſine communione corporis Domini mori præelegit: & ſic indignam vitam digna morte finivit, & abiit in locum ſuum.

Hincmarus L. de non trina Deitate.

Clariſſimus Mauguinus, Præſes in Curia Monetarum, malæ Godeſchalci cauſæ patronum agit: & *primo cauſatur*, Rhabanum judicem eſſe non potuiſſe, quia nemo in propria cauſa ſit judex.

Quis ergo, ſi hic Archi-Epiſcopus & Caput Concilii Nationalis, judex eſſe non potuit? An Præſes Curiæ Monetariæ poſt decem Sæcula judex competens ſit in cauſa, Eccleſiam, & hæreſes concernente? Deinde cauſa Godeſchalci non ſpectabat perſonam Rhabani, ſed totam Eccleſiam Dei, & Regnum Catholicum Ludovici Germaniæ Regis, uti cauſa Arii ſpectabat ad Alexandrum, & ad omnes Epiſcopos Concilii Nicæni: uti cauſa Pelagii ſpectabat ad S. Auguſtinum, & omnes Patres Concilii Millevitani. Epiſcopi ſunt proprii judices eliminandarum e ſua Diœceſi hæreſeon, a quocunque in-vel extraneo ſuſcitentur.

Secunda exceptio. At Concilium Moguntinum fuit potius placitum Regium, quam Concilium Eccleſiæ.

Ignorat Mauguinus mores Sæculorum octavi & noni, in quibus Concilia etiam Eccleſiaſtica, & de rebus ſacris habebantur coram Regibus, Epiſcopis, & Optimatibus: non quod Reges & Comites ſibi arrogarint judicium de rebus fidei dijudicandis (contrarium oſtendimus *Tomo I. in Conciliis Francofordienſi & Moguntino, annis* 812. *&* 794.) uti Mauguinus Laicus, & Curiæ Monetariæ Præſes, Conciliis & Epiſcopis ſe ſuperiorem judicem, ſua, id eſt, nulla auctoritate oſtentat; ſed, ut protegerent Eccleſiam, & decreta Epiſcopalia Conciliorum executioni mandarentur, demum ut hæreticos contumaces terrore, aliisve pœnis coercerent, &, ſi vellent, ad ſanam mentem reducerent. Nihil ergo præſentia Regis & Procerum obſtat, quin Concilium Moguntinum anni 848. fuerit vere *Eccleſiaſticum Concilium.*

Tertia exceptio Mauguini contra hoc Concilium eſt, quod in eo non fuerit ſervata forma judicii Eccleſiaſtici: Godeſchalcus potius *repulſus*, quam *judicatus* fuerit, ut *Annales Fuldenſes, & Flodoardus L. III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dicunt.*

Reſpondeo, huic calumniæ contrarium evidenter patere, non ſolum ex literis Rhabani & Hincmari, ſed primo ex Annalibus Fuldenſibus, editis a Frehero. Hi enim ad annum hunc dicunt: "Godeſchalcus quidam
" Presbyter de Prædeſtinatione Dei prave
" ſentiens, & tam bonos ad vitam, quam
" malos ad mortem perpetuam inevitabiliter
" a Deo prædeſtinatos eſſe affirmans, in
" Conventu Epiſcoporum RATIONABILI-
" TER, ut plurimis viſum eſt, convictus,
" & ad proprium Epiſcopum Ingumarum Re-
" mis transmiſſus eſt.

IIdo. Flodoardus Lib. III. Hiſtoriæ Remenſis Cap. XIV.

" Godeſchalcus a ſuo Monaſterio irre-
" gulariter exiens, peragratis regionibus plu-
" rimis, & exitioſa ſemina ſator peſſimus ſe-
" minans, tandem in Moguntina civitate
" habita Synodo, & Rhabano Archi-Epiſco-
" po libellum ſui erroris porrigens, damna-
" tus ab omnibus Germaniæ Epiſcopis, cum
" literis ſynodalibus ad Metropolim Remo-
" rum, cui auctore Domino præeram (*Hincmarus*) eſt remiſſus.

Ecce ipſe Hincmarus fatetur Godeſchalco copiam datam libelli porrigendi Patribus: Patres libello viſo eundem condemnaſſe: fuit ergo reus auditus, licet inverecundo ore proſcidiſſet Rhabanum, ſanctum & eruditiſſimum Archi-Epiſcopum, a quo puer inſtitutus fuerat; & nihilominus auditus, convictus, ſed ob contumaciam damnatus, & ſuo Metropolitæ puniendus remiſſus. Quid hic deeſt formæ judicii Eccleſiaſtici?

Sed Epiſtola ſynodalis, juſſu Regis Ludovici a Rhabano cæteris Archi-Epiſcopis & Epiſcopis ſcripta ad Hincmarum, quam edimus pag. 163. plane os occludit Mauguino: nam in ea narrat Sanctus Archi-Epiſcopus, Godeſchalcum auditum fuiſſe, dein incorrigibilem repertum, hoc eſt, nullis rationibus, nulli auctoritati Divinæ, nec Eccleſiaſticæ, nec Regiæ cedentem, remiſſum fuiſſe Remos, & perpetuo exilio e Germanicis eccleſiis, uti membrum peſtilens, relegatum fuiſſe.

Hæc

Hæc sufficiunt confutando Manguino, & Jansenio, & omnibus prædestinarianæ hæreseos resuscitatoribus ac patronis: quibus nos Catholici omnes Semipelagiani & Massilienses videmur.

§. VIII.

De Conciliis in causa divortii Lotharii Regis & Theutbergæ.

Lotharius, Lotharii Imperatoris Filius, Caroli Magni nepos, Regnum Lotharingiæ obtinebat, in quo hi Episcopatus erant: Trevirensis, Coloniensis, Metensis, Virdunensis, Tullensis, Tungrensis, Trajectensis ad Rhenum, Argentoratensis. Germaniæ Regnum possidebat Ludovicus. Galliæ Occidentalis Regnum Carolus Calvus, uterque Patruus junioris Regis Lotharingi, & fratres Lotharii Imperatoris. Anni 843. mense Augusto, hi tres fratres convenerunt Virduni, ubi Ludovico cessit Germania omnis usque ad Rhenum, Lothario primogenito Imperatoris præter Italiæ regnum, Francia inter Rhenum, Scaldim, usque ad Ararim Rhodanum influentem: Carolo Calvo reliqua Gallia Occidentalis. Post mortem Patris Lotharii Imperatoris anno 855. Lothario filio cedit Francia media, seu Lotharingia. Anno 856. Theutbergam ducit Reginam legitimis nuptiis. Anno 857. Waldradæ amore implicatur, qui amor eo exarsit, ut de ea ducenda, ac Theutberga repudianda cogitarit. Non defuere regiis injustis amoribus adulatores: & ut aliqua specie honesti hoc divortium coloraretur, finxerunt Theutbergam cum fratre Huberto olim copulam incestam habuisse, sed hausta potione fœtum depulisse aut extinxisse: ob hoc infandum crimen thoro regio indignam esse.

Regina Theutberga facinus negavit, & obtulit judicium *aquæ ferventis*: quod purgationis genus hoc Sæculo nondum damnatum erat: misso nomine suo viro, qui illæsus ex aqua fervente exiit, unde Reginæ innocentia censebatur *Dei judicio* comprobata. Hæc ex Hincmaro discimus, qui librum eruditum scripsit *de divortio hoc attentato*, Rex nihilominus perstat in Consilio impio: & ut facultatem obtineat faciendi divortii, Episcopos Regni sui convocat, qui anno 860. ad *Aquisgranum* vocati, duplicem Synodum celebrarunt, primam Januario, alteram Februario pag. 246. 247.

In prima, audita accusatione Theutbergæ, judicarunt, tali crimine fœdatam permanere non posse in thalamo regio: in altera cum Reginam ipsam de accusationis veritate percontati essent; hæc impatientia & tædio victa, se ream fassa, publicæ pœnitentiæ addicitur.

Nemo, pro dolor! inter tot Episcopos fuit, qui calumniæ impactæ falsitatem detegere, aut Regis Lotharii verbo unico libidinem coercere ausus fuisset, nullus Nathan, nullus Joannes.

Anno 862. Indict. X. XIV. Kalend. Maji denuo similis formæ conciliabulum indicitur ad eandem Regiam urbem Grani. In quo Rex libellum appellationis offert, professus suam incontinentiam, & licentiam alterius uxoris ducendæ flagitabat. *pag.* 268. Guntharius Agrippinensis Archi-Episcopus, & Palatii Regii Archi-Capellanus, qui Waldradæ pellicis agnatus, aut patruus dicebatur, (*a*) facile ratiunculas aliquas corrasit ex falsis scripturis, & Patris unius sententiis, queis secundas nuptias Regi licitas, sibi videbatur probare. Theutgaudus Treverensis Archi-Episcopus, vir simplex, nec admodum peritus canonum, testatus, Lotharium, si quid cum Waldrada concubina peccasset, id secretis & jugibus lacrymis, macerationibus carnis, & eleemosynis expiatum fuisse, splendide mentitus est. Verbo: hi Episcopi faciunt Regi licentiam Theutbergæ repudiandæ, & Waldradæ ducendæ. Rex Waldradam coronat, & uti Reginam ducit. pag. 265. 266. 269.

Theutberga ab omnibus derelicta, Nicolaum I. Papam appellat. Is cognita causa, & injuria gravissima Reginæ, & scandalo toti regno dato, indixit Synodum Metis in regno Lotharii: misit legatos e latere suo, duos Episcopos Rodoaldum Portuensem, & Joannem Ficoclensem, eosque *commonitorio* instructos docet accurate, quid agendum in hoc Concilio esset. pag. 278. Ex appendice Epistolarum Nicolai, Ep. 2. *Binii Concil.* Tom. III.

Scribit insuper literas ad Lotharium Regem pro Synodo in hac causa congreganda in regno suo, pag. 279. Est hæc *XVII. Tomo III. Conciliorum Binii parte II.* inter septuaginta Nicolai Epistolas.

Eidem injungit, ut duos de regno suo adjungat Ludovico II. Imperatori: commendat legatos ad Synodum ituros, Epistola XIX. Carolo Calvo scribit pro duobus Episcopis mittendis ad Concilium. *Pag.* 280.

Idem Pontifex scribit omnibus Archi-Episcopis per Galliam & Germaniam constitutis, ut ad Synodum Metis celebrandam accedant, & Lotharii divortium prætendentis causam examinent. *Ep. XXII. pag.*

Iii 2

(*a*) Annales Metenses neptim Guntharii faciunt. *Du Chesne Tom. III. Scriptorum Franciæ pag.* 367.

pag. 281. Deinde Epist. XXIII. scribit omnibus Reverendissimis, & Sanctissimis Archi-Episcopis confratribus suis, & Episcopis in Concilio Metensi residentibus, ut causam Theutbergæ dijudicent, & acta Concilii ad se mittant. *pag.* 282.

Nicolai tot ac tantæ curæ omnes elusæ fuere. pag. 283. Fuit quidem Metis indicta Synodus & celebrata, sed nulli alii Episcopi interfuere (præter duos Legatos) quam qui in tribus præcedentibus Conciliis Aquisgranensibus comparuerant: literæ ad reliquos Reges, & Episcopos vel celatæ, vel retentæ: legatis os oblinitum, recantatis iis, quæ in antecedentibus Conciliabulis conficta erant, & manus auro delibutæ.

Acta Concilii Metensis Romam delata a duobus Archi-Episcopis Treverico, & Coloniensi, & Adventio Metensi, una cum apologia: quæ omnia hoc Tomo impressa leges *pag.* 284. 285. 286.

Pontifex justa ira commotus adversus Legatos prævaricatores sui officii, & Episcopos, Synodum Romæ cogit, acta Conciliorum Aquis, & Metis, & Adventii, & Guntharii, & Theutgaudi scripta legit, examinat, dijudicat, & dignam sua sanctitate sententiam fert judex intrepidus, hoc eodem anno 863. Eam leges pag. 287. hoc Tomo. Constat quinque partibus:

§. I. Abolet Synodum Metensem, adulteris faventem, adeoque potius prostibulum, quam Synodum, vocitandum.

§. 2. Theutgaudum, & Guntharium, qui propriis manibus scripta obtulerant, & a se gesta confessi erant, judicat ob omni sacerdotali officio permanere penitus alienos... omni Episcopali regimine exutos.. Spiritus Sancti judicio, & Beati Petri auctoritate. Si quid sacro ministerio contingere audeant, nullam spem restitutionis in alia Synodo superesse.

§. 3. Episcopos complices eidem pœnæ addicit, si cum his duobus conspiraverint; secus, si Apostolicæ Sedis decretis parituros se professi sint.

§. 4. Bosonis uxorem Ingeltrudem, jam dudum vagam, relicto marito, iterato anathemate ferit; nisi citius ad Bosonem, aut ad Apostolicam Sedem, satisfactura veniat.

§. 5. Decreta, dogmata, mandata, interdicta, sanctiones pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium a Pontifice promulgata, jubet observari sub pœna anathematis.

Exauctorati duo Archi-Episcopi Beneventum ad Ludovicum II. Lotharii Regis fratrem, se conferunt: queruntur læsum fratrem, Imperatorem, & Archi-Episcopalem gradum, & falsis querimoniis Imperatorem ad ultionem excitant. Hic illico armata manu Romam petit, ut Pontificem cogat ad duos Metropolitas pristino gradui restituendos: ab Imperatoris militia Clerus, & plebs Romana variis injuriis pulsati fuere. Papa post adhibitas preces, & jejunia aufugit: satellites Cæsarei divinitus puniti: ipse Imperator febre correptus fuit. Quare abstinuit ab ulteriori bello, & duos Archi-Episcopos in Germaniam redire jussit. Edidere hi *Apologiam* contra Papam, judicem suum legitimum, verbis atrocibus, & indecentibus conceptam. *pag.* 289. Sed totius orbis Catholici Episcopi, uti Conciliabulum Metense, sic ejus membra, & Canonum omnium violatores, detestati sunt.

Interea Papa, literis quaquaversum scriptis, Episcopos de justissima condemnatione tum horum Episcoporum, tum Waldradæ, Ingeltrudis, & complicum edocuit.

Ex membris Concilii Metensis duo resipuerunt, Adventius Metensis, & Franco Tungrensis. Utrumque pœnitentem Nicolaus lubens in gratiam recepit, & veniam concessit. *Lege apud Binium appendicis Epistolarum Nicolai Papæ Ep. IV.* in hoc Tomo *pag.* 299. 300. 301. 303. 304

Non contentus Epistolis, ad Episcopos, & Reges scriptis, ut Lotharium adigant ad recipiendam Theutbergam, mittit secunda vice Legatum in Germaniam & Lotharingiam, *Arsenium Hortensem Episcopum*, qui salutatis Ludovico Germaniæ, Carolo Calvo Galliæ, Regibus, & literis credentialibus demonstratis, demum ipsum Lotharium, adhuc sordescentem in pellicatu Waldradæ, aggreditur tanta auctoritate & felicitate, ut coegerit eundem ad recipiendam Teutbergam ritu Regio nuptiali, & Waldradam Romam ire compulerit: quod iter hæc incepit quidem, sed mutata mente legatum fefellit, & remeavit in Galliam. *pag.* 295.

Ex actis Arsenii apud Reges *Cl. Mansi* Concilia facit: sed aliud nil erant, quam mera executio Concilii Romani anni 863.

Episcopi in Romana Synodo suspensi, paruere sententiæ vindici, præter Guntharium Coloniensem, qui anno proximo in Cœna Domini Coloniam veniens, Missas celebrare, & sacrum chrisma conficere, ut homo sine Deo, præsumpsit. *Annal. Bertiniani ad hunc annum, Tomo III. Duchesne p.* 220.

Pontifex, hoc facto jure excitatus, processit ad solemnem excommunicationem horum duorum Archi-Episcoporum, quam tulit verosimiliter anno proximo; uti minatus erat

erat anno 864. Certe anno 863. ab officio excommunicatos eos in Synodo Romana edixerat Nicolaus.

Anno 866. Waldrada Romæ in Basilica Sanctæ Dei Genitricis a Papa excommunicatur, & id notificatur Epiſtola, ad Epiſcopos per Germaniam & Galliam ſparſa.

Undique derelicti, ſecunda vice Romam adeunt Epiſcopi, ſed ſpes reſtitutionis denegata. Aliam viam ergo ineunt, & a Ludovico Imperatore impetrant, ut Synodum ex Regni ſui Epiſcopis convocet, interceſſuris pro his duobus.

Ea indicta fuit & coacta *Ticini*: & nunc prima vice prodit. Interfuerunt Archiepiſcopi, Tado Mediolanenſis, Rollandus Arelatenſis, Arpertus Ebredunenſis, & cæteri Liguriæ, & Provinciæ Epiſcopi, quorum literas, & acta Synodi exhibemus nunc prima vice ex cod. MS. Metropolitanæ Colonienſis Eccleſiæ: *Legatur pag.* 327. Epiſtola Synodalis hujus Concilii extat pag. 331.

Cl. Manſi recte ſuſpicatus erat, Synodum celebratam in hac cauſa, pro reſtituendis depoſitis excommunicatis: & cum locum neſciret, opinatus eſt, Romæ, vel in monte Caſſino coactam, ediditque orationem anonymi, in hac Synodo dictam. *Supplementi Concilior. Tomo I. pag.* 1095. *& ſeqq.* Sed Ticini in urbe Liguriæ ea coacta fuit.

Quibus actis, & literis acceptis, Pontifex reſcripſit primo ad Ludovicum Germaniæ Regem, qui depoſitorum Archi-Epiſcoporum patrocinium ſuſceperat. Vid. pag. 333.

Alteram ſcripſit Epiſtolam ad Epiſcopos, in hoc Concilio Ticinenſi intervenientes: eorum poſtulationem rejicit, & ſui proceſſus contra hos duos Archi-Epiſcopos depoſitos, Regem Lotharium, & Waldradam adulteram, ſolidiſſimas rationes reddit. Vid. pag. 334.

Omnibus his machinis, invicta Nicolai I. conſtantia diſſipatis, nondum acquievit Lotharii animus, ſemper ad Waldradam propenſus.

Scribit igitur ultimo rurſum ad Nicolaum: non ſatis auditum ſe queritur: orat, ne calumniantibus ſuam vitam, aures det: Monomachiam offert pro dijudicanda veritate, aut falſitate divortii.

Ipſam Theutbergam adeo premit, ut hæc tentaverit coram Concilio Treverico, etiam cum ſui diffamatione, divortium petere. Inde Romam adit Theutberga, ab ipſomet Pontifice idem vel divortium, vel ſeparationem thori impetratura.

Pontifex nihil his motus, reſcribit Lothario, ut Theutbergam legitimam conjugem habere pergat, Waldradam a ſe denuo excommunicatam ejiciat: ſeparationem concedi non poſſe, niſi ipſe nuptiis renuntiet: Monomachiam non eſſe remedium neceſſarium, nec ordinarium, imo jure multis tentationem Dei videre. Lege pag. 346. 349.

Idem ſcribit Pontifex ad Carolum Calvum, ad Ludovicum Germaniæ Regem, ad Epiſcopos in ejus regno conſtitutos. pag. 352.

Hactenus acta & ſcripta pertinent ad executionem Concilii Romani anni 863: quæ deinceps extra Concilia acta ſunt uſque ad obitum infelicem Lotharii Regis, breviter pertexo.

Defuncto Nicolao PP. Idibus Novembris anno 867. & ſuffecto Hadriano II. XIX. Kal. Januarii anni ejuſdem, Lotharius gratulatorias ad hunc dedit, & licentiam adeundæ Romæ petit.

Reſpondit Pontifex, quod Theutbergam, matrimonii diſſolutionem poſtulantem, ad Regem Lotharium redire juſſerit, donec res Synodo finiretur: Waldradam, quæ reſipuiſſe dicebatur, Ludovico II. Imperatore rogante, communioni reſtituit ea conditione, ne ad Lotharii thalamum rediret: idem Germaniæ Epiſcopis ſignificavit.


Lotharius demum Romam profectus, ab Hadriano benigne ſuſceptus fuit, & cum ſpopondiſſet, ſe eſſe innoxium a ſcelere adulterii cum Waldrada, nec ullo die vitæ ejus concubitu uſurum, accepit de manu Pontificis Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini: Idem Proceres ſpoponderunt, & Euchariſtiam de manu Pontificis ſumpſerunt.

Verum ſacrilegæ ſumptionis & mendaciſſimæ ſponſionis tam Rex, quam Proceres graves & evidentes pœnas luerunt, eodem anno mortui. Tanta autem ſtrages in Regis Lotharii populo facta eſt, ut non peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe virtus, & nobilitas totius Regni Lotharingici videretur.

Annales Metenſes ad annum 869.

Regino in Chronico ad eundem annum, quorum errores in Chronologia, & ſerie Synodorum huc pertinentium, texenda, P. Natalis Alexander, & nos in Notis obſervavimus.

Finis Digreſſionis ad Sæculum Nonum.



SÆCULUM DECIMUM.

INCIPIT LIBELLUS (a)

DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS

ET RELIGIONE CHRISTIANA, COLLECTUS EX JUSSU DOMINI METROPOLITANI RATHBODI TREVERICÆ URBIS EPISCOPI, a REGINONE, QUONDAM ABBATE PRUMIENSIS MONASTERII, EX DIVERSIS SANCTORUM PATRUM CONCILIIS, ET DECRETIS ROMANORUM PONTIFICUM, FELICITER IN DEI NOMINE. AMEN.

Incipit Inquiſitio de his, quæ Epiſcopus, vel ejus Miniſtri, in ſuo diſtrictu vel territorio inquirere debeant per vicos, pagos, atque parrochias ſuæ Diœceſeos.

1. INprimis inquirendum eſt, in cujus Sancti honore conſecrata ſit Baſilica, vel a quo fuerit conſecrata. Poſt hæc ipſa Eccleſia circumſpiciatur, ſi bene ſit cooperta, atque camerata, & ne ibi columbæ, vel aliæ aves nidificent, propter immunditiem ſtercoris, ſive importunitatis inquietudinem.

2. Quo metallo ſint ſigna ipſius Eccleſiæ.

3. Si fœnum, annona, aut tale aliquid in Eccleſia mittantur.

4. Deinde ad altare accedere oportet, & contemplari, qualia ſint indumenta ejus, quot nova, & quot vetuſta, & qualiter nitida.

5. Quo metallo ſint capſæ & cruces coopertæ, aut ſi diligenter reconditæ ſunt reliquiæ in altari, aut ſi ipſæ capſæ ſeris & clavis munitæ ſunt.

6. Quo metallo ſit calix & patena, & ſi mundus ſit ab omni ſorde, aut ubi reponatur.

7. Si corporale ex mundiſſimo & nitidiſſimo linteo ſit, & ubi recondatur.

8. Si locus ſit in Secretario, aut juxta altare præparatus, ubi aqua effundi poſſit, quando hæc abluuntur, & ſi vas ibi dependeat, ubi Sacerdos manus lavet poſt perceptionem corporis & ſanguinis Domini, & Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus ibi primo corporale lavet.

9. Inquirendum, ſi pyxis ſemper ſit ſuper altare cum ſacra oblatione ad viaticum infirmis.

10. Si Miſſalem (b) plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium habeat. Nam ſine his Miſſa perfecte non celebratur.

11. Videndum etiam, quot alii libri ibi ſint, & an bene ſint (c) retiati, quot & qualia veſtimenta ſacerdotalia ibi ſint, & ſi ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.

12. Requirendum de luminaribus ipſius Eccleſiæ, & quot cerarios habeat.

13. Inveſtigandum, ſi habeat ipſa Eccleſia manſum habentem bonvaria duodecim, præter cimiterium, & curtem, ubi Eccleſia, & domus Presbyteri continetur, & ſi habeat mancipia quatuor.

14.

(a) Scriptus eſt hic Libellus Sæculo nono exeunte DCCCXCIX, quo Regino Abbas e ſuo Monaſterio Prumienſi dejectus fuit, & a Ratbodo Archiep. Treverico Rector Monaſterio S. Martini, quod reſtaurabat Archi-Epiſcopus, conſtitutus fuit: ſubinde in S. Maximini Monaſterio privatam vitam agens, Libris ſcribendis Sæculo decimo oriente vacavit, ibidem tumulatus. *Browerus Tomo I. Annal. Trevirenſ. pag.* 442.

(b) *forte*: Pſalterium, ut in Capitulis Walterii Aurelian. C. 7.

(c) Editio Helmæſtad. & Hincmar. *recitati.*

14. Quot manſos habeat ingenuiles, & quot ſerviles, aut accolas, unde decima reddatur.

15. Conſiderandum etiam, ſi atrium Eccleſiæ ſit ſepe munitum, ne aliqua immunditia polluatur.

De vita & converſatione Presbyteri.

16. Inquirendum, ſi Presbyter cellam habeat juxta Eccleſiam, aut ſuſpicioſa in circuitu oſtiola ſint.

17. Si ſuſpicioſus de aliqua fœmina ſit, aut in ſua domo aliquam ſubintroductam habeat mulierem.

18. Si viſitet infirmos, ſi eos reconciliet, ſi eos unguat oleo ſancto juxta Apoſtolum: ſi eos propria manu communicet, & non per quemlibet laicum. Si tradat communionem laico, aut fœminæ, ad deferendum infirmo, quod nefas eſt.

19. Si pro baptizandis infantibus, pro infirmis reconciliandis, vel mortuis ſepeliendis præmium vel munus exigat.

20. Illud ſuper omnia perſcrutandum, ſi ſine baptismo per negligentiam Presbyteri aliquis infans in parrochia mortuus eſt.

21. Si per domos extra Eccleſiam Miſſam cantet.

22. Si ſit ebrioſus vel litigioſus.

23. Si arma ferat in ſeditione.

24. Si canum aut avium jocis deſerviat.

25. Si in tabernis bibat.

26. Si Clericum habeat, qui legat Epiſtolam vel lectionem, & qui ad Miſſam reſpondeat, & cum eo Pſalmos cantet.

27. Si nocturnis horis ad matutinas laudes perſolvendas omni nocte ſurgat.

28. Si primam, tertiam, ſextam, nonam certo tempore ſigno Eccleſiæ denuntiet, & curſum debitum cantet.

29. Si Miſſarum ſolemnia non ante horam tertiam celebrentur.

30. Si Presbyter, quod abſit, poſtquam cibum aut potum ſumpſerit, Miſſam celebrare præſumat.

31. Si Thuribulum habeat, & incenſum in Sacrificio Domini offerat.

32. Si verbum Domini populo adnuntiet.

33. Si tempore ſtatuto, id eſt, circa horam tertiam diei, Miſſam celebret, & poſt hæc ad medium diem jejunet, ut hoſpitibus, atque peregre venientibus, ſi neceſſe fuerit, poſſit Miſſam cantare.

34. Si curam pauperum ac peregrinorum, & orphanorum habeat, eosque juxta poſſibililitatem ſuam ad ſuum prandium invitet.

35. Si aquam benedictam omni die dominico ante Miſſarum ſolemnia faciat in vaſe nitido, & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intrans Eccleſiam, & ſtans in Eccleſia aſpergatur.

36. Si calicem, patenam, vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum præſumat tabernario, vel negotiatori in vadium dare.

37. Si Xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, imo detrimentum ſpirituale, a quocunque publice peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut Epiſcopo, vel ejus miniſtris, peccatum illius reticeat.

38. Si aliquem minus digne pœnitentem, favoris, aut familiaritatis, aut conſanguinitatis gratia ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat.

39. Si quando ad anniverſarium diem triceſimum, ſeptimum, vel tertium alicujus defuncti vocatus fuerit, ſe inebriare præſumat, & precari in amore ſanctorum vel ipſius animæ bibere, vel alios ad bibendum cogere, vel ſe aliena precatione ingurgitare, & plauſus, & riſus inconditos, & turpia joca & cantus indecentes facere præſumat.

40. Si nihil patrimonii habens, quando provectus eſt ad dignitatem Eccleſiaſticam, poſtea emit prædia, cujus juris ſint.

41. Si uſuras exigat, & conductor ſenioris exiſtat.

42. Si Miſſam cantat, & non communicat.

43.

43. Si feminam ad Altare permittat accedere. Et, quod non licet, calicem Domini tangere.

44. Si per pecuniam fuerit ordinatus, vel ipſam, in qua cantat, pretio obtinuerit Eccleſiam.

45. Si aliam ante habuerit Eccleſiam, & ea dimiſſa, ad aliam quæſtus cauſa migraverit.

46. Si plures teneat Eccleſias ſine aliorum Presbyterorum adjutorio.

47. Si in alterius parrochia Miſſam cantat, abſque Compresbyteri voluntate vel rogatu.

48. Si decimam ad alterum pertinentem recipit.

49. Si pœnitentem invitat carnem manducare, bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam fecerit.

50. Si cartas ſcribat, vel ſui ſenioris conductor exiſtat.

51. Si indifferenter baptizet.

52. Si non habet fontes lapideos, vel aliud vas, ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat.

53. Si orationem Dominicam, & ſymbolum omnibus ſuis parrochianis inſinuatum habeat.

54. De Litania majore.

55. De rogationibus.

56. Si jejunium quatuor temporum anni plebi omnimodis obſervandum adnuntiet.

57. Si feria quarta ante quadrageſimam plebem ſibi commiſſam ad confeſſionem invitet, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungat, non ex corde ſuo, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt.

58. Si tribus temporibus anni, id eſt, Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſten, omnes fideles ad communionem corporis, & ſanguinis Domini accedere admoneat.

59. Si illud etiam admoneat, quibus temporibus conjugati ſe abſtinere debent a propriis uxoribus.

60. Ut nullus Clericus ad nuptias pergat.

61. Si de oblationibus, quæ a populo offeruntur die Dominico, & in diebus feſtis, expleta Miſſa, eulogias plebi tribuat.

62. Si ſine ſtola vel orario in itinere incedat.

63. Si poſtponens Clericalia veſtimenta, laicalibus utatur indumentis.

64. Si aquam cum vino miſceat in ſacrificio Domini.

65. Si expleta Miſſa reliquum corporis, & ſanguinis Domini ipſe Presbyter cum timore, & reverentia ſumat. Et ſi Diaconum aut Subdiaconum non habet, ipſe manu propria calicem & patenam abluat atque abſtergat.

66. Si abſque alba, aut cum illa alba, qua in ſuos uſus quotidie utitur, Miſſam cantare præſumat.

67. Si de decimis quatuor fiant portiones.

68. Si rem Eccleſiæ, aut poſſeſſionem, aut mancipium vendere, commutare, aut quocunque ingenio alienare præſumpſerit.

69. Si diem Dominicum, & alias feſtivitates abſque opere ſervili a veſpera in veſperam celebrare doceat.

70. Si plebem admoneat, ut in atrio Eccleſiæ nequaquam cantent, aut choros mulierum ducant, ſed Eccleſiam ingredientes verbum Dei cum ſilentio audiant.

71. Si carmina diabolica, quæ ſuper mortuos nocturnis horis ignobile vulgus cantare ſolet, & cachinnos, quos exercent, ſub conteſtatione Dei omnipotentis prohibeat.

72. Si offerentes inſtruat, ut candelam, vel quidquid aliud ad Altare deferre placuerit, ante Miſſam, vel antequam Evangelium legatur, offerant.

73. Oblationem autem unam tantummodo oblatam ad offertorium pro ſe ſuiſque omnibus unusquisque offerat.

Quid ſit a Presbytero requirendum.

74. Poſtquam hæc omnia diligenter inveſtigata fuerint, tunc ipſe Presbyter ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, percunctandus eſt.

75. Si ex ingenuis parentibus ſit natus, aut ex ſervili conditione.

76.

76. Si de eadem parrochia, aut de alia ſit natus vel ordinatus.

77. Si ſit de eadem parrochia, inquirendum eſt, a quo Epiſcopo fuerit ordinatus, vel ad quem locum pertitulatus.

78. Si ſervus eſt, oſtendat cartam libertatis.

79. Si de alia parrochia, oſtendat literas commendatitias, quas formatam vocant.

80. Si ulla parte corporis eſt imminutus. Si ſe ipſum abſcidit.

Poſt hæc de miniſterio ſibi commiſſo inquirendum eſt.

81. Si expoſitionem ſymboli atque orationis Dominicæ juxta traditionem orthodoxorum Patrum penes ſe ſcriptam habeat, & eam pleniter intelligat, & inde prædicando populum ſibi commiſſum ſedulo inſtruat.

82. Si orationes Miſſarum, præfationem quoque Canonis, & eundem Canonem bene intelligat, & memoriter ac diſtincte proferre valeat.

83. Si Epiſtolam & Evangelium bene legere poſſit, atque ſaltem ad literam ejus ſenſum manifeſtare.

84. Si Pſalmorum verba, & diſtinctiones regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronuntiare ſciat.

85. Si ſermonem Athanaſii Epiſcopi de fide Sanctæ Trinitatis, cujus initium eſt: Quicunque vult ſalvus eſſe: memoriter teneat, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare ſciat.

86. Si exorciſmos, & orationes ad Catechumenum faciendum, ad fontem quoque conſecrandum, & reliquas preces ſuper maſculum, & feminam pluraliter atque ſingulariter diſtincte, & rationabiliter proferre valeat.

87. Similiter ordinem baptizandi ad ſuccurrendum infirmis.

88. Ordinem quoque reconciliandi juxta modum ſibi Canonice reſervatum, atque unguendi infirmos, orationes quoque eidem neceſſitati competentes, ſi bene ſcit legere, aut memoriter enuntiare.

89. Similiter ordinem, & preces in exequiis atque agendis defunctorum.

90. Si memoriter teneat exorciſmos, & benedictiones ſalis, aquæ.

91. Si cantum nocturnum atque diurnum noverit.

92. Si computum minorem, id eſt, epactas, concurrentes regulares, terminos Paſchales, & reliquos ſapiat.

93. Si habeat Martyrologium, ex quo certis diebus natalitia ſanctorum populo adnuntiet.

94. Si habeat quadraginta homilias Gregorii, & eas ſtudioſe legat atque intelligat. Vel ſi eas habere non poteſt, vel ſermonem prædicti doctoris de ſeptuaginta diſcipulis, a Domino ad prædicandum miſſis, habeat, & diligenter legat & intelligat, & cognoſcat, ſe ad formam ſeptuaginta diſcipulorum in miniſterio Eccleſiaſtico eſſe promotum.

95. Si habeat pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Epiſcopo, aut a venerabili Presbytero Beda editum; ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentem, aut confeſſo modum pœnitentiæ imponat.

FINIT INQUISITIO.

Hæc quæ ſupra capitulatim inquirenda expreſſimus, auctoritate Canonica roborari oportet.

Ut Canonum Statuta ſine præjudicio ab omnibus cuſtodiantur.

Ex Concilio Meldenſi, quod factum fuit temporibus Karoli junioris, anno Incarnationis DCCCXLV. Kalendis Julii. Indict. VIII. Titul. X.

I.

CAnonum (a) Statuta ſine præjudicio ab omnibus cuſtodiantur, & nemo in actionibus vel judiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam, vel prædicandis Divinis Scripturis Sanctorum Catholicorum, & probatiſſimorum Patrum ſenſum quiſque ſequatur; in quorum ſcriptis, (b) ut Beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillat.

Kkk Qua-

(a) Concil. Meld. c. 13. Burchard. Lib. 1. c. 61.

(b) Hieron. in Epiſt. ad Lætam.

Qualem Ministrum Episcopus juxta se habere debeat.

Ex eodem Concilio. Tit. XI.

II. Ut quisque Episcopus [*c*] talem juxta se pro viribus habere decertet, qui juxta sincerissimum & purissimum sensum Catholicorum Patrum, fide & observatione mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina Presbyteros plebium assidue instruat & informet, ne domus Dei vivi, quæ est Ecclesia, sine lucerna verbi Divini remaneat. Sed & isdem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores, & conversatio reprehensibilis contemptibilem reddat. Hinc est, quod cum Moyses querelam in conspectu Dei deponeret, se non posse portare tantum onus, quod ei fuerat impositum, audivit a Domino: *Congrega* (d) *mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod seniores populi sint ac magistri, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Quid in Moyse, nisi summum Sacerdotium? quid in septuaginta viris, nisi Presbyteros accipimus? Quod autem Dominus aufert de spiritu Moysi, traditque eis, patenter ostendit, quod hi, qui ab Episcopo in Dei conspectu vocati sunt, ut secum onus populi sustentent, eadem, quæ Episcopus, sentire debent, eademque velle, & in partito sibi onere totis viribus cooperari. Hoc enim significat, quod non alium, sed ejusdem Moysi spiritum accipiant.

In Canonibus vulgatis Concilii Meldensis, pro eo, quod Regino & Burchardus habent: *Conversatio reprehensibilis contemptibilem reddat.* Legitur: *Conversatio reprehensibilis periculose devastet.* Quæ vero dein sequuntur apud Reginonem & Burchardum, non extant in Canone illo Concilii Meldensis.

De eadem re.

Ex Capitulis Synodalibus Karoli Imperatoris. Tit. CIII.

III. Episcopos (*e*) itaque monemus, ut sive per se, sive per vicarios pabulum Verbi Divini sedulo populis administrent: quia, (*f*) ut ait Beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat Sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit.

Quod a Rege postulandum sit, ut Episcopi tempore opportuno ad ministerium sibi commissum vacare possint.

Ex supradicto Concilio. Tit. IV.

IV. Ut (*g*) Regia magnificentia liberiorem libertatem Episcopis ad peragendum in eorum parochiis ministerium præstet, quam hactenus propter diversas perturbationes habuissent. Ipsi autem Episcopi concessum sibi otium non in suas voluptates, sed in Divinum & officiosum convertant negotium: quatenus studentes prædicationibus, correctioni, atque confirmationi, quod hactenus per parochias fuit neglectum, solerter de cætero sit emendatum.

Ne Episcopi propter suam quietem negligant plebem sibi commissam.

Ex eodem Concilio. Tit. V.

V. Providendum (*h*) est, ne Episcopi propter suam quietem ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligentes, proprias deserant civitates; sed aut parochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus cum filiis suis degant. Presbyteros etiam sibi commissos doctrina, castitate, & sobrietate, atque hospitalitate secundum suum ministerium ornari compellant.

De Episcopis, qui raro aut nunquam plebes sibi commissas per se ipsos visitant.

Ex eodem Concilio. Tit. VI.

VI. Ut (*i*) quorundam Episcoporum reprehensibilis, imo damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut raro, aut nunquam per

(*c*) Concil. Meld. c. 35. Burchard. Lib. I. c. 88. (*d*) Num. XI.
(*e*) Lib. I. Capitular. c. 109. [*f*] S. Gregor. L. I. Epist. 24.
(*g*) Concil. Meldens. c. 28. & in Capitulis Caroli Calvi Tit. VI. c. 28.
(*h*) Concil. Meld. c. 28. Burchard. Lib. I. cap. 228. (*i*) Concil. Meld. c. 29.

per ſe ipſos juxta ordinem Evangelicum, & Apoſtolicum; atque Eccleſiaſticum viſitant, cum Dominus dicat: *Speculatorem* (k) *dedi te domui Iſrael, & audies ex ore meo verbum, & adnuntiabis eis ex me.* Et cætera, quæ Divinus ſermo complectitur.

Ut Epiſcopus ambulet per ſuam Diœceſim.

Ex Concilio Bracarenſi. Tit. VII.

VII. Placuit (*l*) omnibus Epiſcopis, atque convenit, ut per ſingulas Eccleſias, & Diœceſes ambulantes primum diſcutiant Clericos, quomodo ordinem Baptiſmi teneant, vel Miſſarum, & qualiter quæcunque officia in Eccleſia peragant. Et ſi recte quidem invenerint, Deo gratias; ſin autem minime, docere debent ignaros, & hoc omnimodis præcipere, ut ſicut antiqui Canones jubent, ante dies viginti Baptiſmi ad purgationem exorciſmi catechumeni currant. Intra quos viginti dies omnino catechumeni ſymbolum, quod eſt: *Credo in Deum*, ſpecialiter doceantur.

Quid laicos docere oporteat.

Poſtquam ergo ſuos (*m*) Clericos diſcuſſerint, vel docuerint Epiſcopi, alia die, convocata plebe ipſius Eccleſiæ, doceant illos, ut errorem fugiant idolorum, vel diverſa crimina, id eſt, homicidium, adulterium, perjurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera, & quod nolunt ſibi fieri, non faciant alteri, & ut credant reſurrectionem omnium hominum, & diem judicii, in quo unusquiſque ſecundum opera ſua recepturus ſit. Et ſic poſtea Epiſcopus de Eccleſia illa proficiſcatur ad aliam.

Ut Epiſcopus cum paucis ſuam parochiam circumeat.

Ex Concilio Toletano. Tit. V.

VIII. Cum (*n*) Epiſcopus ſuam Diœceſim viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat, nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius, quam una die per unamquamque baſilicam remorandi licentiam habeat. [*Vide Concilium Valentinum III. Cap.* 17.]

Ut ſi Epiſcopus hoc explere nequiverit, ſuos Vicarios dirigat.

Ex eodem Concilio. Tit. VI.

IX. Quod ſi Epiſcopus aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequiverit, Presbyteros probabilis vitæ, aut Diaconos mittat, qui redditus baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

Ut Epiſcopi ſuam Diœceſim viſitent.

Ex Capitulis Synodalibus Karoli Auguſti.

X. Ut [*o*] Epiſcopi circumeant parochias ſibi commiſſas, & ibi inquirendi ſtudium habeant de inceſtu, de parricidiis, adulteriis, & aliis malis, quæ contraria ſunt Deo, & quæ Chriſtiani devitare debent, & infra illorum parochias Eccleſiarum, quibus neceſſe eſt, emendandi curam habeant. Similiter tam noſtras a nobis in beneficium datas, quam & aliorum ſummo ſtudio provideant.

Ut Epiſcopus duos ſolidos tantum accipiat, cum ſuam parochiam circuit.

Ex Concilio Bracarenſi. Tit. X.

XI. Placuit, [*p*] ut nullus Epiſcoporum, cum ſuas Diœceſes viſitat, præter honorem Cathedræ ſuæ, id eſt, duos ſolidos, aliquid aliud tollat per Eccleſias, neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi in Eccleſiis parrochialibus requirat; ſed tertia illa pars pro luminaribus Eccleſiæ, vel reparatione ſervetur, & ſingulis annis Epiſcopo exinde ratio fiat. Nam ſi tertiam illam partem Epiſcopus tollat, lumen & ſarta tecta Eccleſiæ abſtulit.

(*k*) Ezech. III.
(*l*) Concil. Bracar. 2. c. 1. Burchard. lib. 1. c. 85.
(*m*) Ex eod. Concil. Bracar. 2. c. 1.
(*n*) Concil. Tolet. 2. c. 4. Burchard. lib. 1. c. 86.
(*o*) Vide Lib. 5. Capitular. c. 94. 109. & 365.
(*p*) Vide Tom. 2. Concilior. Galliæ pag. 248. c. 32. p. 10. q. 3. c. 1.

De Episcopis, qui non visitatis parochiis pretium servitutis requirunt.

Ex Concilio apud Triburias habito temporibus Arnulphi Regis. Tit. XXVI.

XII. Delata (q) est coram Sancta Synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum, vel confirmandum suas per annum parochias circuire, qui tamen exigunt, ut mansiones, quibus in profectione uti debuerant, alio pretio redimant, qui parare debent. Quæ duplex infamia, & negligentia, & avaritia Sanctæ Synodo horrori fuit magno; & statuerunt, ne quis penitus ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut solicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.

De eadem re.

Ex Capitulis Synodalibus Karoli Imperatoris. Tit. XCIV.

XIII. Ne vero Episcopi [r] occasione prædicandi, aut confirmandi oneri essent populis, (s) a nobis admoniti polliciti sunt, se deinceps hoc cavere velle, & eo tempore (t) suum ministerium in quantum facultas datur exequi, (u) his quibus prodesse possunt, non quo (x) eorum profectio, quantum in illis est, sit importuna vel onerosa.

Perturbatus est ordo istius Capitis apud Reginonem. Exhibuimus heic lectionem codicis Parisiensis. Editio Helmæstadiensis non est multum diversa. Varias lectiones adnotavimus in margine. Sed integer locus sic restituendus est ex libris Capitularium, tum editis, tum manuscriptis: Ne vero &c. & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas dabatur, exequi, quo eorum profectio, quantum in illis erat, his quibus prodesse possunt, & debent, non sit importuna vel onerosa.

De immunitate Ecclesiarum.

Ex eodem Capitulari. Tit. CIII.

XIV. Denuntiandum (y) est omnibus, & a Missis nostris ordinandum, ut omnes Ecclesiæ & Presbyteri sub immunitate, & ordinatione, atque dispositione Episcoporum singularum parochiarum, in quibus consistunt, secundum authoritatem canonicam permaneant.

Quod omnes Basilicæ in potestate Episcoporum sunt.

Ex Concilio Aurelianensi. Tit. XIII.

XV. Omnes (z) Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel cotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, ut in ejus Episcopi, in cujus Territorio positæ sunt, potestate consistant.

De Parochiis.

Ex Concilio Chalcedonensi (*) Tit. XIX.

XVI. Singularium (a) Ecclesiarum rusticas parochias, vel possessiones, manere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maxime si per tricennium eas absque vi obtinentes sub dispensatione rexerunt. Quod si intra tricennium facta fuerit de his, vel fiat altercatio, licere eis, qui se læsos asserunt, apud sanctam Synodum provinciæ certare.

Quales ministros Episcopi in civitatibus relinquere debeant.

Ex Capitulis Karoli junioris. (b) Tit. V.

XVII. Et (c) quoniam Episcopi, qui nostris & suis communibus Ecclesiæ, & totius regni necessitatibus occupati sunt, non valent cuncta soli prospicere, quæ infra fines parochiæ illorum perpetrantur, statuimus, ut quotiescunque Episcopi a propria civitate digrediuntur, tales adjutores unusquisque in sua civitate relinquat, qui hæc omnia prudentissime in sua civitate peragant, ut pauperes sanguine Christi redempti, semper in civitate præsentem inve-

(q) Burchard. Lib. 1. c. 229.
(r) Lib. I. Capitular. c. 100.
(s) Adm. a n.
(t) min. suum.
(u) apud hos.
(x) ne eor.
(y) Capitula Karoli Calvi tit. 9. c. 4.
(*) Tomo primo nostro pag. 179. cap. XVII.
[z] Concil. Aurel. 1. c. 17.
(a) Burchard. Lib. 3. c. 8.
(b) Id est, Caroli Calvi in Concilio Meldensi anni 845. cap. 2.
(c) Capitula Karolomanni tit. 2. c. 7.

inveniant, a quo reſponſum, & conſolationem accipiant. In vicis autem & villulis, longe a civitate remotis, conſtituat unusquiſque Epiſcopus reverendos, & cautos, atque omni prudentia morum temperatos Presbyteros, qui ſua vice ſuperius ſtatuta modeſte perficiant, & ad quos alii Presbyteri juniores, & minus cauti ſuam cauſam referant.

De tricennali præſcriptione.

Ex Epiſtola Gelaſii Papæ.

XVIII. Illud (*d*) etiam annecti placuit, ut ſi qui, quod abſit, facultates Eccleſiæ, nec non & Diœceſes ab aliis, a quibus poſſidentur, Epiſcopis jure ſibi vendicent, quod Tricennalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro id appellare, quod legum tempus excludit.

De rebus per triginta annos poſſeſſis.

Ex Capitulis Ludovici Imperatoris. Tit. VII.

XIX. Ut (*e*) de rebus Eccleſiarum, quæ ab eis per triginta annorum ſpatium ſine ulla interpellatione poſſeſſæ ſunt, teſtimonia non recipiantur; ſed eo modo contineantur, ſicut res, ad fiſcum Dominicum pertinentes, contineri ſolent.

De inſcriptione temporum.

Ex eodem. Cap. IX.

XX. Si quis (*f*) terram ab altero dixerit violenter ſibi eſſe ſublatam, & convicerit prius quam triginta annorum compleatur numerus, & rem conſtiterit occupatam, & requirere potuerit, repetentis partibus reformetur. Ceterum ſi impletis triginta annis terra a quocunque pervaſa fuiſſe dicatur, & non fuerit ante repetita, nihil ſibi reddendum eſſe cognoſcat.

Item de eadem re.

Ibidem.

XXI. Et (*g*) quia omnia, ad quietem omnium pertinentia, ex lege conveniat provideri, quas omnino cauſas de quibuscunque rebus, quæ intra triginta annos non fuerint definitæ, nullo eas poſtmodum licebit ordine commoveri: quia ſatis unicuique ad requirendum, quod ei debitum fuerit, ſupraſcriptus annorum numerus conſtat poſſe ſufficere.

Item de eadem re.

Ibidem.

XXII. Si quis (*h*) colonum alienum in re ſua triginta annos habuerit, ac ſi ſuum vindicet. Qui infra triginta annos inventus fuerit, a Domino cum filiis ſibi debitis & omni peculio revocetur. Si vero mortuus fuerit, peculium ejus Dominus recipiat. Colonia vero ſi viginti annis in Dominio permanſerit, a priori Domino non requiratur. Colonum duæ partes agnationis ſequantur, Colonam vero tertia pars. Nam ſi agnatio infra viginti annos edita fuerit, quando adhuc Colona Domino competebat, repetentibus non negetur, quia in modernis legibus eſt conſtitutum. Sane ne ſeparatio conjugii fiat, præcipimus, ut Dominus Coloni Vicaria muliere cum agnatione partis tertiæ non negetur.

De conſecranda Eccleſia.

Ex Concilio Wormacienſi. Anni 868.

XXIII. Placuit, (*i*) quotiens ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopus invitatur, non quaſi ex debito munus aliquod a fundatore requirat; ſed ſi ipſe quidem aliquid ex ſuo voto obtulerit, non reſpuat. Attamen unusquiſque Epiſcopus meminerit, ut non prius dedicet Eccleſiam, ni antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem cartulæ confirmatum accipiat. Nam non levior eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſervituri ſunt, quam ſi domus privata, conſecretur Eccleſia. (*Vide Lib.* 3. *Leg. Congoc. Tit.* 1. *cap.* 47.)

(*d*) Gelaſ. 1. Epiſt. 10. cap. 1. Lib. 7. Capitular. c. 15. Burchard. Lib. 3. c. 149.
(*e*) Addit. IV. c. 34. Burchard. Lib. 3. c. 150. (*f*) Lex Burgund. Tit. 79. c. 2. 3.
(*g*) Ibid. c. 5. (*h*) Interpretat. Leg. un. cod. Theodoſ. de inquil. & colonis.
(*i*) Concil. Bracar. can. 2. c. 5. Concil. Wormat. c. 3. Tom. hoc II. p. 311. Burchard. L. 3. c. 27.

De Libertate Ecclesiarum.

Ex Capitularibus. Tit. LXXXI.

XXIV. Sancitum (*k*) est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, nec de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

De Termino Ecclesiarum.

Ex eodem Cap. CXVII.

Ut terminum habeat (*l*) unaquæque Ecclesia, de quibus villis decimas recipiat.

De novis Ecclesiis.

Cap. LXXXVII.

XXV. Statutum (*m*) est de villis novis, & Ecclesiis novis ibidem noviviter in eis constitutis, ut decimæ de ipsis villis ad easdem Ecclesias conferantur.

Item ex eodem.

Cap. V.

XXVI. Quicunque (*n*) voluerit sua proprietate Ecclesiam ædificare, cum consensu, & voluntate Episcopi, in cujus parochia fuerit, licentiam habeat. Veruntamen omnino providendum est, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter hanc occasionem suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur.

Item de Manso Ecclesiæ.

Ex eodem Capitulari.

XXVII. De uno (*o*) Manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunque pro hac causa accusatus fuerit Comes vel Missi, hoc, quod inde subtractum est, Presbyteris cum sua lege restituere faciant.

De eadem re.

Ex Synodo Meldensi. Cap. LXIII.

XXVIII. Secundum (*p*) Canonicam authoritatem, & constitutionem Domini Imperatoris Ludovici, de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, quæ ipse in suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit Ecclesiæ, neque de decimis, & oblationibus fidelium quemquam Presbyterorum aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis aut dignitatis, ex inde quidquam subtrahat, & redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur, & Regia potestate hoc emendare legaliter compellatur,

Item de Privilegio Ecclesiarum.

XXIX. Ut (*q*) Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuatur.

De Ecclesiis, vel Altaribus ambiguis, & ut superflua altaria de Ecclesia abjiciantur.

Cap. LXV.

XXX. Ecclesiæ [*r*] vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, & superflua altaria destruantur de Ecclesia.

De honore Ecclesiastico.

Cap. CXLII.

XXXI. Ut (*s*) Episcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis senioribus tribuant.

Quod omnium Ecclesiarum dotes ad Episcopum pertineant.

Ex Concilio Toletano. Cap. XIX.

XXXII. Multi (*t*) contra canonum con-

(*k*) Lib. 1. Capitular. c. 91. Burchard. lib. 3. c. 52. Walter. Aurelian. c. 9.
(*l*) Lib. 1. Capitular. c. 155. (*m*) Lib. 1. Capitular. c. 93.
(*n*) Capitulare Karoli M. ad Saltz. c. 3. Burchard. lib. 3. c. 7.
(*o*) Lib. 5. Capitular. c. 45. (*p*) Concilium Meldense c. 63.
(*q*) Concil. Arelat. 6. c. 20. Lib. 2. Capitular. c. 36. Burchard. lib. 3. c. 9.
(*r*) Lib. 1. Capitular. c. 151. Burchard. Lib. 3. c. 10.
(*s*) Lib. 1. Capitular. c. 148.
(*t*) Concil. Tolet. 3. c. 19. Lib. 7. Capitular. c. 213. Burchard. lib. 3. c. 20.

constituta sic Ecclesias, quas ædificarunt, postulant consecrari, ut dotem, quam Ecclesiæ contulerunt, ad Episcopi ordinationem non pertinere censeant. Quod factum & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur; sed omnia (u) secundum consuetudinem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

Unde Ecclesiæ debeant restaurari, & Episcopo obsequium exhiberi.

Ex Epistola Gelasii Papæ.

XXXIII. Quatuor (x) autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum una sit Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda, de quibus sicut sacerdotis intererit, sic Clericis ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero, quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio manifesta Sanctorum: quia nefas est, si sacris ædibus destitutis in lucrum suum Præsul impendia his designata convertat.

De eadem re.

Ex Epistola Simplicii Papæ. Cap. II.

XXXIV. De (y) reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium sola Episcopo ex his una portio remittatur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ. Ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur.

De honore Ecclesiæ Dei.

Ex Capitulis Synodalibus. Tit. LXIX.

XXXV. Placuit (z) nobis admonere, ut unusquisque Episcopus videat super suam parochiam, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur, & non sit domus Dei, & altaria sacrata pervia canibus, & ut vasa sacrata Deo, in magna veneratione habeantur, & ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur, qui digni sunt.

Item de restauratione Ecclesiarum Dei.

Ex Capitulis Ludovici Imperatoris.

Cap. XL.

XXXVI. De (a) opere, vel restauratione Ecclesiarum, Comes, & Episcopus, sive Abbas, una cum Misso nostro, quem ipsi sibi elegerint ad hoc, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat, ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere dinoscitur. Similiter & Vassi nostri, aut in commune tantum accipiant operis, quantum rerum Ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem, quam ipse tenet, aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant. Cum quo pretio Rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere, & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, insuper & bannum nostrum solvat, ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittat.

De eadem re.

Item de Capitulis. Tit. XXII.

XXXVII. De operibus (b) in restauratione Ecclesiarum, sive in faciendo, sive in redimendo, Episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat, quin, sicut a nobis sæpe jussum est, hoc, aut illud partibus Ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicunque negligenter exinde egerit, & coram nobis exinde negligens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat, quod in nostro Capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus.

De

(u) Vide Lib. 6. Capitular. c. 69.
(x) Decreta Gelas. c. 27. Lib. 7. Capitular. c. 290. Riculf. c. 11. Burchard. Lib. 3. c. 137.
(y) Decreta Simplicii c. 2.
(z) Lib. 1. Capitular. c. 71.
(a) Lib. 4. Capitular. c. 40.
(b) Lib. 2. Capitular. c. 22.

De locis dudum sacris.

Ex eodem Capitulari. Cap. LIV.

XXXVIII. De locis (c) jam dudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis, ut juxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

De Ecclesiis destructis.

Ex eodem Cap. III.

XXXIX. De (d) Ecclesiis destructis, ut Episcopi, & Missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam aut impossibilitatem destructæ sint; & ubi negligentia inventa fuerit, Episcopali auctoritate emendare cogantur, qui eam restaurare debuerant. Si vero per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint, quam necesse sit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint; Episcopus modum inveniat, qualiter congrue emendari & consistere possint.

De eadem re.

Ex Capitulis Synodalibus Karoli junioris Cap. LXII.

XL. Servi (e) Ecclesiarum, quibuscunque potestatibus subditi, unde melior consuetudo, vel devotior commendatio ex tempore & jussione Domni Ludouvici, vel certe Domni Karoli, seu etiam Pippini non existit, saltem viginti diebus in anno eidem Ecclesiæ ad reficiendas ipsius minas absque molestia servire sinantur. Ubi autem & amplior commendatio, & melior consuetudo inde haberetur, pro hac nostra necessitudinis consideratione non decidat.

Item de eadem re.

Ex Capit. Ludouvici. Cap. V.

XLI. Ne vero Ecclesiæ Presbyteris commissæ in restauratione, aut in luminaribus juxta possibilitatem rerum ab illis negligantur, vestra nihilominus invigilare debet solertia. Et sicut alios prohibetis, ne de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri Archidiaconi de eisdem mansis nihil accipiendo, aliis exemplum præbeatis. Sed potius ad id, ad quod data sunt, servire concedantur; ut totum, sicut dictum est, in restauratione Ecclesiarum & luminaribus, vestra auctoritate & studio cedere possit.

De decimis.

Cap. CLXII.

XLII. Ut (f) decimæ in potestate Episcopi sint, qualiter a Presbyteris dispensentur.

De eadem re.

Ex cap. CLVII.

XLIII. Ut (g) qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent. Et qui tale beneficium habent, ad medietatem laborent, & de eorum portione proprio presbytero decimas donent.

De eadem re.

XLIV. Novalia rura, quæ juxta cultos agros fiunt, Ecclesiæ antiquæ decimentur. Et si ultra milliaria quatuor, vel quinque in statu quælibet digna persona aliquod novale collaboraverit, ibidemque cum sui Episcopi consensu Ecclesiam construxerit, post consecrationem Ecclesiæ provideat Presbyterum, ejusque conductu de eodem celebratu decimas eidem Ecclesiæ conferat. (*Caput istud non extat in Codice MS. Reginonis*)

Item de nonis & decimis.

Ex eodem. Cap. XXXVI.

XLV. Qui (h) decimas post creberrimas admonitiones, & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos constringi nolumus, propter periculum perjurii.

Item de nonis & decimis.

Ex eodem. Cap. CXXI.

XLVI. De (i) nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra, qualiter hæc observentur, ordi-

(c) Lib. 4. Capitular. c. 53.
(d) Lib. 5. Capitular. c. 144. Lib. 3. Leg. Longob. tit. 1. c. 45.
(e) Capit. Karoli Calvi tit. 6. c. 66.
(f) Lib. 1. Capitular. c. 149.
(g) Lib. 1. Capitular. c. 163.
(h) Concil. Cabilon. 2. c. 19. Lib. 2. Capitular. c. 38.
(i) Lib. 2. Capitular. c. 21.

ordinavimus, volumus atque jubemus, ut de omni collaboratu, & de vino & fœno fideliter, & pleniter ab omnibus nona, & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua potestate maneat, juxta quod ei & illi, qui hoc persolvere debet, convenerit.

Item de nonis & decimis.

Ex eodem. Cap. V. Lib. V.

XLVII. De his, (*k*) qui nonas, & decimas jam per multos annos, aut ex parte, aut ex toto, dare neglexerunt, volumus, ut per Missos nostros constringantur, ut secundum consuetudinem priorem solvant unius anni nonam, & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc negligentiam iteraverit, beneficium, unde hæc nona & decima persolvi debuit, amissurum se sciat.

Item de eadem re.

Cap. VI.

XLVIII. Quicunque (*l*) decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam debet dari, & eam præsumptuose, vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem, ad alteram Ecclesiam dederit, a Comite, vel a Misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

Item de eadem re.

Cap. VII.

XLIX. De decimis, (*m*) quas dare populus non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor fuerit inventus, ut nec Episcopum, nec audire Comitem velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur. Ceteri vero distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, quod voluntarie dare neglexerunt.

Item de eadem re.

Cap. IX.

L. De illis, (*n*) qui agros dominicatos propterea neglexerunt excolere, ut nonam & decimam exinde non persolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiant, volumus, ut de tribus annis ipsam annonam cum sua lege persolvant. Et si quis contemptor aut Comitis, aut Missorum nostrorum propter hoc extiterit, sub fidejussoribus ad palatium venire compellatur.

Item de eadem re.

Ex Concilio Meldensi. Cap. LXII.

LI. Hi, qui ex rebus Ecclesiasticis nonas & decimas persolvere, & sarta tecta Ecclesiæ secundum antiquam authoritatem, & consuetudinem restaurare debent, & hoc non solum negligunt, verum & contemnendo dimittunt, atque Clericos fame & penuria afficiunt, Ecclesiastica quoque ædificia dissolutione adnullari permittunt; tamdiu ab Ecclesiastica communione separentur, usque dum diligentia emendare studeant, quod socordia neglexerunt. Quod si iterum iteraverint, post excommunicationis satisfactionem, Regia potestate compulsi, juxta legale & antiquum edictum: qui negligit censum, perdat agrum.

Item de decimis.

Ex Capitulis Karoli.

LII. De decimis, (*o*) ubi antiquitus fuerunt Ecclesiæ baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod Episcopus ipsius parrochiæ ordinaverit, omnimodis fiant donatæ. Et si per donationes Regum, aut cæterorum Deum timentium bonorum hominum, ad Episcopia, seu Monasteria aliquæ res delegatæ sunt, & ex ipsis rebus antiquitus ad ipsas Ecclesias priores decimæ datæ fuerunt, ipsa antiqua donatio, vel devotio firma & stabilis permaneat. Tamen, ut supradiximus, decimas de ipsis rebus, qui eas possidere videtur, persolvat.

L l l *Ne*

[*k*] Lib. 5. Capitular. c. 145. (*l*) Lib. 5. Capitular. c. 145. & Addit. IV. c. 73.
(*m*) Lib. 5. Capitular. c. 46. Lex Longobardor. Lib. 3. Tit. 3. c. 8. Burchard. Lib. 3. c. 154.
(*n*) Lib. 5. Capitular. c. 147. (*o*) Capitulare ad Saltz.

Ne fœnum & annona, & vinum mittatur in Ecclesia.

Ex eodem Capit. CXLII.

LIII. Ut (*p*) nullus Presbyter annonam, vel fœnum, aut vinum in Ecclesia mittere præsumat. (*Vide Theodulf. c.* 8. & *Abyton. c.* 21.)

De eadem re.

Ex dictis Sancti Augustini Episcopi.

LIV. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, fiat. Unde & nomen accepit. Aut si forte etiam aliqui propter horas constitutas, si eis vacat, & orare voluerint, eis non sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.

Item alibi.

In (*q*) Oratorio præter orandi & psallendi Dei cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic, & opera jugiter impensa concordent.

Item de eadem re.

Ex dictis Sancti Benedicti.

LV. Oratorium (*r*) hoc sit, quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur.

Ut nullus in Ecclesia convivari præsumat.

Ex Concilio Carthaginensi.

LVI. Ut (*s*) nulli Episcopi vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitii necessitate illic resideant. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum potest fieri, prohibeantur.

De eadem re.

Ex Concilio Laudicensi.

LVII. Non (*t*) oportet in Domiciliis Divinis, sive Ecclesiis, agapen facere, & intus manducare, accubitus sternere.

Ut nemo præsumat in Ecclesia vinum vendere.

Ex Concilio Turonensi.

LVIII. Perlatum est (*u*) ad sanctam Synodum, quod quidam Presbyteri in Ecclesiis sibi commissis tabernas, quod nefas est, constituant, ibique per cauponem vinum vendant, aut vendere permittant: & ubi tantummodo orationes, & verbum Divinum, Deique laus debuerit resonare, ibi commessationes & ebrietates fiant, ibi risus, & plausus, & verba turpia, ibi rixæ, & contentiones resultent. Quod, quam sit Deo contrarium, Dominus Deus demonstrat: qui cum invenisset in templo vendentes, & ementes, & nummularios sedentes, facto funiculo de resticulis, omnes ejecit de templo. Si enim ea, quæ licite vendi videbantur in templo, & ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domino, ipse foras ejecit; quid putas de tam pestifera præsumptione, & Dei contemptu fiet? Et si non solum Sacerdotibus, sed etiam omnibus Clericis præcipitur, ne tabernas ingrediantur; quis audire potest, ut Ecclesiæ Dei tabernæ fiant? Itaque interdicit per omnia Synodus, ne hoc impofterum nullatenus fiat. Quod si factum fuerit, Presbyter deponatur: laici, communione privati, ab Ecclesia, quam dehonestaverunt, expellantur.

De eadem re.

LIX. Interea (*x*) non est leviter accipiendum, quod Dominus dicit: *Domus mea* (y) *domus orationis est.* Si enim domus Dei orationis domus vocatur, hoc debet esse, quod dicitur, nec ibi aliud debet geri, aut recondi. Ubi enim corpus Domini consecratur, ubi Angelorum præsentia non dubitatur adesse, ubi Sanctorum reliquiæ reconditæ venerantur, ne quid inhonestum appareat, quod oculos ad orationem venientium offendat: ne quid ibi videatur, quod ad lucrum temporale pertineat; sed omnia sancta, omnia munda, & tantummodo ad

(*p*) Lib. 1 Capitular. c. 150.
(*q*) Regula Tarnat. c. 15 Burchard. Lib. 3. c. 80.
(*r*) Regula S. Benedicti c. 52. Burchard. Lib. 3. c. 81.
(*s*) Burchard, Lib. 3. c. 83.
(*t*) Concil. Laodic. c. 28. Tomo primo nostro pag. 164. Burchard. Lib. 3. c. 82.
(*u*) Burchard. Lib. 3. c. 84. Vide Capitular. Riculfi Suession. c. 13.
(*x*) Burchard. Lib. 3. c. 86.
[*y*] Esai. LVIII.

ad Ecclesiasticum ministerium pertinentia.

Ut altaria mundissimis linteis cooperiantur, & ut Presbyteri fœminis prædicent, ut linteamina dent, unde altare vestiatur.

Ex Concilio Remensi. Cap. V.

LX. Observandum (z) est, ut mensa Christi, id est, altare, ubi corpus Dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis & palliis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquiis, & quatuor Evangelia. Expleta Missa, calix, & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondantur.

De linteis altarium præparandis.

Ex Capitularibus.

Presbyteri [a] per parochias suas fœminis prædicent, ut linteamina in altaria præparent.

Ut nullus Presbyter alterius parochianum ad Missam recipiat.

Ex Concilio Nannetensi. CCCCXIX.

LXI. Ut (b) Dominicis, vel festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et si inventi fuerint; statim reconcilientur. Quod si noluerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usque quo ad caritatem redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. His ita peractis Sacerdotes Missarum solemnia rite peragant.

Item ex eodem Concilio.

Ex Capitularibus.

Ut (c) nullus Presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

De oblationibus fidelium ad altare.

LXII. Si aliquid fideles ad altare offerunt, a ministro receptum post altare ponatur.

Ut nihil aliud in sacrificio Domini offeratur præter id, quod Dominus statuit.

Ex Canonibus Apostolorum. (d) Tit. III.

LXIII. Si quis Episcopus, aut Presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, deponatur de gradu.

Quæ species ad altare non ad sacrificium, sed ad benedictionem simplicem debent offerri.

Ex Canonibus Apostolorum. (e) Tit. IV.

LXIV. Offerri (f) non liceat aliquid ad altare, præter novas spicas, & uvas, & oleum, & thymiama, id est, incensum, tempore, quo sancta celebratur oblatio.

Ut ea, quæ in Ecclesiis offerri non possunt, ad domos Sacerdotum a fidelibus deferantur. (*)

Ubi supra Tit. V.

LXV. Reliqua poma omnia, vel primitiæ ad domum Episcopi, & Presbyteri dirigantur; nec offerantur in altari. Certum est autem, quod Episcopis, & Pres-

(z) Burchard. Lib. 3. c. 97.
(a) Lib. 1. Capitular. c. 152.
(b) Concil. Nannet. c. 1. Burchard. Lib. 2. c. 92.
(c) Concil. Nannet. c. 2. Lib. 1. Capitular. c. 153. Burchard. Lib. 2. c. 91.
(d) Tomo I. nostro pag. 131.
(e) Tomo I. nostro pag. 131.
[f] Burchard. Lib. 6. c. 6.
(*) Tomo I. nostro pag. 132.

Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis dividantur.

Quid in ſacrificio Domini offerri debeat.

Ex Concilio Wormacienſi.
Cap. XXIX.

LXVI. In Euchariſtia [g] non debet aqua pura offerri, ut quidam ſobrietatis cauſa falluntur, ſed vinum cum aqua mixtum: quia & vinum in redemptionis noſtræ myſterio fuit, cum dicat: *Non* (h) *bibam de hoc genimine vitis*; & aqua mixtum, quod poſt cœnam dabat. Sed & de latere ejus aqua cum ſanguine egreſſa, vinum de vera carnis ejus vite cum aqua expreſſe oſtendit. Cum igitur Magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium commendaret ſuis diſcipulis, panem tantum, & calicem ſub hoc Sacramento præbuiſſe cognoſcimus. Ideoque præter panem, & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim Dominicus, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo quando in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aqua, & vino ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Non poteſt enim calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur.

De Calice Domini.

Ex Concilio Remenſi. Tit. VIII.

LXVII. Ut (i) Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnimodis ex argento fiat. Neque cauſentur Presbyteri, avaritia ſuadente, de paupertate vel impoſſibilitate, cum una pars ex omnibus, quæ ad Eccleſiam pertinent, in fabricis ipſius Eccleſiæ ſit impendenda. Admonendus eſt etiam populus, ut aliquid in donariis Domini offerat, ſicut ipſe antiquus populus ſub Moyſe in tabernaculo Domini feciſſe legitur. Si quis autem tam pauperrimus eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat. De ære autem, aut ex aurichalco, non fiat calix; quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo calice præſumat cantare.

De Corporali Dominico.

Ex Concilio, quo ſupra.

LXVIII. Corporale, (k) ſuper quo ſacra oblatio immolatur, ex mundiſſimo, & puriſſimo linteo ſit; nec in eo alterius generis materia pretioſior, aut vilior miſceatur: quia Dominicum corpus in ſepulchro, non in holoſericis, ſed tantum in Sindone munda fuit involutum. Corporale nunquam ſuper Altare remaneat; ſed aut in Sacramentorum libro ponatur, aut cum calice & patena in mundiſſimo loco recondatur. Et quando abluitur a ſacerdote, Diacono, vel Subdiacono, primo in Eccleſia in loco, & vaſe ad hoc præparato abluatur, eo quod ex Dominico corpore, & ſanguine infectum ſit. Poſt hæc a lavandario in nitido loco (l) paretur.

De Euchariſtia.

Ex Capitulis Synodalibus. Cap. CLV.

LXIX. Ut (m) Presbyter ſemper Euchariſtiam habeat paratam, ut, quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.

De eadem re.

Ex Concilio Turonenſi.

LXX. Ut (n) omnis Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus a ſeculo. Quæ ſacra oblatio intincta debet eſſe in ſanguine Chriſti, ut veraciter Presbyter poſſit dicere infirmo:

[g] Concil. Brachar. 3. c. 2. Concil. Wormac. c. 4. Tomo hoc p. 311. Burchard. Lib. 5. c. 2.
(h) Matth. XXVI. (i) Burchard. Lib. 3. c. 96. & Diſt. 1. de conſecrat. c. 45.
(k) Burchard. Lib. 3. c. 98. (l) Editio Helmæſtad. *reponatur*.
(m) Lib. 1. Capitular. 161. Capitula Walterii Aurel. c. 7. Burchard. Lib. 5. c. 10.
[n] Burchard. Lib. 5. c. 9.

mo: *Corpus & ſanguis Domini proficiat tibi, &c.* ſemperque (*o*) ſit ſuper Altare obſervatum, propter mures, & nefarios homines, & de tertio in tertium diem ſemper mutetur, id eſt, illa a Presbytero ſumatur, & alia, quæ eodem die conſecrata eſt, in locum ſubrogetur, ne forte diutius reſervata, mucida, quod abſit, fiat.

De oblatis, ut de ſabbato in ſabbatum innoventur.

Ex eodem.

LXXI. Illud (*p*) etiam adnectendum videtur, ut oblationes, quæ in Altari offeruntur, de ſabbato in ſabbatum ſemper innoventur: quia panes propoſitionis, qui ſuper menſam Domini ponebantur, a ſabbato in ſabbatum ſemper mutabantur.

Ut chriſma ſemper ſub ſera ſit.

Ibidem.

LXXII. Præterea (*q*) & illud omnimodis obſervandum eſt, ut ſacrum chriſma, & oleum conſecratum ſemper ſub ſera ſit, ne illud, unde Chriſto incorporamur, & unde omnes fideles ſanctificantur, unde Reges & Sacerdotes inunguuntur; aliquis infidelis, aut immundus tangat, aut aliquis perfidus ad Dei Judicium ſubvertendum ſubripiat. Quod experimento didicimus. (*Vide Concilium Metenſe anni* 888. *cap. VI.*

Si Presbyter Chriſma dederit ad Judicium ſubvertendum.

Ex Capitularibus, Tit. LV.

LXXIII. Ut (*r*) Presbyter, qui chriſma donaverit ad judicium ſubvertendum, poſtquam de gradu ſuo depoſitus fuerit, manum amittat.

Ut nullus Presbyter pro Chriſma aliquod munus det.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. XLV.

LXXIV. Ut (*s*) nemo Epiſcoporum, vel quilibet miniſter Eccleſiaſticus propter ſacrum Chriſma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuſcula, quæ per miniſtros Epiſcoporum a Presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet tamen Presbyteros cum voluntariis eulogiis, tempore congruo viſitare, & venerari ſuos Epiſcopos.

Ut omnis Presbyter duas ampullas in cœna Domini ad civitatem deferat.

Ex Capitulis. Tit. CLVI.

LXXV. Ut (*t*) Presbyter in cœna Domini ampullas duas ſecum deferat, unam ad Chriſma, alteram ad oleum ad catechumenos inunguendum, vel infirmos juxta [*u*] ſententiam Apoſtolicam, ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Eccleſiæ, qui pro ipſo orent, eumque inunguant. Et cætera.

Conſentiunt in hoc loco editio Helmæſtadienſis, & codex MS. Pariſienſis, quo nos uſi ſumus. Variant autem Libri Capitularium, in editis ſane, tum apud Burchardum: & in veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ, tum etiam in noſtro, præcipitur, ut Presbyter tres ampullas ſecum deferat. Sed in veteri codice MS, ex quo prima Pariſienſis editio prodiit, tum etiam in antiquiſſimo libro Monaſterii Rivipullenſis, ita omnino legitur: Ut Presbyter in cœna Domini duas ampullas ſecum deferat, unam ad Chriſma, alteram ad oleum, ad Catechumenos inunguendum, vel infirmos juxta ſententiam &c. Hanc ultimam lectionem ſecutus eſt Regino. Contra in veteri codice Pontificali Eccleſiæ Rotomagenſis, apud Hugonem Menardum in Notis ad librum Sacramentorum. pag. 80. Mane primo Manſionarii ordinent omnia, quæ ſunt neceſſaria ad conſecrationem Chriſmatis, ampullas tres de oleo mundiſſimo plenas ponentes in ſacrario, unam ad oleum pro infirmis, alteram ad Chriſma, tertiam vero ad oleum ad catechumenos unguendum. *Nota Baluzii.*

[*o*] Vide Hug. Menard. in Notis ad Lib. Sacramentor. pag. 378.
[*p*] Burchard. Lib. 5. c. 12. (*q*) Burchard. Lib. 4. c. 80.
(*r*) Lib. 5. Capitular. c. 55. Lex Longobardor. Lib. 3. tit. 27. c. 1.
(*s*) Burchard. Lib. 5. c. 77. (*t*) Lib. 1. Capitular. c. 162. Burchard. Lib. 4. c. 75.
(*u*) Jacob. V.

De Presbyteris, qui longe positi sunt.

Item unde supra Cap. XCIII.

LXXVI. De (x) Presbyteris, qui accipiendi gratia Chrismatis ad civitates in cœna Domini venire soliti erant, sancitum est, ut de his, qui longe positi sunt, de octo vel decem unus ab Episcopo eligatur, qui acceptum Chrisma sibi, & sociis diligenter perferat. Hi vero, qui non longius a civitate, quam quatuor, aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum Chrisma per se veniant; discendi vero gratia alio, non quadragesimali, tempore ad civitatem convocentur, propter plebes sibi commissas.

Ut alterius Episcopi Chrisma nullus Presbyter accipiat.

Ex Concilio Vasensi. Cap. III.

LXXVII. Per (y) singula territoria Presbyteri, vel ministri ab Episcopis, non prout libitum fuerit, a vicinioribus, sed a suis propriis per annos singulos petant Chrisma, appropinquante solemnitate Paschali: nec per quemcunque Ecclesiasticum, sed si qua necessitas, aut ministrorum occupatio est, per Subdiaconum: quia inhonorum est, inferioribus summa committi. Optimum autem est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est. Si quid autem obstat, saltem is, cujus officii est, Sacramentarium disponere, & Sacramenta suscipere. (*Vide Concilium Carthaginense* 4. *cap.* 36.)

Ut nullus Minister sine Chrismate proficiscatur.

LXXVIII. Nullum (z) Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate unquam debere progredi, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari. De eo autem, qui in Baptismate quacunque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur.

De fontibus sacris.

Unde supra.

LXXIX. Presbyter, [a] qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod nunquam extra Ecclesiam deportetur. Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris, propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat. (*Vide infra cap.* 271. *hujus libri.*)

Ut nullus Presbyter absque vestimentis Sacerdotalibus præsumat Missam cantare.

Ex Concilio Remensi.

LXXX. Nullus Presbyter sine amictu, alba, & stola, & fanone, & casula ullatenus Missam celebrare præsumat. Et hæc sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco intra Ecclesiam collocentur. Nec Presbyter, cum his induitur, extra Ecclesiam exeat, quia hoc lex Divina prohibet.

Ut nullus Presbyter in vadium sacrata vasa, & vestimenta mittat.

Unde supra Cap. XI.

LXXXI. Ut (b) nullus Presbyter præsumat calicem, vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel fœminæ in vadium dare, nisi justissima necessitate urgente: quia tanta est sanctitas sacri ministerii, ut salva altioris mysterii intelligentia, etiam per Prophetam Dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis Sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat, a conloquio Divino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum a sacris Canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacri ministerii, nec ad contingendum immundis, quanto minus ad vadimonium exhibere debet, sicut Stephanus Papa & Martyr secundum Hilarium in suis Decretalibus docuit.

Ab-

(x) Lib. 1. Capitular. c. 99. Burchard. Lib. 4. c. 79.
(y) Lib. 7. Capitular. c. 310. Burchard. Lib. 4. c. 78.
(z) Concil. Arausic. 1. c. 2. Burchard. Lib. 4. c. 73.
(a) Hincmari Capitula an. 852. c. 3. Burchard. Lib. 4. c. 13. Capitulare Ahytonis. c. 7.
(b) Hincmar. in Capitulis datis an. 852. c. 11. Burchard. Lib. 3. c. 104. Capitulare Theodulfi c. 18.

Abhinc de vita Sacerdotum.

Ut Episcopus & Presbyter non longe ab Ecclesia hospitium habeat.

Ex Concilio Carthaginensi.

LXXXII. Ut (c) Episcopus non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat.

Ut Presbyteri nullatenus ubique hospitari sinantur.

Ex Concilio Meldensi. Cap. XXXVI.

LXXXIII. Ut Presbyteri nullatenus ubicunque hospitari sinantur, aut aliquo modo ipsi præsumant; sed assidue apud suas Ecclesias esse studeant propter sacra mysteria, vel ministeria fidelibus exhibenda, nec etiam alibi habitare permittantur. Neque mulieres quamcunque (d) habitationem habeant in locis, in quibus Presbyteri aliquem recursum habuerint. Quod si observare parvipenderint; ita ut transgressores, & qui contra interdicta fecerint, judicentur.

De continentia Sacerdotum.

Ex Concilio Neocæsariensi. Cap. I.

LXXXIV. Presbyter, (e) si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Simili (f) modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

LXXXV. Presbyter, (g) si præoccupatus corporali peccato confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quod si de se ipse non fuerit confessus, & argui manifeste nequiverit, potestati sui judicii relinquatur.

De eadem re.

Ex Canonibus Apostolorum.

LXXXVI. Presbyter, (h) aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio captus est, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: *Non judicat Dominus bis.*

Item.

LXXXVII. Sacerdotes Domini, & Diaconi, vel quicunque Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant.

De eadem re.

LXXXVIII. Præterea (i) quod dignum & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut sacerdotes & Levitæ cum mulieribus non coeant, quia ministerii cotidiani necessitatibus occupantur, & scriptum est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.

De eadem re.

LXXXIX. De Presbyteris (k) & Diaconibus Divinarum legum est disciplina, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priventur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

Item.

XC. Interdixit (l) per omnia *magna Synodus*. Non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem suffugiunt,

De

(c) Concil. Carthag. 4. c. 14.
*[d] Sirmond. & cod. MS. *frequentationem.*
(e) Burchard. Lib. 2. c. 108.
(f) Concil. Neocæsar. c. 10. Tomo I. nostro pag. 150.
(g) Concil. Neocæsar. c. 9. Burchard. Lib. 2. c. 49.
(h) Canon. Apostol. c. 25. Tomo I. nostro. pag. 133. Burchard. lib. 2. c. 189. lib. 17. c. 39.
(i) Burchard. lib. 2. c. 118.
(k) Burchard. lib. 2. c. 117.
(l) Concil. Nic. c. 3. Tomo I. nostro pag. 137. Burchard. lib. 2. c. 109.

De eadem re.

Ex decretis Siricii Papæ.
Tit. XII.

XCI. Fœminas (*m*) vero non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas proprie sola necessitudinis causa habitare cum eisdem Synodus Nicæna permisit.

De eadem re.

Ex Concilio Carthaginensi. Cap. XXV.

XCII. (*) Aurelianus Episcopus dixit: Addimus (*n*) Fratres Carissimi, præterea, cum de quorundam Clericorum, quamvis lectorum, erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit, quod & diversis Conciliis firmatum est; ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, seu etiam Episcopi, secundum propria statuta ab uxoribus se abstineant, ut tanquam non habentes, videantur esse. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi nisi maturiore ætate.

De eadem re.

Ex decretis Siricii Papæ. Cap. VII.

XCIII. Plurimos (*o*) enim Sacerdotes Christi, atque Levitas, post longa consecrationis suæ tempora tam de conjugiis propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac proscriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur adtributa. Dicat mihi nunc quisquis est ille sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quia in lege Moysi passim sacris ordinibus a Domino nostro laxata sunt fræna luxuriæ; cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens: Sancti estote, quia & ego Sanctus sum Dominus Deus vester. Cur etiam procul a suis domibus anno vicis suæ habitare in templo jussi sint sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possint carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent; quibus expleto deservitionis suæ tempore uxoris usus, solius successionis causa, fuerat relaxatus; quia non ex alia, nisi ex tribu Levi quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti.

De eadem re.

Cap. XCII.

XCIV. Statutum est (*p*) ab Episcopis de Presbyteris, ut qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores Sacrorum Canonum, canonica invectione feriantur.

Recte hoc Capitulum laudat Regino, si ratio habeatur veterum codicum. Etenim caput istud, quod in editionibus est XCVIII. libri primi, XCII. est in codicibus Colbertino & Rivipullensi: ubi in libro primo desunt sex capita, quæ extant in editionibus. In veteri codice MS. Bibliothecæ Regiæ, ex quo prodiit prima editio Parisiensis, est numero XCI. *Nota Baluzii.*

De eadem re.

Ex Concilio Wormaciensi.
Cap. XXXIII.

XCV. Placuit, (*q*) ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi abstineant a conjugibus, ut non generent filios. Quod si hoc decretum violaverint, ab honore Clericatus pellantur.

De eadem re.

Ex Decretis Papæ Leonis.

XCVI. Lex (*r*) continentiæ eadem est Altaris ministris, quæ Episcopis atque Prebyteris; quis cum essent Laici sive Lectores, licite & uxores ducere, & filios procreare potuerunt; sed, cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde, ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non

(*m*) Decreta Siricii c. 12. Burchard. lib. 2. c. 110.
(*n*) Aurelius. Concil. Carthag. 6. c. 25. Tomo I. nostro p. 203.
(*o*) Decreta Siricii. c. 7.
(*p*) Lib. 1. Capitular. c. 98. Burchard. lib. 2. c. 111.
(*q*) Concil. Wormac. c. 9.
(*r*) Decreta Leonis 1. c. 17. Burchard. lib. 2. c. 114.

non habeant, sic habere, quo & salva sit caritas conubiorum, & cesset operatio nuptiarum.

De eadem re.

Ex dictis Sancti Gregorii Papæ.

XCVII. Qui corpus suum castitati dedicant, habitare secum feminas non permittant.

Item Sancti Augustini.

XCVIII. Ideo nolo, ut soror mea mecum sit, quia, quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.

De eadem re.

Ex Concilio Wormatiensi. Cap. IX.

XCIX. Sacerdotes (s) igitur, si in fornicationis laqueum ceciderint, & crimen manifestissime ostensum fuerit, hactenus sacerdotii non possunt habere honorem, secundum Canonicæ institutionis auctoritatem.

Quæ mulieres in domibus habitent Clericorum.

Ex Concilio Agathensi.

C. Id (t) etiam ad custodiendam vitam, & famam speciali ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum extraneæ sit mulieri qualibet consolatione aut familiaritate conjunctus. Et non solum in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam mulierem habeat potestatem: sed cum matre tantum; & sorore, filia, & nepte, si habuerit, vivendi liberam habeat potestatem; de quibus nominibus nefas est, aliud, quam natura constituit, suspicari.

Ne ancillæ, vel libertæ cellarium teneant Clericorum, vel ministerium secretum impendant.

Ex Concilio Agathensi.

CI. Ancillas, (u) vel libertas a cellario, vel a secreto ministerio, & ab eadem mansione, in qua Clericus manet, placuit removeri.

De familiaritate extranearum mulierum.

Ex Concilio Aureliano.

CII. Ideoque statuimus, (x) ut ne quis Antistitum, aut Clericorum licentiam habeat, intra domum suam, ullam absque propinquis mulieribus, quas priores Canones eloquuntur, habere personam. De quibus etiam id specialiter inhibetur, ut, si quis Clericorum suspicionem adversam, aut oblocutionem populi, ob mulierem quamcunque incurrerit, eam statim, si intra domum suam habet, abjiciat. Si certe extranea & sui juris est, istam omnibus conditionibus studeat abjicere; ut infamia, quæ excitata est, abrogetur. Quod si quilibet Antistitum, vel Clericorum, quod supra scriptum est vitare noluerit, pro inobedientia triennii excommunicatione multetur. Quod si adulterii permixtione fuerit adprobatus; in regradatione honorum, priorum Canonum statuta serventur.

De eadem re.

Ex Concilio Turonico.

CIII. Et quia diabolo (y) nullum locum dare oportet, hoc præcipue custodiendum decrevimus, ut nulli Clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, nec ullum male loquendi, vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contigit, ut diabolus, qui insidiatur, sicut leo in cubili suo, de ruinis servorum Dei insultet. Si quis vero Clericus post interdictum Episcopi sui inlicitis familiaritatibus extranearum feminarum voluerit inhærere; a communione habeatur alienus.

De eadem re.

Ex Concilio Nannetensi. Cap. VI.

CIV. Inhibendum, (z) & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas personas fœminarum, sicut & in canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas canones concedunt (quia instigante diabolo, etiam in

Mmm

(s) Concil. Wormac. c. 11.
(t) Concil. Agath. c. 10. Burchard. lib. 2. c. 112.
(u) Concil. Agath. c. 11.
(x) Burchard. lib. 2. c. 113.
(y) Concil. Turon. 1. c. 1. Burchard. lib. 2. c. 116.
(z) Concil. Nannet. c. 3. Lib. 7. Capitular. c. 291. Burchard. lib. 2. c. 116.

in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessitas sustentatio Presbyteri; habeat in vico, aut in villa domum longe a Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret, quæ necessaria sunt. Sed & hoc secundum auctoritatem canonicam modis omnibus prohibendum, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.

De visitandis a Presbytero infirmis.

Unde supra.

CV. Cum (*a*) Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quam citius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat, cum antiphona: *Asperges me Domine.* Et versu: *Exurgat Deus.* Deinde dicat orationem: *Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti.* Deinde cantet septem Psalmos cum precibus pro infirmis. Post hæc omnes jubeat extra cubiculum secedere. Et adpropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande, leniterque alloquatur: ut omnem spem suam in Deo ponat: ut flagellum Dei patienter toleret: ut hæc ad purgationem, & castigationem suam provenire credat: ut peccata sua confiteatur: ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro culpis commissis spondeat: ut substantiam suam, dum adhuc sensus, & ratio in eo viget, disponat: ut peccata sua eleëmosynis redimat: ut his, qui in se peccaverunt, indulgeat: ut rectam fidem, & credulitatem teneat: ut de Dei misericordia nunquam desperet. Cum his & hujuscemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata; data benedictione sacerdos recedat, non post multum reversurus. Detque locum, ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

De infirmis, qui confitentur peccata sua, & se reconciliari exposcunt.

Ex quo supra.

CVI. Infirmus, (*b*) qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, ut, si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit; secundum qualitatem delicti omnimodis pœniteat.

De reconciliandis infirmis.

Ex Concilio Nicæno.

CVII. De his, (*c*) qui ad exitum veniunt, etiam nunc relaxatio antiqua regularisque servabitur, ita, ut si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur; quo si vel desperatus, & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit; sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

De eadem re.

Ex Epistola Leonis Papæ.

CVIII. His autem, (*d*) qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, ad quem nulla impedit venire mortis conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Et alibi: Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris. Item: Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque donis Dei non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus, lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

De

(*a*) Concil. Nannet. c. 4. Burchard. lib. 18. in argumento.
(*b*) Concil. Nannet. c. 5. Burchard. lib. 18. c. 3.
(*c*) Concil. Nicæn. c. 13. Tomo I. nostro pag. 139. Burchard. lib. 18. c. 6.
(*d*) Leo 1. Ep. 91. Burchard. lib. 18. c. 4.

De eadem re.

Ex Concilio Africano.

CIX. Aurelius (*e*) Episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari Divinis Altaribus petierit; si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Quam rem salubri consilio debemus roborare.

De eadem re.

Ex Epistola Cœlestini Papæ.

CX. Vera ergo (*f*) ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est æstimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter asserente: Cum conver-versus ingemueris, tunc salvus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum illi se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

De his, qui obmutescunt, antequam sacerdos veniat ad eos.

Ex Epistola Leonis Papæ.

CXI. Ita (*g*) ergo talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ita aliqua ægritudine fuerint adgravati, ut, quod paulo ante poscebant; & sub præsentia significare non valebant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt: simul tamen & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.

Mendosa est lectio istius capitis apud Reginonem. Legendum itaque: poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, *&c.*

De eadem re.

Ex Concilio Carthaginensi.

CXII. Pœnitentes, (*h*) qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

De eadem re.

Ex Epistola Siricii Papæ.

CXIII. Quicunque (*i*) carnali fragilitate ceciderunt, his viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per (*k*) communionis gratiam volumus subvenire.

De pœnitentibus subito mortuis.

Ex Concilio Vasensi. Cap. LXV.

CXIV. Eorum, (*l*) qui in pœnitentia accepta, in bonæ vitæ cursu, sine communione subito moriuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam, Ecclesiastico affectu prosequendam.

De Communione privatis, qui vita defuncti sunt.

Ex Epistola Leonis Papæ.

CXV. Horum (*m*) causa Dei Judicio reservanda est, in cujus, manu fuit, ut talium obitus, usque ad communionis remedium (*n*) differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

De unguendis infirmis.

Ex Concilio Turonensi.

CXVI. Postquam infirmus ab onere peccatorum per confessionem relevatus fuerit, & a sacerdote reconciliatus, oleo sanctificato in Dei nomine inunguendus est, primum in pectore, deinde inter scapulas, cum precibus ad hanc

Mmm 2

(*e*) Concil. Carthag. 2. c. 4. Tomo I. nostro pag. 200. Burchard. lib. 18. c. 13.
(*f*) Decreta Cœlest. I. c. 15. Burchard. lib. 18. c. 1.
(*g*) S. Leo Epist. 91. c. 5. Burchard. lib. 18. c. 9. Riculf. c. 10.
(*h*) Concil. Carthag. 4. c. 78. Burchard. lib. 18. c. 23.
(*i*) Decreta Siricii c. 5. Burchard. lib. 18. c. 8.
(*k*) Cod. MS. *communicationis.*
(*l*) Concil. Vas. 1. c. 2. Burchard. lib. 18. c. 24.
(*m*) Decreta Leonis I. c. 20. Burchard. lib. 11. c. 52.
(*n*) leg. *non diff.*

hanc ſanctam unctionem pertinentibus, ut juxta Apoſtolum oratio fidei ſalvet infirmum, &c.

De eadem re.

Ex Epiſtola Innocentii Papæ.
Cap. CCCLXXXVII.

CXVII. Beatus [o] enim Jacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua ſcripſit: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, quia ſancto Oleo Chriſmatis perungui poſſunt, quod ab Epiſcopo confectum, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate ungendum. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbytero licere non dubium eſt. Nam idcirco Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi, occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem a ſe viſitandum; & benedicere, & tangere Chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum Chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi.

De eadem re.

Ex dictis Bedæ Presbyteri.

CXVIII. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum. Hoc & Apoſtoli in Evangelio feciſſe leguntur, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi Oleo conſecrato unguantur a Presbyteris, & oratione comitante ſanentur. Non ſolum Presbyteris, ſed, ut Papa Innocentius ſcribit, etiam omnibus Chriſtianis uti licet eodem Oleo in ſua, aut ſuorum neceſſitate unguendo; quod tamen oleum non niſi ab Epiſcopis licet confici. Nam quod ait: oleo in nomine Domini; ſignificat, oleo in nomine Domini conſecrato. Vel certe, quia etiam, cum unguunt infirmum, nomen Domini ſuper eum invocare pariter debent. Et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Multi propter peccata in animam facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Unde Apoſtolus Corinthiis, quia Corpus Domini indigne percipere erant ſoliti, ait: Ideo inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi. Si ergo infirmi in peccatis ſunt, & hæc Presbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis. Neque enim ſine confeſſione emendationis peccata queunt dimitti. Unde recte ſubjungitur: Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini.

De Sacra Communione.

Unde ſupra.

CXIX. Poſtquam infirmus Sacra unctione fuerit delibutus, ſtatim corpore, & ſanguine Domini recreandus eſt; ut de cujus vita corporali deſperatur, vivificari in anima, aut vita mereatur æterna. Ait enim Dominus: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam. Et: Niſi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis. Proinde ſancti canones præcipiunt, ut nulli fideli in extremis poſito communio denegetur.

Ne Presbyter ſacram Communionem laico, vel fœminæ ad deferendum tradat.

Ex Concilio Remenſi.

CXX. Pervenit (p) ad notitiam noſtram, quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant Divina myſteria, ut laico, aut feminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis; & quibus prohibetur, ne ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur. Quod quam ſit horribile, quam deteſtabile, omnium religioſorum animadvertit prudentia. Igitur

(o) Decreta Innoc. I. c. 8. Burchard. lib. 18. c. 2.
(p) Burchard. lib. 5. c. 30. & Diſt. 2. de Conſecr. c. 29.

tur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimode Presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.

Ut nulla præmia pro baptizandis requirantur.

Ex Epistola Gelasii Papæ.

CXXI. Baptizandis, (q) consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant, nec inlationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione vocati, redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes, quod, qui prohibita admisisse fuerint deprehensi, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

Ut nemo pro sepultura quidquid exigat.

Ex Epistola Gregorii Papæ.

CXXII. Grave (r) nimis, & procul est a Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium & nos, postquam Deo auctore ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus, memores, quia dum Abraham a filiis Ephron, hoc est, filio Seor, sepulcri pretium ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit; ne commodum videretur de cadavere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur, ammoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri concediti, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliqui exigi, omni modo prohibemus; ne quod valde inreligiosum est, aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studetis quærere quolibet modo compendium.

De eadem re.

Ex Concilio Meldensi.
Cap. LXXII.

CXXIII. Ut (s) nemo quemlibet mortuum in Ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem Episcopus aut Presbyter pro qualitate conversationis, aut vitæ, dignum duxerit, sepelire præsumat: nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulcro suo ejicere, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquo modo violet, sed unumquemque in loculo sibi a Deo parato, atque concesso, adventum sui judicis præstolari concedat: maxime cum non solum Divinæ leges, sed etiam & humanæ, apud humanam rempublicam sepulcrorum violatores reos mortis dijudicent. Sed & neque pro loco sepulturæ, ut verbis Sancti Gregorii utamur, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium aliquo modo tentent. Si quando autem proximi, vel hæredes, sponte aliquid offerre in Ecclesia voluerint in elemosyna defuncti, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi omnino prohibemus; ne quod valde inreligiosum est, aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut de humanis mortibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus modo quolibet quærere.

Ut nullus in Ecclesia mortuum sepeliat.

Ex Capitulis Synodalibus. Tit. CLVI.

CXXIV. Ut (t) nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat.

De eadem re. C. XLVI.

CXXV. Ut (u) de sepeliendis in Basilicis

(q) Decreta Gelas. c. 5. Burchard. lib. 4. c. 71.
(r) S. Gregor. lib. 7. Indict. 2. Epist. 55. Capitulare Ahytonis c. 24.
(s) Capitulare Theodulfi c. 9. Riculfi c. 19. Ahytonis c. 23: Tomo hoc pag. 20. hoc caput non reperitur inter Ahytonis Capitula. Burchard. lib. 3. c. 158.
(t) Lib. 1. Capitular. c. 159.
(u) Lib. 2. Capitular. c. 47. Conc. Arelat. 6. c. 21.

ſilicis mortuis conſtitutio illa ſervetur, quæ ab antiquis Patribus conſtituta eſt.

Ex Concilio Nannetenſi.

Præcipiendum (*x*) ſecundum Canonum auctoritatem, ut de ſepulcris, & hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant; niſi forte, qui ſepelitur, vivens juſſerit Eccleſiæ, in cujus atrio ſepelitur, de ſuis rebus aliquid tribuere, aut etiam poſt mortem illius, quibus commiſſum eſt, ejus eleemoſynam facere, de rebus illius aliquid dare ſponte voluerint. Tamen nullatenus a Presbyteris illis aliquid exigatur, ſive ab illis, qui locis & vicis præſunt. Prohibendum etiam, ſecundum majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut exedra Eccleſiæ. Infra Eccleſiam vero, aut prope altare, ubi corpus Domini & ſanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam ſepeliendi.

De eadem re.

Ex Concilio Triburienſi.

CXXVI. Ut, (*y*) ſi poſſit fieri, mortui non alibi ſepeliantur præter ad Eccleſiam, & deinceps nihil exigatur pro pretio ſepulturæ.

De eadem re.

Ex eodem.

CXXVII. Dictum (*z*) eſt, in quibusdam locis pro perceptione chriſmatis nummos dari ſolere, pro baptiſmo, & communione. Hoc Simoniacæ hæreſis ſemen deteſtata eſt ſancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro chriſmate, vel baptiſmo, nec pro ſepultura, vel communione quicquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita (*a*) diſpenſentur.

De infantibus mortuis, per negligentiam non baptizatis.

Ex Pœnitentiali. Cap. XVII.

CXXVIII. Pariens femina, cujus filius per negligentiam non baptizatus obierit, annum unum pœniteat, & nunquam ſit ſine aliqua pœnitentia. Si ſacerdos, (*b*) ad quem pertinebat, vocatus fuerit ad baptizandum infantem, & venire neglexerit; ipſe ſecundum damnationem animæ judicio Epiſcopi ſui caſtigetur. Sed & omnibus fidelibus licet, ubi forte morituros invenerint non baptizatos, immo præceptum eſt, omnes animas eripere a diabolo per baptiſma. Id eſt, benedicta aqua ſimpliciter in nomine Domini, & baptizare illos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, intinctos, aut ſuperfuſa aqua. Unde oportet, eos, qui poſſunt, tamen fideles, monachos maxime, & ſcientiam habere baptizandi, & ſi alicubi longius exierint; Euchariſtiam ſemper ſecum habere debent.

De eadem re.

CXXIX. Perpendant (*c*) Presbyteri, quanti diſcriminis ſit, animas innocentium per eorum negligentiam a Regno Dei excludi. Si enim gaudium eſt in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quid putas, quanta ira, & indignatio ſuper illum erit, qui per ſuam negligentiam januas Paradiſi innocentibus clauſit? Et ideo Presbyteri ſumma diligentia caveant, ne animas, pro quibus ſanguis Chriſti effuſus eſt, per ſuam incuriam a cæleſti beatitudine ſeparent. Sed ſi, quod abſit, evenerit; gravi pœnitentiæ luctu diebus vitæ ſuæ ſe ſubmittat, per cujus evenerit neglectum.

De eadem re.

Unde ſupra.

XXX. Cujus parvulus in negligentia ſine baptiſmo fuerit mortuus, tres annos pœniteat primum ex his in pane & aqua.

Ne oblationes in domibus offerantur, & ne Miſſæ extra Eccleſiam cantentur.

Ex Concilio Laodicenſi.

CXXXI. Quod (*d*) non oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis, vel Presbyteris.

Unde

(*x*) Concil. Nannet. c. 6. Burchard. lib. 3. c. 159.
(*y*) Concil. Tribur. c. 15. 16. hoc ſecundo Tomo pag. 396.
(*z*) Burchard. lib. 4. c. 101. (*a*) Burchard. *Diſpenſatione donentur.*
(*b*) Vide lib. 2. c. 60. (*c*) Burchard. lib. 4. c. 46. Capitulare Theodulfi c. 17.
[*d*] Concil. Laodic. c. 58. Tomo I. noſtro pag. 166. Addit. III. c. 4. & 41. Burchard. lib. 3. c. 60.

Unde supra.

CXXXII. Dictum [*e*] est nobis; quod quidam laici in domibus propriis præcipiant Presbyteris Missas celebrare, & inter canum discursus, & scortorum greges, Sanctitatis mysteria polluantur magis, quam consecrentur. Quapropter præcipimus, ut nullus Presbyter extra Ecclesiam præsumat Missam cantare, nisi forte itineris necessitas exposcat: ubi in tentorio, aut sub divo, in loco nitido, & longe ab omni immunditia remoto, Missas celebrare permittimus. Et hoc nullatenus sine tabula consecrata.

De eadem re.

Ex Epistola Anacleti Papæ.

CXXXIII. Sacerdotes, (*f*) quando sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Deo perfecte in sacratis Domino locis sacrificare probentur. Ait namque authoritas legis Divinæ: *Vide,* (g) *ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* (*Vide lib.* 6. *Capitular. cap.* 198. 205. *lib.* 7. *cap.* 99. 312. 334. & *Addit. II. cap.* 7. 10. & *Capitulare Riculfi Suession. cap.* 11.)

De ebriosis Clericis.

Ex Concilio Agathensi.

CXXXIV. Itaque (*h*) eum, quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali (*i*) dandum supplicio.

De eadem re.

Fructuosi Episcopi.

CXXXV. Si quis (*k*) Ecclesiastica præditus ordinatione, aut monachus repertus fuerit ebriosus, in pane & aqua tribus pœniteat mensibus.

De eadem re.

CXXXVI. Si quis (*l*) Episcopus, aut aliquis ordinatus, in consuetudine ebriosus fuerit, aut desinat, aut deponatur.

De eadem re.

CXXXVII. Laicus si ebriosus fuerit, tres dies in pane, & aqua pœniteat.

Generales sententiæ de omnibus ebriosis ac vinolentis.

Sancti Hieronymi Presbyteri, & Ephreem Syri Diaconi.

CXXXVIII. Fuge [*m*] vinum, velut venenum, ne ebrietas superet te, exspoliatumque virtutibus, nudum efficiat. Vinum enim, ut sancta Scriptura dicit, apostatare facit etiam sapientes. Attende (*n*) Noe virum sapientem, & sanctum, quomodo ad ebrietatem nudatus est dormiens. Attende (*o*) Loth Patriarcham, qui per ebrietatem impudenter se commiscuit filiabus. Hinc beatus Basilius ait: Multi per vinum a dæmonibus capti sunt: nec est aliud ebrietas, quam manifestissimus dæmon. Hinc Propheta ait: *Fornicatio* (p) & *ebrietas aufert cor.* Ebrietas enim perturbationem parit, gignit mentis furorem, & flammam suscitat libidinis, Apostolo teste: *Nolite* (q) *inebriari vino, in quo est luxuria.* Si quis autem contra hæc Sanctorum fecerit statuta, dignam ac longam agat pœnitentiam; quia unum est ex his peccatis, quæ hominem a Regno Dei separant, dicente Apostolo Paulo: *Neque* [*r*] *ebriosi regnum Dei possidebunt.*

De eadem re.

Ex dictis Sancti Benedicti.

CXXXIX. Nihil (*s*) sic contrarium est homini Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus in Evangelio: *Videte,* (t) *ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.*

De eadem re.

Ex Capitularibus. Tit. CLXI.

CXL. De ebrietate, (*u*) ut omnium primum seniores semetipsos exinde caveant, & eorum junioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant.

Item

[*e*] Burchard. lib. 3. c. 61.
(*f*) Burchard. lib. 1. c. 71. vide infra cap. 339. & 340. hujus libri.
(*g*) Deuter. 12.
(*h*) Concil. Agath. c. 41. Burchard. lib. 14. c. 11.
[*i*] *subdendum.*
[*k*] Burchard. lib. 14. c. 9.
[*l*] Burchard. lib. 14. c. 6.
[*m*] Hieron. in Epist. ad Eustoch. Burchard. lib. 14. c. 12.
[*n*] Genes. 9.
[*o*] Genes. 19.
[*p*] Os. 4.
[*q*] Ephes. 5.
[*r*] 1. Cor. 6.
[*s*] Burchard. lib. 14. c. 1.
[*t*] Luc. 21.
[*u*] Lib. 1. Capitular. c. 167.

Item ex Lib. III. Cap. XXXVIII.

CXLI. Ut (*x*) nullus ebrius causam suam in mallo quærere, nec testimonium dicere præsumat, nec placitum Comes habeat, nisi jejunus.

Ex eodem. Cap. LXXII.

CXLII. Ut (*y*) in hoste nemo parem suum, vel quemlibet alterum hominem bibere (*z*) roget. Et quicunque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo sola aqua utatur, quousque se male fecisse cognoscat.

Ex Capitularium Lib. 1. Tit. CXXXVIII.

CXLIII. Ut (*a*) nemini liceat alium cogere ad bibendum.

Ex Canonibus Apostolorum. Tit. XLII.

CXLIV. Episcopus, Presbyter, (*b*) aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Similiter etiam laicus.

Ex Pœnitentiali. Cap. XIX.

CXLV. Qui (*c*) per ebrietatem vomitum facit, si Presbyter, aut Diaconus est, quadraginta dies pœniteat. Si Monachus, triginta dies, si Clericus, viginti dies, si laicus, quindecim dies.

Ex Canonibus.

CXLVI. Si quis (*d*) Episcopus, aut aliquis ordinatus, vitium habuerit ebrietatis, aut desinat, aut deponatur.

Ex alio Pœnitentiali.

CXLVII. Laicus, (*e*) si per ebrietatem vomitum fecerit, tres dies a carne & vino, & cerevisia abstineat.

CXLVIII. Si quis (*f*) per nequitiam alium inebriaverit, dies quadraginta pœniteat.

De his, qui Eucharistiam vomunt.

CXLIX. Si quis per (*g*) ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, XL. dies pœniteat. Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, XL. dies pœniteant. Presbyteri LXX. dies, Episcopi XC. Si pro infirmitatis causa evomuerit, IV. dies pœniteat.

De Clericis, inter epulas cantantibus.

Ex Concilio Africano.

CL. Clericos (*h*) inter epulas cantantes ab officio detrahendos. (*Vide Additionem IV. Capitular. cap.* 47. *Capitular. Riculfi Suession. cap.* 14. & *Capitulare Abytonis Basileensis cap.* 46.)

De eadem re.

Ex eodem.

CLI. Si quis (*i*) Clericus, aut Monachus verba scurrilia, joculatoria, risumque moventia loquitur, acerrime corripiatur.

De eadem re.

Ex eodem.

CLII. Clericos (*k*) scurriles, & verbis turpibus joculatores ab officio detrahendos. [*Vide Concilium Tolet. IV. cap.* 23. *Concilium Agathense. cap.* 70. *Addit. IV. Capitular. cap.* 46. & *Capitulare Abytonis Episcopi Basileensis cap.* 44.]

De Clericis maledicis.

CLIII. Clericus [*l*] maledicus, maximeque in Sacerdotibus, cogatur ad postulandum veniam. Si noluerit, degradetur, nec unquam ad officium absque satisfactione revocetur.

De Clericis jurantibus.

CLIV. Clericos jurantes excommunicandos.

De

[*x*] Lib. 3. Capitular. c. 38.
[*y*] Lib. 3. Capitular. c. 72.
[*z*] *cogat.* Ex MS. codice Rivipull.
(*a*) Lib. 1. Capitular. c. 144.
(*b*) Burchard. lib. 14. c. 5. Tomo I. nostro pag. 135. inter canones Apostol.
(*c*) Burchard. lib. 14. c. 13.
(*d*) Burchard. lib. 14. c. 6.
(*e*) Burchard. lib. 14. c. 14.
[*f*] Burchard. lib. 14. c. 15.
(*g*) Burchard. lib. 5. c. 46.
(*h*) Concil. Carthag. 4. c. 62. Burchard. lib. 2. c. 170.
(*i*) Burchard. lib. 2. c. 171.
(*k*) Concil. Carthag. 4. c. 60. Burchard. lib. 1. c. 172.
[*l*] Concil. Carthag. 4. c. 57. Burchard. lib. 10. c. 66.

De eadem re.

Unde supra.

CLV. Clericum per creaturas jurantem (*m*) acerrime objurgandum. Si perstiterit, in vitio excommunicandum.

De convitiosis vel maledicis.

CLVI. Si quis convitio, vel maledicto, vel etiam crimine subjecto læserit aliquem, dignissima purgetur satisfactione. Si hoc vitium iteraverit, pœnitentia justissima secundum modum culpæ expietur.

De eadem re.

CLVII. Apostolus (*n*) dicit: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Si quis hoc peccatum admiserit, tam grande pœniteat, quam grande perpetravit scelus, quod a regno Dei separat.

De detractoribus.

CLVIII. Si quis (*o*) promptus, facilisque est ad detrahendum, dicensque, quod verum non est, septem dies in pane & aqua sequestratus, a fraterno consortio pœniteat.

De contentionibus vel rixis.

CLIX. Si quis [*p*] contentiones, vel rixas amaverit, vel manifestum convitium fratri intulerit, juxta arbitrium Prioris tamdiu pœniteat, quam diuturna expietur pœnitentia.

Unde supra.

CLX. Qui [*q*] contentiosus, aut murmurans extiterit, secundum arbitrium Prioris tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas extat.

Unde supra.

CLXI. Si quis [*r*] videtur contentiosus esse, dicente Apostolo: *Nos* [s] *talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Si quis hoc facit notetur, usquequo corrigatur.

De lascivis & superbis.

CLXII. Qui lascivus & superbus fuerit, triduo in pane & aqua pœniteat.

De eadem re.

CLXIII. Si quis (*t*) lascivus in lingua fuerit, triduana pœnitentia expietur. [*Vide Regulam Sancti Fructuosi cap.* 15.]

De murmurantibus.

CLXIV. Apostolus dicit: *Omnia* (u) *facite sine murmurationibus.* Alienus [*x*] sit a fratrum unitate, qui murmurat, & opus ejus abjiciatur.

Unde supra.

CLXV. Si quis (*y*) murmurans extiterit, videat ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit: *Neque* (z) *murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Juxta mensuram, opusque peccati, quia in hac sententia Apostoli pleniter declaratur, sacerdotis judicio pœniteat.

Si quis Priorem detraxerit.

Ex dictis Sancti Basilii.

CLXVI. Si quis (*a*) detraxerit eum, qui præest, septem dies a conventu Ecclesiæ separatus, ut Maria soror Aaronis, quæ detraxit Moysi, pœniteat.

De seditiosis Clericis.

Ex Concilio Toletano.

CLXVII. De Clericis, [*b*] qui in seditione arma sumpserint, amisso ordinis sui gradu, in monasterium pene contrahantur. [*In editione Loaisæ legitur: Pœnitentiæ contradantur. Alibi: Perenniter tradantur.*]

De Clericis in mutuam cædem prorumpentibus.

Ex Concilio Ilerdensi.

CLXVIII. Si qui (*c*) Clerici in mutuam

Nnn

(*m*) Concil. Carthag. 4. c. 61. Addit. IV. c. 48. Burchard. lib. 2. c. 175.
(*n*) Burchard. lib. 10. c. 51.
(*o*) Burchard. lib. 10. c. 63.
(*p*) Burchard. lib. 10. c. 62.
[*q*] Burchard. lib. 10. c. 53.
(*r*) Burchard. lib. 10. c. 55.
(*s*) 1. Cor. 11.
[*t*] Burchard. lib. 10. c. 56.
(*u*) Philipp. 2.
(*x*) Regula S. Basilii c. 71. Concordia Regular. c. 8. §. 9. Burchard. lib. 10. c. 54.
(*y*) Regula S. Basilii. c. 93. Burchard. lib. 10. c. 52.
(z) 1. Cor. 10.
(*a*) Regula S. Basilii. c. 43. Burchard. lib. 10. c. 67.
(*b*) Concil. Tolet. 4. c. 45.
(*c*) Concil. Ilerd. c. 11. Burchard. lib. 2. c. 216.

tuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, a Pontifice districtius vindicetur.

Unde supra.

CLXIX. Frater (*d*) in fratrem, si ausus fuerit, manum mittere, legitimam disciplinam accipiat.

De eadem re.

Ex dictis Sanctorum.

CLXX. Clericus, (*e*) aut Monachus in alterum inflammatus, quod est turpissimum, manus injicere non præsumat, præter illos, ad quos pertinet correptio. Si quis hæc transgressus fuerit, disciplinis canonicis subjacebit.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CLXXI. Seditionarios (*f*) nunquam ordinandos, sicut nec usurarios, vel injuriarum suarum ultores.

Unde supra.

CLXXII. Si quis (*g*) in aliquo Ecclesiastico gradu sacratus percussor extiterit, corripiatur acerrime. Si non emendaverit, tribus mensibus pœniteat in pane & aqua.

De eadem re.

Ex Canonibus Apostolorum.

CLXXIII. Episcopum, [*h*] aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, & per hujusmodi volentem timeri, dejici ab officio suo præcipimus, quia nusquam nos hoc Dominus non docuit; e contrario vero ipse, cum percuteretur, non repercussit.

Ne Clerici arma ferant.

Ex Capitularibus Lib. I. Tit. LXXII.

CLXXIV. Omnimodis [*i*] dicendum est Presbyteris, & Diaconibus, ut arma non portent, sed magis se confidant in defensione Dei, quam in armis.

De eadem re.

Ex Concilio Meldensi.

CLXXV. Quicunque ex Clero (*k*) esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

Ne Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus canes ad venandum habeant.

CLXXVI. Episcopus, (*l*) Presbyter, aut Diaconus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat; Presbyter duobus mensibus, Diaconus uno ab omni officio vel communione.

Ne Clerici Tabernas ingrediantur.

Ex Concilio Laodiceno.

CLXXVII. Ut (*m*) Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

Unde supra.

CLXXVIII. Quod [*n*] non oportet Sacro Ministerio deditos a Presbyteris usque ad Diaconum, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est, usque ad Subdiaconum, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero continentium, & Monachorum, ingredi tabernas.

De

(*d*) Regula S. Aureliani. c. 13. Concordia Regular. c. 75. §. 2. Burchard. lib. 2. c. 217.
(*e*) Regula S. Ferreoli. c. 21. Concordia Regular. c. 75. §. 2.
(*f*) Concil. Carthag. 4. c. 67. Concil. Agath. c. 69. Burchard. lib. 2. c. 17.
(*g*) Burchard. lib. 2. c. 190.
(*h*) Canon. Apostolor. c. 28. Tomo primo nostro pag. 133.
(*i*) Lib. 1. Capitular. c. 70. Burchard. lib. 2. c. 212.
(*k*) Conc. Meld. c. 37. Burchard. lib. 2. c. 211.
[*l*] Concil. Agath. c. 55. Epaon. c. 4. Burchard. lib. 2. c. 213.
[*m*] Concil. Carthag. 3. c. 27. Tomo I. nostro. pag 208. Burchard. lib. 2. c. 130.
[*n*] Concil. Laodicen. c. 24. Tomo I. nostro. pag. 164. Burchard. lib. 2. c. 131.

De eadem re.

Ex decretis Augustini.

CLXXIX. Tabernas nullus Clericorum, ut canonum prohibent decreta, causa sumendi cibi aut potus audeat ingredi. Si quis hæc violaverit, ut sanctorum canonum contemptor, acerrimis corripiatur disciplinis.

De eadem re.

Ex Concilio Carthaginensi.

CLXXX. Clericus, (o) qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

De vigiliis Clericorum.

Ex Concilio Carthaginensi.

CLXXXI. Clericus, (p) qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur, quousque correptus videatur.

De eadem re.

Ex Concilio Eliberino.

CLXXXII. Si quis (q) in civitate positus, per tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, excommunicetur, quousque correptus videatur.

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

CLXXXIII. Ut Presbyter (r) vel Diaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castella, aut vicus, aut villæ, ad Ecclesiam ad sacrificium cotidianum non venerit, Clericus non habeatur, si castigatus, non emendaverit. (*In Concilio Toletano legitur: Si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluerit promereri.*)

De eadem re.

Ex Coucilio Agathensi.

CLXXXIV. Clerici, (s) qui Ecclesiam frequentare, aut officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur.

De eadem re.

Ex Decretis Sancti Benedicti.

CLXXXV. Ut ait Propheta: Septies (t) in die laudem dixi tibi. Qui (u) septenarius numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus: quia de eis dixit Propheta. Nam de nocturnis vigiliis idem ipse ait: *Media* (x) *nocte surgebam &c.* Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro super judicia justitiæ suæ.

Ex Concilio Venetico.

Clericus, qui intra (y) muros civitatis manet, & eo die matutinis hymnis sine ægritudine defuerit, septem dies a communione habeatur extraneus.

Ut Missæ ante horam tertiam non celebrentur.

Ex Epistola Telesphori Papæ.

CLXXXVI. Missarum (z) celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ (quia eadem hora, & Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur) excepta nocte sanctæ nativitatis.

Ut fideles ante horam tertiam non prandeant.

CLXXXVII. Non oportet Clericos, vel Laicos (a) religiosos, ante sanctam horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando Clericos, nisi hymno dicto, edere panem, & post cibum gratias auctori Deo referre.

Ut Sacramenta Altaris a jejunis celebrentur.

Ex Concilio Africano.

CLXXXVIII. Ut Sacramenta (b) Altaris nonnisi a jejunis celebrentur, excepto

(o) Concil. Carthag. 4. c. 48. Burchard. lib. 2. c. 210.
(p) Concil. Carthag. 4. c. 49.
(q) Concil. Elibert. c. 21. Concil. Agath. c. 64.
(r) Concil. Tolet. 1. c. 5.
(s) Concil. Agath. c. 64.
(t) Psal. 118.
(u) Regula S. Bened. c. 16. Burchard. lib. 2. c. 105.
[x] Psal. 118.
[y] Concil. Venetic. c. 14. Burchard. lib. 2. c. 153.
(z) Burchard. lib. 3. c. 63. & Dist. 1. de Consecr. c. 48.
(a) Addit. IV. c. 49. Burchard. lib. 2. c. 185. & Dist. 44. c. 12.
(b) Conc. Afric. c. 8. Tomo I. nostro pag. 208. Capitulare Ahytonis c. 10.

cepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum Epiſcoporum, ſive cæterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt jam pranſi inveniuntur.

Ut poſt allocutionem Epiſcopi in Miſſarum ſolemniis plebs ad orationem invitetur.

Ex Concilio Laodiceno.

CLXXXIX. Quod (*c*) oporteat ſeorſum primum poſt allocutiones Epiſcoporum orationem ſuper Catechumenos celebrari. Et poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum ſacerdotis, & diſcedentibus, tres orationes conſummari fidelium, ita ut prima quidem ſub ſilentio, ſecunda vero, & tertia per exclamationes ſolitas expleantur.

De eadem re.

CXC. Oportet, (*d*) ut in diebus feſtis vel Dominicis, poſt ſermonem intra Miſſarum ſolemnia habitum ad plebem, ſacerdos admoneat; ut juxta Apoſtolicam inſtitutionem orationem omnes in commune pro diverſis neceſſitatibus fundant ad Dominum, pro Regibus (*e*) & Rectoribus Eccleſiarum, pro pace, pro peſte, pro infirmis, qui in Parrœchia lecto decumbant, pro nuper defunctis: in quibus ſingillatim precibus plebs orationem Dominicam ſub ſilentio dicat: ſacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per ſingulas admonitiones ſolemniter expleat. Poſt hæc ſacra celebretur oblatio. Ait enim Apoſtolus: *Obſecro* (f) *primum omnium fieri orationes, obſecrationes, gratiarum actiones &c.*

Ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam cantare.

Ex Concilio Nannetenſi.

CXCI. Definivit (*g*) ſanctum Concilium, ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam cantare. Cui enim dicit: Dominus vobiſcum, aut: Surſum corda, aut: Gratias agamus Domino Deo noſtro; cum nullus ſit, qui reſpondeat? Aut in Canone: Et omnium circumſtantium; cum nemo adſit? Aut quem invitat ad orationem, cum dicit: Oremus; cum nullus ſit, qui ſecum oret? Aut ergo iſta penitus reticenda ſunt, & non ſolum non erit perfectum ſacrificium, verum etiam incurret, quiſquis ille eſt, terribilem ſententiam: *Si quis* (h) *tulerit de hoc, tollet Deus partem ejus de libro vitæ.* Aut ſi hæc muris, & parietibus inſuſurraverit, ridiculoſum erit. Quapropter periculoſa ſuperſtitio maxime a Monaſteriis Monachorum exterminanda eſt. Prævideant autem Prælati, ut Preſbyteri in cœnobiis cooperatores habeant in celebratione Miſſarum. Si quis hæc transgreſſus fuerit, ab officio ſuſpendatur.

De Presbyteris, qui celebrata Miſſa non communicant.

Ex Canonibus Apoſtolorum.

CXCII. Si quis (*i*) Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex ſacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicaverit, aut cauſam dicat: & ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur; aut ſi non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo cauſa læſionis extiterit.

Quod fideles laici communicare debeant.

Unde ſupra.

CXCIII. Omnes (*k*) fideles Chriſtiani, qui ingrediuntur Eccleſiam die Dominico, & ſcripturas Apoſtolorum, & Evangelium audiunt, non autem perſeverant in oratione, uſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari.

Unde ſupra.

Omnes, (*l*) qui ingrediuntur Eccleſiam

(*c*) Concil. Laodic. c. 19. Burchard. Lib. 2. c. 69.
(*d*) Vide infra c. 204. hujus libri. Burchard. lib. 2. c. 70.
(*e*) Vide Amulonem. Epiſt. 1.
(*f*) 1. Timoth. 2.
(*g*) Burchard. lib. 3. c. 68. Vide lib. 5. Capitular. c. 93.
(*h*) Apoc. 22.
(*i*) Canon. Apoſtolor. c. 9. Tomo I. noſtro pag. 132. Burchard. lib. 3. c. 79.
(*k*) Canon. Apoſtolor. c. 10. Tomo I. noſtro pag. 132. Burchard. lib. 2. c. 67.
(*l*) Burchard. lib. 2. c. 68.

clesiam Dei, & Scripturas sanctas audiunt, neque communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione sanctæ Communionis avertunt; hi de Ecclesia removeantur, quandiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant.

De diligentia Corporis Domini.

Ex Definitione Ecclesiasticorum dogmatum.

CXCIV. Cotidie Eucharistiæ (*m*) communionem percipere, nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cetero voluntatem non habeat, & communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Dei misericordia, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus. Sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant. (*Vide Hincmarum in fine Epistolæ XL.*)

Item Sanctus Augustinus ad Januarium.

Dixerit (*n*) quispiam, non cotidie accipiendam Eucharistiam, alius affirmet cotidie. Faciat unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domo sua susceperit Dominum, alter dixerit: *Domine,* (o) *non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo. Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Ad hoc valet, quod manna secundum propriam voluntatem in ore cujusque sapiebat.

De eadem re.

Ex Epistola Clementis Papæ.

CXCV. Certe tanta in Altari holocausta (*p*) offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur: sed cum timore, & tremore, Clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua Corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes sumendos cibos conveniant, nec putent sanctæ portioni (*q*) commiscere cibum, qui per cuniculos digestus in secessum emittitur. Si igitur mane Dominica porrigitur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserint. Et si tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam. Sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt Sacramenta.

Ex Capitularibus. Lib. I. Cap. XXXII.

Ut (r) omnes fideles communicent, & ad Missas exspectent finalem deprecationem. (*In codicibus Rivipullensi, & Colbertino, tum etiam in Regio, ex quo prima editio Parisiensis prodiit, legitur: Exspectent, sine alia deprecatione*)

Ex Lib. II. Cap. XXXIV.

In perceptione Corporis, (*s*) & Sanguinis Dominici magna discretio adhibenda est. Cavendum enim est, ne, si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi* (*t*) *manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si vero indiscrete accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus: *Qui manducat* (u) *& bibit indigne, judicium sibi manducat.* Juxta ejusdem Apostoli vocem probare se debet homo, & sic de pane illo edat: ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo (*x*) David, qui nisi confessus (*y*) fuisset, abstinuisse ab opere conjugali ab heri, & nudius tertius; nequaquam panes propositionis a sacerdote accepisset.

Ex eodem Libro.

Ut si (z) non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis majoribus, quibuslibet crimi-

(*m*) Burchard. lib. 5. c. 15. & Dist. 2. de Consecr. c. 13.
(*n*) August. Epist. 118. Burchard. lib. 5. c. 16. (*o*) Luc. 19. Matth. 8.
(*p*) Clemens Epist. 2. Remedius Curiensis. c. 1. Burchard. lib. 5. c. 11.
(*q*) Vide Epist. Rhab. ad Heribald. c. 33. Tomo hoc pag. 210. (*r*) Lib. 1. Capitular. c. 138.
(*s*) Concil. Cabilon. 2. c. 46. Lib. 2. Capitular. c. 40. Burchard. lib. 5. c. 14.
(*t*) Joann. 6. (*u*) 1. Cor. 11.
(*x*) 1. Reg. 21. (*y*) Editio Helmæstad. *fuisset abstinentiam.*
[z] Lib. 2. Capitular. c. 45. Burchard. lib. 5. c. 17.

criminibus impediatur, id est, in Pascha, Natali Domini, & Pentecosten.

De Presbyteris, qui non communicant.

Auditum est, (a) aliquos Presbyteros Missam celebrare, & non communicare, quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur. Vel quomodo dicere recte potest, si non communicaverit: Sumpsimus, Domine Sacramenta, & cætera.

Caput istud non extat in editione Helmæstadiensi, & additum est ex codice MS. Parisiensi.

Ne populus, antequam Missa finiatur, de Ecclesia egrediatur.

Ex Concilio Arelatensi.

CXCVI. Cum [b] ad celebrandam Missam in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quam Missæ solemnitas compleatur; & ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.

In editione Helmæstad. legitur: *& ubi Episcopus non fuerit*, &c. Vide Concilium III. Aurelian. cap. 29. & lib. 7. Capitular. cap. 201. & Addit. IV. cap. 42.

De eadem re.

Ex Concilio Carthaginensi. Cap. CXLVII.

CXCVII. Sacerdote (c) in Ecclesia verbum faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

Ut Sacrarium mulieres non introeant.

Ex Concilio Laodiceno.

CXCVIII. Quod (d) non oporteat mulieres ingredi ad altare, & ea contingere, quæ virorum officiis deputata sunt.

Vide lib. 7. Capitular. cap. 134. 175. 189. & Capitulare Theodulfi Episcopi Aurelian. cap. 6. Capitulare Ahytonis c. 11. & Capitula ejus cap. 16.

Ex Epistola Leonis Papæ.

Nihilominus (e) impatienter audivimus, tantum Divinarum rerum subiisse despectum, ut fœminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque non nisi virorum famulatui deputata, sexum, cui non competit, exhibere.

De eadem re.

Ex Concilio Torunensi.

CXCIX. Dictum (f) est nobis, quod quidam Presbyteri, celebrata Missa, detrectantes ipsi sumere Divina mysteria, quæ consecrarunt, calicem Domini mulierculis, quæ ad Missas offerunt, tradunt. Vel quibusdam laicis, qui dijudicare Corpus Domini nesciunt, id est, discernere inter cibum spiritalem & carnalem. Quod quantum sit omni Ecclesiasticæ religioni contrarium, pietas fidelium novit. Unde omnibus Presbyteris interdicimus, ut nullus imposterum hoc facere præsumat; sed aut ipse cum reverentia sumat, aut Diacono, vel Subdiacono, qui Ministri altaris sunt, colligenda tradat. Illud etiam attendat, ut eos propria manu ante communicet. Nulli autem laico, aut fœminæ Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in ore cum his verbis: Corpus & Sanguis Domini prosit tibi ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam. Si quis hæc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contempnit, & quantum in ipso est, inhonorat, ab altari removeatur.

Ut omnis Presbyter, qui Ecclesiam regit, thuribulum & incensum habeat.

Unde supra.

CC. Ut (g) tempore, quo Evangelium legitur, & finito offertorio super oblationem incensum, ut in mortem videlicet Redemptoris, ponatur.

De prædicatione Presbyterorum.

Ex Capit. Lib. Tit. LXXVI.

CCI. Sed (h) & unicuique vestrum vi-

(a) Lib. 1. Capitular. c. 6. Burchard. lib. 3. c. 78.
(b) Concil. Aurelian. 1. c. 26. Burchard. lib. 3. c. 29.
(c) Concil. Carthag. 4. c. 24. Burchard. lib. 2. c. 66.
(d) Concil. Laodic. c. 44. Tomo I. nostro pag. 165. Burchard. lib. 3. c. 100.
(e) Decreta Gelas. cap. 26. Burchard. lib. 3. c. 101.
(f) Burchard. lib. 3. c. 76. Ex Concil. Rotomag. c. 2.
(g) Burchard. lib. 3. c. 227. Ex Concil. Rotomag. c. 1.
(h) Lib. 1. Capitular. c. 82.

videndum eſt, dilectiſſimi, & venerabiles Paſtores Eccleſiarum Dei, ut Presbyteri, quos præmittitis per parochias veſtras ad regendum & prædicandum per Eccleſias populum Dei, ut honeſte prædicent, & non ſinatis (*) nova, vel non Canonica aliquos ex ſuo ſenſu, & non ſecundum ſacras Scripturas fingere, & prædicare populo. Sed & vosmet ipſi utilia, honeſta, & recta, & quæ ad vitam ducant æternam, prædicate: alios quoque inſtruite, ut hæc eadem prædicent.

Quid ſit a Presbyteris prædicandum.

CCII. Primo (*i*) omnium prædicandum eſt omnibus generaliter, ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum eſſe omnipotentem, qui omnia fecit: & unam eſſe Deitatem, & Subſtantiam, & Majeſtatem in tribus perſonis Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Item (*k*) prædicandum eſt, quomodo Filius Dei incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, pro ſalute humani generis, paſſus, ſepultus, tertia die reſurrexit, & cælum aſcendit, in fine mundi veniens judicare omnes homines ſecundum opera propria: quo modo impii cum diabolo in ignem æternum mittentur, juſti cum Chriſto in vitam æternam erunt.

Item (*l*) prædicandum eſt, quod omnes homines in propria carne reſurgent.

Item (*m*) prædicandum eſt, pro quibus criminibus cum diabolo deponuntur, quæ Apoſtolus enumerat, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum, ſervitus, veneficia, &c. Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Et ideo hæc cum omni ſtudio prohibeantur.

Item (*n*) prædicandum eſt de dilectione Dei, & proximi, de fide & ſpe in Deo, de humilitate, patientia, caſtitate, benignitate, miſericordia, de eleëmoſynis, de confeſſione, ut fratribus ex corde remittatur. Qui hæc & his ſimilia agunt, regnum Dei conſequentur.

De eadem re.

Ex eodem Lib. 1. Cap. CLIV.

CCIII. Ut (*o*) unusquisque Presbyter capitula habeat de majoribus, vel minoribus vitiis, per quæ cognoſcere valeat, vel prædicare ſubditis, ut caveant ab inſidiis diaboli.

De eadem re.

Ex eodem. Cap. CLIX.

CCIV. Ut (*p*) Sacerdotes admoneant populum, ut eleëmoſynam dent, & orationem faciant pro diverſis plagis, quas aſſidue pro peccatis noſtris patimur. (*Vide ſupra cap.* 190. *hujus libri*)

De eadem re.

Ex Cap. CLX.

CCV. Ut [*q*] ipſi Sacerdotes, unusquiſque ſecundum ordinem ſuum, prædicare, & docere ſtudeant plebem ſibi commiſſam.

Admonitio ad Epiſcopos.

Ex lib. 11. Cap. V.

CCVI. De (*r*) Sacerdotibus ad veſtram curam pertinentibus magnum adhibete ſtudium, ut, qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad ſuam portionis curam pertinentibus exemplo & verbo proſint, a vobis magna cura edoceantur, admoneantur, & ut id facere ſtudeant, veſtra authoritate conſtringantur.

Ut quisque Presbyter, qui Eccleſiam tenet, Clericum habeat.

Ex Concilio Nannetenſi.

CCVII. Unusquiſque (*s*) Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui cantet, & Epiſtolam, & lectionem legat, & qui poſſit ſcholam tenere,

(*) Editio Helmæſtad. *Nova aut inuſitata aliq.*
(*i*) Lib. 1. Capitular. c. 82. Burchard. lib. 2. c. 59.
(*k*) Burchard. lib. 2. c. 60. (*l*) Burchard. lib. 2. c. 61.
(*m*) Burchard. lib. 2. c. 65. (*n*) Burchard. lib, 2. c. 64.
(*o*) Lib. 1. Capitular. c. 160. Walter. Aurel. c. 7. Burchard. lib. 19. c. 99.
(*p*) Lib. 1. Capitular. c. 165. Burchard. lib. 2. c. 72.
(*q*) Lib. 1. Capitular. c. 166. (*r*) Lib. 2. Capitular. c. 5.
(*s*) Burchard. lib. 2. c. 56. Capitulare Theodulfi. c. 20.

nere, & admoneat ſuos Parrœchianos, ut filios ſuos ad Pſalterium diſcendum mittant ad Eccleſiam, quos ipſe in omni caſtitate erudiat.

Ut omnis Presbyter horas canonicas ſolemniter perſolvat.

Ex eodem. Cap. XIX.

CCVIII. Presbyter mane (*t*) matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, nonamque perſolvat, ita tamen, ut poſtea horis competentibus juxta poſſibilitatem, aut a ſe, aut a ſcholaribus publice compleantur. Deinde peractis Miſſis, & infirmis viſitatis, ad opus rurale exeat jejunus, ut iterum neceſſitatibus peregrinorum, & hoſpitum, ſive diverſorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum, ſuccurrere poſſit, uſque ad ſtatutam horam pro qualitate temporis, & opportunitatis.

Ut Presbyter curam hoſpitum habeat.

Unde ſupra.

CCIX. Ut (*v*) Presbyter curam hoſpitum maxime pauperum, atque debilium, orphanorum quoque, atque peregrinorum habeat, hoſque ad prandium ſuum cotidie juxta poſſibilitatem convocet, eiſque hoſpitium tribuat. [*Vide Capitulare Riculfi, Sueſſion. cap.* 12.]

Ex eodem Capite.

Ut autem (*x*) omnis occaſio rapinæ tollatur; volumus, ut Presbyteri, qui bonum exemplum caritatis omnibus oſtendere debent, hoſpitales exiſtant, juxta Dominicum & Apoſtolicum præceptum, & humanitatem præbeant iter facientibus; quia per hoſpitalitatem placuerunt quidam Deo, Angelis hoſpitio receptis: & Dominus in die judicii dicturus eſt electis: *Hoſpes* (y) *eram, & ſuſcepiſtis me.* Et Job dicit: *Oſtium* (z) *meum ſemper viatori patuit.*

De aqua benedicta.

Ex Epiſtola Alexandri Papæ.

CCX. Aquam (*a*) enim ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti adſperſi ſanctificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam (*b*) ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, quanto magis aqua, quæ ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata eſt, populum ſanctificat atque mundat? Et ſi (*c*) ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacrata aqua ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, & purgat, & cetera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & a phantasmatum verſutiis hominem defendit.

De eadem re.

Ex Concilio ſupradicto. Cap. V.

CCXI. Ut omni (*d*) die Dominico quiſque Presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, & tanto myſterio convenienti, de qua populus intrans Eccleſiam aſpergatur; & qui voluerint, in vaſculis ſuis accipiant ex ipſa, & per manſiones, & agros, & vineas, ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula eorum, nec non ſuper cibos & potum ſuum conſpergant.

De Presbyteris, qui culpas peccantium reticent, vel minus digne pœnitentes ad reconciliationem adducunt.

Unde ſupra.

CCXII. Ut nemo Prebyterorum Xenium, vel quodcunque emolumentum temporale imo detrimentum ſpiritale, a quocunque publice peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut Epiſcopo vel miniſtris ejus peccatum illius reticeat, nec pro reſpectu cujusque perſonæ, aut conſanguinitatis, vel familiaritatis, alienis com-

(*t*) Hincmari Capitula. tit. 1. c. 9. Burchard. lib. 2. c. 104.
(*u*) Hincmar. ibid. c. 10.
(*x*) Capitula Karlomanni tit. 2. c. 12. Burchard. lib. 2. c. 167.
(*y*) Matth. 25. [*z*] Job. 31.
(*a*) Alexandri I. Epiſt. 1. c. 5. Remedius Curienſis. c. 24. Burchard. lib. 2. *c.* 53.
[*b*] Hebr. 9. [*c*] 4. Reg. 2.
(*d*) Hincmar. ibid. c. 5. Burchard. lib. 2. c. 52.
(*e*) Hincmar. ibid. c. 13. Burchard. l. 19. c. 100. Liber pœnitentialis apud Stevartium p. 711.

communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet, nec a quoquam pœnitente, aut gratia, aut favore, aut munus suscipere præsumat, aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocunque livore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat: quia hoc Simoniacum, & Deo, & hominibus contrarium est. (*Vide Capitulare Riculfi Suession. cap.* 9.)

Ex Pœnitentiali.

Qui (*f*) reticuerit peccatum fratris, quod est ad mortem, nec eum corripuerit, aut Ecclesiæ Dei, ut emendetur, dixerit; quamdiu consensit, tamdiu pœniteat.

De Presbyteris, qui a fidelibus ad prandium invitantur.

Unde supra Cap. XIV.

CCXIII. Ut (*g*) nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum, aut septimum, vel tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam Presbyteri convenerint, se inebriare nullatenus præsumat, nec precari in amore Sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, nec se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos & inanes fabulas referre, aut cantare præsumat: vel turpia joca, vel cum urso, & tornatricibus ante se facere permittat: vel larvas dœmonum, quas vulgo talamascas dicunt, ante se ferri consentiat; quia hoc diabolicum est, & a sacris canonibus prohibitum.

De rixis & pugna Sacerdotum.

CCXIV. Summopere (*h*) etiam quisque Presbyter caveat, sicut de statu suo vult gaudere, ut non quacunque occasione parem suum, aut alium quemlibet ad iram & rixam, multo minus ad pugnam, vel ad cædem, aliquo verbo irritet, seu provocet: nec provocatus ad hoc quisquam prosiliat; quia in talibus commessationibus & potationibus semper se immiscet diabolus.

De convivio Presbyterorum.

CCXV. Quando (*i*) autem convenerint Presbyteri ad convivium, Decanus, aut aliquis Prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat, & tunc secundum suum ordinem sedeant, alter alteri honorem portantes, & per vices cibum & potum benedicant: & aliquis de illorum Clericis aliquid de Sancta Scriptura legat, & post refectionem similiter (*) sanctum Hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur: & sic se contineant omnes Presbyteri, maxime in talibus locis, ut non vituperetur ministerium nostrum.

Burchardus: *ut non vitup. min. illorum.* Codex Helmæst. *ne min. nostrum vituperetur.*

De Kalendis, quando Presbyteri simul conveniunt.

Unde supra. Cap. XVI.

CCXVI. Quando (*k*) Presbyteri per Kalendas simul conveniunt, post peractum Divinum ministerium, & necessariam collationem, non (**) quasi ad prandium, ibi ad tabulas residéant, & per talia inhonesta convivia invicem graventur: quia indecens est, & onerosum. Sæpe etiam tarde ad Ecclesias redeuntes, magis damnum de reprehensione conquirunt, & de gravedine mutua contrahunt, quam lucrum ibi faciant. Nam de hujusmodi conventu Paulus Corinthios reprehendit, qui (*l*) inconvenienter cœnam Dominicam manducare conveniebant. Sic &, qui ad cœnam Dominicam, id est, ad collationem verbi sub occasione conveniunt, & (***) exuri ætate ventrisca conjunguntur, reprehensibiles coram Deo & hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerit

O o o

(*f*) Burchard. lib. 19. c. 121. (*g*) Hincmar. ibid. c. 14. Burchard. lib. 2. c. 161.
(*h*) Hincmar. ibid. Burchard. lib. 2. c. 163.
(*i*) Hincmar. ibid. Burchard. lib. 2. c. 162. (*) Cod. Paris. *secundum.*
[*k*] Hincmar. ibid. c. 15. Riculf c. 20. Capitulare Ahytonis. c. 29. Burchard. lib. 2. c. 164.
(**) Burchardus: *non quasi ad plenam refectionem, sed.* (*l*) 1. Cor. 11.
(***) Edit. Helmæstad. Burchard. & Hincmar. *ex veritate ventris causa.* Vide Concilium Nannet. c. 15.

luerit, panem cum caritate in domo fratris sui simul cum fratribus frangat, & singulos biberes accipiant, maxime ultra tertiam vicem poculum non contingant; & sic ad Ecclesias redeant.

De his, qui de nihil habentibus ordinantur.

Ex Concilio Carthaginensi.

CCXVII. Placuit, (*m*) ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel Clericatus sui agros, vel quæcunque prædia suo nomini comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesia eadem ipsa contulerint.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. I. Cap. CL.

CCXVIII. Unusquisque (*n*) Presbyter res, quas post diem consecrationis adquisiverit, propriæ Ecclesiæ relinquat.

De eadem re.

Ex Concilio Remensi.

CCXIX. Investigandum (*o*) est, si nihil patrimonii habens Presbyter, quando provectus est ad ordinem Ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint: quoniam Ecclesiæ, ad quam de nihil habente promotus est, esse debent juxta canonicam authoritatem.

Ex Concilio Arausicano. Cap. LIV.

Presbyter, (*p*) cum Diœcesim tenet, de his, quæ emerit ad Ecclesiæ nomen scripturam faciat, aut ab ejus, quam tenet, Ecclesiæ ordinatione discedat. *Caput istud non extat in Codice MS.*

De reditibus, vel oblationibus Ecclesiæ.

CCXX. Inquirendum est, (*q*) si occasione hujus præcedentis Capituli aliquis Presbyterorum de reditibus Ecclesiæ, vel oblationibus, ac votis fidelium, alio nomine res comparaverit, & ibi structuras fecerit, vel quæ ad Ecclesiam pertinent, ibidem collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiserit: vel, quod turpius est, tales mulieres ibidem habuerit, quæ lanificium suum exerceant, & curam domus agant, & in eodem Presbyter frequenter veniens manserit. Contra decreta canonum hoc malum agitur. Quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter fœnus exercere debet, multo minus fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis: quoniam hoc sacrilegium est, & par crimen Judæ furis, qui sacras oblationes asportabat & furabatur.

De usuris.

Ex Canone Apostolorum.

CCXXI. Episcopus, [*r*] Presbyter, aut Diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur.

De eadem re.

Ex Concilio Nicæno.

CCXXII. Quoniam [*s*] multi sub regula constituti avaritiam, & turpia lucra sectantur, oblitique scripturæ dicentis, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, &c. mutuum dantes, centesimas exigunt; juste censuit sancta Synodus, ut si quis inventus fuerit usuras accipiens, aut hemiolia, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur a Clero, & alienus existat a regula.

De eadem re.

Ex Concilio Laodicensi.

CCXXIII. Quod [*t*] non oporteat Sacerdotes, & Clericos fœnerantes usuras, vel quæ dicuntur sescupla, id est, summam capitis & dimidium summæ, percipere. (*Vide Capitula Ahytonis Basileensis. cap.* 17.)

De

(*m*) Codex Canon. Eccl. Afric. c. 32. Jesse Ambian. c. 6. Burchard. lib. 3. c. 120.
(*n*) Lib. 1 Capitular. c. 156. Burchard. lib. 3. c. 121.
(*o*) Capitula Hincmari tit. 2. c. 18. Burchard, lib. 3. c. 118.
(*p*) Concil. Agath. c. 54. Burchard. lib. 3. c. 119.
(*q*) Hincmari Capitula. tit. 2. c. 19.
(*r*) Canon. Apostolor. c. 44. Burchard. lib. 2. c. 119.
(*s*) Concil. Nicæn. c. 17. Burchard. lib. 2. c. 120.
(*t*) Concil. Laodic. c. 5.

De eadem re.

Ex Epiſtola Leonis.

CCXXIV. Nec hoc [*u*] quoque prætereundum eſſe duximus, quosdam turpis lucri cupiditate captos, uſurariam exercere pœnam, & fœnore velle diteſcere. Quod non dicam in eos, qui ſunt in Clericali officio conſtituti, ſed & in laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus.

Admonendum hoc loco eſt, pro eo, quod Codex MS. Reginonis habet uſurariam exercere *pœnam*, apud Leonem Primum in Epiſtola prima legi: exercere *pecuniam*. Quod rectius puto. Editio Helmæſtadienſis, neque pœnam habet, neque pecuniam. Ivo parte 6. cap. 65. & Gratianus 14. q. 4. cap. 7. legunt pecuniam. *Nota Baluzii.*

Ut ſub alieno nomine fœnus non exerceant Clerici.

Ex eadem Epiſtola.

CCXXV. Illud etiam [*x*] præmonendum, ut ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet.

De eadem re.

Ex Concilio Tarraconenſi.

CCXXVI. Quicunque (*y*) in Clero eſſe voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius ſtudio non utatur.

De eadem re.

Ex Concilio Helibertano.

CCXXVII. Epiſcopi, (*z*) Presbyteri, & Diaconi de locis ſuis negotiandi cauſa non diſcedant, nec circumeuntes provincias, nundinas ſectentur. Sane ad victum ſibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum mittant. Et ſi voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

De eadem re.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CCXXVIII. Placuit, (*a*) ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ſint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio, & inhoneſto victum quærant, quia ſcriptum eſt: *Nemo* (b) *militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.*

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

CCXXIX. Item (*c*) placuit, ut Clericus, ſi commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: ſi ſpeciem, eandem ſpeciem, quantum dederit, accipiat.

Ex Capitularium Lib. II. Cap. XXXVI.

CCXXX. Ut Presbyteri (*d*) a turpibus lucris, & uſuris non ſolum ipſi abſtineant, verum etiam plebes ſibi ſubditas abſtinere inſtruant.

De eadem re.

Ex Concilio Chalcedonenſi.

CCXXXI. Pervenit (*e*) ad ſanctam Synodum, quod quidam, qui in Clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & ſecularia negotia ſub cura ſua ſuſcipiant, Dei quidem miniſterium parvipendentes, ſecularium vero diſcurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum ſolicitudinem ſumentes. Decrevit itaque ſanctum Concilium, nullum deinceps non Epiſcopum, non Clericum, non monachum, aut poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſecularibus ſe miſcere, præter Eccleſiaſticarum rerum ſolicitudinem.

De eadem re.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. XLIX.

CCXXXII. Ut (*f*) nemo laicorum Presbyteros Eccleſiarum ſuarum turpi villicationi, & ſecundum [*g*] Apoſtolum, ſeculari, & inhoneſtæ negotiationi implicare, nec ſecum [*] alios contra authoritatem ducere præſumat, quo miniſterium ſibi commiſſum cogantur negligere. Quod ſi contra interdicta præſumpſerit, excommunicetur.

Ooo 2 — De

(*u*) Decreta Leonis I. c. 3. Burchard. lib. 2. c. 123.
(*x*) Leo I. in Decretis. c. 4. Burchard. lib. 2. c. 121.
[*y*] Concil. Tarrac. c. 2. Burchard. lib. 2. c. 122.
(*z*) Concil. Eliberit. c. 18.
(*a*) Concil. Carthag. 3. c. 16. Burchard. lib. 2. c. 151.
(*b*) 2. Tim. 2.
(*c*) Concil. Carthag. 3. c. 16. Burchard. lib. 2. c. 124.
[*d*] Lib. 2. Capitular. c. 37. Burchard. lib. 2. c. 125.
(*e*) Concil. Chalcedon. c. 3. Burchard. lib. 2. c. 145.
(*f*) Concil. Meld. c. 49. Burchard. lib. 2. c. 146.
(*g*) 1. Tim. 2.
(*) Apud Sirmondum: *aliorſum.* Sic etiam in vet. cod. noſtro.

De his, qui per pecunias fuerint ordinati.

Ex Canone Apoftolorum.

CCXXXIII. Si quis [*b*] Epifcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipfe & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abfcindatur, ficut Simon Magus a Petro.

De eadem re.

Ex Concilio Chalcedonenfi.

CCXXXIV. Si quis [*i*] Epifcopus per pecunias fecerit ordinationem, & fub pretio redegerit Spiritus Sancti gratiam, quæ non poteft vendi, ordinaveritque per pecunias Epifcopum, aut Presbyterum, aut Diaconem, proprii gradus periculo fubjacebit. Et qui ordinatus eft, nihil ex hac ordinatione proficiat; fed alienus fit a dignitate. Si quis vero mediator datis, vel acceptis extiterit, fi Clericus fuerit, proprio gradu decidat; fi monachus, aut laicus anathematizetur.

De eadem re.

Ex Epiftola Gelafii Papæ.

CCXXXV. Quos [*k*] conftiterit indignos meritis facram mercatos effe pretio dignitatem, convictos oportet arceri: quia dantem pariter, accipientemque damnatio Simonis, quam facra lectio teftatur, involvit.

De eadem re.

Ex Epiftola Hormisdæ Papæ.

CCXXXVI. Hoc itaque [*l*] ad priora conjungimus, ne benedictio per impofitionem manus, quæ a Deo effe creditur, pretio comparetur: quia Simon Spiritum Sanctum volens redemptione mercari, Apoftoli [*m*] fuit deteftatione percuffus.

De eadem re.

Ex Concilio Nannetenfi.

CCXXXVII. Omnibus (*n*) Miniftris Ecclefiafticæ dignitatis interdicimus, ut nullus quocunque munere, aut favore corruptus Clericum alterius Parrœchiæ latenter ac furtive ad ordinationem fubintroducere præfumat. Quod fi fecerit, juxta Chalcedonenfe decretum is, qui ordinatus eft, donum Sancti Spiritus, quod furari conatus eft, amittat; & qui mediator extitit, fi Clericus eft, proprio gradu decidat; fi laicus aut monachus, anathematizetur.

De eadem re.

Ex Concilio Meldenfi. Cap. XLIII.

CCXXXVIII. Cavendum eft, (*o*) & fummopere præcavendum, ac per virtutem Chrifti fanguinis interdicendum Epifcopis, & Regibus, & omnibus fublimioribus poteftatibus, atque cunctis fautoribus, & electoribus quorumcunque, atque confenforibus, feu ordinatoribus in gradu Ecclefiaftico, ut nemo per Simoniacam hærefim regiminis locum obtineat quacunque factione, calliditate, promiffione, feu commoditate, aut datione per fe, aut per emiffam perfonam; cum Spiritus Sanctus inter cætera documenta per os Sancti dicat Gregorii: Cur (*p*) non perpendit, quia benedictio illi in maledictionem convertitur? Et alibi: Dolens, inquit, dico, gemens denuntio, quia Sacerdotium, quod apud vos intus cecidit, foris diu ftare non poterit.

Quod munus fit etiam a lingua.

Ex dictis Gregorii Papæ.

CCXXXIX. Sunt [*q*] nonnulli, qui nummorum quidem præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen facros ordines pro humana gratia largiuntur. Hi nimirum, quod gratis accipiunt, gratis non tribuunt, quia nummum favoris de impenfo officio fanctitatis expetunt. Unde cum virum juftum defcriberet Efaias, ait: *Qui* (r) *excutit manus fuas ab omni onere.* Quia aliud eft munus ab obfequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus ab obfequio, eft fubjectio indebite impenfa: munus a ma-

(*b*) Canon. Apoftolor. c. 30. (*i*) Concil. Chalced. c. 2. Burchard. lib. 1. c. 112.
(*k*) Decreta Gelafii. c. 24. Burchard. lib. 1. c. 22.
(*l*) Burchard. lib. 1. c. 23. (*m*) Act. 8.
(*n*) Concil. Nannet. c. 7. Burchard. lib. 1. c. 106.
(*o*) Concil. Meld. c. 43. Burchard. lib. 1. c. 21.
(*p*) S. Gregor. lib. 7. ind. 2. Epift. 110. Idem lib. 4. ind. 14. Epift. 14.
[*q*] S. Gregor. homil. 4. in Evangelia. Burchard. lib. 1. c. 113. (*r*) Efai. 33.

a manu, pecunia eſt; munus a lingua, favor. Qui ergo ſacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in Divinis rebus non ſolum ullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. (*Vide S. Gregor. lib.9. Moral.c.17. & lib.12.c.25.*)

Ne Presbyteri, ut Eccleſias obtineant, munera dent.

Ex Capitularium Libro I.

CCXL. Ut (s) nullus Presbyter ad introitum Eccleſiæ xenia donet.

Vide Capitulare Theodulfi cap.16. Capitula Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis ad Presbyteros ſuos. cap.12. & Capitulare ejuſdem cap.33. *Not.Baluz.*

De his Sacerdotibus, vel Clericis, qui per pecunias aliorum Sacerdotum Eccleſias, aut beneficia ſubripiunt, vel ſubvertunt.

Sancitum eſt, atque omnibus (t) modis prohibitum, ut ſi quis Presbyter præventus fuerit, alicui Clerico, aut laico munera dare, aut dediſſe, aut alicui pecuniam tribuere, ut alterius Presbyteri Eccleſiam ſubripiat; pro hac cupiditate, ſeu rapina turpis lucri gratia, dejiciatur a Clero, & alienus exiſtat a regula. Nam, ſi pro miſericordia Epiſcopo placuerit, longo tempore eum pœnitendo, quæ geſſit, in carceris ærumna recludere, & uſque ad ſatisfactionem ibi detineri, & poſtea, ſi ſe correxerit, & talia deinceps minime ſe facere promiſerit; humanius erga eum agere poterit, ſi voluerit, & ipſe dignus inventus fuerit.

Ut nullus Presbyterum in Eccleſia mittat, vel ejiciat.

Ex iiſdem Capitularibus, Cap. XLI.

CCXLI. Ut (u) nullus laicus Presbyterum in Eccleſia mittere, vel ejicere præſumat, niſi per conſenſum Epiſcopi.

Vide Concilium Viennenſe ſub Formoſo: capite 4. & Concilium Engelheimenſe cap.4.

Ex eodem.

Item interdicendum videtur Clericis ſive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præſumat dare Eccleſiam ſine licentia & conſenſu Epiſcopi ſui.

Item ex eodem.

De his, (x) qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteros in Eccleſiis ſuis conſtituunt, vel de Eccleſiis ejiciunt, & ab Epiſcopo, vel quolibet Miſſo Dominico admoniti obedire noluerint; ut bannum noſtrum revadiare, & per fidejuſſores ad palatium venire jubeantur; ut tunc nos decernamus, utrum nobis placeat, ut illum bannum perſolvant, aut aliam armiſcaram ſuſtineant.

De Eccleſiis inter cohæredes diviſis.

Ex eodem.

CCXLII. De Eccleſiis, (y) quæ inter cohæredes ſunt diviſæ, conſiderandum eſt, quatenus ſi ſecundum providentiam, & admonitionem Epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere & honorare, faciant. Sin autem hoc contradixerint, in Epiſcopi poteſtate maneat, utrum eas ita conſiſtere permittat, aut reliquias exinde auferat.

De eadem re.

Ex Concilio Triburienſi.

Si (z) plures hæredes contenderint de communi Eccleſia, auferri jubeat Epiſcopus reliquias ſacras, & Eccleſiam claudi, donec communi conſenſu ſtatuant ibi Presbyterum, & unde vivat.

Ut in Eccleſia una, non plures Presbyteri conſtituantur.

Ex Concilio Remenſi. Cap. VIII.

CCXLIII. Unusquisque (a) Presbyter Eccleſia una, ubi ordinatus eſt, contentus ſit, & nullus in duabus Eccleſiis miniſtrare præſumat.

 Ca-

(s) Lib.1.Capitular.c.146. (t) Lib.7.Capitular.c.146. Burchard. lib.3.c.114.
(u) Lib.1.Capitular.c.147. Burchard. lib.3.c.111.
(x) Lib.5.Capitular.c.43. & Addit.IV.c.72. Lib.3.Leg.Longob.tit.1.c.43.
(y) Lib.5.Capitular.c.44. Lib.3.Leg.Longobard.tit.1.c.44. Burchard. lib.3.c.41.
(z) Concil. Tribur.c.32. Burchard. lib.3.c.40.
(a) Burchard. lib.3.c.44.

Caput iſtud additum eſt ex codice manuſcripto. Non extat enim in editione Helmæſtadienſi. Vide lib. 6. Capitular. c. 73. & Addit. II. c. 8.

Ex Concilio, quo ſupra.

Sicut (*b*) in unaquaque Eccleſia Presbyter debet eſſe, ita ipſa Eccleſia, quæ ſponſa, vel uxor ejus dicitur, non poteſt dividi inter plures Presbyteros, ſed unum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam caſte & ſinceriter regat. Unde interdicimus, ut nullus præſumat Eccleſiam inter duos, vel plures dividere: quia Eccleſia Chriſti uxor, & ſponſa debet eſſe, non ſcortum, ſicut (*c*) Calixtus Papa teſtatur. (*Vide Addit. III. Capitular. cap.* 25.)

Ut laici Eccleſias non teneant, nec decimas accipiant.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. LXV.

CCXLIV. Indignum (*d*) valde eſt, ut, qui in regia dignitate cæteros Eccleſiæ filios, auctore Deo, præcellitis, negligentius, quæ Dei ſunt, exequi videamini. Unde dignum erat, ut capellas villarum veſtrarum laicis non committeretis, ſed potius illis, qui & eadem ſacrata loca religioſius tractarent, & vobis debitum obſequium impenderent. Monemus itaque & hortamur, ne, quod abſit, periculum anathematis ex decimis præſumptis incurratis, ut hoc corrigere ſtudeatis.

De eadem re.

Ex eodem Capitulo.

CCXLV. Si capellas (*e*) veſtras Presbyteris, aut viris Eccleſiaſticis dederitis, & Dominicas decimas acceperint; ſarta tecta Eccleſiæ, & luminaria exinde competenter provideant, & Presbyteri Parrœchianas decimas accipiant, & populi neceſſitatibus debite invigilent.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXLVI. Si autem [*f*] laici capellas veſtras habuerint, a ratione, & ab authoritate alienum habetur, ut ipſi decimas accipiant, & inde canes aut genitiarias ſuas paſcant. Sed potius Presbyteri Eccleſiarum eas accipiant, & inde reſtaurationem Eccleſiarum, & luminaria, & hoſpitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac ſtatu regni veſtri Dei miſericordiam ſtudioſe implorent.

De his, qui Eccleſias deſerunt, in quibus provecti ſunt, & ad alias tranſeunt.

Ex Concilio Nicæno.

CCXLVII. Quicunque [*g*] temere & periculoſe, neque timorem Domini præ oculis habentes, nec agnoſcentes Eccleſiaſticam regulam, diſcedunt ab Eccleſia Presbyteri, & Diaconi, vel quicunque ſub regula prorſus exiſtunt; hi nequaquam debent in aliam Eccleſiam recipi, ſed omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas parrœchias revertantur. Quod ſi non fecerint, oportet eos communione privari.

De eadem re.

Ex Concilio Chalcedonenſi. Cap. X.

CCXLVIII. Non [*h*] licere Clericum in duarum civitatum conſcribi ſimul Eccleſiis, & in qua initio ordinatus eſt, & ad quam confugit, quaſi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad ſuam Eccleſiam, in qua primitus ordinati ſunt, & ibi tantummodo miniſtrare. [*Vide Addit. III. Capitular. cap.* 50.]

Item ex Concilio Antiocheno.

CCXLIX. Epiſcopus [*i*] ab alia Parrœchia nequaquam migret ad aliam, nec ſponte ſua prorſus inſiliens, nec vi coactus a populis. Maneat autem in Eccleſia, quam primitus a Deo ſortitus eſt, nec inde transmigret.

De eadem re.

Ex Decretis Calixti Papæ.

CCL. Quoniam, (*k*) ſicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel judicari, aut diſponi, niſi a proprio viro, eo vivente, permittitur; ſic nec uxor Epiſcopi

(*b*) Burchard. lib. 3. c. 45.
(*c*) 7. q. 1. c. 39.
(*d*) Concil. Meld. c. 75.
(*e*) Concil. Meld. ibid.
[*f*] Concil. Meld. ibid.
(*g*) Concil. Nicæn. c. 16. Burchard. lib. 2. c. 98.
(*h*) Burchard. lib. 2. c. 96.
(*i*) Concil. Antioch. c. 21. Burchard. lib. 1. c. 73.
(*k*) Calixt. Epiſt. 2. Burchard. lib. 3. c. 49. & apud Gratian. 7. q. 1. c. 39.

copi & Presbyteri, quæ ejus Ecclesia, vel Parrœchia indubitanter intelligitur, eo vivente, alteri judicare vel disponere, aut ejus concubitu frui permittitur. Unde Apostolus: *Alligata (l) est uxor legi, quamdiu vir ejus vivit: eo vero defuncto, soluta est a lege viri.* Similiter & Ecclesia, quæ uxor Sacerdotis dicitur, eo vivente, ei alligata est, eo vero defuncto, nubat in Domino; id est, regulariter. Si enim eo vivente alteri nupserit, adultera judicabitur.

Ne quis alienam Parrœchiam usurpet.

Ex Epistola Calixti Papæ.

CCLI. Nemo (*m*) alterius terminos usurpet, nec alterius Parrœchianum judicare aut excommunicare præsumat: quia talis judicatio, aut excommunicatio, nec rata erit, nec vires ullas habebit; quoniam nullus alterius judicis, nisi sui sententia tenebitur, aut damnabitur. Nullus autem Primas vel Metropolitanus Diœcesanei Ecclesiam, vel Parrœchiam usurpet, aut aliquem de ejus Parrœchia excommunicare, aut judicare præsumat, absque consilio vel judicio ejusdem Episcopi; sed hoc observet, quod ab Apostolis, & Patribus, ac prædecessobus nostris est constitutum, & a nobis est confirmatum.

Item ex eadem Epistola.

Si quis (*n*) Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam propriam pertinet Parrœchiam, sine consilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, & quod ita egerit, irritum habeatur, & vacuum.

De Clericis, qui præficiuntur ptochiis.

Ex Concilio Chalcedonensi.

CCLII. Clerici, (*o*) qui præficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in Monasteriis, & Basilicis Martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundum Sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui vero audent evertere hujuscemodi formam, nec proprio subjiciuntur Episcopo, si Clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt; si laici, vel monachi, communione priventur.

Ut amplius Presbyter non habeat, quam unam Ecclesiam.

Ex Capitularium Lib. I. Cap. LXXXVI.

CCLIII. Statutum (*p*) est, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente Episcopo, permiserit.

De eadem re.

Ex Concilio Nannetensi.

CCLIV. Sicut (*q*) enim Episcopus non plus potest habere, quam unam civitatem, & vir unam uxorem; ita Presbyter unam tantum Ecclesiam. Itaque nullus Presbyter plures præsumat habere Ecclesias, nisi forte alios Presbyteros sub se in unaquaque illarum habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant, & Missarum celebrationes cotidianis expleant ceremoniis.

Ut nullus Presbyter alterius Parrœchianum recipiat.

CCLV. Ut nullus Presbyter (*r*) alterius Parrœchianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

Caput hoc non extat in codice Helmæstadiensi, neque in Parisiensi. Quia tamen ex indiculo capitum, qui præfixus est initio codicis Parisiensis, constabat, caput istud hoc loco deesse, nos huc transtulimus ex libro primo Capitularium. Vide supra cap. LXI. *Nota Baluzii.*

Ex Concilio Carthaginensi.

Cassianus (*s*) Episcopus dixit: Statuat gravitas vestra, ut unusquisque Clericus, vel laicus non communicet in alia plebe, sine litteris Episcopi sui.

De

[l] Rom. 7.
[m] Calixt. ibid.
(n) Calixt. ibid. Capitula Hadrian. I. c. 43.
(o) Concil. Chalcedon. c. 8. Lib. 7. Capitular. c. 2.
(p) Lib. I. Capitular. c. 92. Burchard. lib. 3. c. 46.
(q) Concil. Nannet. c. 8. Burchard. lib. 3. c. 47. Vide Lib. 6. Capitular. c. 73.
[r] Concil. Nannet. c. 2. Lib. I. Capitular. c. 153. Burchard. lib. 2. c. 91.
(s) Concil. Carthag. I. c. 7. Addit. IV. c. 22.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. I.
Tit. CLXXXVII

CCLVI. Nullus (*t*) Presbyter in alterius Parrœchia Miſſam cantare præſumat, niſi in itinere fuerit: nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere.

De eadem re.

CCLVII. *Deeſt hoc Caput in codicibus Helmæſtadienſi & Pariſienſi. Nos, cum nihil certi nobis occurreret, quod reponeremus, nihil temere præſumendum cenſuimus. Si quis tamen hunc hiatum ſuppleri deſiderat, utatur Cap. XXXIII. Concilii Carthaginenſis quarti.*

Ut Epiſcopus in alterius Epiſcopi Parrœchia ordinationem non faciat.

Ex Concilio Antiocheno.

CCLVIII. Epiſcopus (*u*) alienam civitatem, quæ non eſt illi ſubjecta, non adeat: nec ad poſſeſſionem accedat, quæ ad eum non pertinet: nec ordinationem ibi faciat, niſi forte cum conſilio & voluntate regionis Epiſcopi.

Ut nullus Presbyter, aut laicus pœnitentem invitet, vinum bibere, aut carnem manducare.

Ex Cap. Lib. I. Tit. CLI.

CCLIX. Ut (*x*) nullus Presbyter, aut laicus pœnitentem invitet, vinum bibere, aut carnem manducare; niſi ad præſens pro ipſo unum vel duos denarios juxta qualitatem pœnitentiæ dederit.

Ut nullus Presbyter cartas ſcribat.

Ex eodem.

CCLX. Nullus (*y*) Presbyter cartas ſcribat, aut conductor ſui ſenioris exiſtat.

Ut nullus contempta minore Eccleſia ad potiorem aſpiret.

Ex Synodo Meldenſi.

CCLXI. Si quis (*z*) de ordine ſacerdotali, contemptu minoris Eccleſiæ, ambitioſe & improbe ad potiorem aſpiraverit, canonica erga eum definitio conſervetur.

De Baptiſmo, & quo tempore celebrandus ſit.

Ex Canone Apoſtolorum.

CCLXII. Si quis (*a*) Epiſcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ſed in tribus ſine initio principiis, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paraclitis, abjiciatur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCLXIII. Si quis (*b*) Epiſcopus, aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret: ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit Dominus: In morte mea baptizate; ſed: *Euntes,* (c) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quod Paſcha & Pentecoſten ſit baptizandum.

Ex Epiſtola Leonis Papæ.

CCLXIV. Unde, (*d*) quia manifeſtiſſime patet, baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tempora, id eſt, Paſcha & Pentecoſten eſſe legitima; dilectionem veſtram monemus, ut nullos alios dies huic obſervantiæ miſceatis. Quia, (*e*) ſicut ſunt alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen & maximi Sacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ rationis exceptio, non interdicta licentia, qua in baptis-

(*t*) Lib. 1. Capitular. c. 154.
(*u*) Concil. Antioch. c. 22. Burchard. lib. 1. c. 71.
(*x*) Lib. 1. Capitular. c. 157.
(*y*) Lib. 1. Capitular. c. 158. Riculf. c. 15.
(*z*) Concil. Meld. c. 30. Burchard. lib. 3. c. 48.
(*a*) Canon. Apoſtolor. c. 49. Burchard. lib. 4. c. 22.
(*b*) Canon. Apoſtolor. c. 50. Burchard. lib. 4. c. 23.
(*c*) Matth. 28.
(*d*) Decreta Leonis I. c. 11. Burchard. lib. 4. c. 2.
(*e*) Ibid, c. 12.

baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur. Ita enim ad has duas feſtivitates connexas ſibimet atque cognatas, incolumium, & in pacis ſecuritate degentium vota libera differimus, ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus.

De gravidis baptizandis.

Ex Concilio Neocæſarienſi.

CCLXV. Gravidam (*f*) oportet baptizari, quando voluerit. Nihil enim in hoc, quæ parit, neſcienti communicat, propterea quod uniuſcujusque ſuum propoſitum in confeſſione declaratur.

Baptizentur, de quibus ignoratur, an ſint baptizati.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CCLXVI. Item (*g*) placuit de infantibus, quotiens non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem de traditis ſibi Sacramentis idonei reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos.

De baptizatis, qui non confirmati moriuntur.

Ex Concilio Heliberitano.

CCLXVII. Si quis (*h*) Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit; Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſæculo receſſerint, ſub fide, qua quisque credidit, poterit eſſe juſtus.

De rebaptizatis.

Ex Concilio Hilerdenſi.

CCLXVIII. De his, (*i*) qui in prævaricatione rebaptizati ſunt ſine aliqua neceſſitate vel tormento, placuit, ut circa eos Nicænæ Synodi ſtatuta ſerventur, id eſt, ut ſeptem annos inter Catechumenos orent, & duos inter Catholicos, & poſtea fidelibus in oblatione, & Euchariſtia communicent.

Quod non niſi in Paſcha & Pentecoſte ſit baptizandum.

Ex Concilio Wormacienſi.

CCLXIX. Sacroſancti (*k*) Baptiſmi Sacramentum non niſi in Paſchali feſtivitate, & Pentecoſten unusquiſque fidelium noverit eſſe præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubvenire.

Ex Concilio Meldenſi. cap. XLVIII.

CCLXX. Nemo (*l*) Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in vicis & Eccleſiis baptismalibus, atque temporibus conſtitutis, niſi cauſa ægritudinis, vel certæ neceſſitatis. Et vici auctoritatem & privilegia debita retineant.

De fontibus ſacris.

Unde ſupra.

CCLXXI. Omnis (*m*) Presbyter, qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc ſolummodo baptizandi officium habeat. Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris propria vaſa habeantur, in quibus nihil aliud fiat. [*Vide ſupra cap.* 79. *hujus libri.*]

Ut omnis Presbyter ſuis Parrœchianis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuet.

Ex Concilio Remenſi. Tit. XX.

CCLXXII. Ut (*n*) omnis Presbyter omnibus Parrœchianis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam, aut ipſemet inſinuet, aut aliis inſinuandam injungat. Et cum ad confeſſionem tempore Quadrageſimali veniunt, hæc (*o*) ab unoquoque memoriter ſibi decantari faciat, nec ante ſanctam Communionem alicui tradat,

Ppp

[*f*] Concil. Neocæſar. c. 6. Burchard. lib. 4. c. 31.
[*g*] Concil. Carthag. 5. c. 5. Lib. 7. Capitular. c. 307. Burchard. lib. 4. c. 45.
(*h*) Concil. Elibert. c. 77. Burchard. lib. 4. c. 92. (*i*) Concil. Ilerd. c. 9.
(*k*) Concil. Wormac. c. 1. Burchard. lib. 4. c. 7.
(*l*) Concil. Meld. c. 48. Burchard. lib. 4. c. 14.
(*m*) Burchard. lib. 4. c. 13. & apud Gratian. Diſt. 4. de Conſecr. c. 106.
[*n*] Burchard. lib. 2. c. 62.
[*o*] Vide Capitulare Theodulfi c. 22. Capitulare Ahytonis c. 2. 3. 4. Tomo hoc pag. 17. Lib. 5. Capitular. c. 103. & Lib. 6. c. 172.

tradat, niſi hæc ex corde pronuntiare noverit; ſiquidem ſine horum ſcientia nullus ſalvus eſſe poterit. In uno enim fides & credulitas Chriſtiana continetur, in alio, quid orare & petere a Deo debeamus, exprimitur. Quod vero ſine fide nemo poſſit eſſe ſalvus, Dominus oſtendit, cum dicit: *Qui* (p) *crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Nullus autem credere poteſt, quod neſcit, nec audivit. Ait enim Paulus: *Quomodo* (q) *credent ei, quem non audierunt?* Nec ſola ſufficit fides in corde, niſi etiam verbis enuntietur, ut idem Apoſtolus teſtis eſt: *Corde*, (r) inquit, *creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Nullus autem de ſtoliditate ſenſus, vel de tenuitate ingenii cauſetur: quia hæc tam parva ſunt, ut nemo tam hebes & barbarus ſit, qui hoc diſcere, & verbis communibus pronuntiare non poſſit: tam magna, ut, qui horum ſcientiam pleniter capere potuerit, ſufficere ea ſibi credatur ad ſalutem perpetuam. Illud (*s*) etiam obſervandum, ut nullus ſuſcipiat infantem in baptiſmo a ſacro fonte, antequam eundem ſymbolum, & orationem Dominicam coram Presbytero decantet; & ut Presbyter omnibus Patrinis annuntiet, quod debitores ſint ſuis filiolis, cum ad intelligibilem ætatem venerint, hæc eadem inſinuare.

Ex Capitularium Lib. II.

CCLXXIII. Præcipimus, [*t*] ut unusquiſque compater, & proximi ſpirituales ſuos Catholice inſtruant.

Vide Capitulare Ahytonis Baſileenſis. cap. 25. Tomo hoc pag. 20.

Ex eodem, cap. XLIX.

CCLXXIV. Ut parentes filios ſuos, & patrini eos, quos de fonte ſuſcipiunt, erudire ſummopere ſtudeant: illi, quia eos genuerunt, & eis a Domino dati ſunt; & iſti, quia pro eis fidejuſſores extiterunt.

De Letania majore.

Ex Concilio Moguntiacenſi.

CCLXXV. Placuit [*u*] nobis, ut Letania major obſervanda ſit a cunctis Chriſtianis die ſeptimo Kalend. Maji, ſicut legendo reperimus, & ſicut ſancti Patres noſtri conſtituerunt, non equitando, non pretioſis veſtibus induti, ſed cinere reſperſi, & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit.

De jejunio rogationum.

CCLXXVI. Cum [*x*] exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter [*y*] interimerentur, nec hujus flagelli aliquod remedium invenire poſſent; congregati traduntur Galliarum Epiſcopi apud Viennam urbem, atque [*z*] in commune ſtatuerunt, ut triduanum jejunium facerent. Cumque Dominus peſtem miſericorditer abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum Provincias ante aſcenſionis Domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum ſumma reverentia & devotione, cum abſtinentia carnis & humilitate cordis: non (*a*) ut viſibilium luporum rabiem evadamus; ſed ut inviſibilium, id eſt, ſpirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus veſtimenta pretioſa induat, qui in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & commeſſationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat; ſed diſcalciatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choreas ducant, ſed omnes in commune Kyrie eleyſon decantent, & cum contritione cordis Dei miſericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peſte, pro conſervatione frugum, & pro cæteris neceſſitatibus; dies enim abſtinentiæ ſunt, non lætitiæ.

De jejunio quatuor temporum.

Ex Concilio Moguntiacenſi.

CCLXXVII. Conſtituimus, (*b*) ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio obſerventur, id eſt, in Martio hebdomada prima, in Junio ſecunda, in Septembri tertia; & Decembri quarta, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Do-

[*p*] Marc. 16. (*q*) Rom. 10. (*r*) Rom. 10.
(*s*) Capitulare Theodulfi c. 22. & Lib. 6. Capitular. c. 172.
(*t*) Conc. Mogunt. ſub Kar. M. c. 47. Lib. 2. Capitular. c. 39.
(*u*) Concil. Arelat. 6. c. 19. Lib. 2. Capitular. c. 46.
(*x*) Concil. Mogunt. ſub Kar. M. c. 33. Lib. 5. Capitular. c. 86. Burchard. lib. 13. c. 6. Vide Concil. Aquisgr. anni 836. c. 10. Burchard. lib. 13. c. 7.
(*y*) Edit. Helmæſtad. *infeſtarentur.*
(*z*) Vide Alcuin. c. 20. Divinor. Officior. & Walafr. Strab. c. 28. de reb. Eccleſ.
(*a*) Vide Cæſar. Arelat. hom. 1. 37.
(*b*) Conc. Mogunt. ſub Kar. M. c. 33. Tom. I. p. 411. Lib. 5. Capitular. c. 86. Burchard. l. 13. c. 2.

Domini, id est, feria quarta, & sexta, & Sabbato. Veniant omnes ad Ecclesiam hora nona, cum Letaniis ad Missarum solemnia.

De Vigiliis Sanctorum.

CCLXXVIII. Presbyteri, (c) cum sacras festivitates populo annuntiant, etiam jejunium vigiliarum eos omnimodis servare moneant.

De indicto jejunio.

Ex Concilio Moguntiacensi.

CCLXXIX. Si quis (d) indictum jejunium superbiendo contempserit, & observare cum cæteris Christianis noluerit; in Gangrensi Concilio præcipitur, ut anathematizetur.

Ex Concilio Gangrensi.

CCLXXX. Si qui (e) eorum, qui continentiæ student, absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

De eadem re.

Ibidem.

CCLXXXI. Quicunque indictum jejunium violant sine gravi necessitate, memorentur Jonathæ Filii Saul Regis, qui [f] maledictum patris parvipendens, parumper mellis in summitate virgæ comedit, & idcirco sententiam mortis promeruit.

Item ex Capitular. Lib. 1. cap. XLVIII.

CCLXXXII. Ut (g) in Ecclesia a Sacerdotibus jejunia constituta sine necessitate rationabili non solvantur.

De Fame & Pestilentia.

CCLXXXIII. De hoc, [h] si evenerit fames, pestilentia, inæqualitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio; non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur misericordia Dei.

Quid sit usura.

CCLXXXIV. Usura est, [i] ubi amplius requiritur, quam datur: verbi gratia, si dederis decem solidos, & amplius requisieris; vel si dederis frumenti modium unum; & super eum aliquid exigas.

Item cap. CXXIII.

CCLXXXV. Turpe [k] lucrum exercent, qui per varias circumventiones lucrandi causa inhoneste res quaslibet congregare decertant.

Quid sit fœnus.

CCLXXXVI. Fœnus est, [l] qui aliquid præstat. Justum fœnus est, qui amplius non requirit, nisi quantum præstitit.

De eadem re.

Ibidem cap. CXXV.

CCLXXXVII. Quicunque [m] enim tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum venundetur denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

De Confessione & Pœnitentia.

CCLXXXVIII. Presbyteri (n) debent admonere plebem sibi subjectam, ut omnis, qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, feria quarta ante quadragesimam, cum omni festinatione recurrat ad vivificantem matrem Ecclesiam, ubi, quod male commisit, cum omni humilitate, & contritione cordis simpliciter confessus, suscipiat remedia pœnitentiæ, secundum modum, canonicis auctoritatibus præfixum, tradaturque satanæ

Ppp 2

(c) Burchard. lib. 13. c. 16.
[d] Concil. Mogunt. sub Kar. M. c. 35. Lib. 5. Capitular. c. 87. Burchard. lib. 13. c. 4.
(e) Concil. Gangr. c. 19. Burchard. lib. 13. c. 5.
(f) 1. Reg. 14.
(g) Burchard. lib. 13. c. 17.
(h) Lib. 1. Capitular. c. 118. Burchard. lib. 13. c. 18.
(i) Lib. 1. Capitular. c. 125. Burchard. lib. 2. c. 126.
(k) Lib. 1. Capitular. c. 129.
(l) Lib. 1. Capitular. c. 130.
(m) Lib. 1. Capitular. c. 131. Burchard. lib. 2. c. 127.
(n) Burchard. lib. 19. c. 2.

tanæ in interitu carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Non ſolum autem ille, qui mortale aliquod commiſit, ſed etiam omnis homo, quicunque ſe recognoſcit immaculatam Chriſti tunicam, quam in baptiſmo accepit, peccati macula polluiſſe, ad proprium Sacerdotem venire feſtinet, & cum (*) purificatione mentis omnes transgreſſiones, omniaque peccata, quibus Dei offenſam ſe incurriſſe meminit, humiliter confiteatur: & quidquid ei a Sacerdote fuerit injunctum, ac ſi ab ipſo omnipotentis Dei ore eſſet prolatum, ita diligenter intendat, & cautiſſime obſervet.

De pœnitentibus.

Ex Concilo Africano.

CCLXXXIX. Cujuscunque (o) pœnitentis publicum, & vulgatum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidam manus ei imponatur.

De eadem re.

Ex Concilio Agathenſi.

CCXC. Pœnitentes (p) tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper capita a Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur.

Editio Helmæſtadienſis ita habet: *Si autem comas deponere, aut veſtimenta mutare noluerint, abjiciantur.*

Item unde ſupra.

Ex eodem Concilio.

CCXCI. In capite [q] quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes: ubi adeſſe debent Decani, id eſt, Archipresbyteri Parrœchiarum, cum teſtibus, id eſt, Presbyteri pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent; & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungat. Poſt hæc in Eccleſiam eos introducat, & cum omni Clero ſeptem pœnitentiæ Pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis, pro eorum abſolutione decantet. Tum conſurgens ab oratione, juxta id, quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, dein cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, ac crebris ſuſpiriis, eis denunciet, quod, ſicut Adam projectus eſt de paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia ob peccata ejiciantur. Poſthæc jubeat Miniſtros, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant. Clerus vero proſequatur eos, cum reſponſorio: *In* (r) *ſudore vultus tui veſceris pane tuo* &c. ut videntes Sanctam Eccleſiam, ob facinora ſua tremefactam, & commotam, non parvipendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini cœna rurſus Eccleſiæ liminibus ſe præſentent.

De danda pœnitentia.

Ex Concilio Mogontiacenſi.

CCXCII. Modus (s) tempusque pœnitentiæ, peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet a Sacerdotibus. Nam qui peccatis gravibus leves quosdam & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt pulvillos, ſecundum Propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Sed diſcretio ſervanda eſt inter pœnitentes publice & abſconſe. Nam qui publice peccat, oportet, ut publica multetur pœnitentia, & ſecundum ordinem canonum, pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.

Qualiter ſuſcipere debent pœnitentem Epiſcopi, vel Presbyteri.

Ex Pœnitentiali Romano.

CCXCIII. Quotienscunque (t) Chriſtiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos communicare cum eis debemus in jejunio unam, aut duas heb-

(*) Burchard. *puritate.*
[o] Concil. Carthag. 3. c. 32. Lib. 5. capitular. c. 53. Burchard. lib. 19. c. 40.
[p] Concil. Agath. c. 15. Burchard. lib. 19. c. 27.
[q] Burchard. lib. 19. c. 16. & Diſt. 50. c. 64.
[r] Geneſ. 3. [s] Concil. Mogunt. ſub Rabano c. 31. Burchard. lib. 19. c. 28.
[t] Burchard. lib. 19. c. 33.

hebdomadas, vel quantum possumus; ut non dicatur, quod Sacerdotibus Judæorum a Domino dicitur: *Væ* (u) *vobis Legisperitis, qui adgravatis homines, imponentes super humeros eorum onera gravia & importabilia, ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas.*

Item post pauca.

CCXCIV. Quotienscunque (x) dederis consilium peccanti, simulque da illi statim pœnitentiam, quantum debeat jejunare, aut eleemosynis redimere peccata sua; ne forte obliviscaris, quæ tibi jam dixit, & iterum tibi necesse sit interrogare, & forsitan erubescat iterum confiteri, & inveniatur jam amplius judicari.

Ut nullus alius præsumat pœnitentiam dare, vel confessionem audire, nisi Episcopus aut Presbyter.

Ex eodem.

CCXCV. Exsurge, qui dormis, exsurge a mortuis; & illuminabit te Christus. Frater, Dominus JEsus Christus, qui dixit Discipulis suis: *Quæcunque* (y) *ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* De quorum numero, quamvis indignos, nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcunque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egisti; ut a nexibus peccatorum absolutum perducere te dignetur ad regna cœlestia. Amen. Nos etiam, Frater carissime, secundum auctoritatem, nobis indignis a Domino commissam, absolvimus te ab omni vinculo delictorum, ut merearis habere vitam æternam per eum, qui vivit &c. (*Caput istud non extat in MS.*)

Sicut (z) enim sacrificium offerre non debent, nisi Episcopi & Presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt; sic nec pœnitentium judicia alii usurpare debent.

Ut Diaconus, si necesse sit, suscipiat Confessionem.

CCXCVI. Si (a) autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens; Diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam Communionem.

Item de suscipienda Confessione.

Ex Theodori Archi-Episcopi, vel Bedæ Presbyteri Pœnitentiali.

CCXCVII. Episcopi, (b) vel Presbyteri, quando fidelium recipiunt confessiones, humiliare se debent, & cum tristitiæ gemitu, lacrymisque orare, non solum pro suis delictis, sed etiam pro fratris casu. Ait enim Apostolus; *Quis* (c) *infirmatur, & ego non infirmor?*

Unde supra.

CCXCVIII. Cum (d) ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua; mandet ei Sacerdos, ut exspectet modicum, donec intret Ecclesiam, aut cubiculum suum ad orationem. Si autem non est locus aptus ad hoc; dicat hanc orationem in corde suo:

Oratio.

CCXCIX. Domine [e] Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne tibi possim gratias agere, qui me indignum, propter tuam misericordiam, ministrum fecisti officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque, mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum, Jesum Christum, filium tuum, pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant: suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum Clementiæ tuæ, pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt; ut des illis spiritum compunctionis, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo adstricti tenentur, & ad

(u) Luc. 11. (x) Burchard. ibid.
(y) Matth. 18. (z) Burchard. lib. 19. c. 153.
(a) Halitgar. in Præfat. lib. 6. Burchard. lib. 19. c. 154.
(b) Halitgar. ibid. Burchard. lib. 19. c. 2.
(c) 2. Cor. 11. (d) Halitgar. ibid. Burchard. lib. 19. c. 2.
[e] Halitgar. ibid. Burchard. lib. 19. c. 3.

ad te per condignam ſatisfactionem revertantur per eundem Dominum.

Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, Sacerdotem triſtem, & lacrymantem pro ſuis facinoribus, magis ipſe timore Dei perculſus, amplius triſtetur, & exhorreſcat peccata ſua.

Hic locus ſic habet in veteri codice MS. Monaſterii Rivipullenſis: Videns autem ille frater, qui ad pœnitentiam venit, hanc Sacerdotis humilitatem, magis peccata ſua exhorreſcit, magis ſcelera ſua pertimeſcit. Poſt hæc caritative Sacerdos eum ſuſcipiat, humiliter eum ſedere faciat ſecum, blande eum hujusmodi ſermonibus attrahat: Frater, non erubeſcas confiteri peccata tua, &c. *Not. Baluz.*

Ordo ad dandam pœnitentiam.

Unde ſupra.

CCC. Poſt hæc [f] interroga eum blande, leniterque: Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? *Reſp.* Credo. Credis, quod iſtæ tres perſonæ unus Deus ſit? *Reſp.* Credo. Credis, quod in ipſa iſta carne, in qua nunc es, in ipſa reſurgere habes in die Judicii, & recipere ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti? Credo. Vis dimittere illis peccata, qui in te peccaverunt, Domino dicente: *Si non* [g] *remiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*? *Reſp.* Volo. Et require ab eo diligenter, ſi eſt inceſtuoſus, aut ſuo ſeniori infidelis. Et ſi non vult inceſtum dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Si autem vult, potes. His præmiſſis pœnitentem alloqui affectuoſe debet Sacerdos his verbis:

Frater, noli erubeſcere peccata tua confiteri. Nam & ego peccator ſum, & fortaſſis pejora, quam tu feceris, habeo facta. Hæc idcirco admoneo, quia uſitatum generis humani vitium eſt, ut [h] beatus Gregorius dicit, & labendo peccatum committere, & commiſſum confitendo non prodere, ſed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare. Et qui diabolo inſtigante nefanda crimina perpetrare non metuimus, hæc eadem, quæ opere abſque ulla verecundia perfecimus, eodem ſuadente ſaltem verbis confiteri erubeſcimus, & coram homine, qui ſimilis noſtri eſt, eisdemque fortaſſe paſſionibus ſubjacet, confundimur dicere, quod coram Domino, qui omnia inſpicit, abſque ullo mentis rubore committere non formidavimus deteſtanda actione. Sponte ergo fateamur, quod nullo cogente commiſimus. Si vero nos noſtra ſcelera celaverimus, ab illo manifeſtabuntur, qui & [*] accuſator eſt peccati, & incentor. Ipſe enim [i] hic nos, ut peccemus, inſtigat; ipſe cum peccaverimus, accuſat: ſi ergo in hac vita præveniamus eum, & ipſi ſceleris noſtri accuſatores ſimus; nequitias diaboli inimici noſtri, & accuſatoris effugiemus, Paulo teſte, qui ait: *Si* [k] *nosmetipſos judicaremus, non utique dijudicaremur.*

Videns autem eum Sacerdos verecundantem, rurſum proſequatur: Fortaſſe, cariſſime, non omnia, quæ geſſiſti, ad memoriam modo veniunt. Ego te interrogabo. Tu cave, ne diabolo ſuadente, aliquid celare præſumas. Et tunc eum ita per ordinem interroget.

Feciſti homicidium, aut caſu aut volens, aut pro vindicta parentum, aut jubente Domino tuo, aut in publico bello. Si voluntarie feciſti, ſeptem annos pœnitere debes: ſi nolens, aut caſu; quinque annos. Si pro vindicta parentis, unum annum, & ſequentibus duobus annis tres quadrageſimas & legitimas ferias. Si in bello, quadraginta dies. Si liber es, & jubente Domino ſervum innocentem occidiſti; annum unum, in duobus aliis annis tres quadrageſimas, & legitimas ferias. Si ſervus dignus eſt morte; quadraginta dies pœniteat.

Feciſti truncationes manuum aut pedum, aut oculos hominis eruiſti, aut vulneraſti hominem? Pro truncatione annum unum pœnitere debes, pro vulnere quadraginta dies pœniteas.

Feciſti perjurium, aut pro cupiditate ſeculi, aut coactus, & pro neceſſitate, aut pervicacia, aut parentum, aut neſciens, aut alios in perjurium induxiſti ſcienter; Si ſciens pejeraſti, & alios in perjurium induxiſti, ſeptem annos pœnitere debes.

(f) Burchard. ibid.
(h) S. Gregor. lib. 22. Moral. c. 9.
[i] Vide Ruric. lib. 2. Epiſt. 12.
(g) Matth. 6:
[*] Cod. Rivipull. *auctor.*
[k] 1. Cor. 11.

bes. Si nesciens, annum unum, & tres quadragesimas : si pro vita vel membris, tres quadragesimas. Fecisti furtum aut sacrilegium, aut infracturas, vel rapinam, tollens, quod tuum non erat : Si domos per noctem infregisti, & quadrupedia tulisti, vel fortiorem causam, valentem solidis quadraginta; annum unum pœnitere debes & pretium reddere. Si non reddis, annos duos pœniteas. Si majorem fecisti furtum, tres annos pœnitere debes. Et, si sæpe fecisti, annos septem. Pro modico furto viginti dies, pueri decem dies. Si de Ecclesia aliquid tulisti, quod est sacrilegium, septem annos pœniteas.

Fecisti adulterium cum uxore aliena, vel desponsata, vel virginem corrupisti, sive cum sanctimoniali, vel Deo dicata, vel cum absoluta fœmina, id est, sine marito, vel cum ancilla propria: Si mœchatus es cum alterius uxore, aut cum sanctimoniali, septem annos pœniteas. Si cum virgine, duos annos. Si cum vidua, annum unum. Si tuam uxorem dimisisti, & alterius junxisti, septem annos pœniteas; si cum vacante fœmina, tres quadragesimas, & legitimas ferias. Si cum propria ancilla, quadraginta dies pœnitere debes.

Nupsisti cum uxore tua, vel ancilla retro. Si fecisti, quadraginta dies debes pœnitere.

Nupsisti cum uxore tua quadraginta dies ante partum; quadraginta dies debes pœnitere.

Nupsisti in die Dominico; tres dies pœnitere debes.

Fecisti raptum de virgine vel vidua; tres annos pœnitere debes.

Fecisti fornicationem, sicut Sodomitæ fecerunt, cum pecoribus, aut cum matre vel sorore; quindecim annos, vel duodecim pœnitere debes.

Coinquinatus es cum uxore tua in quadragesima. Si hoc fecisti, annum unum pœnitere debes, aut viginti sex solidos in eleemosynam dare. Si per ebrietatem evenit; quadraginta dies pœniteas.

Hoc etiam caveri debet, ut viginti dies ante Natale Domini, & Pentecosten, & omni die Dominica, & post conceptionem manifestatam vir contineat se ab uxore. Dixisti falsum testimonium pro cupiditate, aut nesciens; annum unum pœniteas.

Truncasti ullum membrum; tres annos pœniteas. Odisti fratrem tuum: quamdiu in ipso odio fuisti, tamdiu pœniteas in pane & aqua.

Detraxisti ullum hominem ad seniorem, vel ad pares propter invidiam; quadraginta dies pœniteas. Violasti in furto sepulchrum, annos duos pœniteas. Contigit tibi ulla negligentia de sacrificio Domini; centum quadraginta dies pœniteas.

Consuluisti magos, aut aruspices, aut incantatores, aut sortilegos: vel vota, quæ ad arbores, vel ad fontes fiunt, vovisti; annos tres pœniteas.

Tulisti aliquid pecuniæ de Ecclesia, aut in quadruplum restitue, aut tres annos pœniteas.

Perdidisti aliquem per injustam delaturam, tres annos pœniteas.

Duxisti, aut transmisisti aliquem in captivitatem, tres annos pœniteas.

Editio Helmæstadiensis ita habet: Duxisti, aut transmisisti ullum hominem Christianum in captivitatem, tres annos. Burchardus in libro XIX. paulo fusius, & cum aliquo discrimine. Duxisti aut transmisisti, vel vendidisti aliquem hominem in captivitatem, nisi pro pace communi. Si fecisti; reduc eum, si poteris. Sin autem, duos annos per legitimas ferias pœniteas. *Not. Baluz.*

Cremasti domum aut aream alterius; tres annos pœniteas.

Fecisti vomitum per ebrietatem, quindecim dies pœniteas. Si per contentionem, quadraginta: si nesciens, sex dies pœniteas.

Editio Helmæstadiensis: Fecisti vomitum per ebrietatem, XV. dies pœniteas: si per contentionem XL. si nesciens VII. dies pœniteas. Similiter si sanguinem comederis. *Not. Baluz.*

Manducasti morticina, aut dilacerata a bestiis, quadraginta dies pœniteas. Similiter, si sanguinem comederis.

Bibisti de liquore, in quo mus, vel muste-

mustela mortua inventa fuerit ; quadraginta dies pœniteas.

Contempsisti indictum jejunium in Ecclesia, vel decreta seniorum; quadraginta dies pœniteas. Si in quadragesima, unum annum.

Oppressisti infantem tuum; quinque annos, aut tres pœnitere debes.

Bibisti ullum maleficium, id est, herbas, vel alias causas, ut non potuisses infantes habere, aut alio donasti, aut hominem per mortiferam portionem occidere voluisti, aut alium hoc facere docuisti, aut de semine viri gustasti, ut in amorem tuum exardesceret: aut Chrisma bibisti, aut ad subvertendum Dei judicium alteri dedisti &c. Si quid hujusmodi operatus es; septem annos pœniteas.

Necasti voluntarie partus tuos; decem annos pœniteas. Et si filium vel filiam occidisti; duodecim. Et si in utero ante conceptum; unum annum. Si post conceptum, tres annos. Si tuus infans per tuam negligentiam sine baptismo mortuus est; annum unum pœniteas, & nusquam sis sine aliqua pœnitentia.

Fecisti aliquid, quod pagani faciunt in Kalendis Januarii, in cervulo, vel in vegula; tres annos pœniteas.

Fecisti aliquid, vel dixisti in quocunque opere, quod inchoas per sortilegam vel magicam artem; annum unum pœniteas.

Misisti Filium tuum super tectum, aut super fornacem pro aliqua sanitate, vel incendisti grana, ubi mortuus homo fuerat; quinque annos pœniteas.

Cantasti carmina diabolica super mortuos; viginti dies pœniteas.

Junxisti te mulieri tempore menstruo; quadraginta dies pœniteas.

Nupsisti cum uxore tua, postquam peperit, antequam quadraginta dies adimplerentur; triginta dies pœniteas.

Communicasti de sacrificio Domini, & non prius abstinuisti ab uxoris amplexu quinque aut septem diebus; dies viginti pœniteas.

Operatus es aliquid in Dominica die; septem dies pœniteas.

Detraxisti vel maledixisti aliquem causa invidiæ; septem dies pœniteas.

Nunc (*l*) tibi octo principalia vitia explicabo, id est, superbiam, vanam gloriam, invidiam, iram, tristitiam, avaritiam, ventris ingluviem, luxuriam. Ex quibus si te culpabilem recognoscis, pœnitentiam suscipe. Nam ex his omnia vitia oriuntur. (*) (De superbia, quæ *initium omnis peccati est*, & regina omnium malorum, nascitur omnis inobedientia, omnis præsumptio, & omnis pertinacia, contentiones, hæreses, arrogantia.) De vana gloria oriuntur inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordiæ, novitatum præsumptiones. De invidia nascitur odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis. De ira oriuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ. De tristitia nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis. De avaritia oriuntur proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, & contra misericordiam obduratio. De ventris ingluvie propagatur inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus. De luxuria generatur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror & desperatio futuri.

Allocutio.

Ergo, (*m*) si superbus usque modo fuisti, humilia te ipsum in conspectu Dei. Si vanam gloriam dilexisti; cogita, ne propter transitoriam laudem æternam perdas mercedem. Si invidiæ rubigo te huc usque consumpsit, quod est maximum peccatum, & super omnia detestabile: quia diabolo comparatur invidus, qui primo homini invidit datum, quod ipse per suam culpam perdiderat; age pœnitentiam, & profectum aliorum, tuum deputa. Si tristitia te superat, patientiam & longanimitatem meditare. Si avaritiæ morbus gravat; cogita, quia radix est omnium malorum, & idololatriæ comparatur, & ideo largum te esse oportet. Si ira te vexat, quæ in stultorum sinu requiescit, dominari debes animo tuo, & hanc

[*l*] Burchard. lib. 19. c. 6. Capitulare Theodulfi. c. 31.
[*] Ista desunt in Edit. Helmæstad. & in cod. MS. Addita autem sunt ex Burchardo & aliis.
[*m*] Burchard. lib. 19. c. 7.

hanc a te mentis tranquillitate fuga. Si ventris ingluvies ad vorandum pertrahit, ſobrietatem ſectare. Si luxuria, caſtitatem yove.

Tunc proſternat ſe pœnitens in terram, & cum lacrymis dicat: Et in his, & in aliis quibuſcunque humana fragilitas contra Deum, & Creatorem ſuum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiſcendo peccare poteſt, in omnibus me peccaſſe, & reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe, cognoſco & confiteor.

Humiliter etiam te Sacerdos Dei expoſco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum, & Creatorem noſtrum, quatenus de his, & de omnibus ſceleribus meis veniam & indulgentiam conſequi merear. Deinde Sacerdos ſurgat, & Pſalmum XXXVII. decantet. Deinde L. & LIII. & proſternat ſe in terram, & dicat hanc Orationem:

Oratio.

Precor, Domine, clementiæ & miſericordiæ tuæ Majeſtatem, ut famulo tuo illi, nunc peccata & facinora ſua confitenti, veniam relaxare digneris, & præteritorum culpas indulgeas. Qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui Publicani precibus, & confeſſione placatus es, tu etiam, Domine, huic famulo tuo illi placatus eſſe digneris. Tu hujus precibus benignus adſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat. Fletus ejus & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctisque altaribus reſtitutus rurſum æternæ ac cæleſti gloriæ mancipetur, qui vivis &c.

Deinde adjungatur:

Deus (*n*) omnipotens ſit adjutor, & protector tuus, & præſtet indulgentiam de peccatis tuis, præteritis, præſentibus, & futuris.

Hæc (*o*) de remediis peccatorum ex priorum monumentis excerpſimus; in quibus tamen omnibus, non auctoritate cenſoris, ſed conſilio potius compatientis uſi ſumus, ſolerter admonentes doctum quemque Sacerdotem Chriſti, ut in univerſis, quæ hic adnotata repererit, ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, intellectum, ipſum quoque cor pœnitentis curioſe diſcernat, & ſecundum hæc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque dijudicet. Quibusdam namque a cibis abſtinendo, aliis eleemoſynas dando, nonnullis genua flectendo ſæpius, ſive in cruce ſtando, aut aliquid aliud hujuſmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo, univerſa neceſſe eſt errata corrigere: quæ univerſa in examine diſcreti debent pendere Judicis.

De Pœnitentibus.

Ex Concilio Africano.

CCCI. Pœnitentibus (*p*) ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCII. Ut (*q*) Sacerdos pœnitentiam imploranti, abſque perſonæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

Ut pœnitentia conjugatis ex conſenſu detur.

Ex Concilio Arelatenſi.

CCCIII. Pœnitentiam (*r*) conjugatis non niſi ex conſenſu dandam.

Ex Concilio Laodicenſi.

CCCIV. De his, (*s*) qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ converſionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti talibus pœnitentiæ tempus impenſum, propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.

De eadem re.

CCCV. Unumquemque (*t*) hominem

Q q q

(*n*) Burchard. lib. 19. c. 7. (*o*) Præfatio Bedæ de remediis peccatorum.
(*p*) Halitgar. lib. 3. c. 11. Concil. Carthag. 3. c. 31.
[*q*] Halitgar. ibid. c. 1. Concil. Carthag. 4. c. 74. Burchard. lib. 19. c. 35.
(*r*) Concil. Arelat. 2. c. 22. Burchard. lib. 19. c. 111.
(*s*) Conc. Laodic. c. 2. Halitgar. lib. 3. c. 15. Burchard. lib. 19. c. 41.
[*t*] Halitgar. in Præfat. lib. 6. Burchard. lib. 19. c. 32.

minem accedentem ad pœnitentiam, ſi videris, acriter & aſſidue ſtare in pœnitentia, ſtatim remiſſius age adverſus eum.

In veteri codice MS. Monaſterii Rivipullenſis poſt hæc verba: *Remiſſius age adverſus eum*, iſta adduntur: *Si vero negligentem videris & tepidum, tardius relaxa eum.*

Ex Concilio Africano.

CCCVI. Ut (*u*) Presbyter non interrogato Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſentia Epiſcopi, neceſſitate compellente.

Ex Epiſtola Innocentii Papæ.

CCCVII. De Pœnitentibus (*x*) autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt; ſi nulla interveniat ægritudo; quinta feria ante Paſcha eis remittendum, Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Sane ſi quis ægritudinem inciderit, & uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CCCVIII. Ut (*y*) negligentes pœnitentes tardius recipiantur.

Ut nullus Epiſcopus alterius civitatis, vel Parrœchiæ pœnitentem ſuſcipiat, vel ſine Epiſcopi, vel Presbyteri teſtimonio reconciliet.

Ex Epiſtola Felicis Papæ.

CCCIX. Curandum (*z*) ſummopere eſt, ne quis Fratrum, Coepiſcoporumque noſtrorum, aut etiam Presbyterorum, in alterius civitate, vel diœceſi, pœnitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdotis, aut eum, qui reconciliatum ſe dixerit, ſine Epiſcopi, vel Presbyteri teſtimonio & literis, ad cujus pertinet Parrœchiam, ſuſcipiat.

Ut Presbyteris, & Diaconibus manus, tanquam pœnitentibus, non imponatur.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CCCX. Confirmatum (*a*) eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe ſit removeri; non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis, imponatur.

Ut pœnitentia Clericis non negetur.

Ex Concilio Arelatenſi.

CCCXI. Pœnitentiam (*b*) deſiderantibus Clericis non negandam.

Qualiter Presbyteri & Diaconi agant pœnitentiam.

Ex Epiſtola Leonis Papæ.

CCCXII. Alienum (*c*) eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconi gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Sacerdos*, (d) *ſi peccaverit, quis orabit pro illo*? Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio; ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

Ut a negotiatione pœnitentes abſtineant.

Ex Epiſtola Leonis Papæ.

CCCXIII. Qualitas (*e*) negotiandi aut excuſat, aut arguit, quia eſt honeſtus quæſtus & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius eſt, diſpendia pati, quam periculis negotiationis adſtringi: quia difficile eſt, inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum.

Ut poſt depoſitum cingulum nullus pœnitens ad militiam ſæcularem redeat.

Ex eadem.

CCCXIV. Contrarium (*f*) eſt om-

(*u*) Concil. Carthag. 3. c. 32. Burchard. lib. 19. c. 40. 70.
(*x*) Decreta Innoc. I. cap. 7. Halitgar. lib. 3. c. 13. Burchard. lib. 18. c. 18.
(*y*) Concil. Carthag. 4. c. 75. Burchard. lib. 19. c. 38.
[*z*] Felix III. Epiſt. 7. c. 6.
(*a*) Concil. Carthag. 5. c. 11. Burchard. lib. 19. c. 72.
(*b*) Concil. Arelat. 2. c. 29.
(*c*) Decreta Leon. I. c. 16. Burchard. lib. 19. c. 71.
(*d*) 1. Reg. 2.
(*e*) Decreta Leonis I. c. 23. Halitgar. lib. 3. c. 6. Rhab. Epiſt. ad Heribaldum. c. 15. Burchard. lib. 19. c. 95.
(*f*) Decreta Leonis I. c. 24. Halitgar. ibid. c. 7. Burchard. lib. 19. c. 66.

omnino Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo &c.* unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

De eadem re.

Ex Concilio Arelatensi.

CCCXV. Hi, qui post sanctæ (g) religionis propositum apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, communionem non accipiant sine pœnitentia. Quos etiam jubemus ad Clericatus officium non admitti.

Item ex eodem.

CCCXVI. Quicumque habitum sæcularem præsumpserit, ab Ecclesia expellatur.

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

CCCXVII. De his, [h] qui acta pœnitentia, ad pristina redeunt peccata, antiquorum Patrum decernunt Concilia, ut, qui acta pœnitentia tanquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeunt, quousque ad remedia pœnitentiæ recurrant, & ad omissum ordinem revertantur, excommunicati, & anathema condemnati habeantur.

De eadem re.

Ex dictis Sancti Gregorii.

CCCXVIII. Qui [i] se inlicita meminit commisisse, a licitis etiam studeat abstinere; quatenus per hoc conditori suo satisfaciat; ut qui commisit prohibita, sibimet abscidere debeat etiam concessa.

De eadem re.

Ex Epistola Leonis.

CCCXIX. Inlicitorum veniam (k) postulantem oportet, etiam a licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia* [l] *licent, sed non omnia expediunt.* (*Vide Rhabani Epistolam ad Heribaldum Autissiodor. cap. XV.*)

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

CCCXX. Ea, (m) quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti etiam sententia condemnantur.

De eadem re.

Ex dictis Basilii Episcopi.

CCCXXI. Pœnitentem (n) ex corde ita oportet suscipere, sicut Dominus ostendit, cum dicit: *Quia* [o] *convocavit amicos suos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram.*

Unde supra.

CCCXXII. Affectum (p) illum in se recipiat pœnitens, quem gerebat ille, qui dicebat: *Iniquitatem* (q) *odio habui, & abominatus sum.*

Qualis sit vera pœnitentia.

Ex dictis Sancti Augustini.

CCCXXIII. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita: & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in corde, tunc vere pœnites.

Quales esse debemus erga impœnitentes.

Unde supra.

CCCXXIV. Erga eum, [r] qui pro peccato non pœnitet, tales esse debemus, sicut Dominus præcepit, dicens: *Sit* [s] *tibi sicut gentilis & publicanus.* Et sicut Apostolus jubet: *Subtrahite,* [t] inquit, *vos ab omni fratre inordinate ambulante, & non secundum traditionem, quam tradidi vobis.*

Ut

(g) Concil. Arelat. 2. c. 25. Burchard. lib. 19. c. 67.
(h) Concil. Tolet. 6. c. 7. Vide Decreta Siricii. c. 5. Concil. Aurelian. 1. c. 13. & Halitgar. lib. 3. c. 8.
(i) Burchard. lib. 19. c. 65.
(k) Decreta Leonis I. c. 22. Halitgar. lib. 3. c. 5. Lib. 7. Capitular. c. 43.
(l) 1. Cor. 6.
(m) Burchard. lib. 19. c. 158.
(n) Regula S. Basilii. c. 27. Burchard. lib. 19. c. 39.
(o) Luc. 15.
(p) Regula S. Basilii. c. 18.
(q) Psal. 118.
(r) Regula S. Basilii. c. 28. Burchard. lib. 19. c. 64.
(s) Matth. 18.
(t) 2. Thessal. 3.

Ut Clerici non interſint nuptiis.

CCCXXV. Presbyteri, [u] Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores non eſt licentia, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia: neque his cœtibus admiſceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obſcœni motus corporum choris & ſaltationibus efferuntur; ne auditus & obtutus, ſacris myſteriis deputatus, turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur.

De eadem re.

Ex Concilio Mogontiacenſi. cap. XXXIX.

CCCXXVI. Quibus licentia (x) uxores ducendi non eſt, alienarum nuptiarum evitent convivia.

De eadem re.

Ex decretis Sancti Martini Papæ.

CCCXXVII. Non licet [y] Sacerdotibus, vel Clericis, aliqua ſpectacula in nuptiis vel conviviis ſpectare; ſed oportet, antequam ingrediantur ipſa ſpectacula, ſurgere, & redire inde.

De temporibus, quibus ſe continere debent conjugati ab uxoribus.

Ex Concilio Helibernenſi.

CCCXXVIII. Synodus (z) Helibernenſium dicit: In tribus quadrageſimis anni, & in die Dominico, & in quarta feria, & ſexta feria conjugales continere ſe debent. Item nec in illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor, id eſt, a quo die filius in utero motum fecerit uſque ad partum. Item a partu poſt triginta tres dies, ſi filius; ſi autem filia, poſt quinquaginta ſex.

De eadem re.

Ex Pœnitentiali.

CCCXXIX. Uxoratus contineat ſe quadraginta dies ante Paſcha & Pentecoſten, ſeu ante Natale Domini, & omnem Dominicam noctem, & quartam, & ſextam feriam, & a conceptione manifeſtata uſque poſt natam ſobolem. Uxor poſt natam ſobolem abſtineat ſe ab Eccleſia: ſi filius eſt, dies triginta, ſi filia, dies quadraginta. Mulier ſe abſtineat a viro tres menſes ante partum, & poſt partum quadraginta dies. Qui autem nupſerit his diebus, viginti dies pœniteat.

De eadem re.

CCCXXX. Qui (a) in quadrageſima ante Paſcha cognoverit uxorem ſuam, & noluerit abſtinere ab ea; [*] uno anno pœniteat, aut pretium ſuum, videlicet viginti ſex ſolidos, ad Eccleſiam tribuat, aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem & ſine conſuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.

Quod ante communionem abſtinere debet a conjuge.

CCCXXXI. Omnis (b) homo ante ſacram Communionem a propria uxore abſtinere debet VII. aut V. aut III. dies.

De eulogiis populo a Presbytero dandis.

Ex Concilio Nannetenſi.

CCCXXXII. Ut de (c) oblationibus, quæ offeruntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis, Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido; ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis ex inde accipiant. Et illa, unde Eulogias Presbyter daturus eſt, ante in hæc verba benedicat:

Oratio.

Domine (d) Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta, & Spirtuali benedictione; ut ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias tutamentum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, panem

[u] Concil. Venetic. c. 11. Concil. Agath. c. 39. Burchard. lib. 2. c. 134.
[x] Burchard. lib. 2. c. 132.
[y] Martinus Bracar. c. 59. Burchard. lib. 2. c. 135. Vide ſupra c. 213.
(z) Burchard. lib. 19. c. 155.
(a) Burchard. lib. 19. c. 76.
[*] Edit. Helmæſtad. *annos V. pœn.*
(b) Burchard. Lib. 5. c. 22.
(c) Concil. Nannet. c. 9. Burchard. lib. 5. c. 27.
(d) Burchard. lib. 5. c. 28.

nem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum vivit & regnat. Providendum est autem, ne micæ incaute defluant.

Ut Presbyteri cum stola incedant.

Ex Synodo Triburiensi.

CCCXXXIII. Ut Presbyteri non vadant, nisi stola, vel orario induti. Et si in itinere Presbyteri spoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur non stola vestiti, simplici emendatione sua solvantur. Si autem cum stola, tripliciter.

De eadem re.

Ex Concilio Moguntiacensi.

CCCXXXIV. Presbyteri (e) sine intermissione utanrur orariis, propter differentiam sacerdotalis dignitatis.

Ne Clerici laicalibus induantur vestibus.

Ex Concilio, quo supra.

CCCXXXV. Ut (f) laicalibus vestimentis Clerici non utantur, id est, mantellum, vel cottam sine cappa, nec pretiosis & ineptis calciamentis, & aliis novitatum vanitatibus, sed religioso & decenti habitu incedant. (*Vide Capitulare Abytonis Episcopi Basil. cap.* 15.)

De eadem re.

Ex Concilio Adrisphach in Bajoaria, Cap. XLI.

CCCXXXVI. Ut nullus Clericus vestimenta laicalia portet, nec arma, nisi tantum, quod ipsius religioni deceat, induere præsumat.

De eadem re.

Ex Concilio Carthaginensi.

CCCXXXVII. Clericus [g] professionem suam etiam habitu & incessu probet. Et ideo nec vestibus, nec calciamentis decorem quærat.

Ne Presbyteri per pretium Ecclesias obtineant.

Ex Concilio Moguntiacensi.

CCCXXXVIII. Quicunque (h) Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur; quoniam contra Ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dinoscitur, qui alium Presbyterum legitime ad Ecclesiam ordinatum, per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit. *Vide supra cap.* 240.

Quod non ubique sacrificium sit offerendum.

Ex Epistola Anacleti Papæ.

CCCXXXIX. Sacerdotes (i) quando sacrificant, non soli hoc agere debent; sed testes secum adhibeant, ut Deo perfecte in sacratis Domino locis sacrificare probentur. Ait namque auctoritas legis divinæ: *Vide,* (k) *ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegit Dominus Deus tuus.*

Ubi sit Missa celebranda.

Ex Concilio Sancti Silvestri

CCCXL. Ut (l) nullus Presbyter Missam celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cetero voluerit esse Sacerdotii.

Caput istud habetur in Epilogo, quem vocant, Concilii Romani sub Papa Silvestro celebrati, & inde apud Gratianum Dist. 1. *de consecrat.* cap. 15. Vide Capitulare Theodulfi Aurelianensis cap. 11. Capitulare Ahytonis Episcopi Basileensis cap. 8. & Capitula ejusdem cap. 14. Vide etiam Addit. 1. Capitular. cap. 10.

Ut de decimis quatuor fiant portiones.

Ex Synodo Nannetensi.

CCCXLI. Instruendi (m) sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatinus noverint, decimas, & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospi-

(e) Concil. Mogunt. sub Kar. M. c. 28. Tomo I. nostro pag. 411. Lib. 5. Capitular. c. 81. & Lib. 6. c. 169. Burchard. Lib. 2. c. 101. (f) Burchard. lib. 2. c. 208.
(g) Concil. Carthag. 4. c. 45. Burchard. lib. 2. c. 209.
(h) Rhab. Epist. ad Heribald. c. 19. Burchard. lib. 3. c. 110.
(i) Vide supra c. 132. & 191. (k) Deuter. 12.
(l) Lib. 6. Capitular. c. 198.
(m) Concil. Nannet. c. 10. Lib. 7. Capitular. c. 290. Burchard. lib. 3. c. 138.

hospitum, & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti, de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei: & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna [*] patiendos. Qualiter vero dispensari debeant, canones sancti instituunt, scilicet, ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reservanda; ut quidquid exinde jusserit, prudenti consilio fiat.

Si Episcopus, aut Presbyter rem Ecclesiæ quocunque ingenio alienare præsumpserit.

Ex Concilio Bracarensi.

CCCXLII. Si quis (*n*) Presbyter, aut Diaconus inventus fuerit, de ministeriis Ecclesiæ aliquid venundasse, quia sacrilegium commisit; placuit eum in ordinatione Ecclesiæ non haberi. In judicio tamen Episcopi dimittendum est, sive dignus sit, sive indignus, in suo recipi gradu.

Ut nulli Præsuli possessionem magnam vel parvam Ecclesiæ liceat in perpetuum alienare.

Ex Decretis Symmachi Papæ.

CCCXLIII. Ut [*o*] nulli Apostolicæ sedis Præsuli liceat, prædium rusticum, quantæcunque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre. [*Vide Concilium Parisiense Lib.* 1. *c.* 17.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXLIV. Sane (*p*) domus, in quibuslibet urbibus constitutæ, quarum statum necesse est expensa non modica sustentari, acceptis, si offerri contigerit, sub justa æstimatione redditibus, & divini timore Judicii commutentur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXLV. Quicunque Presbyter (*q*) de Jure Tituli sui quolibet modo, præter aurum, argentum, vel gemmas, vestes quoque, si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia, ad ornamenta divina minime pertinentia, aliquid in perpetuum alienare tentaverit, donator, alienator, ac venditor honoris sui amissione multentur.

Item Cap. VI.

CCCXLVI. Præterea, qui (*r*) rem Ecclesiæ petierit, vel acceperit, vel qui Presbyterorum, aut Diaconorum, seu defensorum, danti subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur.

Ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti.

Ex Concilio Carthaginensi.

CCCXLVII. Item [*s*] placuit, ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis; quomodo & Episcopo non licet vendere prædia Ecclesiæ, ignorante Concilio, & Presbyteris suis. Non habentem autem necessitatem, nec Episcopo liceat, Ecclesiæ rem Tituli sui usurpare. (*Legendum*) liceat matricis Ecclesiæ nec Presbytero rem &c.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXLVIII. Placuit, (*t*) ut rem Ecclesiæ nemo vendat. Quod si reditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogat; hoc insinuandum est Primati provinciæ ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum fiendum sit, arbitretur. Quod si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor amisso honore teneatur.

Ex

(*) Cod. MS. *faciendos*. Editio Sirmondi *passuros*.
(*n*) Concil. Bracar. 2. c. 17. Burchard. lib. 3. c. 179.
(*o*) Concil. Roman. 3. sub Symmacho. c. 4.
(*p*) Ex eodem Concil. Roman. c. 5.
(*q*) Ex eodem Concil. Roman. c. 6. Burchard. lib. 3. c. 180.
(*r*) Ex eodem Concil. Roman. c. 7.
(*s*) Concil. Carthag. c. 33. Burchard. lib. 3. c. 178.
(*t*) Concil. Carthag. c. 26.

Ex decretis Sancti Martini Papæ.

CCCXLIX. Si quis (*u*) Episcopus, nulla Ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, (*) in suo Clero, aut ubi forte non est Presbyter, de rebus Ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere; res ipsas Ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in judicio Episcoporum dejiciatur auditus, & tanquam furti aut latrocinii reus suo honore privetur.

Quid agere oporteat propinquos illius, qui Ecclesiam ditavit de de rebus suis, si præviderint, ex collatis aliquid defraudatum Ecclesiæ.

Ex Concilio Toletano.

CCCL. Omnis (*w*) itaque rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparat fraudatori. Et ideo nullus Sacerdotum vel ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscunque locis a fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel Juri suo, aut Cathedræ propriæ unitati connectat. Verum ut hujus rei potior soliditas habeatur, propinquis ejus, qui construxit vel ditavit Ecclesiam, licitum sit, hanc bonæ intentionis habere solertiam; ut si sacerdotem seu ministrum aliquid ex collectis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honesta conventione compescant, aut talia Episcopo vel judici corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere tentat, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia egerit, Regis hæc auribus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat, quasi juris proprii potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcunque præsumere. Si quis hæc monita temerare præsumpserit, & male rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

De terrulis & exiguis vineis.

Ex Concilio Agathensi.

CCCLI. Terrulas aut vineas (*x*) exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.

Quod fugitivi servi Ecclesiæ permittuntur distrahi.

Ex eodem Concilio.

CCCLII. Fugitivos etiam servos, (*y*) domos suas aut familias deserentes, qui etiam, si revocati fuerint, teneri non possunt, simili ratione ab Episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrahantur.

Si quis cartas, vel præcepta Regia supprimere, aut adversariis tradere ausus fuerit.

Ex Concilio Agathensi.

CCCLIII. Si quis [*z*] vero de Clericis documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumpserit; quidquid per (*) abstinentiam documentorum damni Ecclesiæ inlatum est, & de propriis facultatibus reddant, & communione priventur. Hi autem, qui in damno Ecclesiæ instrumenta sanctæ Ecclesiæ impie (**) sollicitati a traditoribus susceperunt, pari sententia feriantur.

De Testamento Episcopi, qualiter valeat.

Ex eodem Concilio.

CCCLIV. Si quis (*a*) Episcopus condito Testamento aliquid de Ecclesiastici Juris proprietate delegaverit, aliter non valebit, nisi tantum de juris proprii facultatibus suppleverit.

De Manumissionibus in Ecclesia.

Ex eodem.

CCCLV. Mancipia (*b*) monachis dona-

(*u*) Martin. Bracar. c. 14. Burchard. lib. 1. c. 215. & Lib. 3. c. 181.
(*) *inscio Clero.* (*w*) Conc. Tolet. 9. c. 1. Burchard. lib. 3. c. 182.
(*x*) Concil. Agath. c. 45. (*y*) Concil. Agath. c. 46. Burchard. lib. 3. c. 188.
[*z*] Concil. Agath. c. 26. Burchard. lib. 3. c. 183.
(*) Edit. Helmæstad. *abstractionem.* Sirm. *absentiam.* (**) Sirm. *sollicitatis trad.*
(*a*) Concil. Agath. c. 51. Burchard. lib. 1. c. 212. [*b*] Concil. Agath. c. 56.

donata ab Abbate, non licet manumitti. Injuſtum eſt enim, ut monachis cotidianum rurale opus facientibus, ſervi eorum libertatis otio potiantur. [*Vide Regulam Sancti Ferreoli. c.* 36.]

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

CCCLVI. Epiſcopi, (*c*) qui nihil ex proprio ſuo Eccleſiæ Chriſti conferunt, libertos ex familiis Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim, ut qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulerit, damnum inferat. Tales igitur libertos ſucceſſor Epiſcopus abſque aliqua oppoſitione ad jus Eccleſiæ revocabit. [*Vide Concil. Hiſpal.* 1. *c.* 1. & 2. & *Concil.Emerit. c.* 20.]

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

CCCLVII. Epiſcopus, [*d*] qui mancipium juris Eccleſiæ, non retento Eccleſiaſtico Patrocinio, manumitti deſiderat, duo meriti ejuſdem, & peculii coram Concilio Eccleſiæ, cui præminet, per commutationem ſubſcribentibus Sacerdotibus offerat, ut rata & juſta inveniatur definitio commutantis. Hujuſmodi autem liberto adverſus Eccleſiam, cujus juris extitit, accuſandi vel teſtificandi denegetur licentia. Quod ſi præſumpſerit, placet, ut ſtante commutatione in ſervitutem propriæ Eccleſiæ revocetur.

De Libertis Eccleſiæ.

Ex eodem Concilio.

CCCLVIII. Liberti, [*e*] qui a quibuscunque manumiſſi ſunt, atque Eccleſiæ patrocinio commendati ſunt, Sacerdotali defenſione a cujuslibet inſolentia protegantur, ſive in ſtatu libertatis eorum, ſeu in peculio, quod habere noſcuntur.

De Theſauris Eccleſiaſticis.

Ex Capitularium Lib. 1. Tit. CXVII.

CCCLIX. Ut [*f*] ſinguli Epiſcopi, Abbates & Abbatiſſæ diligenter conſiderent Theſauros Eccleſiaſticos, ne propter perfidiam, aut negligentiam cuſtodum, aliquid de gemmis, aut de vaſis, vel de reliquo Theſauro ſit perditum.

Ut nullus rem Eccleſiæ immobilem alienare præſumat.

Ex Lib. I. cap. XIX.

CCCLX. Nulli (*g*) liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ, ſive domum, ſive agrum, ſive hortum, ſive ruſticum mancipium, vel panes civiles, neque creditoribus ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum [*h*] contineat conditionem, donationem, permutationem, & emphiteuſeos perpetuum contractum. Sed omnes omnino Sacerdotes ab hujusmodi alienatione abſtineant, pœnas [*i*] timentes, quas Leoniana conſtitutio minatur.

Si Princeps commutationem in Eccleſia facere voluerit.

Ex eodem Capitulo. XXX.

CCCLXI. Si (*k*) Princeps voluerit rem immobilem ſanctis locis præſtare, & accipere ab eo aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc ei facere divina pragmatica ſanctione ab eo permulgata. [*Vide Lib.* 3. *Decretal. Tit.* 19. *cap.* 1.]

De precariis Eccleſiaſticis.

Ex Concilio ad Belvacum. Tit. XXI.

CCCLXII. Ut [*l*] precariæ, & commutationes, tempore viduatarum Eccleſiarum factæ ab his, qui loca Epiſcoporum occupaverant, reſcindantur; & cum authoritate Eccleſiaſtica, vel civili, ſi fiendæ ſunt, fiant.

De.

(*c*) Concil. Tolet. 4. c. 67. Burchard. lib. 3. c. 189.
(*d*) Concil. Tolet. 4. c. 68. Burchard. lib. 3. c. 176.
(*e*) Concil. Tolet. 4. c. 72. Burchard. lib. 3. c. 186.
(*f*) Lib. 1. Capitular. c. 123.
(*g*) Imp. Juſtinian. Nov. 7. c. 1. Lib. 2. Capitular. c. 29. Burchard. lib. 3. c. 164.
(*h*) Vide Lib. 3. Decretal. tit. 13. c. 5.
(*i*) L. 14. cap. De ſacroſ. Eccleſ.
(*k*) Juſtinian. Nov. 7. c. 2. Lib. 2. Capitular. c. 30. Burchard. lib. 3. c. 165.
[*l*] Concil. Meld. c. 21. Capitula Karoli Calvi tit. 6. c. 6. Burchard. lib. 3. c. 166.

De eadem re.

Cap. XXII.

CCCLXIII. Precariæ (*m*) autem a nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio; duplum accipiatur ex rebus Ecclesiæ, in suo tantum, qui dederit nomine, si res proprias, & Ecclesiasticas usu fructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumet. Quia sic eas quemque tractare, ut alienarum rerum dispensatorem convenit, non ut propriarum largitorem.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCLXIV. A nulla potestate (*n*) quis cogatur facere precariam de rebus Deo, & Sanctis ejus dicatis; cum ratio & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem, & rationem præstitum de proprio facere beneficium.

Ut precariæ in quinquennio renoventur.

Ex eodem.

CCCLXV. Ut (*o*) precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem, & auctoritatem renoventur.

De commutationibus.

Ex eodem cap. XXIII.

CCCLXVI. Ut (*p*) commutationes rerum Ecclesiasticarum valide caveantur, & subtilissime, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur. Quæ autem inconsulte factæ sunt, juxta Decretum Canonicum (*q*) Hilarii Papæ, quæ inlicite decessor Episcopus admiserit, vel ab aliis inlicite commissa sunt, ab eo, qui successor est, emendentur. (*Vide Concil. Valentin. III. cap.* 21. *& Lib.*3. *Leg. Longob.* Tit. 10. cap. 3.)

Ne præcepta fiant super beneficia Ecclesiastica vel precarias.

Ex Concilio apud sanctum Medardum.

cap. XL.

CCCLXVII. Præcepta (*r*) autem regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit: quoniam præcepta in jure Ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est Majestas Regia, nisi ab Ecclesiastico rectore petantur. Isdem autem custos Ecclesiæ solertissime caveat, ne sui ordinis & Ecclesiasticæ communionis forte immemor, contra auctoritatem præceptum Regium pro quacunque adsentatione fieri petat: qui, etsi fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit, Regia discretione, & Episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro Principis injusta suggestione digne corripiatur.

De eadem re.

Ex eodem cap.

CCCLXVIII. Sciant (*s*) fideles nostri, quia concessimus in Synodo venerabilibus Episcopis, ne super beneficia Ecclesiastica vel Precarias, etiamsi quilibet Monasteriorum Prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ ullo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione se unusquisque compescat.

Ne commutationes fiant de rebus Ecclesiasticis sine consensu Regis. Et ut mancipia Ecclesiastica, nisi ad libertatem commutentur.

Ex eodem cap. XII.

CCCLXIX. Ut (*t*) Missi nostri omnibus per illorum missaticum denuntient, ne commutationes rerum, vel mancipiorum Ecclesiasticorum, quilibet prælatus sine licentia & consensu nostro præsumat facere.

Rrr *Alia.*

(*m*) Concil. Meld. c. 22. Capitula Karoli Calvi. tit. 6. c. 7. Burchard. lib. 3. c. 167.
(*n*) Concil. Meld. c. 22. Burchard. lib. 3. c. 168.
(*o*) Concil. Meld. c. 22. Burchard. lib. 3. c. 169.
(*p*) Concil. Meld. c. 23. Burchard. lib. 3. c. 171. (*q*) Decreta Hilarii. cap. 1.
(*r*) Concil. Meld. c. 22. Capitula Karoli Calvi tit. 6. c. 7. Burchard. lib. 3. c. 175.
(*s*) Capitula Karoli Calvi. tit. 9. c. 7. §. 11 in Concilio apud Sanct. Medard.
(*t*) Capitula Karoli Calvi ibid. §. 12. Burchard. lib. 3. c. 172.

Alia.

Neque (*u*) mancipia Ecclesiastica quisquam, nisi ad libertatem commutet; videlicet, ut mancipia, quæ pro Ecclesiastico dabuntur, in Ecclesiæ servitute permaneant: & Ecclesiasticus homo, qui commutatur, perpetua libertate perfruatur. Quod enim semel Domino consecratum est, ad humanos usus jam transferri non potest. Ait enim Lex: *Si* (x) *quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum est, sacrificabitur Domino.*

Quæ sequuntur post illa verba: *Perpetua libertate perfruatur.* Non extant in actis Concilii Suessionensis, unde illa citat Regino, neque in Capitulis Karoli Calvi, non demum in Capitulari Compendiensi, a nobis edito in appendice Lupi Ferrariensis, quod descriptum est ex Capitulis editis in Synodo illa Suessionensi. Habentur tamen etiam apud Burchardum, qui haud dubie accepit ex Reginone.

Item ex Capitulis ad Carisiacum.

CCCLXX. Injustum (*y*) videtur, & impium, ut mancipia, quæ fideles viri, seu feminæ, pro remedio animæ suæ Deo, & Sanctis ejus consecrarunt, cujuscunque muneris, pretii, vel commutationis commercio iterum in sæcularem servitutem redigantur; cum Canonica auctoritas servos fugitivos tantummodo distrahi permittat. Et ideo omnes rectores Ecclesiarum summopere caveant, ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat. Sicut enim indecens est, ut ex libero servus fiat; sic absurdum, ut ex Ecclesiastica dignitate servus decidens, humanæ obnoxius sit servituti.

De die Dominico.

Ex Cap. Karoli.

CCCLXXI. Statuimus (*z*) quoque, secundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut genitor meus in suis Synodalibus edictis mandavit, quod (*a*) nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, vel metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, vel in sylvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos struere, nec in horto laborare, nec ad placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur.

Quid in Dominico die possit, vel liceat fieri.

Ex eodem.

CCCLXXII. Tria [*b*] carraria opera licet fieri in Dominica die, id est, hostilia carra, victualia vel angaria, & si forte necesse sit, corpus cujuslibet duci ad sepulchrum.

Item de die Dominico.

Ex eodem Concilio.

CCCLXXIII. Feminæ (*c*) opera textilia non faciant in die Dominica, non capulent vestitus, non consuant, vel lanam carpant. Non licet linum battere, aut in publico vestimenta lavare, nec verveces tondere; ut omnimodis honor & requies die Dominica persolvatur. Sed ad Missarum solemnia undique conveniant, & laudent Deum pro omnibus bonis, quæ nobis in illa die conferre dignatus est.

In vulgatis Capitularium Editionibus, & in codice Regio, ex quo prima Parisiensis Editio prodiit, legitur: *Item Fem. Opt. Text. non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, nec acupictile faciant, nec lanam carpere* &c. Codex Colbertinus: *vel acupicule faciant.* Rivipullensis: *accupicula faciant.* Noster: *nec aucupiculæ fiant.* Pro eo autem, quod heic legitur: *nec verveces tondere*, editiones Capitularium habent: berbices. Et tamen omnes libri MSS. habent: *verveces*, aut *vervices*, etiam ille, ex quo prima editio Parisiensis adornata est.

Ut

(*u*) Capitula Karoli Calvi ibid. §. 12. Burchard. lib. 3. c. 173.
(*x*) Levit. 27. [*y*] Burchard. lib. 3. c. 174.
(*z*) Lib. 1. Capitular. c. 81. Burchard. lib. 2. c. 82.
(*a*) Vide Lib. 7. Capitular. c. 200. & Addit. I. c. 9. & Addit. II. c. 9.
(*b*) Lib. 1. Capitular. c. 81. Burchard. lib. 2. c. 83.
(*c*) Lib. 1 Capitular. c. 81. Burchard. lib. 2. c. 84.

Ut mercatus in die Dominico non fit.

Ex Concilio.

CCCLXXIV. Omnes [*d*] dies Dominicos cum omni veneratione observare decrevimus, & ab inlicito opere abstinere, & ut mercatus in eis minime fiat, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur; nec Sacramenta jurentur. (*Vide Lib.* 4. *Capitular. c.* 28. *& Capitulare Riculfi Suession. c.* 18.)

Ex Capitularium Lib. 1. cap. CXXXIX.

CCCLXXV. Mercatus (*e*) die Dominico in nullo loco habeatur. (*Vide Lib.* 2. *Leg. Longobardor. Tit.* 49. *cap.* 1.)

Ut nullus Episcopus, vel infra positus, die Dominico causam judicare præsumat.

Ex Concilio Tarraconensi.

CCCLXXVI. Ut (*f*) nullus Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Clericorum, die Dominico propositum cujuscunque causæ negotium audeat vindicare, nisi hoc tantum, ut Deo statuta solemnia peragantur.

De Festivitatibus anni.

Ex Capitularium Lib. 11. cap. XXIII.

CCCLXXVII. Festos (*g*) dies in anno celebrare sancimus, id est, diem Dominicum Paschæ cum omni hebdomada, diem Ascensionis Domini, Pentecosten, similiter ut in Pascha, Apostolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem Sancti Joannis Baptistæ, Assumptionem Sanctæ Mariæ, Sancti Michaelis, Sancti Remigii, Sancti Martini, Sancti Andreæ: in Natali Domini dies quatuor, Octavam Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ: & illas Festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parrœchia corpora requiescunt. (*Vide Lib.* 1. *Capitular. c.* 164. *& Lib.* 6. *c.* 186.)

De eadem re.

Ex Concilio Adrisphach.

CCCLXXVIII. Festos dies celebrare sancimus, id est, diem Paschæ, similiter feria secunda, tertia, quarta, & quinta. Ante Missam licentia sit arandi & seminandi, hortum, vel vineam excolendi, & sepem circumcludendi. Ab alio vero opere cessare decrevimus. Post Missam autem ab opere vacare. Pentecosten, similiter ut in Pascha. Sancti Laurentii, Kal. Novembr. Omnium Sanctorum. Similiter Dedicationes Ecclesiarum. (*Vide Concilium Moguntiacum celebratum anno* 813. *c.* 36.)

De non flectendo genu in diebus Festis.

Ex Concilio Nicæno.

CCCLXXIX. Quoniam (*h*) sunt quidam in die Dominico genu flectentes, & in diebus Pentecosten; ut omnia in diversis locis consonanter observentur, placuit Sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.

Unde supra.

CCCLXXX. Ut Presbyteri plebibus adnuntient, quod in quadragesima, & in jejunio quatuor temporum tantummodo ad Missarum solemnia adnuntiante Diacono genua flectere debeant. In Dominicis econtra diebus, vel cæteris festis, a vespera usque in vesperam, non flectant genua, sed stantes incurvati orent. Nec quisquam uno genu solo tenus impresso orare præsumat; sicut Judæi irridentes Dominum in ejus Passione fecisse leguntur, sed utraque genua terræ figat. Ait enim Apostolus: *Flecto genua* (i) *mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.*

Ut turpia cantica plebibus prohibeantur.

Ex Concilio Arelatensi.

CCCLXXXI. Exterminanda (*k*) omni-

[*d*] Concil. Mogunt. an. 813. c. 37. Lib. 5. Capitular. c. 88. Burchard. lib. 2. c. 81. & 85.
(*e*) Lib. 1. Capitular. c. 145. Burchard. lib. 2. c. 86.
(*f*) Concil. Tarrac. c. 4. Burchard. lib. 2. c. 87. (*g*) Lib. 2. Capitular. c. 35.
(*h*) Concil. Nicæn. c. 20. Tomo I. nostro pag. 140. Burchard. lib. 2. c. 88.
(*i*) Ephes. 3. (*k*) Concil. 3. Tolet. c. 23.

omnino eſt inreligioſa conſuetudo, quam vulgus per Sanctorum ſolemnitates agere conſuevit; ut populi, qui debent officia Divina adtendere, ſaltationibus & turpibus invigilent canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes. Hoc etenim, ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum & Judicum a Sancto Concilio curæ committitur.

Ne ſuper mortuorum cadaveribus carmina diabolica nocturnis horis cantentur.

Unde ſupra.

CCCLXXXII. Laici, (*l*) qui excubias funeris obſervant, cum timore, & tremore, & reverentia hoc faciant. Nullus ibi præſumat diabolica carmina cantare, non joca & ſaltationes facere, quæ (*m*) pagani diabolo docente adinvenerunt. Quis enim neſciat, diabolicum eſſe, & non ſolum a religione Chriſtiana alienum, ſed etiam humanæ naturæ eſſe contrarium, ibi cantari, lætari, inebriari, & cachinnis ora diſſolvi: & omni pietate & affectu caritatis poſtpoſito, quaſi de fraterna morte exultare, ubi luctus, & planctus flebilibus vocibus debuerat reſonare pro amiſſione chari Fratris? Patres ſiquidem veteris ac novi Teſtamenti mortes ſanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deploraſſe, in nullo autem loco, quia a ſeculo receſſerant, exultaſſe. Nam (*n*) & Jacob Patriarcham flevit Ægyptus tota diebus ſeptuaginta. Et Joſeph & Fratres ejus, cum patrem deferrent in terram Chanaan ad ſepeliendum, celebrantes exequias ad ſepeliendum, ad aream (*) Atahe, quæ ſita eſt trans Jordanem, planctu magno atque vehementi impleverunt ſeptem dies. Tantus autem fuit planctus, ut locus inde nomen acceperit. Et de beato Stephano legimus, quod ſepelierunt eum, ſive curaverunt viri timorati, & (*o*) fecerunt planctum magnum ſuper eum. Et ideo talis inepta lætitia, & peſtifera cantica ex auctoritate Dei penitus interdicenda ſunt. Si quis autem cantare deſiderat, Kyrie eleyſon, cantet. Sin aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult, ſtatim ab omnibus banniatur, vel adjuretur, ut non habeat ibi licentiam amplius conſiſtere: ſed recedat, & ad propriam eat manſionem. In craſtinum autem taliter coerceatur, ut cæteri timeant.

Ut Epiſcopus Clericos alterius Parrœchiæ nullatenus ordinet.

Ex Concilio Antiocheno.

CCCLXXXIII. Epiſcopus (*p*) non conſtituat Presbyteros, aut Diaconos, alteri ſubjectos Epiſcopo, niſi forte cum conſilio & voluntate regionis Epiſcopi. Si quis autem tale aliquid agere tentaverit, irrita ſit ejus ordinatio, & ipſe coerceatur a Synodo.

Ut nullus alterius Clericum ordinet.

Ex Concilio Nicæno.

CCCLXXXIV. Si (*q*) quis Epiſcopus Clericum, ad alium pertinentem, audacter invadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo, a quo diſceſſit; ordinatio hujusmodi irrita comprobetur. (*Editio Helmæſtad. habebat: pertinentem aut Diaconum invadere.* Male)

De eadem re.

Ex Concilio Africano.

CCCLXXXV. Item (*r*) placuit, ut quicunque in Eccleſia vel ſemel legerit, ab Eccleſia ad Clericatum non teneatur.

Quod non oportet abſolute ordinationes fieri.

Ex Concilio Chalcedonenſi.

CCCLXXXVI. Nullum (*ſ*) abſolute ordinari debere Presbyterum, aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter Eccleſiæ civitatis

[*l*] Burchard. lib. 10. c. 34.
[*m*] Vide Lib. 6. Capitular. c. 193. 194. & Concil. Toletan. 3. c. 22.
(*n*) Geneſ. 50. (*) *Atad.* (*o*) Act. 8.
(*p*) Concil. Antioch. c. 22. Tomo I. noſtro pag. 160. Burchard. lib. 1. c. 107.
(*q*) Concil. Nicæn. c. 16. Tomo I. noſtro pag. 139. Burchard. lib. 1. c. 109.
[*r*] Concil. African. c. 57. Tomo I. noſtro pag. 219. Lib. 7. Capitular. c. 21. Burchard. lib. 8. c. 11.
(*ſ*) Concil. Chalcedon. c. 6. Tomo I. noſtro pag. 177. Burchard. lib. 2. c. 6.

tatis, aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii, cui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus, irritam haberi hujusmodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare, ad ordinantis injuriam.

Item ut nullus absolute ordinetur.

Ex Capitularium Libro I. cap. XXV.

CCCLXXXVII. Ut (*t*) nullus absolute ordinetur, & sine pronuntiatione stabilitatis loci, ad quem ordinatur.

De examinatione ante ordinationem.

Ex eodem cap. CXXXVI.

CCCLXXXVIII. Ut (*u*) Presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur.

De eadem re.

Ex Concilio Meldensi. cap. LII.

CCCLXXXIX. Qui (*x*) vero ex nostris Parrœchiis, aut ad titulum, aut absolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in loco certo & religioso, vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur; ut de vita & conversatione, atque doctrina illius certitudo possit agnosci. Et nemo absolute ordinare quemquam præsumat, sicut sancti sanxerunt canones. [*Vide infra cap.* 442. *hujus libri.*]

Ut ordinati litteras accipiant a suis ordinatoribus.

Ex Concilio Africano.

CCCXC. Placuit, [*y*] ut quicunque deinceps ordinantur per Provincias Africanas, litteras accipiant ab Ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

Ut nullus alterius servum ordinare præsumat.

Ex Epistola Leonis Papæ.

CCCXCI. Non (*z*) admittantur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur; & qui a Dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium Sacerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem capiat, non provehantur; Et probari Deo posse creditur, qui Domino suo necdum probare se potuit? *Et post pauca* : Debet esse immunis ab aliis, qui Divinæ militiæ fuerit aggregandus; ut castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatum vinculis abstrahatur.

De eadem re.

Ex Concilio Mogontiacensi. cap. XXVI.

CCCXCII. Si (*a*) servus absente, aut nesciente Domino, Episcopo autem sciente, Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipse in Clericatus officio permaneat. Episcopus autem eum duplici satisfactione Domino persolvat. Si vero Episcopus servum eum esse nesciverit, qui testimonium de illo perhibent, aut eum postulant ordinari; simili recompensatione teneantur obnoxii.

Mutila est prima pars istius capitis, adeoque nullum sensum habet. Sic itaque supplendus est hiatus ex editionibus Concilii Aurelianensis: *Si servus absente aut nesciente Domino, & Episcopo sciente, quod servus sit, aut Diaconus* &c. De servorum porro ordinatione vide infra cap. 396. hujus libri.

Ut nullus ministrorum alterius parrœchiæ Clericum latenter ad ordinationem subintroducat.

Ex Epistola Innocentii Papæ.

CCCXCIII. Ut (*b*) de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus Episcopus usurpet, nisi alterius Episcopi precibus exoratus fecerit, vel ipse Episcopus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus Nicæna statuit, ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat.

 Item

(*t*) Lib. 1. Capitular. c. 25.
(*u*) Lib. 1. Capitular. c. 142.
(*x*) Concil. Meld. c. 52.
(*y*) Concil. African. c. 56. Tomo I. nostro pag. 219. Burchard. lib. 2. c. 46.
(*z*) Decreta Leonis I. c. 1.
(*a*) Concil. Aurelian. 1. c. 8. Concil. Wormac. c. 40. Vide Concil. Mogunt. sub Kar. M. c. 23.
(*b*) Decreta Innoc. I. c. 14.

Item de servis ordinandis.

Ex Concilio Toletano.

CCCXCIV. Quicunque (*c*) libertatem a Dominis suis ita percipiunt, ut nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet; isti si sine crimine sunt, ad Clericatus ordinem libere suscipiantur; quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo, quod a patronis adhuc servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Ecclesiasticum ordinem promovendi; ne quando voluerint eorum Domini, fiant ex Clericis servi.

Item ex Capitularibus. Tit. LXXXIV.

CCCXCV. Si [*d*] Laici Clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reiciant.

De servorum ordinatione.

Ex eodem cap. LXXXII.

CCCXCVI. De (*e*) servorum ordinatione, qui passim ad gradus Ecclesiasticos indiscrete promoventur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere; & statutum est, ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi prius a Dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus Dominum suum fugiens, vel latitans, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus Ecclesiasticos pervenerit; decretum est, ut deponatur, & Dominus ejus eum recipiat. Si vero avus aut pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus Ecclesiasticos promotus fuerit, & utrum servus sit (*) ignotum sit, & postea veniens Dominus illius legibus cum adquisierit; sancitum est, ut, si Dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si vero cum catena servitutis a castris Dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat; quia juxta sacros canones vilis persona manens, Sacerdotii dignitate fungi non potest.

De peculiare servorum.

CCCXCVII. De (*f*) rebus vero illorum, vel peculiare, qui a Dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus Ecclesiasticos jure promoveantur, statutum est, ut in potestate Dominorum consistat, utrum illis concedere, an sibi vindicare voluerint.

De peculiare ordinatorum.

CCCXCVIII. Cæterum, (*g*) si post ordinationem aliquid adquisierit, illud observandum est, quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est.

De servis Ecclesiarum.

CCCXCIX. De (*h*) Ecclesiarum vero servis communi sententia est decretum, ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti, nostram auctoritatem, suffraganei autem illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de Familia Ecclesiæ utilis aliquis inventus est ordinandus, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, & omni Clero ante cornu Altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus Ecclesiasticos promoveatur.

De Familiis Monasteriorum.

CCCC. Similiter (*i*) quoque de his agendum est, quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint. Sed & de his, quos præpositi canonicorum, aut monachorum ordi-

(*c*) Concil. Tolet. 4. c. 73. Burchard. lib. 2. c. 25.
(*d*) Concil. Paris. lib. 1. c. 22. & Lib. 5. Capitular. c. 178.
(*e*) Capitulare Aquisgranense Ludovici Pii. c. 6. Lib. 1. Capitular. c. 88. Burchard. lib. 2. c. 31. Ivo. part. 6. c. 132.
[*] Sirmond. *ignoratum fuerit.* Codex noster vetus: *ignoraverit.*
(*f*) Lib. 1. Capitular. c. 88. Burchard. lib. 2. c. 23. Ivo part. 6. c. 38.
(*g*) Lib. 1. Capitular. c. 88. Burchard. lib. 3. c. 122.
(*h*) Lib. 1. Capitular. c. 88. Burchard. lib. 2. c. 32. Ivo part 6. c. 133.
(*i*) Lib. 1. Capitular. c. 88.

ordinandos expetierint, eadem forma ſervanda eſt.

Exemplar libertatis ſupra notatum.

CCCCI. Auctoritas [k] Eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & Majeſtas Regia canonicæ religioni aſſenſum præbet, ut quemcunque ad ſacros ordines ex familia propria promovere Eccleſia quæque delegerit, in pæſentia Sacerdotum, Canonicorum, ſimul & nobilium laicorum, ejus, cui ſubjecta eſt, ſubſcriptione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco ego, in Dei nomine Epiſcopus, vel Abbas, vel quilibet alius, annuente Chriſto, Sanctæ illius Eccleſiæ Rector, quendam Eccleſiæ noſtræ famulum, nomine illum, ſacris ordinibus oblatum, ad Altaris cornu in nobilium virorum præſentia per hoc auctoritatis teſtamentum ſtatuo; ita ut ab hodierna die & tempore bene ingenuus, atque ab omni ſervitutis vinculo ſecurus permaneat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet procreatus vel natus, eandemque pergat partem, quamcunque volens canonice elegerit, ita ut deinceps nec nobis, neque ſucceſſoribus noſtris, ullum debeat noxiæ conditionis ſervitium, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certa pleniſſimaque ingenuitate, ſicut alii cives Romani, per hunc manumiſſionis atque ingenuitatis titulum bene ſemper ingenuus atque ſecurus exiſtat. De ſuo vero peculiare, quod habet, vel quod abhinc, vel deinceps aſſequi poterit, faciat inde ſecundum canonicam auctoritatem libere, quidquid voluerit. Et ut hæc ingenuitatis pagina, inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria illam roboravimus.

Exemplar libertatis de proprio ſervo.

CCCCII. Qui (l) debitum ſibi nexum atque competens relaxat ſervitium, præmium in futuro apud Dominum ſibi provenire non dubitat. Quapropter ego in Dei nomine ille pro remedio animæ ſuæ, vel æterna retributione, in Eccleſia Sancti Petri, vel illius Sancti, ſub præſentia Epiſcopi, vel Sacerdotum ibi conſiſtentium, ac nobiliorum laicorum, ante cornu Altaris illius Eccleſiæ, abſolvo ſervum meum illum per hanc cartam abſolutionis, & ingenuitatis, ab omni vinculo ſervitutis; ita ut ab hac die & deinceps ingenuus ſit, & ingenuus permaneat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus vel procreatus, eamque pergat partem, quam maluerit, vel quam ei auctoritas canonica permittit, & ſicut alii cives Romani, vitam ducat ingenuam. Nulli autem heredum meorum ac proheredum, nec cuicunque alii perſonæ, quicquam debeat ſervitutis, vel libertatis obſequium, niſi ſoli Deo, cui omnia ſubjecta ſunt, vel pro cujus amore ipſum devotus ad ejus ſervitium obtuli. Peculiare vero ſuum, quod ei Dominus dederit, & deinceps Deo auxiliante laborare potuerit, conceſſum in perpetuum habeat, ut inde faciat, quidquid illi placuerit, ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones. Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe, aut aliquis de heredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona contra hanc ingenuitatis cartam venire tentaverit, aut eam quolibet modo infringere voluerit; primitus iram Dei incurrat, & a liminibus Sanctæ Dei Eccleſiæ extraneus efficiatur, & inſuper cui litem intulerit, ſexaginta ſolidos perſolvat, & quod repetit, evindicare non valeat; ſed præſens ingenuitas, mea & aliorum bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione ſubnixa, omni tempore maneat inconvulſa.

Debent (m) autem ſupraſcriptæ ingenuitatis cartæ non ſolum nomen illius, qui has fieri rogat, ſed etiam nomina ſacerdotum, & nobilium laicorum, qui ibi adfuerint, in ordine digeſta cum ſignis, propria manu impreſſis, continere. Nam ſine horum adſtipulatione, pagina auctoritate teſtium nudata, pro nihilo deputatur. Oportet etiam, ut locum, diem, annum, & Conſulem, & indictionem, in fine, vel in margine adnotatam habeat in hunc modum. Actum in illa civitate, in domo ſancti Petri, Kalendis illis, anno Dominicæ Incarnationis illo, regnante illo Rege, & præſidente in Cathe-

(k) Burchard. lib. 2. c. 26. Ivo. part. 6. c. 127. Vide Tom. 2. rer. Alam. Goldaſti. p. 37. c. 7.
(l) Burchard. lib. 2. c. 30. Ivo. par. 6. c. 131.
(m) Burchard. lib. 2. c. 27. Ivo. part. 6. c. 128.

Cathedra ſupradictæ civitatis Epiſcopo illo, in Monaſterio illo, indictione illa, in Dei nomine feliciter. Amen. Ait enim Romana auctoritas: *Quæcunque* (n) *leges ſine die, & conſule fuerint prolatæ, non valeant.*

Quod manumiſſio in Eccleſia debet fieri.

CCCCIII. Inſtruendi (o) ſunt præterea laici, ut ſciant, quod nullatenus alio loco manumittere proprios poſſunt ſervos, quos Dominicis caſtris aggregari decreverunt, niſi in ſacroſancta Eccleſia, ordine ſuprà notato. Quomodo enim Clerici extra Eccleſiam libertatem conſequi poſſunt, qui a lege mundana extranei ſunt? Et quibus interdicitur, ne ad ſeculare judicium procedant, quomodo ſeculari judicio a jugo ſervitutis abſolvuntur? Sed fortaſſe dicet aliquis: Clericus fieri non permittitur, niſi ante ſuſceptum Clericatus officium, ingenuitatis dignitate potiatur. Revera verum dicit. Et ideo, quod infirmari vel vituperari poteſt, præcavèri debet.

Unde ſupra.

CCCCIV. Non (p) ſolum autem, qui ad Clericatus ordinem promovendi ſunt, in Eccleſia manumittendi ſunt; verum etiam hi, quos quiſque pro remedio animæ ſuæ emancipare vult, ſecundum legem mundanam in Eccleſia abſolvi debent, & ejusdem Eccleſiæ patrocinio commendari. Scriptum quippe eſt in pacto Francorum.

De eadem re.

Ex Pacto.

CCCCV. Hoc (q) etiam volumus, ut qualiscunque Francus Ribuarius ſervum ſuum pro remedio animæ ſuæ ſecundum legem Romanam liberum facere voluerit; ut in Eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto Clero, & plebe in manu Epiſcopi ſervum cum tabulis tradat: & Epiſcopus Archi-Diacono jubeat, ut ei tabulas ſecundum legem Romanam, (*) qua Eccleſiæ vivunt, ſcribere faciat, & tam ipſe, quam & omnis procreatio ejus, liberi permaneant, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, & omnem reditum ſtatus ſui ad Eccleſiam perſolvant: & non alibi, niſi ad Eccleſiam, ubi relaxati ſunt, mallum teneant. Et ſi abſque liberis diſceſſerint, nullum alium, niſi Eccleſiam relinquant hæredem.

De eadem re.

Ex Lege Romana.

CCCCVI. Imperator (r) Conſtantinus Auguſtus, Oſio Epiſcopo Cordubenſi. Qui manumittendi in ſacroſancta Eccleſia habuerit voluntatem, tantum eſt, ut ſub præſentia Sacerdotum ſervos ſuos voluerit abſolvere, noverit eos ſuſcepta libertate cives eſſe Romanos. Nam ſi Clerici mancipiis ſuis dare voluerint libertatem, etiamſi extra conſpectum fecerint Sacerdotum, vel ſine ſcriptura verbis tantum fuerint abſoluti, manebit, ſicut civibus Romanis, integra & plena libertas.

Quod carta libertatis in ambone ſit legenda.

Ex Concilio Triburienſi.

CCCCVII. Ut (ſ) nulli de ſervili conditione ad ſacros ordines promoveantur, niſi prius a Dominis propriis libertatem legitimam conſequantur; cujus libertatis carta ante ordinationem in ambone publice legatur; & ſi nullus contradixerit, rite conſecrabitur. Porro Si de gradu deciderit; ejus ſit conditionis, cujus fuerat ante gradum.

Caput iſtud non extat in vulgatis editionibus Concilii Triburienſis. Extat autem etiam apud Burchardum, & in veteri collectione canonum MSS. in Bibliotheca Regia. Poſtrema porro illius pars, quæ mutila eſt apud Reginonem, ſic ſupplenda eſt ex Burchardo, & veteri illa collectione: *Porro ſervus non canonice conſecratus, poſtquam de gradu ceciderit, ejus ſit conditionis, cujus fuerat ante gradum.*

De

(n) Interpret. l. 1. cod. Theodoſ. de conſtit. Princ.
(o) Burchard. lib. 2. c. 28. Ivo. part. 6. c. 129.
(p) Burchard. lib. 2. c. 29. Ivo. part. 6. c. 130.
[q] Cap. 58. Legis Ripuarior.
(*) Edit. Helmæſtad. *quæ in Eccleſia viget.*
(r) Interpret. l. 1. cod. Theodoſ. de Manumiſſ. in Eccleſia.
(ſ) Burchard. lib. 2. c. 21.

De ordinatione.

Ex Concilio Neocæſarienſi.

CCCCVIII. Presbyter (*t*) ante trigeſimum ætatis ſuæ annum nullatenus ordinetur, licet valde ſit dignus, ſed hoc tempus obſervetur. Nam Dominus noſter trigeſimo ætatis anno baptizatus eſt.

De Diaconibus.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CCCCIX. Item (*u*) placuit, ut ante XXV. annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur.

Qui partem digiti ſibi abſcidit, Clericus eſſe non debet.

Ex Epiſtola Felicis Papæ.

CCCCX. Qui (*x*) igitur partem digiti ſibi abſcidit volens, hunc ad Clerum canones non admittunt. Cui vero caſu hoc accidit, & Clerici poſſunt fieri, et ſi in clero fuerint reperti, non abjici. *Vide Innoc. III. Lib.* 10. *Ep.* 124.

Ne inliterati ordinentur.

Ex Epiſtola Gelaſii Papæ.

CCCCXI. Inliteratos quoque, (*y*) aut aliqua parte corporis imminutos, nemo præſumat ad clerum provehere; quia nec literis carens ſacris eſſe poteſt aptus officiis, & vitioſum nihil Deo prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt. Similiter (*z*) qui ſe ipſos abſcidunt.

Ne criminoſi ad Clerum aſſumantur.

Ex eadem Epiſtola.

CCCCXII. Ne [*a*] criminoſi ad clerum admittantur. Ait enim Apoſtolus: Manum nemini cito impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.

Ut Dæmonibus, ſimilibusque Paſſionibus inretiti, miniſteria ſacra tractare non debeant.

Ex eadem Epiſtola.

CCCCXIII. Uſque (*b*) adeo ſane comperimus inlicita quæque prorumpere, ut Dæmonibus, ſimilibuſque paſſionibus inretitos myſteria Sacroſancta tractare tribuatur. Et poſt pauca. Si (*c*) corpore ſauciatum aut debilem nequaquam ſancta contingere lex divina prohibet, quanto magis doni cæleſtis diſpenſatores non convenit, quod eſt, deterius, mente perculſos?

Caput 412. vicem obtinebat Lemmatis in editione Helmæſtadienſi. Quoniam vero hic titulus non conveniebat capiti 413. in quo de diverſa prorſus materia agitur, nos, ne quid remorari poſſet lectorem, ſingula diſtinximus. Tum Lemmata his duobus capitibus addidimus ex noſtro. *Not. Baluzii.*

De Filiis concubinarum, ne ad Clerum aſſumantur.

Ex Concilio Aurelianenſi. Cap. 10.

CCCCXIV. De [*d*] his, qui ex concubinis filios habent, & uxores legitimas habuerunt, & defunctis uxoribus ſibi concubinas publice ſociaverunt, id obſervandum cenſuimus; ut ſicut eos, qui jam clerici per ignorantiam ordinati ſunt, non removemus, ita ſtatuimus, ne ulterius ordinentur.

De raptoribus virginum, & viduarum.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. LXI.

CCCCXV. Raptores (*e*) virginum, & viduarum, qui etiam poſtea voluntate parentum eas, quaſi deſponſatas ſub dotalitii nomine in conjugium duxerunt, pub-

Sss

[*t*] Concil. Neocæſar. c. 11. Tomo I. noſtro. p. 151. Lib. 1. capitular. c. 50. Burchard. lib. 2. c. 10.
(*u*) Concil. Carthag. 3. c. 4. Tomo I. noſtro pag. 201. Cap. mihi XVI. Burchard. l. 2. c. 11.
(*x*) Decreta Innoc. I. c. 28. Burchard. lib. 2. c. 14.
(*y*) Decreta Gelaſii. c. 16. Burchard. lib. 2. c. 18.
(*z*) Decreta Gelaſii. c. 17.
(*a*) Decreta Gelaſii. c. 18. Lib. 7. Capitular. c. 50.
(*b*) Decreta Gelaſii. c. 19. Burchard. lib. 2. c. 20.
(*c*) Vide Lib. 7. Capitular. c. 51.
(*d*) Concil. Aurelian. 3. c. 9. Burchard. lib. 2. c. 19.
[*e*] Concil. Meld. c. 64. Vide infra Lib. 2. c. 159.

publicæ pœnitentiæ ſubjungantur, & poſt publicam pœnitentiam; ne in pejus corruant, iterum convenientes de cætero eleemoſynis, & cæteris quibuscunque ſalvificæ converſationis actionibus inſervire procurent, uſquequo ab opere conjugali ex conſenſu ſe valeant abſtinere.

De filiis non legitimis.

CCCCXVI. Filii (*f*) vero ex hujuscemodi vituperabili conjunctione ante conjugium minus laudabile procreati, ad Eccleſiaſticam dignitatem nullo modo provehantur, nec de tali conjugio generati Eccleſiaſticis ordinibus applicentur; niſi forte eos, aut maxima Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas poſtulet, aut evidens meritorum prærogativa commendet.

De eadem re.

Ex lege Romana.

CCCCXVII. Si quis (*g*) inceſtas, aut nefarias nuptias inierit, nec uxorem habet, nec filios. Nam hi, qui ex huiusmodi conceptione nati fuerint, quamvis videantur naſci, patrem nullatenus habere cenſentur: & tanquam ſi de adulterio concepti fuiſſent, deputantur.

Eccleſiaſtica dignitas non recipit filios, ex illicito concubitu natos.

CCCCXVIII. Eos itaque, quos publicæ leges non admittunt, ſed velut infamiæ maculis reſperſos reſpuunt, & quaſi degeneres deſpiciunt, Eccleſiaſtica dignitas nullatenus recipit; præſertim cum nihil maculoſum Deo rite poſſit offerri, vel ejus ſervitio applicari.

Ut nullus alterius ſuſcipiat Clericum.

In Canonibus Apoſtolorum.

CCCCXIX. Epiſcopus, (*h*) apud quem Clericos alterius moratos eſſe conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſſationem pro nihilo reputans, tanquam Clericos fortaſſe ſuſceperit, velut Magiſter inquietudinis, communione privetur.

Ut alienum Clericum nemo ſuſcipiat.

Ex Decretis Leonis Epiſcopi.

CCCCXX. Alienum (*i*) clericum, invito Epiſcopo ipſius, nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet; niſi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus eſt, qui de fratris Eccleſia, id quod eſt utilius, aut pretioſius, audet, vel (*) abjicere, vel tenere.

De transfugis Clericis.

CCCCXXI. Itaque [*k*] ſi intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad Eccleſiam ſuam Metropolitanus redire compellat. Si autem longius receſſit, tui præcepti auctoritate revocabitur.

In Editione Helmæſtadienſi & in Codice Pariſienſi legitur: *ſui præcepti authoritate revocabitur.* Verum ſenſus repugnat. Præterea in omnibus Epiſtolarum Leonis Editionibus legitur: *Tui.* Agitur enim heic de auctoritate Anaſtaſii Epiſcopi Theſſalonicenſis in provinciis Illyricianis. *Vide lib. 5. de concordia Sacerdotii & imperii Cap. 27. §. 5.*

Unde ſupra.

CCCCXXII. Fugitivum (*l*) vero clericum aut monachum, deſerentem diſciplinam, veluti contemptorem, placuit revocare.

De eadem re.

Ex dictis Baſilii Epiſcopi.

CCCCXXIII. Si quis [*m*] eum, qui diſtrictionem Eccleſiaſticam non ferens, fugam meditari agnoverit, ſi non ſtatim prodiderit, proditionis illius participem ſe eſſe non dubitet, & tamdiu a conventu fratrum ſequeſtrandus eſt, quamdiu ille valeat revocari.

Ut

(*f*) Concil. Meld. c. 64. & 1. q. 7. cap. Tali conjugio.
(*g*) Gaji inſtitut. Tit. 4. Vide lib. 2. Leg. Longob. Tit. 8. c. 4. 5.
(*h*) Canon. Apoſtolor. c. 16. Tomo I. noſtro. pag. 132.
(*i*) Decreta Leonis I. c. 39.
(*k*) Decreta Leonis I. c. 39.
[*m*] Burchard. lib. 2. c. 228.
(*) In Epiſtola Leonis *allicere*, legitur pro *abjicere.*
[*l*] Regula S. Ferreoli. c. 20. Burchard. lib. 8. c. 26.

Ut Clerici cum epistolis Episcopi sui proficiscantur.

Ex Canonibus Apostolorum.

CCCCXXIV. Si quis (*n*) clericus, aut laicus ad alteram properat civitatem, & suscipitur præter commendatitias Epistolas; & qui susceperit, & qui susceptus est, communione privetur.

De eadem re.

Ex Concilio Antiocheno.

CCCCXXV. Nullus (*o*) peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur Epistolis.

De eadem re.

Ex Concilio Chalcedonensi.

CCCCXXVI. Peregrinos (*p*) clericos, & lectores in alia civitate, præter commendatitias litteras Episcopi sui, nusquam penitus ministrare debere.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CCCCXXVII. Presbyter, [*q*] aut Diaconus, aut Clericus sine antistitis sui litteris ambulans, communionem ei nullus impendat.

De eadem re.

Ex Concilio Chalcedonensi.

CCCCXXVIII. Omnes (*r*) pauperes & indigentes Ecclesiastico auxilio, cum proficiscuntur, cum probatione Epistolii, vel Ecclesiasticis pacificis tantummodo commendare decrevimus, & non commendatitiis litteris; propterea quod commendatitias litteras honoratioribus tantummodo personis præstari conveniat.

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

CCCCXXIX. Clerico (*s*) sine commendatitiis epistolis Episcopi sui, licentia non pateat evagandi. In monachis quoque præsentis sententiæ forma servetur.

De eadem re.

Ex Canonibus Apostolorum.

CCCCXXX. Nullus (*t*) Episcoporum peregrinorum, Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis suscipiatur epistolis; & cum scripta detulerint, discutiantur attentius, & ita suscipiantur.

De eadem re.

Ex Concilio Sardicensi.

CCCCXXXI. Januarius (*u*) Episcopus dixit: Illud quoque statuat Sanctitas vestra, ut nulli Episcopo liceat, alterius Episcopi civitatis ministrum Ecclesiasticum sollicitare, & in suis Parrœchiis ordinare.

Unde supra.

CCCCXXXII. Osius [*x*] Episcopus dixit: Et hoc universi constituimus, ut quicunque ex alia Parrœchia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius & voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus.

De eadem re.

Ex Concilio Laodicensi.

CCCCXXXIII. Quod [*y*] non oporteat Sacerdotem, vel Clericum sine literis proficisci canonicis.

De eadem re.

Ex Concilio Meldensi. cap. L.

CCCCXXXIV. Ut (*z*) Presbyteri, vel quilibet Clerici in alterius Parrœchiam sine formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam ministrare sinantur. Criminati autem ab omnibus excludantur, & ejiciantur a Parrœchiis, in quibus delitescunt; usque quo ad eum revertantur Episcopum, a quo aufugisse noscuntur.

Sss 2 Con-

(*n*) Canon. Apostolor. c. 13. Tomo I. nostro. pag 132. Burchard. lib. 2. c. 136.
(*o*) Concil. Antioch. c. 7. Tomo I. nostro, pag. 157. Burchard. lib. 2. c. 137.
(*p*) Concil. Chalcedon. c. 13. Tomo I. nostro. pag. 178. Burchard. lib. 2. c. 139.
[*q*] Concil. Agath. c. 52. Lib. 7. Capitular. c. 149. Burchard. lib. 2. c. 44.
(*r*) Concil. Chalcedon. c. 11. Tomo I. nostro. pag. 178. Burchard. lib. 2. c. 143.
(*s*) Concil. Agath. c. 38. Lib. 6. Capitular. c. 130. & lib. 7. c. 195. Burchard. lib. 2. c. 142.
[*t*] Canon. Apostolor. c. 34. Tomo I. nostro. pag. 134.
(*u*) Concil. Sardic. c. 18. Tomo I. nostro. pag. 193.
[*x*] Concil. Sardic. c. 19. Tomo I. nostro. pag. 193.
[*y*] Concil. Laodic. c. 41. Tomo I. nostro. p. 165. Lib. 1. Capitular. c. 59. Burchard. lib. 2. c. 45. (*z*) Concil. Meld. c. 50.

Consentiunt in hoc capite editio Helmæstadiensis, & codex MS. Parisiensis. In vulgaris tamen editionibus Concilii Meldensis ita legitur: *& rejiciantur a Parræchiis, in quibus cupiunt immorari, usque quo* &c. Habemus autem nos vetustum codicem MS., in quo descripti sunt canones istius Synodi Meldensis, in quo locus iste sic habet: *Et ejiciantur a Parræchiis, in quibus cupiunt immorari.* &c.

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

CCCCXXXV. Qui (*a*) cum senioribus suis de aliis Provinciis ad nostras Provincias veniunt sine formata, ministrare non permittantur: quam etsi attulerint, & ministrare idonei inventi fuerint, instruantur, quam religiose atque studiose sacrum ministerium (*) peragant, aut in quibus locis illud agere non debeant.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCCXXXVI. Clerici [*b*] vero, si ab hujusmodi hominibus ad ordinandum offeruntur, instrui debent, ut ad Episcopos, ex quorum Parrœchiis sumpti sunt, eos remittant; & aut ibi ordinentur, aut litteras canonicas ab Episcopo, ex cujus diœcesi sunt, ferant, sicut canonica docet auctoritas.

Nicæna Synodus hunc ordinem inter Episcopos in faciendis epistolis conservandum esse instituit.

CCCCXXXVII. Græca (*c*) elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis Epistolis canonicis, quas mos latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc a Patribus CCCXVIII. Nicææ constitutis saluberrime inventum est & constitutum, ut formatæ Epistolæ hanc calculationis, sive supputationis, habeant rationem, id est, ut assumantur in supputationem prima græca elementa Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, id est, π. τ. α. quæ elementa octogenarium, quadringentenarium, & unum numerum servant. Petri quoque Apostoli prima littera, id est, π. qui numerus octoginta significat. Ejus, qui scribit Epistolam prima littera; cui scribitur, secunda; accipientis, tertia; civitatis quoque, de qua scribitur, quarta; & Indictionis, quæcunque est illius temporis numerus assumatur. Atque ita his omnibus litteris græcis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcunque collecta fuerit, summam, Epistola teneat. Addat præterea separatim in Epistola etiam nonagenarium, & nonum numeros, qui secundum græca elementa significant AMHN. Tres igitur prædictæ litteræ græcæ, id est, π. τ. α. & prima littera ex nomine Petri, id est, π. DLX, & I. efficiunt numeros. π. enim, quæ est prima in nomine Summi Patris LXXX. numerat. τ. vero, quæ est prima in nomine Filii, CCCC. numerat. α. vero, quæ prima est in nomine Spiritus Sancti, unum indicat. Si addas π., quæ in nomine Petri est prima, id est, LXXX. DLXI. reperies. AMHN. vero, quod in fine prædictæ Epistolæ scriptum est, XCIX. indicat. A, enim unum, M, XL, H, VIII, N, L, numerant, qui XCIX. efficiunt numeros. Et si summam totam simul jungas, DCLX. Epistola numeros tenet.

Sed propter minus scientes ponenda videntur elementa ipsa græca cum numeris propriis:

	Græcæ	*Litteræ.*
I.	α.	Alfa.
II.	β.	Beta.
III.	γ.	Gamma.
IV.	δ.	Delta.
V.	ε.	Epi.
VI.	ς.	Senon.
VII.	ζ.	Zeta.
VIII.	η.	Eta.
IX.	θ.	Theta.
X.	ι.	Jota.
XX.	κ.	Cappa.
XXX.	λ.	Lapda.
XL.	μ.	Mi.
L.	ν.	Ni.
LX.	ξ.	Xi.
LXX.	ο.	O brevis.
LXXX.	π.	Pi.
XC.	ϙ.	Cophe.

(*a*) Concil. Meld. c. 51. Burchard. lib. 2. c. 144.
(*) Edit. Helmæstad. *peragere.*
(*c*) Ivo. part. 6. c. 433.
(*b*) Concil. Meld. ibid.

C.	Ρ.	Ro.
CC.	Σ.	Sigma.
CCC.	Τ.	Tau.
CCCC.	Υ.	Ry.
D.	Φ.	Phi.
DC.	Χ.	Chi.
DCC.	Ψ.	Psi.
DCCC.	Ω.	O longa.
DCCCC.	ϡ.	Ennachos Aechile.

Numerant autem ita, mia, dia, tria, tessera, pente, exa, epta, ogda, nea, deca, icosi, triepta, serenta, nirenta, exenta, ebdominta, ogdominta, enneminta, ecaton, diacos, tetracos, pentacos, exacos, ebdacos, ogdacos, ennacos &c. [*Ista sunt valde corrupta. Sed cum facile sit illa corrigere, nihil mutare voluimus. Nota Baluzii.*

Exemplar Epistolæ formatæ.

CCCCXXXVIII. In (*d*) nomine Π. Patris, & Υ. Filii, & Α. Spiritus Sancti. Rathbodus, Sanctæ Treverensis Ecclesiæ, ac plebis ipsius humilis famulus Rotberto, reverendo Sanctæ Metensis Ecclesiæ Antistiti, in Christo Pastorum Principe mansuram cum gaudio prosperitatis ac perpetuitatis gloriam. Decreta Sanctorum trecentorum decem & octo Patrum Nicææ constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam, piamque fraternitatem vestram canonice adgredimur, & sub nomine formatæ Epistolæ reverenter vestram sanctitatem adimus: vobis scilicet intimando, quia præsenti Presbytero nostro, nomine Gislemaro, has dimissorias dedimus litteras, quem in nostra diœcesi Ecclesiastice educatum, de ordine Clericatus, ad Presbyteratus proveximus gradum; ut his canonicis munitus apicibus cum nostra licentia ei in vestra Parrœchia sub defensione, ac regimine vestræ charæ dilectionis degere liceat; illumque in sinu Sanctæ Matris Ecclesiæ canonice fovendum, ac regendum vobis committimus. Hanc ergo Epistolam græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & anulo Ecclesiæ nostræ bullare censuimus. Christus Pastorum Princeps interventu Beati Petri, cui specialiter ovile Dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumem. Amen. Π. Υ. Α. Π. Ρ. Ο. Σ. Υ. Θ. ΑΜΗΝ. Summa horum MDXXXIX. Data Treveris Idib. Octobr. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI. Indictione nona. Π. Υ. Α. Π. Δ. Ρ. Δ. Θ.

Item alia Epistola.

CCCCXXXIX. Reverentissimo (*e*) & Sanctissimo Rathbodo, Sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Dado Wirdunensis Ecclesiæ devotus gregis Christi Famulus, in Domino vero Rege summæ felicitatis beatitudinem. Cum (*f*) Sancta Catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta Evangelica, quæ dicunt: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum* &c. Et Apostolus jubeat hospitalitatem sectari, & necessitatibus sanctorum virorum communicare; tamen (*) qui cauteritam habent suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cum sint astutia diabolica repleti: & pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cum sint sua malitia faciente fugitivi: & dicunt se esse ministerio sacro insertos, cum non sint; statutum est a Sanctis Patribus, neminem Clericum alienum & ignotum recipi ab aliquo Episcopo, & inthronizari in sua Ecclesia, nisi habeat a proprio Episcopo Epistolam, quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus Paternitati vestræ, quod præsens Frater noster harum literarum portitor, nomine Adruinus, non pro sua nequitia expulsus est a nobis; sed postulantibus Fratribus nostris, eo quod (*g*) ex familia nostra fuit, dedimus ei libertatem receptam a cornu altaris canonice, & ordinavimus eum ad gradum Presbyterii; cui etiam has dimissorias, sive commendatitias litteras fecimus, & eum ad vestram dilectissimam Fraternitatem dirigimus; ut in vestra Parrœchia sub vestro sacro regimine, & defensione consistere valeat. Ego, inquam, in nomine Π. Patris, & Υ. Filii, & Α. Spiritus Sancti, & in unitate sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est jus ligandi atque solvendi, absolvo Dado humilis Episcopus, Presbyterum Adruinum de civitate Wirdunensi, Indictione IX. & licentiam do vobis, Rathbode venerabilis Archi-Episcope, inthronizandi eum in quacunque Ecclesia vultis vestræ Parrœchiæ. Dilectam Paternitatem vestram

(*d*) Ivo. part. 6. c. 434.
(*f*) Burchard. lib. 2. c. 227.
(*g*) Vide supra c. 599.
(*e*) Ivo. part. 6. c. 435.
(*) Leg. *propter eos, qui caut.*

ſtram, virtutum floribus inſignitam, omnipotens Deus conſervare dignetur. Amen. Π. Υ. Α. Π. Δ. Α. Ρ. Δ. Θ. DCCLXXVIII. Data V. Idus Maji, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI. Indictione IX.

De Ordinatione.

Ex Epiſtola Gelaſii Papæ.

CCCCXL. Ordinationes [*h*] Presbyterorum, & Diaconorum, quæ niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, (*) quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi, ſed etiam quadrageſimalis initii, ac mediana quadrageſimæ die, ſabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas, nec cujuslibet utilitatis, ſeu Presbyterum, ſeu Diaconum his præferre, qui ante ipſos fuerint ordinati, aliquis præſumat.

Qualiter Epiſcopus debet ordinem facere.

Ex Concilio Nannetenſi.

CCCCXLI. Epiſcopus, (*i*) quando ordinationes facere diſponit; omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria quarta ante ipſam ordinationem evocandi ſunt ad civitatem una cum Archipresbyteris, qui eos repræſentare debent. Et tunc Epiſcopus e latere ſuo dirigere debet Sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros legis Divinæ, & exercitatos in Eccleſiaſticis ſanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum, ubi educati ſunt, ſi ſint bene litterati, ſi in lege Domini inſtructi, diligenter inveſtigent. Ante omnia, ſi fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis ſimplicibus adſerere queant. Ipſi autem, quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate inlecti a vero devient, ut indignum & minus idoneum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopi manibus applicent. Quod ſi fecerint, & ille, qui indigne acceſſit, ab Altari removebitur, & illi, qui donum Sancti Spiritus, vendere conati ſunt, coram Deo jam condemnati, Eccleſiaſtica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur. Et ſic ſabbato, qui probati inventi ſunt, Epiſcopo repræſententur.

Ex Concilio Meldenſi.

CCCCXLII. Hi, (*k*) qui ordinari petuntur; nullatenus ordinentur, niſi in loco certo & religioſo, vel etiam in civitate, ſaltim uno anno immorentur; ut de vita & converſatione atque doctrina illorum certitudo poſſit agnoſci. (*Vide ſupra cap.* 389.

Qualiter Epiſcopus ordinandus examinabitur.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CCCCXLIII. Qui (*l*) Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur, ſi natura prudens eſt, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſui negotii cavens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, & ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus adſerat, id eſt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum eſſe confirmans, totamque Trinitatem, Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædicans, ſingulam quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas unum Deum: ſi Incarnationem Divinam, non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, ſed in Filio tantum credit: ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipſe fieret in homine hominis Matris Filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex Matre, carnem ex matris viſceribus habens, & animam humanam rationalem, ſimul in eo utriusque naturæ, id eſt, homo & Deus, una perſona, unus Filius, unus Chriſtus, unus Dominus, (**) creaturarum omnium, quæ ſunt, & auctor, & Domi-

(*h*) Decreta Gelaſii. c. 11. Ivo. part. 6. c. 74.
[*] Leg. *id eſt, primi & quarti.*
(*i*) Concil. Nannet. c. 11. Burchard. lib. 2. c. 1.
[*k*] Concil. Meld. c. 52. Burchard. lib. 2. c. 4.
(*l*) Concil. Carthag. 4. c. 1. Burchard. lib. 1. c. 8. Ivo. part. 5. c. 62. Gratian. Diſt. 23. c. 2.
[**] *Creator.*

Dominus, & Rector cum Patre, & Spiritu Sancto omnium creaturarum: qui passus est vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione, (*) vel resumptione, in qua veniet judicare vivos, & mortuos. Quærendum etiam ab eo, si novi & veteris testamenti, id est, legis, & Prophetarum, & Apostolorum, unum eundemque credat auctorem Deum: si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiam ab eo, si credat hujus, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem: si credat judicium futurum, & recepturos singulos pro his, quæ in hac carne gesserunt vel pœnas, vel præmia: si nuptias non improbet: si secunda matrimonia non condemnet: si carnium perceptionem non culpet: si pœnitentibus reconciliatis communicet: si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntarie admissa sunt, dimittantur: si extra Ecclesiam Catholicam nullus salvetur. Cum in his omnibus examinatus, pleniter instructus repertus fuerit, tunc ordinetur.

Postremam istius capitis partem decurtavit Regino. Et tamen illa magni momenti est. Itaque nos heic eam censuimus esse reponendam in gratiam lectorum. Sic ergo habet in capite primo Concilii Carthaginensis quarti: *Cum in his omnibus examinatus, inventus fuerit plene instructus, tunc consensu Clericorum, & laicorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani, vel auctoritate, vel præsentia ordinetur Episcopus.* Burchardus & Ivo, quia ex Reginone acceperunt, finem hanc istius capitis exhibent decurtatam. Gratianus aliunde accepisse videtur, quam ex istorum collectionibus, cum integrum locum referat: Qualiter Presbyteri, vel Diaconi ante ordinationem, vel post ordinationem examinentur, vel qualiter de suo ministerio discutiantur, in principio istius libelli satis expressum est, ubi scriptum est, quid sit a Presbytero requirendum. Et ideo superfluum videtur repeti & iterari, quod jam constat esse notatum.

EXPLICIT LIBELLUS PRIMUS.

[*] Alibi legitur: *& vera animæ resumpt.*

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

In superiori libello, quid Episcopo, vel ejus Ministris, cum Ecclesiasticis viris sit agendum, & in sua Synodo requirendum, ex parte notavimus. Nunc quid cum sæcularibus, & laicis sit agendum, vel agere oporteat, prout Dominus dederit, percurramus.

Qualiter Episcopus suam parrœchiam debet circuire.

Ex Concilio Rotomagensi.

I.

CUm [a] Episcopus suam diœcesim circuit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet uno aut duobus diebus per parrœchias, quas visitaturus est; & plebe convocata ad nuntiare debet proprii pastoris adventum, & ut omnes ad ejus synodum die denominata imprætermisse occurrant, omnimodis ex auctoritate sanctorum canonum præcipere, & minaciter denuntiare. Quod si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio a communione Christiana sit repellendus. Deinde ascitis secum Presbyteris, qui illo in loco servitium debent exhibere Episcopo, quidquid de minoribus, & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, ut ibi immorari amplius necesse sit, quam expensa sufficiat. Ait enim Dominus ad Moysen de hujusmodi cooperatoribus: *Ut* [b] *tecum sustentent onus populi, &*

(a) Burchard. lib. 1. c. 90.

(b) Num. 11.

& non tu solus graveris. Et Beatus Johannes Baptista adventum Domini præcurrit prædicando dicens: *Pœnitentiam* [c] *agite &c.* & idem, *Parate viam Domino.* Siquidem Episcopus vicem Christi agere videtur. Et ideo cum gaudio, timore, & summa reverentia a plebibus sibi subjectis suscipiendus est, ut illis cum laude dicatur, quod Apostolus discipulis dicit: *Testimonium* [d] inquit, *vobis perhibeo, quod ita suscepistis me sicut Angelum Dei, sicut Dominum Jesum.*

De Juratoribus Synodi.

Unde supra.

II. Episcopus [e] in Synodo residens, post congruam allocutionem, septem ex plebe ipsius parrœchiæ, vel eo amplius aut minus, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros in medio debet evocare; & allatis sanctorum pignoribus unumquemque illorum tali Sacramento constringat:

Sacramentum Synodale.

III. Amodo (f) inantea quidquid nosti, vel audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra Dei voluntatem, & rectam Christianitatem in ista Parrœchia factum est, aut in futurum erit, si in diebus tuis evenerit, tantum ut ad tuam cogitationem quocunque modo perveniat, si scis, aut tibi indicatum fuerit, synodalem causam esse, & ad ministerium Episcopi pertinere, quod nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celare debeas Episcopo de Treveris, aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocunque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet, & istæ sanctorum reliquiæ.

Reliqui ita jurent:

Istud [g] Sacramentum, quod iste juravit de synodali causa, quod tu illud observabis, in quantum sapis, aut audisti, aut ab hac die in antea inquisiturus es. Sic te Deus adjuvet.

Allocutio Episcopi.

IV. Videte, [h] fratres, ut Domino reddatis juramenta vestra. Non enim homini jurastis, sed Deo creatori vestro. Nos autem, qui ejus ministri sumus, non terrenam substantiam vestram concupiscimus, sed salutem animarum vestrarum requirimus. Cavete, ne aliquid abscondatis, & ex alterius peccato vestra fiat damnatio.

Post hæc ita per ordinem interroget:

V. 1. Est in [i] hac parrœchia homicida, qui hominem aut spontanea voluntate, aut cupiditatis aut rapacitatis causa, aut casu, aut nolens, & coactus, aut pro vindicta parentum, quod faidam dicimus, aut in bello, aut jussu Domini, aut proprium servum occiderit?

2. Est aliquis parricida, aut fratricida, qui patrem, matrem, fratrem, sororem, avunculum, aut aliquem parentem interfecerit?

3. Est aliquis, qui Presbyterum aut Diaconum, aut aliquem Clericorum occiderit, vel aliquo membro detruncaverit?

4. Est aliquis, vel aliqua, qui infantem proprium oppresserit, vel vestimentorum pondere suffocaverit? Et si hoc factum est ante Baptismum, aut post Baptismum: aut si infans infirmatus per negligentiam parentis absque Baptismo obierit?

5. Est aliquis, vel aliqua, qui alterius partum excusserit? vel si ipsa fœmina propria voluntate suum partum excusserit, & abortivum fecerit?

6. Est aliqua femina, quæ in fornicatione concipiens, timens, ne manifestaretur, infantem proprium, aut in aquam projecerit, aut in terra occultaverit, quod morth dicunt?

7. Est aliquis, qui uxorem suam absque lege, aut certa probatione interfecerit?

8. Est aliqua femina, quæ virum suum, vel aliquem hominem per herbas venenatas, vel mortiferas potiones interfecerit, vel alium hoc facere docuerit?

9. Et

(c) Matth. 3.
(d) Gal. 4.
(e) Burchard. lib. 1. c. 91.
[f] Burchard. lib. 1. c. 92.
(g) Burchard. ibid. c. 93.
(h) Burchard. ibid. c. 94.
(i) Burchard. lib. 1. c. 94.

9. Eſt aliquis, vel aliqua, qui hoc fecerit, vel alium facere docuerit, ut vir non poſſit generare, aut femina concipere?

10. Eſt aliquis, qui proprium ſervum extra judicem occiderit, & aliqua femina, quæ ancillam propriam necaverit, furore zeli inflammata?

11. Eſt aliquis, qui diabolo impellente, ſemetipſum occiderit?

12. Si in bello aliquis homines vulneravit, & neſcit, ſi de illo vulnere aliquis perierit: & ſi alicui imputatur, quod hominem occiderit, & ipſe hoc denegat?

13. Si aliquis eſt in conſilio, ut homo interficiatur, & non eſt in facto; & tamen per ejus conſilium, & exhortationem interfectus eſt?

14. Eſt aliquis, qui truncationes manuum, pedum, linguæ, & teſticulorum fecerit, & oculos alterius eruerit?

Deinde interrogandum de adulteriis & fornicationibus.

15. Si quis conjugatus cum alterius uxore adulteratus fuerit: ſi qua uxor cum alterius viro?

16. Si quis uxorem habens concubinam ſimul habuerit ancillam propriam, aut aliam feminam?

17. Si quis uxorem legitimam dimiſerit, & aliam in conjugium acceperit.

18. Si qua mulier virum proprium dimiſerit, & alteri ſe conjunxerit.

19. Si interveniente repudio ab invicem ſeparantur, & ſic manent.

20. Si quis abſque conſenſu uxoris, derelicto legitimo conjugio, in monaſterium intrat.

21. Si aliquis ſuam conjugem, quamvis culpabilem, ſine Epiſcopi judicio relinquit.

22. Si qua mulier, conſcio viro ſuo, fornicata fuerit.

23. Si quis uxore carens, cum alterius conjuge fornicatus fuerit: Aut ſi qua mulier non habens virum, cum alterius marito.

24. Si quis non habens uxorem, cum femina, quæ virum non habet, fornicatus fuerit.

25. Si laica virgo mœchata fuerit, cum adoleſcente.

26. Si quis deſponſatam puellam non duxerit, & fidem ſponſaliorum fregerit.

27. Si quis alterius ſponſam rapuerit, & ſibi ſociaverit.

28. Si quis quamcunque feminam, virginem, aut viduam, per raptum traxerit, & ſociaverit ſibi matrimonio: & ſi aliqui ſunt, qui in hoc conſentientes, & adjuvantes fuerunt.

29. Si quis cum Judæa, vel ſi Judæus, vel ſi Paganus cum aliqua Chriſtiana mœchatus fuerit.

30. Si quis ſanctimonialem, vel viduam Deo ſacratam rapuerit, & in conjugium ſumpſerit, vel ipſis conſentientibus cum eis fornicatus fuerit.

31. Si quis vivente marito conjugem illius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto eandem ſumpſiſſe dinoſcitur.

32. Si aliqua mulier dicit, quod vir ejus non poſſit cum ea coire, & ob hanc cauſam diſcidium quærit, & alium virum vult accipere.

33. Si quis cum matre ſpiritali mœchatus fuerit, vel eam in matrimonium accepit, ſimiliterque cum filiola, quam ex ſacro fonte ſuſcepit, aut ante Epiſcopum tenuit.

34. Si quis propinquam, aut conſanguineam ſuam, in matrimonium accepit, aut cum ea fornicatus eſt.

35. Si aliquis inrationabiliter, id eſt, contra naturam, cum maſculis & mutis miſceatur animalibus.

36. Si qua mulier lenocinium fecerit.

37. Si aliquis in ſua domo conſentit cum propriis ancillis, vel geneciariis ſuis adulterium perpetrare.

De furto & ſacrilegio.

38. Interrogandum, ſi aliquis fur, aut ſacrilegus ſit, qui Eccleſias Dei infregerit, vel aliquid de Eccleſia furatus ſit, aut publice rapuerit, aut latenter ſubripuerit, aut aliquis rapax & raptor, & deprædator Eccleſiæ Dei eſt. Quamvis enim hæc ſecundum legem humanam emendari debeant, atque exſolvi; tamen

tamen pœnitentia ad Episcopum pertinet.

De perjuris.

39. Interrogandum, si aliquis perjurus sit, aut si sciens, & pro cupiditate terrena perjuraverit. Et si nesciens, aut coactus jussu senioris: aut pro membris, & vita redimenda: aut si quis scienter non solum perjuraverit, sed etiam alios in perjurium induxerit.

De falso Testimonio.

40. Interrogandum, si aliquis scienter contra aliquem falsum testimonium protulerit: quia hoc capitale crimen est, & quale damnum aliquis per hanc testificationem habuerit.

41. Interrogandum, si aliquis hominem liberum, aut servum alterius, aut peregrinum, & adventitium furatus fuerit, aut eum blandiendo seduxerit, & vendiderit, & extra patriam in captivitatem miserit: aut si aliquis Judæo, vel pagano Christianum mancipium vendiderit, aut si ipsi Judæi Christiana mancipia vendant.

De incantatoribus & sortilegis.

42. Interrogandum, si aliquis magus, hariolus, aut incantator, divinus, aut sortilegus sit.

43. Si (k) aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam, quasi ad altaria faciat, aut ibi candelam, seu quodlibet munus deferat, velut ibi quoddam numen sit, quod bonum aut malum possit inferre.

44. Perscrutandum, (l) si aliquis subulcus, vel bubulcus, sive venator, vel cæteri hujusmodi dicat diabolica carmina super panem, aut herbas, & super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet a peste & clade, & alterius perdat. Quæ omnia idololatriam esse nulli fideli dubium est. Et ideo summopere sunt exterminanda.

45. Perquirendum, (m) si aliqua fœmina sit, quæ per quædam maleficia, & incantationes mentes hominum se immutare posse dicat, id est, ut de odio in amorem, aut de amore in odium convertat, aut bona hominum aut damnet, aut subripiat. Et si aliqua est, quæ se dicat cum dœmonum turba in similitudine mulierum transformata certis noctibus equitare super quasdam bestias, & in earum consortio adnumeratam esse; hæc talis omnimodis ex Parrœchia ejiciatur.

De morticinis & sanguine.

46. Interrogandum, (n) si aliquis sanguinem, morticinum, aut dilaceratum a bestia comedat.

47. Si aliquis per odium ad pacem non revertitur, aut juravit, quod Deo contrarium est, ut fratri nunquam reconcilietur, quod est peccatum usque ad mortem.

48. Si aliquis bibit de liquore, in quo mustela, vel mus, sive aliquod immundum animal necatum est.

49. Si aliquis jejunium quadragesimale non observat, vel quatuor temporum, sive Letaniam majorem, vel rogationum, sive indictum ab Episcopo jejunium pro quacunque plaga.

50. Si (o) aliquis est, qui bibit, aut manducat, aut portat, super se quod existimat Dei judicium pervertere posse.

51. Si (p) aliquis in Kalendis Januarii aliquid fecit, quod a paganis inventum est, & dies observat, & lunam, & menses, & horum effectiva potentia aliquid sperat in melius, aut in deterius verti.

52. Si aliquis quodcunque opus inchoans, aliud ibi aliquid dicit, aut quacunque magica arte aliud facit, nisi ut Apostolus docet: *Omnia in nomine Domini facienda.* Neque enim dœmones in nostro adjutorio debemus invocare, sed Deum. In collectione similiter herbarum medicinalium symbolum & orationem Dominicam dicere oportet, & nihil aliud.

53.

(k) Burchard. lib. 10. c. 32.
(l) Burchard. lib. 1. c. 94. §. 43. & lib. 10. c. 18.
(m) Burchard. lib. 1. c. 94. §. 44. & lib. 10. c. 29.
[n] Burchard. lib. 1. c. 94. §. 45. & seqq.
(o) Burchard. lib. 10. c. 25.
(p) Burchard. lib. 10. c. 17.

53. Quærendum etiam, ſi mulieres in lanificiis ſuis, vel in (*) ordiendis telis aliquid dicant, aut obſervent, niſi, ut ſupra dictum eſt, omnia in nomine Domini.

54. Si quis oblationes, id eſt, eleemoſynam parentum defunctorum injuſte retinet.

55. Si aliquis ſuper mortuum nocturnis horis carmina diabolica cantat, & bibit, & manducat, & quaſi de ejus morte gratulatur, & ſi alibi mortui in vigiliis nocturnis, niſi in Eccleſia cuſtodiuntur.

56. Si aliquis Chriſtianus eſt, qui non communicet, vel tribus temporibus in anno, id eſt, Paſcha, Pentecoſten, & Natale Domini; niſi pro mortiferis criminibus Epiſcopi, vel Sacerdotum judicio a communione fuerit remotus.

57. Eſt aliquis, qui in die Dominico, vel in præcipuis Feſtivitatibus quicquam operis faciat: & ſi ad Matutinas, & ad Miſſam, & ad Veſperas his diebus inprætermiſſe omnes occurrant.

58. Si aliquis excommunicatus pro nihilo duxerit excommunicationem, & ſi aliquis cum excommunicato communicaverit.

59. Si aliquis modum pœnitentiæ ſibi injunctum non cuſtodierit.

60. Si aliquis patrem aut matrem inhonorat, aut percutit, aut maledicit.

61. Si aliquis vomitum poſt acceptam Euchariſtiam per ebrietatem fecerit.

62. Si aliquis eſt, qui ſuam decimam Deo, & Sanctis ejus retrahat.

63. Si aliquis eſt tam perverſus, & a Deo alienus, ut ſaltim Dominica die ad Eccleſiam non veniat.

64. Si porcarii, & alii paſtores Dominica die ad Eccleſiam veniant, & Miſſas audiant; ſimiliter in aliis Feſtis diebus.

Ita Editio Helmæſtadienſis, & Burchardus lib. 1. cap. 94. §. 63. Codex vero Pariſienſis ita habet: *Si porcarii ---- veniant. Similiter præcipuis feſtivitatibus.* Codex MS. Monaſterii Rivipullenſis, in quo continentur decreta Eutychiani Papæ: *Si porcarii, & alii paſtores Dominica die ad Eccleſiam non veniant, & Miſſam non audiant. Similiter & in aliis feſtivitatibus.*

65. Si aliquis ad confeſſionem non veniat, vel una vice in anno, id eſt, in capite quadrageſimæ, & pœnitentiam pro peccatis ſuis ſuſcipiat.

66. Si quis eſt, qui aſſiduam ebrietatem ſectatur. Neque enim ebrioſi Regnum Dei poſſidebunt.

67. Si aliquis eſt, qui contempto ſuo Presbytero in aliam Parrœchiam venit ad Eccleſiam, & ibi communicat, & ſuam decimam dat.

68. Inquirendum de mendicis, qui per patrias diſcurrunt, & ſi unusquiſque pauperem de familia ſua paſcat.

69. Si (*q*) in unaquaque Parrœchia Decani ſunt per villas conſtituti, viri veraces, & Deum timentes: qui cæteros admoneant, ut ad Eccleſiam pergant ad Matutinas, Miſſam, & Veſperas, & nihil operis in diebus feſtis faciant. Et ſi horum quiſquam transgreſſus fuerit, ſtatim Presbytero adnuntient. Similiter & de luxuria, & omni opere pravo.

70. Si aliquis eſt, qui bannum Epiſcopi, aut Presbyteri ſui, & excommunicationem parvipendens, pro nihilo ducat.

71. Si Parrœchiani Presbytero ſuo debitum honorem impendant, aut ſi aliquis eſt, qui eum verbo vel facto inhonorat, & ejus monita ſpernit.

72. Si aliquis eſt, qui peregrino aut viatori hoſpitium contradicit.

73. Inquirendum, quas feſtivitates colant.

74. Si patrini filiolis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuant, aut inſinuari faciunt.

75. Si quatuor, aut quinque, vel plures unum interfecerint hominem.

76. Si aliquis eſt, qui contradicit Epiſcopo, aut ejus Miniſtris, ne coloni aut ſervi propter commiſſa crimina virgis nudi cædantur.

77. Inquirendum, ſi aliquis peregrinum, qui de ſua patria propter paganorum infeſtationem, vel perſecutionem fugit, hac de cauſa, quia in domo ejus man-

Ttt 2

(*) Edit. Helmæſtad. *ordinandis.*
(*q*) Burchard. lib. 1. c. 91. §. 68. & ſeqq.

mansit, & diebus, aut annis loco mercenarii illi servivit, pro proprio servo illum velit habere, & vendere, aut dare alicui præsumat.

78. Si aliquis est, qui injusta mensura suam annonam, aut vinum vendat, cum Dominus dicat: Æquus tibi sit modius & sextarius æquus.

79. Denuntiandum etiam, quam magnum piaculum sit, usuras exigere, & de alieno fœnore velle ditescere, & quod sacri canones tales ab Ecclesia ejici præcipiant.

80. Si aliquis propter cupiditatem Judæum, aut Paganum interfecerit.

81. Si aliquis insaniens aliquem hominem occiderit.

82. Si quis arborem inciderit, & dum operi necessario insistit, aliquis subtus arborem deveniens improvise opprimitur.

83. Si quis conjurationes, & conspirationes sectatur.

84. Si quis Ecclesiam, aut Clericum fatigare præsumit.

85. Inquirendum de refugis, & perfidis laicis.

86. Percunctandum de Confratriis, & Fraternitatum societatibus, qualiter in Parrœchia agantur.

87. Si cantica turpia, & risum moventia aliquis circa Ecclesiam cantare præsumit.

88. Si aliquis in Ecclesiam intrans, fabulis vacare consuevit, & non diligenter auscultat Divina eloquia, & si antequam Missa finiatur, de Ecclesia exit.

89. Si oblationem, id est, panem, & vinum, viri & feminæ ad Missas offerunt; & si non viri, conjuges pro illis offerant, pro se, suisque omnibus, ut in Canone continetur.

Capitula hæc, quæ per ordinem adnotavimus, Canonicis oportet roborari decretis.

De pœnitentia homicidarum.

Ex Concilio Triburiensi.

VI. Ut pœnitentia super homicidiis non diverso more, ut prius; sed in Episcopiis singulis uno more agatur.

Unde supra.

Si (r) quis spontanea voluntate, diabolo suadente, homicidium perpetraverit; juxta canonum sanctiones, & judicium Episcoporum talem pœnitentiam accipere debet:

In primis, ut licentiam non habeat, Ecclesiam intrandi illos proximos quadraginta dies: nudis pedibus incedat, & nullo vehiculo utatur, in laneis vestibus sit, absque femoralibus, arma non ferat, & nihil sumat his quadraginta diebus, nisi tantum panem & salem, & puram bibat aquam, & nullam communionem cum cæteris Christianis, neque cum alio pœnitente habeat in cibo & potu, antequam quadraginta dies adimpleantur; & ex cibo, quem sumit, nullus alius manducet. Considerata vero personæ qualitate, vel infirmitate, de pomis, vel oleribus, seu leguminibus, prout visum fuerit, aliquid pro misericordia indulgeatur, maxime si quis coactus & non sponte homicidium fecerit. Et ei omnimodis ex canonica auctoritate interdicatur, ut in his diebus cum nulla femina misceatur, nec ad propriam uxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat, juxta Ecclesiam sit, ante cujus januas peccata sua defleat diebus & noctibus; & non de loco ad locum pergat, sed in uno loco his quadraginta diebus sit. Et si forte habuerit insidiatores vitæ suæ, interim differatur ei pœnitentia, donec ab Episcopo pax ei ab inimicis reddatur. Et si infirmitate detentus fuerit, ita ut non possit digne pœnitere, differatur pœnitentia, donec sanitati restituatur. Si autem longa ægritudine detentus fuerit, ad sententiam Episcopi pertinebit, quomodo reum & infirmum sanare disponat. Completis quadraginta diebus, aqua lotus, vestimenta & calciamenta, quæ a se abjecerat, rursus sumat, & capillum incidat.

Quid in primo anno observare debeat.

VII. In (s) primo anno post quadraginta dies totum illum annum a vino, medone, & mellita cerevisia, a carne, & caseo, a pinguibus piscibus abstineat, nisi festis diebus, qui in illo Episcopio

(r) Burchard. lib. 1. c. 1.

(s) Burchard. lib. 6. c. 2.

copio a cuncto populo celebrantur: & nisi forte in magno itinere, vel in hoste, vel diu ad Dominicam curtem, vel infirmitate detentus sit. Tunc liceat uno denario, vel pretio unius denarii, aut tres pauperes pascendo, tertiam feriam, quintam feriam, & sabbatum redimere, ita duntaxat ut una re de tribus utatur. Postquam domum venerit, aut sanitati fuerit restitutus, nullam licentiam habeat redimendi.

Quid in aliis duobus annis observare debet.

VIII. Completo (*t*) anni circulo Ecclesiam ingrediatur, & pacis osculum concedatur. In secundo, & tertio anno similiter jejunet; nisi quod tertiam feriam, quintam, & sabbatum potestatem habeat redimendi, ubicunque est. Cætera diligenter omnia observet uti in primo anno.

Quid in reliquis quatuor annis observare debet.

IX. Quatuor (*u*) anni deinde restant; per quos singulos jejunet tres quadragesimas. Unam ante Pascha cum cæteris Christianis, abstinendo a vino, medone, mellita cerevisia, caseo, & a piscibus pinguibus. Alteram ante nativitatem Sancti Joannis. Si aliquid remanet de quadraginta diebus, post Missam Sancti Joannis impleat. Tertiam ante natale Domini jejunet, ut supra dictum est. Et in quattuor supradictis annis, tertia, quinta feria, & Sabbato utatur, quidquid vult, & secundam, & quartam feriam omnimodis observet, & nequaquam redimat. His expletis sacram communionem accipiat.

De eo, qui voluntarie homicidium fecit.

Ex Concilio Ancyrano.

X. Qui (*x*) voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur.

De eadem re.

Ex Concilio Parisiensi.

XI. Si (*y*) quis homicidium sponte commiserit, & non violenti resistens; sed vim faciens, innocentem, & simpliciter gradientem interfecerit; cum isto penitus non communicandum: sic tamen, ut si pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

XII. Itaque [*z*] censuimus homicidas, & falsos testes a communione Ecclesiastica submovendos; nisi pænitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

De eadem re.

Ex Concilio Nannetensi.

XIII. Si [*a*] quis voluntarie, & per insidias hominem interfecerit, jugi se pœnitentiæ submittat. Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio removeatur; post quinquennium in orationum communione recipiatur: (*) non autem simul offerat, non corpus Domini contingat, in quo perdurans quatuordecim annis; tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur.

De eadem re.

Ex eodem.

XIV. In [*b*] Exodo Dominus dicit de homicidiis: *Si* (*c*) *quis de industria, & per insidias hominem occiderit, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.*

De homicidiis non sponte commissis.

Ex Concilio Ancyrano.

XV. De [*d*] homicidiis non sponte commissis prior quidem diffinitio post septen-

(*t*) Burchard. lib. 6. c. 3. 4. (*u*) Burchard. lib. 6. c. 5.
(*x*) Concil. Ancyr. c. 21. Tomo I. nostro. p. 148. Halitgar. lib. 4. c. 1. Burchard. l. 6. c. 13.
(*y*) Concil. Remense anni 630. c. 9. Burchard. lib. 6. c. 14.
(*z*) Concil. Agath. c. 37. Burchard. lib. 6. c. 29.
(*a*) Concil. Nannet. c. 17. Burchard. lib. 6. c. 12.
[*] Sequentia non extant in codice MS.
(*b*) Concil. Nannet. ibid. (*c*) Exod. 21.
(*d*) Concil. Ancyran. c. 22. Tomo I. nostro. pag. 148. Halitgar. lib. 4. c. 2. Burchard. lib. 6. c. 15.

ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit, ſecunda vero quinquennii tempus explere.

De eadem re.

Ex Epiſtola Rabani ad Heribaldum Epiſcopum.

XVI. Nam (*e*) de his legimus, qui hominem non ſponte interfecerunt, Deum per legislatorem urbes refugii deputaſſe, ad quas confugientes ſalvarentur ab ultore ſanguinis proximi ſui, & non morerentur. Unde in Deuteronomio ſcripeſt: *Hæc* (f) *erit lex homicidæ, cujus vita ſervanda eſt. Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & heri, & nudius tertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur; ſed abiſſe ſimpliciter cum eo in ſilvam ad ligna cædenda: & in ſuccifione lignorum ſecuris fugerit de manu, aut ferrum delapſum de manubrio, amicum ejus percuſſerit, & occiderit; hic ad unam urbium ſupradictarum confugiat & vivat.*

De eadem re.

Ex Concilio Wormacienſi. cap. V.

XVII. Sæpe (*g*) contingit, ut dum quis operi neceſſario inſiſtens arborem incidat, aliquis ſubtus ipſam veniens deprimatur: & idcirco ſi voluntate, vel negligentia incidentis arborem, factum eſt; ut homicida, pœnitentiæ omnino debet ſubmitti. Quod ſi non voto, ſed incuria ejus, non denique [*] [hæc eum] ſententia contingit; ſed dum ille operi neceſſario fortaſſis incumberet, iſte inſperatus occurrit ſub arbore, & ſub ipſa oppreſſus eſt, inciſor arboris non tenetur pro homicida.

De eadem re.

Ex Concilio Triburienſi. cap. XVII.

XVIIII. Si (*h*) duo fratres in ſilva arbores ſucciderint, & appropinquante caſu unius arboris frater fratri: *Cave*, dixerit, & ille fugiens in preſſuram arboris inciderit, & mortuus fuerit; vivens frater innocens de ſanguine germani dijudicetur.

De eadem re.

Ex eodem.

XIX. Mater (*i*) ſi juxta focum infantem poſuerit, & alius homo aquam in caldariam miſerit, & ebullita aqua infans ſuperfuſus mortuus fuerit, pro negligentia mater pœniteat, & ille homo ſecurus ſit.

De eadem re.

Ex eodem, Cap. XX.

XX. De [*k*] homicidiis non ſponte commiſſis, quali pœnitentiæ jugo ſubmittantur hi, qui fecerint ea, in Epiſcopi ſententia maneat.

De eadem re.

Ex eodem.

XXI. Si (*l*) quis filium ſuum non ſponte occiderit, juxta homicidia non ſponte commiſſa, pœniteat.

De eadem re.

Ex Concilio Nannetenſi.

XXII. Si (*m*) quis caſu, non volens, homicidium perpetraverit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium ſegregetur, non communicet, nec offerat. Poſt biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet. Poſt quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abſtinentia ciborum in arbitrio Sacerdotis maneat.

Qui per faidam hominem occiderit.

Ex pœnitentiali Cap. XIV.

XXIII. Qui [*n*] pro vindicta fratris, aut aliorum parentum, occiderit hominem, annum unum pœniteat, & ſequentibus duobus tres quadrageſimas, obſer-

(*e*) Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 4. Tomo hoc II. extat pag. 191. Burchard. lib. 6. c. 23.
[*f*] Deuteron. 19.
[*g*] Concil. Wormac. c. 29. Tomo hoc II. pag. 314. Burchard. lib. 6. c. 21. Vide Legem Saxon. c. 11. & Leg. Longobard. lib. 1. tit. 9. c. 5.
[*] Ex veteri codice MS. Bibliothecæ Regiæ.
(*h*) Concil. Tribur. c. 36. Tomo hoc II. pag. 403. Burchard. lib. 6. c. 22.
(*i*) Concil. Tribur. c. 37. Tomo hoc II. pag. 403.
(*k*) Concil. Tribur. c. 52. Tomo hoc II. pag. 406.
(*l*) Concil. Tribur. c. 53. Tomo hoc II. pag. 406. Burchard. lib. 6. c. 36.
(*m*) Concil. Nannet. c. 18. Burchard. lib. 6. c. 16.
[*n*] Burchard. lib. 6. c. 32.

observet, & legitimas ferias, id est, secundam, quartam, & sextam feriam.

De eadem re.

Ex eodem.

XXIV. Qui per iram, & rixam, & ebrietatem subito hominem occiderit, quatuor annos pœniteat.

De eadem re.

Ex eodem.

XXV. Si quis liber, jubente Domino suo, servum occiderit, quadraginta dies pœniteat. Et si quis liber jubente Domino suo hominem innocentem occiderit, annum unum pœniteat, & in duobus aliis annis tres quadragesimas observet, & legitimas ferias.

De his, qui servos suos necant extra judicem.

Ex Concilio Agathensi. Cap. XXXV.

XXVI. Si (o) quis servum proprium sine conscientia Judicis occiderit, excommunicatione biennii reatum sanguinis emundabit.

De parricidis & fratricidis.

Ex Concilio Moguntiacensi.

XXVII. Statuimus [p] ut parricidæ, & fratricidæ per unius anni circulum ante fores basilicæ, orantes Domini clementiam, perseverent. Completo anni circulo, introducantur in Ecclesiam, tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur, stent. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspicitur; corporis, & sanguinis Domini participes fiant, ut non obdurentur desperatione. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum. Jejunent autem usque ad nonam diei horam cotidie, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Abstineant autem a vino, medone, atque mellita cervisia tres dies per hebdomadam. Arma portare non audeant, nisi contra paganos. Et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedibus propriis pergant. Tempus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum ponimus arbitrio; ut secundum conversationem illorum, aut extendere, vel minuere valeant. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, & se continere non valuerint; legitimas accipiant in conjugio fœminas: ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur.

In excerptis e Burchardo, quæ edita sunt a Stevartio, caput istud refertur ex Epistola Nicolai Papæ ad Karolum Maguntiensem Archiepiscopum, ejusque suffraganeos; cum in decreto Burchardi referatur ex Concilio Triburiensi, in quo non extat, neque etiam in Moguntino, unde laudatur *a Reginone.* Ultima vero pars istius capitis, nimirum quæ sequuntur post illa verba, *extendere* vel *minuere* valeant, non habentur in editionibus Burchardi, tamenetsi extent in excerptis editis a Stevartio. Unde colligi potest auctorem istorum excerptorum usum esse aliquo exemplari Burchardici Decreti, vulgatis editionibus ampliore. Hæc porro ultima pars istius capitis, quam admonuimus non extare in vulgatis Burchardi editionibus, habetur in capite XXX. Concilii Wormatiensis.

Item de parricidis.

Ex alio Concilio Moguntiacensi. Cap. XX.

XXVIII. Parricidium (q) quam sit detestabile crimen, Judicio facto inter Cain (r) & Abel fratrem suum, Dominus ostendit. Sed quia modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diversa loca, & variis vitiis, & gulæ inlecebris deserviunt; melius nobis videtur, ut in uno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur.

Quod

(o) Concil. Agath. c. 62. Rhab. Epist. ad Heribald. c. 3. Tomo hoc. pag. 194.
(p) Conc. Wormat. c. 30. Tomo hoc II. pag. 314. Burchard. lib. 6. c. 34.
(q) Pœnit. Rhab. c. 11. & in Epist. ad Heribald. c. 7. Tomo hoc, pag. 196. Concil. Mogunt. sub Rhab. c. 20. Tomo hoc II. pag. 158. Burchard. lib. 6. c. 35.
(r) Genes. 14.

Quod parricidis arma, & conjugium interdicatur.

XXIX. Non (s) enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, & conjugiis copulari, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

De eo, qui hominem publicam pœnitentiam agentem interficit.

Ex Capitularium Lib. III. Cap. XVII.

XXX. Qui (t) hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & Weregildum proximis ejus persolvat.

De eo, qui hominem in Ecclesia interficit.

XXXI. Si (u) quis aut levi causa, aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero rixati foris fuerint, & unus alterum in Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, & si hujus facti testes non habuerit; cum duodecim testibus juret legitimis, se defendendo eum interfecisse, & post hæc solidos sexcentos ad partem Ecclesiæ, quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur. Is vero, qui interfectus est, absque compositione jaceat. Ac deinde interfector secundum judicium Canonicum congruam facinori, quod admisit, pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur utrum hoc sponte, aut se defendendo fecisset: & si manus ejus exusta fuerit, interficiatur; si autem non fuerit, Dominus ejus, juxta quod Weregildum illius est, ad Ecclesiam persolvat; aut si voluerit, eum eidem Ecclesiæ tradat. De Ecclesiastico & fiscalino, & beneficiario volumus, ut pro una vice Wirigildum pro eo componatur, altera vice servus ad supplicium tradatur. Hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesiæ, cujus porta reliquiis Sanctorum consecrata est, hujuscemodi homicidium perpetratum fuerit, similiter componatur & emendetur. Si vero non est consecrata, eodem modo componatur sicut componi debet, quod in immunitate violata committitur.

In vetustissimo codice MS. Monasterii Rivipullensis, qui continet libros septem Capitularium, post illa verba: *Congruam facinori, quod admisit, pœnitentiam accipiat*, ista statim adduntur: *Id est, XXI. annis, VII. ex his in pane & aqua ad ostium Ecclesiæ satisfaciat, remotus ab oratione, & communitate fidelium? cæteros septem societur orationi fidelium: Transactos, qui supersunt VII. communionem plenam perfecte subsequatur. Abstinentia ejus Sacerdotali providentia temperetur. Si propius servus, &c.*

De injuriis Sacerdotum, vel Clericorum.

Ex eodem, Cap. XIV.

XXXII. Sanguinis (x) effusio in Ecclesia facta cum fuste, si Presbyter fuerit, triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannus noster. Similiter de Diacono juxta compositionem ejus in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiacono, & de uniuscunque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo persolvatur, & insuper bannus noster.

De ictu.

XXXIII. Similiter [y] & de ictu sine sanguinis effusione de uniuscunque ordinis Clerico in triplo componatur, insuper & bannus noster. Et qui non habet, unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitium eidem Ecclesiæ, usque dum totum debitum persolvat.

Si quis Clericum exspoliaverit.

Ex Concilio Triburiensi.

XXXIV. Ut, (z) si qua in ipsos Clericos, vel in Ecclesias perpetrata fuerint, id est, si quis Clericum expoliaverit,

(s) Concil. Mogunt. ibid. Burchard. lib. 6. c. 35.
(t) Lib. 4. Capitular. c. 18. Vide infra c. 190. hujus libri.
(u) Lib. 4. Capitular. c. 13. Lib. 1. Leg. Longob. Tit. 9. c. 29. 30. 35. & seq.
(x) Lib. 4. Capitular. c. 14. Lib. 2. Leg. Longob. Tit. 40. c. 6.
(y) Lib. 1. Capitular. c. 14. Lib. 2. Leg. Longob. Tit. 40. c. 6.
[z] Vide Concil. Tribur. c. 7. Tomo hoc. pag. 392. 393.

verit, aut vulneraverit, vel aliquam injuriam fecerit, decimas Ecclesiæ tulerit, vel retinuerit, si non prius per sæcularem potentiam digne vindicatum fuerit; Episcopus ad suam Synodum illos malefactores vocet, & digne emendet. Si contempserint venire, excommunicentur.

Si quis Clericum verberaverit.

Ex eodem.

XXXV. Si quis Clericum verberaverit, vel debilitaverit, aut in aliquo læserit; & canonice pœniteat, & ad legem emendet, juxta quod in capitulari scriptum est.

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

XXXVI. Si quis de (a) potentibus Clericum, aut Religiosum exspoliaverit, & Episcopus mandaverit, eum ad se venire, ut audiatur, & contempserit; in invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiatur, & reddat aliena.

De pugna & homicidio in atrio Ecclesiæ.

Ex Concilio Triburiensi.

XXXVII. Si (b) quis in atrio Ecclesiæ pugnam committit, aut homicidium; quidquid pro immunitate violata emendandum est, Altario solvatur, cujuscunque fuerit Ecclesia.

De pugna in Ecclesia.

Ex eodem.

XXXVIII. Si quis in Ecclesia Clericum fuste, aut gladio percusserit, ut sanguis exeat, vel de ictu sine effusione sanguinis; juxta quod in Capitulari (c) scriptum est, componatur, id est, in triplo secundum suam compositionem.

Quod laici de substantia morientium Presbyterorum suorum nullam portionem accipiant.

Ex eodem. Cap. 11.

XXXIX. Perlatum est quoque ad sanctam Synodum, quod quidam laici improbe agant contra Presbyteros suos, ita ut de morientium Presbyterorum substantia partes sibi vindicent, sicuti de propriis servis. Interdicimus itaque, ne hoc ulterius fiat; sed sicuti liberi facti sunt ad suscipiendum gradum, & agendum Divinum officium, ita ab eis nihil exigatur præter Dei officium. De peculiari vero Sacerdotum nihil sibi usurpent; sed duabus partibus faciant Presbyteri, quod eis visum fuerit, tertiam, secundum canonum jussa, quibus serviunt, relinquant Ecclesiis.

De compositione Presbyteri, si occisus fuerit.

Ex eodem

XL. Presbyter [e] vulneratus, aut cæsus, si mortem evaserit, tota compositio cedat Presbytero. Si vero mortuus fuerit, compositio in tres dividatur portiones; id est, Altari, cui Presbyter deserviebat, pars una, altera Episcopo, tertia Parentibus Presbyteri solvatur.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. II. cap. XLIX.

XLI. Presbyteri (f) interfecti compositio, Episcopo, ad cujus Parrœchiam pertinent, solvantur secundum Capitulare gloriosi Karoli Genitoris nostri, ita videlicet, ut medietatem Wirigildi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ, cui præfuit, tribuat, & alteram medietatem in eleemosyna ejus juste dispertiat: quia nullus nobis ejus hæres proximior videtur, quam ille, qui ipsum Domino sociavit.

(a) Concil. Tolet. 1. c. 11.
[b] Concil. Tribur. c. 4. 6. Tomo hoc pag. 393. & seqq. Burchard. lib. 3. c. 195.
(c) Vide supra c. 32.
(e) Concil. Tribur. c. 4.
(f) Lib. 4. Capitular. c. 15. Burchard. lib. 6. c. 11. Vide notam corrector. Rom. ad c. Omnes Presbyteri 17. q. 4.

De eo, qui Sacerdotem occiderit.

Ex Concilio Wormacienſi.

XLII. Qui (*g*) Sacerdotem voluntarie occiderit, carnem non comedat, & vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ; jejunet uſque ad veſperam, exceptis diebus feſtis, atque Dominicis; arma non ſumat, equum non aſcendat, Eccleſiam (*h*) per quinquennium non ingrediatur, ſed ante fores Eccleſiæ ſtet; poſt quinquennium Eccleſiam ingrediatur; nondum vero communicet, ſed inter audientes ſtet, vel ſedeat. Cum autem fuerit duodecimi anni curſus finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur remiſſio. Maneat autem in reliquis obſervationibus tres dies per hebdomadam, ut perfectius purificari mereatur.

De eadem re.

Ex Concilio Moguntiacenſi. cap. XXIV.

XLIII. Qui (*i*) Presbyterum occiderit, duodecim annorum ei pœnitentia ſecundum canones imponatur; aut ſi negaverit, ſi liber eſt; cum duodecim juret: ſi autem ſervus, ſuper duodecim vomeres ferventes ſe purget. Convictus noxæ, uſque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulum deponat, & uxorem amittat.

De eo, qui Presbyterum degradatum occiderit.

Ex eodem Concilio.

XLIV. Nuntiatum (*k*) eſt nobis, quod aliqui, qui olim dixerunt ſe fuiſſe Sacerdotes, & poſtea degradati pro ſuis peccatis, pœnitentiam agendo ſuffragia Sanctorum, per diverſa loca tranſeuntes, quæſierunt, trucidati ſunt. Hujuſcemodi interfectoribus omnem Eccleſiaſticam denegamus communionem, donec dignam pœnitentiam pro reatu ſuo ſecundum judicium Epiſcoporum exſolvant.

De homicidiis Clericorum.

Ex Capitularium Lib. III. cap. XXV.

XLV. Qui Subdiaconum occiderit, CCC. ſolidos componat. Qui Diaconum, CCCC. Qui Presbyterum, DC. Qui Epiſcopum, DCCCC. Qui Monachum, CCCC. ſolidos componat.

Si aliquis ordinatus homicidium fecerit.

Ex Pœnitentiali.

XLVI. Si (*l*) quis Epiſcopus, aut aliquis ordinatus homicidium fecerit; decem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua.

Si quis conſenſerit, vel conſiliatus fuerit, ut homo interficiatur.

Ex eodem.

XLVII. Si quis (*m*) ad homicidium faciendum conſenſerit, & conſilium dederit, & factum fuerit; ſeptem annos pœniteat. Si vero non fuerit factum, tres annos pœniteat.

Si quis conſanguineum ſuum occiderit, aut ſeniorem.

Ex eodem.

XLVIII. Si quis proximum & conſanguineum ſuum occiderit, decem annos pœniteat. Similiter ſi quis Seniorem & Dominum ſuum dolo trucidaverit.

Ex dictis Ferrandi Diaconi.

XLIX. Periculoſe (*n*) ſe decipiunt, qui exiſtimant, eos tantum homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt: & non potius eos, per quorum conſilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, ſicut ſcriptum eſt: *Nobis* (*o*) *non licet interficere quemquam*; ſed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipſi eum lingua crucifixerunt dicentes: *Crucifige eum.* Unde unus Evangeliſta dicit, (*p*) Dominum crucifixum *hora tertia*, *alius ſexta*; quia Judæi crucifixerunt eum (*q*) hora tertia lingua, milites hora ſexta manibus. Qui ergo hominem tradit, ille eum interficit, Domi-

(*g*) Concil. Wormac. c. 26. Tomo hoc pag. 314. Burchard. lib. 6. c. 8.
(*h*) Vide Morin. lib. 7. de Pœnitentia. c. 7. §. 8. 9.
(*i*) Conc. Mogunt. ſub Rhabano c. 24. Tomo hoc pag. 159. Burchard. lib. 6. c. 7.
(*k*) Conc. Mogunt. ſub Rhabano c. 25. Tomo hoc pag. 159. Burchard. lib. 6. c. 9.
(*l*) Halitgar. lib. 6. c. 1. (*m*) Halitgar. ibid.
(*n*) Burchard. lib. 6. c. 31. & apud Gratian. Diſt. 1. de Pœnit. c. 23.
(*o*) Joann. 18. (*p*) Marc. 15. (*q*) Luc. 23.

Domino dicente: *Majus* (r) *peccatum habet, qui me tradidit tibi.* Unde Psalmista: *Filii* (s) *hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Subjiciant ergo se pœnitentiæ, quorum consilio sanguis funditur, si veniam promereri volunt.

De his, qui pro nihilo ducunt homicidium in bello perpetratum.

Ex (t) *Epistola Rabani ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensem de prælio ad Fontaniacum gesto.*

L. Quod [*u*] autem quidam homicidium, quod nuper in seditione & prælio Principum nostrorum perpetratum est, excusant, quasi non necessarium sit, pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eo quod jussu Principum peractum sit. Et *Dei Judicio* ita finitum. Scimus enim, quod Dei Judicium semper justum est, & nulla reprehensione dignum. Sed tamen oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos, quasi coram oculis Dei innoxios excusare possint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, & idolorum servituti comparatur, atque propter favorem Dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt, & mandata illius spernentes, non casu, sed per industriam, homicidium fecerunt. Unde in Exodo scriptum est: *Si* [x] *quis de industria, & per insidias occiderit proximum, ab altario meo evelles eum, ut moriatur.* Et in Deuteronomio: *Si quis* [y] *odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, & surgens percusserit eum, & mortuus fuerit, & fugerit ad unam de supradictis urbibus; mittent seniores civitatis illius, & rapient eum de loco refugii, & tradent eum in manus proximi ejus, cujus sanguis effusus est, & moriatur. Nec misereberis ejus.* Illum itaque, quem Dominus dignum morte esse judicavit, quis dicat reum non esse? Quomodo contrarius legi non existit, qui hoc, quod Deus præcepit, cassum esse contendit? Sed inter hæc sciendum est, quod magna distantia est

Vvv 2

inter legitimum Principem, & seditiosum Tyrannum.

De eadem re.

Ex pœnitentiali.

LI. Si quis hominem in bello publico occiderit, quadraginta dies pœniteat.

De Clerico, qui proximum suum occidit.

Ex eodem.

LII. Si Clericus homicidium fecerit, & proximum suum occiderit odii meditatione; exul septem annis pœniteat.

De parricidis.

Ex pœnitentiali.

LIII. Si quis hoc crimen perpetraverit; quidam judicaverunt, ut septem annis pœniteat, vel quatuordecim pœnitentiam egisset; quidam usque ad finem vitæ, sicut Cain, qui similia perpetraverit.

Ex eodem.

LIV. Qui hominem debilitaverit, & deformem fecerit; impensas in medicos tribuat, & maculæ pretium, & opus ejus, donec sanetur, restituat, & dimidium annum pœniteat. Si vero non habet, unde hoc restituat, annum unum pœniteat.

De truncationibus membrorum.

Ex Concilio Moguntiacensi. Cap. V.

LV. His, (z) a quibus Domini Sacramenta tractantur, judicium sanguinis agitare non licet. Et ideo magno opere talis excessus prohibendus est; ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut, quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant: aut truncationes quibuslibet personis, aut per se inferant, aut inferenda præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore privetur

(*r*) Joann. 16.
(*s*) Psal. 56.
(*t*) Cap: 4. Vide hoc Tomo p. 194.
(*u*) Burchard. lib. 6. c. 23.
[*x*] Exod. 21.
[*y*] Deuter. 19.
(*z*) Concil. Tolet. 11. c. 6. Burchard. lib. 1. c. 201. Vide Pœnitentiale Rhabani. c. 30. apud Ant. Augustinum.

tur & loco, ſub perpetuæ damnationis religatus ergaſtulo: cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda eſt propter Domini miſericordiam.

Quæ debeat diſcretio Eccleſiarum Rectoribus eſſe, ne per inconditam diſciplinam ſubeant homicidii notam.

LVI. Cum juxta (*a*) antiquæ inſtitutionis edictum plus erga corrigendos agere debeat benevolentia, quam ſeveritas; plus cohortatio, quam commotio; plus caritas, quam poteſtas adhiberi debet.

De parricidio.

Ex lege Theodoſiana. Lib. IX.

LVII. Si (*b*) quis patrem, matrem, fratrem, ſororem, filios, filias, vel alios propinquos occiderit; remoto aliorum genere tormentorum, facto de coriis ſacco, qui culleus nominatur, in quo cum miſſus fuerit, cum ipſo etiam ſerpentes claudantur: & ſi mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite projiciatur; tali pœna damnatus nullo unquam tempore obtineat ſepulturam.

De Domina, quæ ancillam occidit.

Ex Concilio Elibertino.

LVIII. Si qua (*c*) Domina furore zeli inflammata ancillam occiderit, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu emittat: eo quod incertum ſit, voluntarie, an caſu occiderit; ſi voluntarie, poſt ſeptem annos, ſi caſu, poſt quinque annorum tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem admitti placuit.

Si ſervus occiditur a Domino, dum verberibus caſtigatur.

Ex lege Theodoſiana.

LIX. Si [*d*] ſervus, dum culpam Dominus vindicat, mortuus fuerit, Dominus culpa homicidii non tenetur: quia tunc homicidii reus eſt, ſi occidere voluiſſe convincitur. Nam emendatio non vocatur ad crimen.

De oppreſſione infantum.

Ex Concilio Mogontiacenſi.

LX. Si quis [*e*] infantem ſuum incaute oppreſſerit, aut veſtimentorum pondere ſuffocaverit, & hoc poſt baptiſmum factum fuerit; quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, oleribus atque leguminibus, & a conjuge ſe abſtineat. Poſtea tres annos pœniteat per legitimas ferias, & tres in anno quadrageſimas obſervet. Quod ſi ante baptiſmum infans oppreſſus fuerit; proximos quadraginta dies, ut ſupra pœniteat. Poſtea vero quinquennium expleat.

Si per negligentiam matris infans moritur non baptizatus.

Ex Epiſtola Rhabani ad Reginbaldum Chorepiſcopum.

LXI. De (*f*) infantibus autem, qui mortui inveniuntur cum patre & matre, & non apparet, utrum a patre, aut matre occiſus ſit ipſe infans vel ſuffocatus, an propria morte defunctus: non debent inde ſecuri eſſe, nec ſine pœnitentia ipſi parentes; ſed tamen in eis conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus mortis cauſa fuit. Si autem eos non latet, ipſos ejus eſſe interfectores, ſcire debent, graviter ſe deliquiſſe. Quod (*f*) in Ancyrano Concilio comprobatur. Quidam autem trium annorum pœnitentiam hujusmodi hominis judicant eſſe debere, quorum ex his unum exigat in pane & aqua, atque ſe ab omni luxuria tempore pœnitentiæ ſuæ cuſtodiat.

De femina, cujus filius per negligentiam obierit, non baptizatus

Ex pœnitentiali. Cap. XVII.

LXII. Pariens femina, cujus filius per negligentiam non baptizatus obierit, annum (*g*) unum pœniteat, & nunquam ſit ſine aliqua pœnitentia. Si autem

(*a*) Additio IV. Capitular. c. 6.
(*b*) Interpretat. l. 1. Cod. Theodoſ. de Parricidio.
(*c*) Concil. Elibert. c. 5. Tomo hoc II. pag. 158. Halitgar. lib. 4. c. 5. Burchard. lib. 6. c. 19.
[*d*] Interpretat. l. 1. cod. Theodoſ. De emendat. Servor.
(*e*) Burchard. lib. 17. c. 58. Concil. Tribur. hoc Tomo pag. 403.
(*f*) Burchard. lib. 17. c. 59. Concil. Ancyr. c. 20. Tomo hoc II. pag. 215.
(*g*) Vide ſupra Lib. 1. c. 128. & ſeqq.

tem per negligentiam Sacerdotis. Require in primo libello. Cap. CXXIX.

De mulieribus, qui partus suos necant.

Ex Concilio Ancyrano.

LXIII. De [*b*] mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem diffinitio, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet; humanius autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentia largiatur.

De eadem re.

Ex Concilio Hilerdensi.

LXIV. Hi (*i*) vero, qui male conceptos ex adulterio factos, vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris, id est, patri vel matri post septem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus, & humilitati insistant.

De eadem re.

Ex Concilio Heliberitano.

LXV. Si qua [*k*] mulier, absente marito, per adulterium conceperit, idque post facinus occiderit; placuit vix in fine ei dandam communionem, eo quod geminaverit scelus.

Si qua mulier partum suum excusserit.

Ex Pœnitentiale.

LXVI. Si qua mulier partum suum ante quadraginta dies in utero sponte perdiderit, annum unum pœniteat. Si vero post quadraginta dies eum occiderit, tres annos pœniteat. Si vero postquam animatus fuerit, eum perdiderit, quasi homicida pœniteat. Sed distat multum utrum paupercula pro difficultate nutriendi, aut fornicaria causa sit, & pro sui sceleris celandi faciat causa.

Si qua mulier filium, vel filiam occiderit.

Ex eodem.

LXVII. Mulier, si voluntarie occiderit filium suum, aut filiam suam, pro homicidio decem annos pœniteat.

De eadem re.

Ex Concilio Rotomagensi.

LXVIII. Sunt (*l*) quædam mulieres, ut ad notitiam Sancti Concilii pervenit, quæ ex fornicatione concipientes, metuentes, ne scelus, quod occulte perpetrarunt, manifestum fieret, infantes, quos pepererunt, occiderunt, & terræ congerie cooperuerunt, aut in aquas projecerunt. Quod quantum nefas sit, Canones Ancyrani, Elibertani, atque Hilerdensis Concilii testes sunt. His itaque vix in fine dandam esse communionem decernunt. Sed humanius tractantes post decennem pœnitentiam tales placuit ad communionem recipi.

Ut ante januam Ecclesiæ adulteri infantes exponantur.

Ex eodem.

LXIX. Igitur, quia diabolo suadente, & carnis fragilitate delectante, & ideo consentiente, multotiens talia perpetrantur; ideo ex una mortifera potione aliam utcunque mederi cupientes, ne geminetur scelus adulterii & homicidii, damus consilium, ut unusquisque Sacerdos (*m*) in sua plebe publice adnuntiet, ut si aliqua femina clanculo corrupta conceperit, & pepererit; nequaquam diabolo cohortante filium, aut filiam suam interficiat: sed quocunque prævalet ingenio, ante januas Ecclesiæ partum deportari faciat, ibique projici; ut coram Sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur & nutriatur, & tali ex causa homicidii reatum, &, quod majus est, parricidii evadat. Nam qui filium, aut filiam interficit, parricida omnimodis teneatur.

 De

(*b*) Concil. Ancyr. c. 20. Tomo I. nostro pag. 148. Halitgar. lib. 4. c. 3. Rhab. Epist. ad Heribald. c. 8. Tomo hoc II. pag. 196. Burchard. Lib. 17. c. 54.
(*i*) Concil. Ilerd. c. 2. Rhab. Epist. ad Heribald. c. 9. Tomo hoc pag. 196. Burchard. lib. 17. c. 52.
(*k*) Concil. Eliberit. c. 63. Rhab. Epist. ad Heribald. c. 8. Tomo hoc pag. 196. Burchard. lib. 17. c. 51.
(*l*) Burchard. lib. 17. c. 53. Ivo part. 10. c. 103.
(*m*) Burchard. lib. 13. c. 200.

De eadem re.

Ex Lege Theodosiana. Lib. V. Cap. VII.

LXX. Quicunque (*n*) expositum recenti partu, sciente patre, vel matre, vel domino collegerit, & suo labore educaverit; in illius, a quo collectus est, potestate consistat, seu ingenuum, seu servum, quem nutrivit, esse voluerit.

De eadem re.

Ex eodem.

LXXI. Qui (*o*) expositum puerum, vel puellam sciente Domino, vel Patrono misericordiæ causa collegerit, in ejus dominio permanebit; si tamen contestationi de collectione ejus Episcopus, vel Clerici subscripserunt; quem postea suum dicere quis non poterit, quem projecisse probatur ad mortem?

De eadem re.

Ex eodem.

LXXII. Si (*p*) quis infantem a sanguine nutrierit, habendi eum, & possidendi habeat potestatem. Sane si nutritum Dominus, vel Pater recipere voluerit, aut ejusdem meriti mancipium nutritori debet donare, aut pretium nutritor, quantum valuerit, qui nutritus est, consequatur. *Vide Lib. 4. Leg. Wisigothor. tit. 4. cap. 1.*

De homicidiis.

Ex Concilio Turonensi.

LXXIII. Homicidis [*q*] penitus non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimina diluantur.

De his, qui uxores occidunt.

Ex Concilio Mogontiacensi.

LXXIV. Si (*r*) maritus uxorem, aut uxor maritum interfecerit, æquum judicium sit super eos dicente Domino: *Non* (s) *consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Et post pauca: *Ita*, (t) inquit, *parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Idcirco uterque eorum in hujuscemodi criminis accusatione, si negaverit, pari judicio examinetur.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. III. cap. LXXXIX.

LXXV. Ut (*u*) homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi fiant. Et ubicunque inventi fuerint, a judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur. Et non occidatur homo, nisi lege jubente.

De eadem re.

Ex eodem.

LXXVI. Quicunque (*x*) propria uxore derelicta, vel absque lege sine causa & certa probatione interfecta, aliam duxerit uxorem, armis depositis, publicam agat pœnitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur a comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur. *Vide Hincmar. Tom.* 1. *pag.* 590.

De pugna duorum, quod nostri campum appellant, quod pro imputato adulterio solet exerceri.

Ex Epistola Nicolai Papæ, ad Karolum Regem.

LXXVII. Monomachiam (*y*) vero in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus: quam licet iniisse quosdam legerimus, sicut sanctum David, & Goliam sacra prodit historia; nusquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi Divina sancit auctoritas, cum hoc & hujuscemodi sectantes Deum solummodo tentare videantur.

De eadem re.

Ex eadem Epistola.

LXXVIII. Verum, (*z*) sicut multorum

(*n*) Interpretat. l. 1. cod. Theodos. De Expositis.
(*o*) Interpretat. l. 2. cod. Theodos. tit. eod.
(*p*) L. un. cod. Theodos. De his, qui sanguinol.
(*q*) Concil. Turon. 1. c. 7. Burchard. lib. 6. c. 30.
(*r*) Burchard. lib. 6. c. 38.
(*s*) Levit. 19.
(*t*) Deuter. 1.
(*u*) Lib. 1. Capitular. c. 67.
(*x*) Lib. 5. Capitular. c. 149. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 13. c. 5. Burchard. lib. 6. c. 37.
(*y*) Nicol. I. Epist. 50. Tomo hoc pag. 326. Burchard. lib. 9. c. 51.
[*z*] Vide pag. 324. & seqq. hujus Tomi II. Burchard. lib. 9. c. 50.

torum relatu didicimus, Lotharius Rex conventum celebrare diſponit, & Thetbergam Reginam examini proprio & judicio ſubjicere meditatur, & ſi quidem eam præſtigiis falſitatis ſuæ potuerit exhibere, quaſi non fuerit legitima ſua uxor, vult eam penitus a ſe ſequeſtrare. Sin autem, vult eam tanquam propriam uxorem admittere, ſed deinde quaſi mœchata fuerit, inſimulare, atque (*) per hoc hominem ſuum, & hominem Thietbergæ ad monomachiam impellere, & ſi homo ipſius Reginæ ceciderit, diſponit hanc ſine dilatione perimere. Quæ quantum ſint omni Divinæ legi contraria, magnitudo prudentiæ veſtræ, credimus, jam advertit.

De parricidiis.

Ex Capitul.

LXXIX. Quicunque (*a*) propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut ſororem, vel nepotem, aut alium propinquum ſuum interfecerit, hæreditas interfecti ad legitimos hæredes perveniat. Interfectoris vero hæreditas in fiſcum redigatur. Ipſe vero ordinante Epiſcopo publicæ pœnitentiæ ſubdatur.

De his, qui ferro vinciuntur.

Ex eodem.

LXXX. Ut [*b*] mangones & cotiones, qui ſine omni lege vagabundi vadunt per iſtam terram, non ſinantur vagari ad deceptiones hominum: nec iſti ferro colligati atque conſtricti, qui dicunt ſibi injunctum eſſe a Sacerdote, ut vagi & profugi per patrias ambulent. Melius nobis videtur, ut uno in loco permaneant laborantes, & ſervientes, patientiam habentes, ſecundum quod canonice impoſitum fuerit.

Caput iſtud non extat in libro primo Capitularium in vetuſtiſſimis codicibus manuſcriptis, non in Regio, ex quo prima Pariſienſis editio prodiit, non in Rivipullenſi, non demum in Colbertino. Utrobique autem extat *in appendice prima libri quarti cap. XXXIV.* Editio porro vulgata iſtius capitis, quam etiam præferunt vetuſti codices, multum diverſa eſt ab ea, quam refert Regino. Illud ſane admonendum, pro eo, quod Regino habet, *& patientiam habentes*, in libris capitularium ſcriptum eſſe, *& pœnitentiam agentes.*

De faidis coercendis.

LXXXI. Si (*c*) quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commiſit, comes, in cujus miniſterio res eſt perpetrata, & compoſitionem facere, & faidam per Sacramentum pacificare faciat. Quod ſi una pars ei ad hoc conſentire noluerit, id eſt, aut ille, qui homicidium fecit, aut is, qui compoſitionem ſuſcipere debet, faciat illum, qui ei contradicit, ad præſentiam noſtram venire: ut eum ſecundum tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi caſtigetur, ut comiti ſuo inobediens ulterius eſſe non audeat, & majus damnum non accreſcat.

De femina, quæ virum per maleficium interficit.

Ex pœnitentiali. cap. XV.

LXXXII. Mulier, ſi aliquos interemit arte malefica, id eſt, per poculum, aut per aliquam artem; ſeptem annis pœniteat. Si paupercula fuerit, quatuor annis pœniteat.

De eadem re.

Ex Concilio Helibertenſi.

LXXXIII. Si (*d*) quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, nec in finem percipiendam illi eſſe communionem.

Unde ſupra.

LXXXIV. Si quis (*e*) maleficio ſuo aliquem perdiderit, ſeptem annis pœniteat, & eleemoſynas multas faciat.

De eadem re.

LXXXV. Si [*f*] mulier maritum ſuum cauſa fornicationis veneno interficit, aut quacunque arte perimere facit; quia Dominum & ſeniorem ſuum occidit, decem annis pœniteat.

De

(*) Edit. Helmæſtad. *pro*.
(*a*) Addit. IV. c. 85. Lib. 1. Leg. Longob. tit. 10. c. 4.
(*b*) Lib. 1. Capitular. c. 79.
(*c*) Lib. 4. Capitular. c. 27. Lib. 1. Leg. Longob. tit. 9. c. 34.
(*d*) Concil. Eliber. c. 6. Burchard. lib. 6. c. 26.
(*e*) Halitgar. lib. 6. c. 5.
(*f*) Burchard. lib. 6. c. 39.

De his, qui hominem suadent interfici.

Ex Lege Romana. Pauli sententiarum Lib. V. Cap. XXV.

LXXXVI. Mandatores [g] cædis, id est, qui homines præcipiunt, vel suadent interficere, perinde, ut homicidæ, puniantur.

De eadem re.

LXXXVII. Qui (h) vero aliquem interficit hominem, aliquando absolvitur, & qui non occidit, ut homicida tenetur vel damnatur. Consilium enim uniuscujusque, non factum puniendum est. Ideoque qui cum vellet occidere, id casu aliquo perpetrare non potuit, ut homicida punietur. Et is, qui casu jactu teli hominem imprudenter occidit, absolvitur.

De eo, qui hominem castraverit.

Ex eadem.

LXXXVIII. Qui hominem (i) libidinis, aut negotiationis causa castraverit, castrandumque tradiderit, sive servus, sive liber sit, capite puniatur.

Unde supra.

LXXXIX. Si (k) aliquis causa explendæ libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere, ut homicida teneatur.

Hoc totum idcirco ex lege Romana posuimus, ut Sacerdos ex lege perpendat modum pœnitentiæ in talibus trangressionibus. Canonica enim auctoritas cum lege Romana ex maxima parte concordat.

De his, qui circumciduntur.

Ex eadem lege. Cap. XXIV.

XC. Cives [l] Romani, qui se Judaico ritu, vel servos suos circumcidi patiuntur, bonis ademptis in insulam deportentur, medici capite puniantur.

Si Judæus servum alienæ nationis circumciderit.

Ex eadem.

XCI. Judæi [m] si alienæ nationis comparatos servos cirumciderint; aut exilio deportentur, aut capite puniantur.

De his, qui semetipsos interficiunt.

Ex Concilio Bracarensi cap. XV.

XCII. Placuit, (n) ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam usurparunt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro sceleribus puniuntur.

De his, qui in patibulo suspenduntur.

Ex Concilio Moguntiacensi.

XCIII. Quæsitum [o] est ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam; utrum cadavera illorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & Missæ celebrandæ, an non. Quibus respondemus: Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine secundum canonum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis extremam pœnam persolvunt? Scriptum est enim: *Non judicat Dominus bis in idipsum.*

De furibus & latronibus deprehensis.

Ex Concilio Triburiensi.

XCIV. Fures (p) & latrones, si in furando & prædando occidantur, visum est, pro eis non orandum: si comprehensi

(g) Pauli Sent. Lib. 5. c. 23.
(h) Ibid.
[i] Ibid.
[k] Burchard. lib. 17. c. 57.
(l) Pauli Sent. Lib. 5. c. 22.
(m) Ibid.
(n) Concil. Bracar. 1. c. 16. Halitgar. lib. 4. c. 6. Burchard. lib. 19. c. 130. Vide Lib. 6. Capitular. c. 10. & Lib. 7. c. 344.
(o) Concil. Mogunt. sub Rhab. c. 27. Tomo hoc pag. 159. Burchard. lib. 11. c. 76.
(p) Concil. Tribur. c. 31. Tomo hoc pag. 400. 401. Burchard. lib. 11. c. 59. & apud Grat. 13. q. 2. c. 31.

prehensi aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

Qui propter cupiditatem Judæum, vel paganum occiderit.

Ex Concilio Moguntiacensi.

XCV. Qui (*q*) odii meditatione, vel propter cupiditatem, Judæum vel paganum occiderit; quia non leve vitium committitur, ut homicidam convenit pœnitere; quandoquidem nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum est populo antiquo penitus inferre præceptum.

Si quis insaniens hominem occiderit.

Ex eodem.

XCVI. Si quis [*r*] insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commiserit. Cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causa peccati, licet fortassis occulta, contigisse creditur; tanto tamen sit levior, quam ei, qui sanus aliquem occiderit; quantum inter sanum & insanum, inrationabile a rationabili constat esse discriminis.

Si plures unum hominem occiderint.

Ex Concilio Moguntiacensi.

XCVII. Si [*s*] quatuor, aut quinque homines, seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit; quicunque eorum plagam imposuit, secundum statuta canonum, ut homicida, judicetur.

Hoc caput Regino laudat ex Concilio Moguntiacensi: Burchardus, & vetus canonum collector MS. in Bibliotheca Regia ex Concilio apud Wermerias cap. XCIX. utrobique autem amplior habetur, quam apud Regionem.

De eo, cui imputatur homicidium, & probari non potest.

Ex eodem.

XCVIII. Ubi (*t*) manifestari potest, quemlibet hominem perpetrasse homicidium, secundum canonicam auctoritatem condignum pœnitentiæ judicium illi ingeratur. Si autem manifestis indiciis non potest probari, eum homicidam esse, nec ipse vult confiteri; omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifesta sunt, reservetur. Et tamen indicetur, quod communione Ecclesiastica indignus sit, donec perpetratum crimen confiteatur, & per confessionem & pœnitentiam condignam ab hoc crimine se absolvere certet.

Abhinc de adulteriis & fornicationibus.

Ex Concilio Ancyrano.

CXIX. Si (*u*) cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.

De eo, qui uxorem habens, concubinam tenet.

Ex Concilio Toletano.

C. De (*x*) eo, qui uxorem habens, si concubinam habuerit, ut non communicet. Cæterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Alias vero vivens abjiciatur, donec desinat, & ad pœnitentiam revertatur.

X x x De

(*q*) Concil. Wormac. c. 27. Tomo hoc pag. 314. Burchard. lib. 6. c. 33.
(*r*) Concil. Wormac. c. 28. Tomo hoc pag. 314. Burchard. lib. 6. c. 25. & apud Gratian. 15. q. 1. c. 12.
(*s*) Burchard. lib. 6. c. 42.
(*t*) Burchard. lib. 6. c. 24.
(*u*) Concil. Ancyr. c. 19. Tomo I. nostro p. 148. Halitgar. lib. 4. c. 9. Concil. Wormat. c. 44.
(*x*) Concil. Toletan. 1. c. 17.

De repudio.

Ex Epistola Innocentii Papæ.

CI. De (y) his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis se matrimonio copulaverunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum esse videatur conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut hæ etiam personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur:* Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos.

De feminis, qui relinquunt viros suos.

Ex Concilio Eliberitano.

CII. Item (z) feminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteri se copulaverunt, nec in finem accipiant communionem.

De adultero marito.

Unde supra.

CIII. Item (a) femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & adulterum ducit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de sæculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.

Canon est Eliberitani Concilii, relatus ab omnibus Decretorum Collectoribus, Reginone, Burchardo, Ivone, Gratiano. Omnino autem prævaluisse videtur lectio, quæ bona non est; Nam heic apud Reginonem, tum etiam apud Burchardum, & Ivonem parte 8. c. 199. legitur: *& adulterum ducit.* Contra in omnibus editionibus Canonum Eliberitanorum, apud Rhabanum in capite tertio Libri Pœnitentialis ad Otgarium, denique in vetustissimo codice MS. Reginonis, quo nos utimur in hac nostra editione, in veteri denique canonum collectione MS., quæ extat in Bibliotheca Regia, diserte scriptum est: *& alterum ducit.* Quam lectionem confirmat idem Rhabanus in Epistola ad Heribaldum cap. 21. ubi pro his vocibus habet: *& alii nubit.* Apud Gratianum vero legitur in antiquis editionibus: *& alterum maritum duxerit.* Nos itaque vitiatam lectionem prætulimus sinceræ, ut intactos servaremus fontes, ex quibus Burchardus suos rivulos derivavit. *Not. Baluz.*

De discidio.

Ex Concilio Africano.

CIV. Placuit, (b) ut secundum Evangelicam, & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.

De eadem re.

Ex dictis Augustini de sermone Domini in monte.

CV. Apostolus Paulus dicit: *His, (c) qui sunt in conjugio, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Potest (d) enim fieri, ut discedat ea causa, qua Dominus permisit; aut si feminæ licet, virum dimittere, etiam præter causam fornicationis, quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius, *& vir uxorem non dimittat.* Quare non addidit, *excepta causa fornicationis*, quod Dominus permittit: nisi, quia similem formam vult intelligere, ut si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori. *Et post pauca:* Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti. Sed quia permisit, non jussit.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. I. Cap. XLIII.

CVI. Ut [e] nec uxor, a viro dimissa, alium accipiat virum, vivente viro suo, nec

(y) Decreta Innoc. I. c. 26. Rhab. Epist. ad Heribald. c. 21. Burchard. lib. 9. c.
(z) Concil. Eliberit. c. 8. Burchard. lib. 9. c. 62.
(a) Concil. Eliberit. c. 9. Burchard. lib. 9. c. 63.
(b) Concil. African. c. 69. Vide Tomi I. nostri pag. 224. Halitgar. lib. 4. c. Rhab. c. 3. Burchard. lib. 9. c. 64.
(c) 1. Cor. 7.
(d) Burchard. lib. 9. c. 71. & apud Gratian. 32. q. 7. c. 3.
(e) Lib. 1. Capitular. c. 43. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 13. c. 4.

nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore.

De legitimis conjugiis.

Ex dictis Hieronymi.

CVII. Tria (*f*) legitima conjugia in Scripturis leguntur. Primum legitimum conjugium est, virgo casta in virginitate viro data legitime. Secundum, virgo in civitate deprehensa a viro, & illi per vim copulata. Si voluerit Pater ejus, dotabit eam ipse vir, quantum judicaverit ipse Pater, & dabit pretium pudicitiæ ejus. Si autem habuerit sponsum, antequam deprehensa fuerit, dabitur ei. Tertium, filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas Patris, tradet eum a prædicto viro, & tradet eam alii, & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur. Additur (*g*) aliud quartum legitimum conjugium. Dum mortua fuerit uxor ejus, licet illi accipere aliam, sed non repudiatam, non desponsatam viro. Similiter debet & mulier. Quod Paulus manifeste docet: *Mulier*, inquit, *quæ sub viro est ligata*, *sub lege est viri*, *quamdiu vivit vir ejus*. Et reliqua. Additur quintum: quando sive vir, sive mulier ex consensu religionem ceperit, licet alteri accipere novum conjugium, sed puellam, vel puerum.

Hanc auctoritatem, ut credimus, secutum est Concilium, quod congregatum fuit apud Compendium temporibus Pippini Regis, in quo Decretum ita legimus Capitulo XVI.

CVIII. Si quis vir dimiserit uxorem suam, & dederit ei licentiam, pro religionis (*g*) causa infra monasterium Deo servire, & velum suscipere, sicut diximus propter Deum; vir illius, si vult, accipiat legitimam mulierem; similiter & mulier faciat.

Sed hæc sententia Canonicis, atque Apostolicis informatur documentis, ut supra monstratum est. Sed & Nicolai Papæ decretis informamur, qui ad Lotharium Regem ita scribit:

Si conjugatus vult seculum relinquere.

Ex Epistola Nicolai.

CIX. Itaque (*i*) summo studio Thietbergam conjugem tuam, tanquam propriam carnem, fovere ac diligere procurato, & ne illam a te separari ullo pacto consentias, vigilanter attende. Unde si vult a te discedere, corripe, immo corrige eam, & a tali intentione per omnia revocare satage. Jam vero, si amore pudicitiæ separationem quærit, & conjugalis connubii solutionem efflagitat, certum est, Apostolo dicente: *Quia mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Verum, si & ipse pudicitiam sectatus, religionis obtentu copulam dissolvere vis, tantum ne simulate fiat, concedimus. Nam licet sit scriptum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* Deus tamen, & non homo, separat, quando Divini amoris intuitu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis, gratuito permittimus animo, celeremque præbemus assensum. Aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus.

De eadem re.

Ex dictis Basilii Episcopi.

CX. Si (*k*) quis vult conjugatus converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge, castimoniam profitente, fuerit absolutus. Nam si illa, vivente illo, per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit; nec recipitur apud Deum ejusmodi viri conversio, quam sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum, relicto seculo, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum.

De his, qui conjuges sine judicio dimittunt.

Ex Concilio Agathensi.

CXI. Hi (*l*) vero seculares, qui conjugale consortium nulla culpa graviori

Xxx 2

(*f*) 36. q. 2. c. 8. (*g*) 27. q. 2. c. 13.
(*h*) Concil. Compend. c. 13.
(*i*) Nicol. I. Epist. 67. Tomo hoc II. pag. 347. Burchard. lib. 9. c. 57.
(*k*) Burchard. lib. 9. c. 45.
(*l*) Concil. Agath. c. 25. Lib. 7. Capitular. c. 226.

ri dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt; ut aut aliena, aut inlicita præsumant: si ante, quam ante Episcopum Comprovincialem discidii causam dixerint, & prius uxores, quam judicio damnentur, abjecerunt; a communione Ecclesiæ ac populi cœtu, pro eo, quod fidem conjugii maculant, excludantur.

Ut omnis controversia, si judicio Ecclesiastico expetit agitari, nequaquam ad seculare judicium transeat.

Ex Capitulari.

CXII. Statutum est, ut quæcunque controversiæ judicio & auctoritate Ecclesiastica cœperint agitari, nequaquam ad sæculare judicium transeant, ubi iterato provocent; sed Ecclesiasticis Sanctionibus terminentur. Nam a judicibus, quos communis consensus elegerit, ad alios judices non licet provocare; nisi major auctoritas sit, secundum canonicam normam. Si autem in sæculari judicio, id est, in Comitis placito, causa prius fuerit ventilata; secundum legem mundanam finiatur, salvo Ecclesiasticæ legis privilegio.

De eadem re.

Ex Epistola Nicolai Papæ, ad Karolum Regem.

CXIII. Scripsit (*m*) nobis Thietberga Regina, regia se velle dignitate seu copula exui, & sola privata vita esse contentam desiderare. Cui nos rescripsimus, hoc aliter fieri non posse, nisi eandem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. *Et post pauca*: De retroacta controversia Thietberga non debet ulterius ad iteratam responsionem provocari: quia quod semel bene definitum est, & interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis, ubi major fuerit auctoritas, retractari.

De judicio Ecclesiastico.

CXIV. Deinde, [*n*] qui Ecclesiæ refugium quærens, Ecclesiasticum judicium semper expetens, sæculari non debet judicio summitti. Post hæc vero, cum nos ex utraque parte, id est, tam a Rege, quam a Regina fuerimus provocati judices, nosque amborum controversiam executi simus; ad nullos alios convenit judices super hoc negotio convolare; cum secundum sacros canones a judicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare; & ubi concessa est provocatio, non nisi, ubi major est auctoritas, liceat provocare. Itaque cum non sit Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ amborum negotium executa est, usquam major auctoritas; nescimus, si alicui liceat de ejus judicare judicio, vel ejus retractare sententiam.

Ut nullus causam judicatam iterare præsumat.

Ex Capitularium lib. III. cap. XXXI.

CXV. Si (*o*) quis causam judicatam repetere præsumpserit in mallo, ibique testibus convictus fuerit; aut quindecim solidos componat, aut quindecim ictus a scabinis, qui causam prius judicaverunt, accipiat.

Ut femina de adulterio inculpata, si cum marito debet inire certamen legale, suæ potestati debet ad tempus restitui.

Ex Epistola Nicolai Papæ.

CXVI. Præterea (*p*) sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium sit agitandum, (*) nulla ratione patet, Thietbergam cum Lothario posse inire conflictum, vel legitimum controversiæ inire certamen, nisi prius ad tempus fuerit suæ potestati, & consanguineis propriis libere sociata; inter quos etiam locus providendus est, in quo nulla sit vis multitudinis fomidanda, & non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam a sanctis Canonibus, quam a venerandis Romanis Legibus in hujusmodi controversiis requiruntur. Hæc idcirco diximus, ut ostendamus, quem legum conflictum Lotharius congredi posse autumat cum persona, quam in suis penetralibus cotidie fatigat & conterit: quando vult, ad judicium educit: quando vult, ad clau-

(*m*) Nicol. I. Epist. 50. Vide hujus Tomi pag. 325. columna prima. Burchard. lib. 9. c. 49.
(*n*) Nicol. I. ibid.
(*o*) Lib. 3. Capitular. c. 31.
(*p*) Nicol. I. Epist. 50. Vide pag. 324. & sequentes Tomi hujus II. Burchard. lib. 9. c. 52.
(*) Apud Sirmond. *nulla ratio patitur.*

claustra reducit: & quando educta fuerit, nisi ea profiteatur, quæ ipse præceperit &c. Propriæ igitur libertati committi, & ab omni oppressione ac potestate illius, cum quo initur conflictus, oportet liberari, atque suis (*) liberter uti, & suspectas personas convenit declinare, qui se ab objectis ostendere cupit immunem.

Ne Episcopi sententia retractetur.

Ex Lege Romana.

CXVII. Constantinus (q) Imperator dicit: Pro sanctis ac venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum, nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.

Si qua mulier mortem viri sui cum aliis consiliata sit.

Ex Concilio, quod factum fuit ad Wermeriam, temporibus Pippini Regis. Cap. VI.

CXVIII. Si (r) qua mulier mortem viri sui cum aliis consiliata est, & ipse vir ipsius hominem, se defendendo, occiderit, & hoc probare potest; ille vir potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam accipiat. Ipsa autem insidiatrix, pœnitentiæ subacta absque spe conjugii maneat.

De ingenuo, qui ancillam alterius acceperit.

Ex eodem. cap. VII.

CXIX. Si quis [s] ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit, & æstimat, quod ingenua sit; si ipsa femina postea fuerit inservita, si eam a servitute redimere potest, faciat: si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Similiter & mulier ingenua de servo alterius facere potest.

Si servus suam ancillam concubinam habet.

Ex eodem. cap. VIII.

CXX. Si (t) servus suam ancillam concubinam habuerit, si ita placet, potest, illa dimissa, parem suam ancillam Domini sui accipere.

De liberto, qui ancillam Domini tenuerit.

Ex eodem.

CXXI. Si (u) servus libertate a Domino suo accepta, postea cum ancilla ejus adulterium perpetraverit; si Dominus ejus vult, velit nolit, ipsam uxorem habebit.

Si venditionis causa servus, & ancilla separentur.

Ex eodem.

CXXII. Si (x) servus & ancilla per venditionis causam separati fuerint, prædicandi sunt, ut sic maneant, si eos conjugere non possumus.

Sed lex Romana longe melius de hac duntaxat causa præcipere videtur.

De eadem re.

In Lege Romana. cap. XXV.

CXXIII. In (y) divisione, *inquit*, patrimoniorum, seu fiscalium Dominorum, seu privatorum, observari specialiter debet, ut, quia injustum est, filios a parentibus, uxores a maritis, cum ad quemcunque possessio pervenerit, sequestrari; ut mancipia, quæ permixta fuerint, id est, uxor cum filiis & marito suo, datis vicariis, ad unum debeant pertinere, cui necesse fuerit commutare, quod sollicitudo ordinantium debet specialiter custodire, ut separatio fieri omnino non possit.

Id etiam in venditione vel emptione videtur observari debere, ut quando quis maritum emerit, emat pariter & conjugem, nisi forte alterius ancilla fuerit. Hac de re lex jubet, atque interdicit, ut nullus servus, neque proprius, neque Ecclesiasticus, neque de fisco ancillam alienam in conjugium ducat: similiter ancilla alterius servum nequaquam accipiat; quod si fecerit, irritum habeatur hujuscemodi conjugium; & pro adulterio deputetur. *Vide lib. 2. leg. Longob. tit.* 12. *Cap.* 10.

[*] *licenter.*
(q) Lib. 1. cod. Theodos. de Episc. Jud.
[r] Concil. Vermer. c. 5. Burchard. lib. 6. c. 41.
[s] Concil. Vermer. c. 6. Burchard. lib. 9. c. 26.
[t] Concil. Vermer. c. 7.
(u) Concil. Vermer. c. 8.
(x) Concil. Vermer. c. 19.
[y] Interpret. I. un. cod. Theodos. de com. divid.

Si maritus certa neceſſitate impellente, extra ducatum fugerit.

Ex Concilio unde ſupra.

CXXIV. Si (z) quis neceſſitate inevitabili cogente, in alium ducatum ſeu provinciam fugerit: aut ſeniorem ſuum, cui fidem & fidelitatem promiſſam mentiri non poteſt, ſecutus fuerit: & uxor ejus, cum valet & poteſt, amore parentum aut rerum ſuarum eum ſequi noluerit: ipſa omni tempore, quandiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. Ille vero, qui neceſſitate cogente in alia patria manet, ſi nunquam in ſuam patriam ſe reverſurum ſperat, ſi ſe continere non poteſt, aliam uxorem accipiat, tamen cum pœnitentia.

De eo, qui uxorem ſuam permiſit velare.

Ex eodem, cap. XXII.

CXXV. Qui (a) uxorem ſuam permiſerit velare, aliam non accipiat.

Si mulier ſine licentia mariti ſui velum accipiat.

Ex decreto apud Compendium.

CXXVI. Mulier, (b) ſi ſine licentia mariti ſui velum in caput miſerit, ſi viro placuerit, recipiat eam iterum ad conjugium.

De homine, qui in alia provincia uxorem acceperit.

Ex eodem, cap. VIII.

CXXVII. Homo (c) Francus accepit beneficium a ſeniore ſuo in alia Provincia, & duxit ſecum ſuum Vaſſallum; & poſt hæc fuit ibi mortuus ipſe ſenior, & remanſit ibi prædictus Vaſſallus. Accepit autem homo alius ipſum beneficium, & ut ſecurus poſſet habere ipſum Vaſſallum, dedit illi mulierem de ipſo beneficio, & habuit eam aliquo tempore; & cum ille ſenior dure ageret contra eum, dimiſſa conjuge reverſus eſt ad parentes ſenioris ſui mortui, & accepit ibi uxorem. Definitum eſt, ut illam, quam poſtea accepit, habeat.

De uxore ante contaminata.

Ex eodem. cap. X.

CXXVIII. Si (d) quis uxorem accepit, & eam contaminatam inveniens dereliquit, & aliam accepit, ſtatutum eſt, ut omnimodis ad priorem revertatur. Quia & ipſe, quando illam accepit, poteſt fieri, ut virgo non eſſet; nec mulier lege viri tenetur, quouſque marito conjungatur. Illa, quem poſtea accepit, nubat cui vult.

Ne furioſi matrimonio jungantur.

Ex Lege Romana.

CXXIX. Neque (e) furioſus, neque furioſa matrimonium contrahere poſſunt. Sed ſi contractum fuerit, non ſeparetur.

Si qui Matrimonia ſani junxerunt.

Ex eodem.

CXXX. Si (f) qui matrimonium ſani contraxerunt, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit; ob hanc infirmitatem conjugia talium ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum de his, qui ab adverſariis cæcantur, aut membris detruncantur.

Si cujus uxor adulterium perpetraverit.

Ex Concilio Nannetenſi, cap. XXI.

CXXXI. Si (g) cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc a viro deprehenſum fuerit, & publicatum; dimittat uxorem, ſi voluerit, propter fornicationem; illa vero ſeptem annis publice pœniteat. Vir vero ejus, illa vivente, nullatenus aliam accipiat. Quod ſi voluerit, adulteram ſibi reconciliari, licentiam habeat; ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat; & exacta pœnitentia poſt ſeptem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in

(z) Concil. Vermer. c. 9. Burchard. lib. 9. c. 54.
(a) Concil. Vermer. c. 21. Burchard. lib. 9. c. 46.
(b) Concil. Compend. c. 3. Lib. 5. Capitular. c. 16. Burchard. lib. 9. c. 47.
(c) Concil. Compend. c. 6. (d) Concil. Compend. c. 7.
(e) Paul. Lib. 2. Sent. tit. 19. Burchard. lib. 9. c. 30.
[f] Burchard. lib. 9. c. 28. (g) Concil. Nannet. c. 12.

in muliere ſervabitur, ſi eam vir ejus adulteravit.

Si non ſociati conjugio fornicati fuerint.

Ex eodem, cap. XXII.

CXXXII. Si qua (*h*) mulier non habens virum, aut vir non habens uxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

Quod ſi unus abſolutus, & alter copulatus, adulterati fuerint.

Ex eodem.

CXXXIII. Quod (*i*) ſi vir, non habens uxorem, cum alterius uxore adulteraverit: aut ſi qua mulier non habens virum, cum alterius viro; ille, qui fœdus violavit conjugii, ſeptem annis, ut ſupra dictum eſt, pœniteat; ille, qui lege conjugii non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda eſt his, quibus ſufficere poterat ad explendam libidinem ſuam conjugii amplexus, & illis, qui conjuge carentes ardore libidinis impellente in fornicationem ceciderunt.

De eadem re.

Ex Pœnitentiali.

CXXXIV. Si quis vacans uxore, polluit ſe cum alterius uxore, annis duobus pœniteat. Similiter de fœminis obſervandum.

Si uxoratus ancillam propriam tenuerit.

CXXXV. Si uxoratus ancillam propriam tenuerit, annum unum pœniteat, vel in alio anno tres quadrageſimas & legitimas ferias, & tribus menſibus prius ſe a ſua contineat conjuge. Ancilla vero, ſi vim paſſa eſt, quadraginta dies: ſi conſentiens fuerit, tres in anno quadrageſimas, & legitimas ferias pœniteat.

Si laicus cum laica femina fornicatus fuerit.

Ex eodem.

CXXXVI. Si (*k*) laicus cum laica femina, id eſt, uterque abſolutus a lege conjugii; tres annos pœniteat; & quanto ſæpius & negligentius ea peccata commiſerunt, tanto magis & tempus addatur, & modus pœnitentiæ.

De conjugato, qui ſæpius fornicatus fuerit.

Ex Concilio Heliberitano.

CXXXVII. Si (*l*) quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpius fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus. Quod ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio. Si reſuſcitatus rurſus fuerit mœchatus, placuit ulterius non illudere alios de communione pacis.

De eo, qui lapſus ſemel eſt.

Ex eodem Concilio.

CXXXVIII. Si (*m*) quis forte habens uxorem, ſemel fuerit lapſus, placuit per quinquennium agere de ea re pœnitentiam, & ſic reconciliari; niſi neceſſitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa feminas obſervandum.

Cur non communicant viri cum adulteris uxoribus.

Ex Epiſtola Innocentii Papæ.

CXXXIX. Et [*n*] illud deſideratum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum e contra uxores in conſortium adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem uxores adulteras liberius apud Sacerdotes deferre conſueverunt. Et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur. Virorum autem commiſſo latente, non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo cauſa par ſit, interdum, probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit.

Si

(*h*) Concil. Nannet. c. 13.
(*i*) Concil. Nannet. c. 14. Burchard. lib. 9. c. 70.
(*k*) Burchard. lib. 9. c. 68.
(*l*) Concil. Eliber. c. 47. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 22. Burchard. lib. 9. c. 6
[*m*] Concil. Eliberit. c. 69.
(*n*) Decreta Innoc. I. c. 24. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 21. Burchard. lib. 9. c.

Si conscio marito uxor fuerit mœchata.

Ex Concilio Heliberitano.

CXL. Si [o] conscio marito uxor fuerit mœchata; placuit, nec in fine dandam ei communionem. Si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

Si quis cum Judæa vel gentili mœchatus fuerit.

Ex eodem.

CXLI. Si [p] quis fidelis habens uxorem, cum judæa vel gentili fuerit mœchatus, a communione arceatur. Quod si alius eam duxerit, post quinquennium acta legitima pœnitentia poterit Dominicæ sociari communioni.

Editio Helmæstadiensis, & Codex MS. Parisiensis constanter legunt: *eam duxerit.* Apud Rhabanum vero in Epistola ad Heribaldum cap. XXVI. *eum duxerit.* Consensus iste fecit, ne eam lectionem mutaremus. Nam suspicabar vocem: *duxerit*, corruptam esse apud Reginonem, quod in editionibus Concilii Eliberitani scriptum sit: *eum detexerit.* *Not. Baluz.*

De lenocinio.

De eodem Concilio.

CXLII. Mulier, (q) vel parens, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit, eam nec in fine accipere communionem.

Ne Judæus Christianam ducat uxorem.

Ex lege Theodosiana. Lib. IX.

CXLIII. Nec [r] Judæus Christianam, nec Christianus Judæam ducat uxorem. Quod si fecerit, cujuslibet accusatione velut in adulteris vindicetur.

Ut alterius mulierem nullus accuset.

Ex eodem Lib. cap. IV.

CXLIV. In [s] adulterio extraneam mulierem nemo accuset, sed propinqui, ad quorum notam pertinet, id est, frater germanus, patruelis, patruus, & consobrinus. Reliqui tamen ante inscriptionem, si accusata adquieverit, possunt per satisfactionem veniam promereri.

De maritis accusantibus.

Ex eodem.

CXLV. Maritis (t) sane etiam ex suspicione accusare permissum est.

Ut familia de adulterio distringatur.

Ex eodem.

CLXVI. De [u] adulterio uxorum, maritis per tormenta familiæ utriusque, id est, suæ & uxoris, quærere permittitur; si tamen illo tempore, quo admissum dicitur, hæc ipsa mancipia præsentia, aut in eadem domo fuisse probantur. Similiter & si mortem sibi ab uxore adultera maritus paratam fuisse conqueritur. Similiter etiam familiæ utriusque pœna quærendum est, si maritus mortem uxori qualibet ratione paraverit.

Si ingenua servo proprio se miscuerit

Ex eodem. cap. VI.

CXLVII. Si [x] qua ingenua mulier servo proprio se occulte miscuerit, capitaliter puniatur. Servus etiam, qui in adulterio Dominæ convictus fuerit, ignibus exuratur. Servis etiam hoc crimen accusare licet; & si probaverint; libertatem consequantur, & si non, puniantur. Hereditas mulieris vel filiis, si sunt ex maritis suscepti, vel propinquis ex lege venientibus tribuatur.

Quan-

(o) Concil. Eliberit. c. 70. Burchard. lib. 9. c. 69. Vide Leg. Longob. Lib. 1. Tit. 32. c. 6.
(p) Concil. Eliberit. c. 78. (q) Concil. Eliberit. c. 12.
[r] Interpret. l. 5. cod. Theodos. De adulteris.
(s) Interpret. l. 2. cod. Theodos. De adulteris.
(t) Cod. Theod. ibid. Burchard. lib. 16. c. 37.
(u) Interpret. l. 4. cod. Theodos. eod. tit.
(x) Interpret. l. un. cod. Theodos. De mulier., quæ se ser. pr. junx.

Quando permittatur uxor occidi.

Pauli Sententiarum Lib. II. cap. XXVII.

CXLVIII. Inventam (*y*) in adulterio uxorem maritus ita demum occidere poteſt; ſi adulterium domi comprehendat.

De reo lenocinii.

Ex eodem.

CXLIX. Eum, (*z*) qui in adulterio deprehenſam uxorem non ſtatim dimiſerit, reum lenocinii poſtulare placuit.

De dilatione in cauſa adulterii.

Ex eodem.

CL. In (*a*) cauſa adulterii, ſi manifeſtum fuerit, dilatio poſtulata impertiri non poteſt. *Apud Paulum*: Dilatio poſtulata impetrari non poteſt.

De virginibus laicis.

Ex Concilio Heliberitano.

CLI. Virgines, (*b*) quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas violaverint, maritos acceperint, eo quod ſolas nuptias violaverint, poſt pœnitentiam unius anni reconcilientur. Si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ ſunt, quinquennio pœniteant, & ſic ad communionem accedant.

De his, qui fidem ſponſaliorum frangunt.

Ex eodem.

CLII. Si [*c*] qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant. Si tamen idem ſponſus, vel ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes.

De benedicenda ſponſa.

Ex Concilio Carthaginenſi.

CLIII. Sponſus, [*d*] & ſponſa, cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis, vel a paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

Ut nullus alterius ſponſam accipiat.

Ex Epiſtola Siricii Papæ.

CLIV. De [*e*] conjugali autem violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi illa transgreſſione violetur.

De raptis puellis & deſponſatis.

Ex Concilio Ancyrano.

CLV. Deſponſatas (*f*) puellas, & poſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant deſponſatæ, etiamſi eis a raptoribus vis inlata conſtiterit.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. I. cap. XCIX.

CLVI. Proinde [*g*] placuit, atque ſtatutum eſt a ſacro conventu, ut raptor publica pœnitentia multetur. Raptam vero ſi ſponſus recipere noluerit, & ipſa eidem crimini conſentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod ſi & ipſa conſenſit, ſimili ſententiæ ſubjacebit. Quod ſi & ipſi poſt hæc ſe conjungere præſumpſerint, utrique anathematizentur.

De eadem re.

Ex Concilio Meldenſi, cap. LXIX.

CLVII. De (*h*) his, qui ſponſas alienas rapiunt, antiqua & ſynodalis ſententia obſervetur. Quod etſi forte in Eccleſia eventus talis reperiri dinoſcitur, ut pro ſalutis & religionis competentia humanius quiddam [*] debeat tractari Pon-

Yyy

(*y*) Paul. Lib. 2. Sent. tit. 27. (*z*) Paul. ibid. (*a*) Paul. ibid.
(*b*) Concil. Eliberit. c. 14. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 23. Burchard. lib. 9. c. 14.
(*c*) Concil. Eliberit. c. 54.
(*d*) Concil. Carthag. 4. c. 13. Burchard. lib. 9. c. 5.
(*e*) Decreta Siricii. c. 4. Halitgar. lib. 4. c. 15. Burchard. lib. 9. c. 31.
(*f*) Concil. Ancyr. c. 10. Halitgar. lib. 4. c. 18. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 20. Burchard. lib. 9. c. 38.
(*g*) Lib. 1. Capitular. c. 105. Capitulare Aquisgran. Ludovici Pii c. 24. Burchard. l. 9. c. 37.
(*h*) Concil. Meld. c. 68. Burchard. lib. 9. c. 32. (*) *debeant tractare Pont.*

Pontifices, ficut canonica, ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior, inquiens, definitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor fine publica transeat pœnitentia, & sponso legaliter multam componat. Quod si hæc obedire renuerit, fine ulla refragatione anathematizetur. Fautores vero illius, juxta modum culpæ, Episcopali decreto pœniteant. Si vero, quod non optamus, de gradu Ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem, vel interventorem manifeste prodiderit, a gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, canonice se purget.

De non sponsatis.

Ex Capitularium Lib. I. cap. XCVIII.

CLVIII. De (*i*) puellis raptis, necdum desponsatis, in Chalcedonensi Concilio scriptum est: *Eos, qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & conbibentes raptoribus, decrevit Sancta Synodus, si quidem Clerici sunt, decidant a gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.* Quibus verbis datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnandi sunt, quando participes & cohibentes tanto anathemate feriuntur, & juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt.

De raptoribus virginum & viduarum.

Ex Concilio Meldensi.

CLIX. Raptores (*k*) virginum vel viduarum, qui etiam postea voluntate parentum, & cætera. Require retro in primo libello de ordinatione Clericorum cap. CCCCXVI.

De eadem re.

Ex eodem, cap. LXV.

CLX. Si (*l*) autem, qui necdum eas, quas rapuerunt, cum voluntate parentum, sub præfato desponsionis vel dotalitii nomine in conjugium sumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata, ab earum conjunctione separentur, & publicæ pœnitentiæ subigantur; raptæ autem parentibus legaliter restituantur. Post actam vero publicam pœnitentiam, si ætas, & incontinentia exegerit, legitimo & ex utrisque partibus placito conjugio socientur. Nam in his non regulam constituimus, sed, ut verbis Magni Leonis utamur, quid sit tolerabilius æstimamus. Quod si unus ex conjugatis obierit, is, qui publicam pœnitentiam egerit, & superstes extiterit, iterare conjugium non præsumat, nisi forte Episcopus præviderit aliquam concedere indulgentiam, ut graviorem possit amovere offensam.

De eadem re.

Ex eodem, cap. LXVI.

CLXI. Qui [*m*] vero deinceps rapere virgines præsumpserit vel viduas, secundum synodalem beati Gregorii diffinitionem ipsi, & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuo maneant.

De eadem re.

Ex Epistola Symmachi Papæ.

CLXII. Raptores [*n*] igitur viduarum, vel virginum ob immanitatem tanti facinoris detestamur, illos vehementius persequendo, qui sacras virgines, vel volentes, vel invitas matrimonio suo sociare tentaverint. Quos pro tam (*) nefandissimi criminis atrocitate a communione suspendi præcipimus.

De his, qui Sanctimoniales rapiunt.

Ex Concilio supradicto. cap. LXVII.

CLXIII. Qui (*o*) Sanctimoniales virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ subigantur. Uterque autem fine ulla spe uxoriæ copula-

(*i*) Vide Tomi I. pag. 180. Lib. 1. Capitular. c. 104. Capitulare Aquisgranense Ludovici Pii. c. 23. Burchard. lib. 9. c. 36.

[*k*] Concil. Meld. c. 64.

(*l*) Concil. Meld. c. 65. Burchard. lib. 9. c. 39.

[*m*] Concil. Meld. c. 66. Concil. Roman. sub Greg. II. c. 10. 11.

(*n*) Symmach. Epist. 5. c. 4. Halitgar. lib. 4. c. 16. Burchard. lib. 9. c. 34.

(*) *ita etiam*, in veteri codice Regio.

(*o*) Concil. Meld. c. 67. Burchard. lib. 8. c. 52.

pulationis perenniter maneat. Si vero, quod absit, conjugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ; & amplius propellantur. Quod si forte obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur.

In Editione Helmæstadiensi legitur: *publicæ pœnitentiæ tradantur, & ad habitum religionis redire cogantur. Uterque &c.* Codicis vero Parisiensis lectio ea est, quam præfert hæc nostra editio. Utrobique autem mutilus est hic locus; qui sic supplendus est ex editione Sirmondi, & veteri Codice nostro: *Publicæ pœnitentiæ, juxta modum, quem prævideret Episcopus, subigantur. Ipsæ vero locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum &c.*

De eadem re.

Ex Epistola Siricii Papæ.

CLXIV. Impudicas (*p*) detestabilesque personas, (monachorum scilicet atque monacharum, quæ abjecto proposito sanctitatis inlicita, ac sacrilega contagione se miscuerint) a monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus, eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem saltim, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit subveniri.

De eadem re.

Ex Epistola Gregorii Papæ.

CLXV. Pervenit (*q*) ad nos, quod quidam vir nequissimus diabolico instinctu de monasterio suaserit exire quandam Deo sacratam, atque a quodam viro, unde exierat, sit revocata; rursusque eam vir ille nequissimus iniqua suasione de Monasterio ejiciens, apud se nunc usque retineat impudice. Volumus autem, ut Episcopatus tui auctoritate in Monasterium revocetur, ac retrudatur.

De eadem re.

Ex Epistola Gelasii Papæ.

CLXVI. Virginibus (*r*) sacris se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi per publicam, privatamque pœnitentiam non recipi. Viaticum tamen de seculo exeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.

Ut Episcopus Monasterium monachorum, vel puellarum introeat.

Ex Concilio Rotomagensi.

CLXVII. Ut (*s*) Episcopus Monasterium monachorum, & sanctimonialium frequenter introeat, & cum gravibus, & religiosis personis in eorum, vel earum conventu residens, eorum vitam, & conversationem diligenter discutiat; & si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam subtiliter investiget. Et si aliquam invenerit, quæ, neglecto proposito castitatis, Clerico aut laico impudenter miscetur, acriter verberibus coerceatur, & in privata custodia retrudatur, ubi quod male commisit, digne pœniteat. Interdicat autem ex auctoritate sanctorum canonum, ut nullus laicus aut Clericus in earum claustris, & secretis habitationibus accessum habeat, neque Presbyteri, nisi tantum ad Missam, expleta Missa ad Ecclesias suas redeant. Omnibus præterea publice, & privatim denuntiet, quantum piaculum sit, qui sponsam alterius violat, quanto magis reus Majestatis efficitur, qui sponsam omnipotentis Dei corrumpit.

Mutila est postrema pars istius capitis; quæ sic restituenda est ex Burchardo: *Quantum piaculum sit, qui sponsam Christi violare præmisit. Si enim ille reus tenetur, qui sponsam hominis violat, quanto magis &c.*

Ut Abbatissa de Monasterio non egrediatur.

Ex Concilio Moguntiacensi. cap. XVI.

CLXVIII. Abbatissa (*t*) nequaquam

(*p*) Decreta Siricii. c. 6. Burchard. lib. 8. c. 29.
(*q*) Apud Gratian. 27. q. 1. c. 15.
(*r*) Decreta Gelasii. c. 20. Burchard. lib. 8. c. 32.
(*s*) Burchard. lib. 8. c. 66.
(*t*) Concil. Mogunt. sub Rhab. c. 16. Tomo hoc II. pag. 137. Burchard. lib. 8. c. 80.

quam de Monasterio egrediatur, nisi per licentiam Episcopi sui, nisi forte regali jussione cogatur. Et si quando foras pergit, de sanctimonialibus, quas secum ducit, curam maximam habeat, ut nulla eis detur occasio peccandi.

Quid agere debeant sanctimoniales

Ex eodem.

CLXIX. Sanctimoniales (*u*) in Monasterio constitutæ habeant studium in legendo, & in cantando, & horas canonicas solemniter pariter celebrent. Et omnes, exceptis quas infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad Capitulum, & collationes veniant, & regulam a sanctis Patribus illis constitutam diligenter observent.

De cautela sanctimonialium.

Ex Concilio Hispalensi.

CLXX. Hæc (*x*) circa omnes cautela servetur, ut remoti a peculiaritate virginum, nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum. Nec ipse, qui præest, cum sola colloqui debet, sed sub testimonio duarum aut trium sororum, ita ut rara sit accessio, brevis locutio.

Ne Clerici, vel continentes, ad virgines ingrediantur.

Ex Concilio Carthaginensi.

CLXXI. Ut (*y*) Clerici, vel continentes, ad viduas, vel virgines, nisi ex jussu, aut permissu Episcoporum, aut Presbyterorum, non accedant: & hoc non soli. Sed nec ipsi Episcopi, vel Presbyteri. Sed ubi Clerici præsentes sunt, aut aliqui graves Christiani.

De corruptis sanctimonialibus.

Ex Epistola Innocentii Papæ.

CLXXII. Quæ (*z*) in Christo spiritaliter nubunt, si postea publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendum pœnitentiam, nisi is, cui se junxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæ vivente viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus; quanto magis de illa tenendum est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat, & postea ad humanos amplexus transmigravit.

De sæcularibus viduis.

Ex Concilio Meldensi. LXXI.

CLXXIII. Ut (*a*) illæ, quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere videntur, sed potius *in deliciis viventes mortuæ* in divinis oculis computantur, provincias discurrentes, curiose, (*b*) & verbose, si libidinibus cæterisque carnalibus desideriis, & voluptatibus inservire accusantur; si manifeste detegi potuerint, Episcopali auctoritate, & Regia potestate in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur, ubi pœnitentiam, si fecerint dignam, assequantur etiam fructuosam. Si autem manifeste detegi non valuerint, erga Ecclesiam suæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur, & ut religiosius de cætero vivant, & in Monasteriis conversentur, Episcopali decreto, & Regia potestate coerceantur. De his enim Apostolus dicit: *Quæ cum fornicatæ fuerint in Christo, nubere volunt.*

Caput istud multum diversum est ab editionibus vulgatis Concilii Meldensis. Et tamen sic ut a nobis editum est, legitur in Codice MS. Reginonis, & in editione Helmæstadiensi; nisi quod in editione illa, vitio haud dubie librariorum, verba, quæ sequuntur, omissa sunt: *Fructuosam. Si autem manifeste detegi non valuerint, erga Ecclesiam &c.*

De eadem re.

CLXXIV. De (*c*) viduis Apostolus dicit: *Præcipe*, (d) inquit, *ut viduæ inreprehensibiles sint. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, in operibus bonis testimo-*

(*u*) Concil. Mogunt. sub Rhab. c. 16. Burchard. lib. 8. c. 77.
(*x*) Concil. Hispal. 2. c. 11. Burchard. lib. 8. c. 53.
(*y*) Concil. Carthag. 3. c. 25.
[*z*] Decreta Innoc. I. c. 19. Halitgar. lib. 4. c. 19. Burchard. lib. 8. c. 13.
(*a*) Conc. Meld. c. 70. Burchard. lib. 8. c. 50.
(*b*) 1. Tim. 5.
[*c*] Burchard. lib. 8. c. 41. & Ivo part. 7. c. 59.
[*d*] 1. Tim. 5.

stimonium habens, si filios educavit &c. Adulescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul & otiosæ discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non oportet. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversa est retro post satanam.

De eadem re.

Ex lege Romana.

CLXXV. Viduarum (*e*) sane obstinationibus permovemur, quæ nulla prole suscepta fœcunditatem suam reparatione familiæ repudiata conjugii iteratione condemnant, & solitariam vitam non, ut colligitur religionis ac pudicitiæ amore, sed potentiæ lasciviæque vivendi eligunt libertatem. Quibus ad omnem licentiæ usum, aut solicitantium personarum ficta religione aut favore callidi captatores adplaudant. Has ad honestioris vitæ tramitem revocantes sancimus, ut maritali obitu destituta mulier quadragenaria, cum adhuc procreare liberos per ætatem potest, intra quinquennium nubat. Emenso quinquennio, si in viduitate persistit, mox cum propinquis suas dividat facultes; aut si hi fortasse defuerint, cum fisco [*] matrimonium dividat.

Ne sanctimoniales palatium, & publicos conventus adeant.

Ex Concilio Nannetensi.

CLXXVI. Cum [*f*] Apostolus dicat: *Mulieres* (g) *in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui*, mirum videtur, quod quædam mulierculæ contra divinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia, & publicos conventus indesinentur adeunt, & negotia regni utilitatesque reipublicæ magis perturbant, quam disponunt: cum indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere, & quæ de laneficiis suis & operibus textilibus, & muliebribus, inter genitiarias suas residentes debuerant disputare; in conventu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi usurpant auctoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quam feminis. Unde, quia divinæ leges, ut supra monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilominus id ipsum prohibent, ut feminæ nihil aliud prosequantur in publico, quam suam causam. Ait enim lex Theodosiana: *Nulla* (h) *ratione fœminæ amplius, quam suas agendi habeant potestatem, nec alicujus causam a se noverint prosequendam.* Idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, ut nulla sanctimonialis virgo, vel vidua conventus generales adeat, nisi a Principe fuerit evocata, aut ab Episcopo suo, nisi forte propriæ necessitatis ratio impulerit. Et hoc ipsum cum licentia Episcopi sui.

Quando virgo veletur.

Ex Concilio Africano.

CLXXVII. Ut (*i*) virgines non velentur ante vigesimum quintum annum ætatis; nisi forte necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis; & ut Gelasius Papa dicit, nisi in Epiphania, & in albis Paschalibus, & in Apostolorum Natalitiis non sunt consecrandæ, nisi causa mortis urgente.

De eadem re.

Gelasius.

CLXXVIII. Viduas (*k*) autem velare Pontificum nullus attentet.

Virgines, quæ ante duodecim annos insciis mundiburdis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, & illi mundiburdi integrum annum, & diem hoc tacendo consenserint, in sancto proposito permaneant. Et si in prædicto anno & die pro illis se proclamaverint; petitioni eorum assensus præbeatur, nisi forte Dei timore tacti, cum eorum licentia in religionis habitu perseverent.

 De

(*e*) Nov. Majoriani. tit. 8. (*) in Nov. *patrimonium.*
(*f*) Concil. Nannet. c. 19. Burchard. lib. 8. c. 85. (*g*) 1. Cor. 14.
(*h*) Interpret. l. 5. cod. Theodos. De cognitor. & procurator.
(*i*) Concil. Afric. c. 93. Tomo I. nostro pag. 228. Lib. 1. Capitular. c. 46. Burchard. lib. 8. c. 78. Decreta Gelasii. c. 12.
(*k*) Decreta Gelasii. c. 13. Lib. 1. Capitular. c. 59. Burchard. lib. 8. c. 36. Concil. Tribur. c. 24. Tomo hoc pag. 398. 399. Burchard. lib. 8. c. 10.

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

CLXXIX. Viduæ, (*l*) quæ ſpontanea voluntate ab altari ſacræ converſationis velamen ſuſcipiunt, decrevit ſancta Synodus in eodem propoſito eas permanere. Non enim fas eſſe decernimus, ut poſtquam ſe Domino ſemel ſub velo conſecraverint, & inter velatas oblationes fecerint, iterum eis concedi Spiritui Sancto mentiri.

Zacharias Papa, Cap. VII.

Virginem, [*m*] aut viduam, niſi is, qui deſponſatam habuerit, nullus audeat furari in uxorem. Si quis hoc temerario auſu præſumpſerit, anathema ſit.
Caput iſtud non extat in codice Pariſienſi.

Item de ſanctimonialibus.

Ex eodem Concilio.

CLXXX. Sanctimonialis, ſi pro lucro animæ ſuæ cum licentia Abbatiſſæ ſuæ ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerit, ibidemque commanere, decrevit Synodus concedi; ſi vero fuga diſciplinæ alium locum quærit, redire cogatur.

De Concubinis.

Ex Epiſtola Leonis Papæ.

CLXXXI. Non (*n*) omnis mulier, viro conjuncta, uxor eſt viri, quia non omnis filius hæres eſt Patris. Itaque aliud eſt uxor, aliud concubina; ſicut aliud ancilla, & aliud libera. Ancillam itaque a thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, ſed profectus honeſtatis eſt. Dubium enim non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur, nuptiale non fuiſſe miniſterium. Niſi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honeſtata videatur.

Ut de captivitate venientibus maritis uxores propriæ reformentur.

Ex Epiſtola Leonis.

CLXXXII. Quod (*o*) debeant feminæ, quæ captis viris, & in captivitatem ductis, aliis viris nupſerunt, putantes interemptos maritos, reverſis de captivitate prioribus viris copulari, ut cuique id, quod legitime habuit, reformetur, & recipiat unusquiſque, quod ſuum eſt, & redintegrentur fœdera nuptiarum.

De eadem re.

Ex eodem.

CLXXXIII. Quod (*p*) non probatur eſſe culpabilis, qui uxorem capti in matrimonio videtur eſſe ſortitus. Et ſi viri de captivitate regreſſi, intemperantia uxorum offenſi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem. Et ſi mulier ad priores maritos redire noluerit, poſteriorum virorum amore capta; Eccleſiaſtica communione privetur.

De Inceſtis.

Ex Concilio Hilerdenſi, cap. IV.

CLXXXIV. De his, (*q*) qui ſe inceſta pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando & inlicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantum catechumenorum in Eccleſia admittantur: cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.

Ex Concilio Toletano.

Salubriter (*r*) præcavendo ſancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui, uſque quo affinitatis lineamenta ſucceſſione generis cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari. Quoniam ſcriptum eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.*

De

(*l*) Concil. Tribur. c. 25. Tomo hoc pag. 399. Burchard. lib. 8. c. 35.
(*m*) Burchard. lib. 9. c. 13.
[*n*] Decreta Leon. I. c. 18. & 19. Burchard. lib. 9. c. 1.
(*o*) Decreta Leonis I. c. 42. Burchard. lib. 9. c. 55.
(*p*) Decreta Leonis I. c. 43. 44. 45. Burchard. lib. 9. c. 56.
[*q*] Concil. Hilerdenſ. c. 4. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 20. Burchard. lib. 7. c. 3.
(*r*) Concil. Tolet. II. c. 5. Burchard. lib. 7. c. 6.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CLXXXV. De (*s*) inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Hos enim eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit; ſi quis fratris uxoris germanam, ſi quis novercam, ſi quis conſobrinam, ſi quis filiam avunculi, vel relictam ejus, ſi quis patrui filiam, vel privignam ſuam duxerit. Sane, quibus conjunctio inlicita interdicitur, habebunt ſibi, poſt actam pœnitentiam, ineundi melioris conjugii (id eſt, legitimi) libertatem (id eſt, poteſtatem.) *Vide Epiſtolam Rhabani ad Heribaldum c.* 20.

De eadem re.

Ex Concilio Romano.

CLXXXVI. Gregorius (*t*) Papa dixit: Si quis Dei ancillam [id eſt, ſanctimonialem] in conjugio duxerit, anathema ſit. Si quis commatrem ſpiritualem in conjugio duxerit, anathema ſit. Si quis neptem in conjugio duxerit, anathema ſit. Si quis novercam, aut nurum ſuam duxerit, anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit, anathema ſit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, in conjugio duxerit, anathema ſit. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel conſentientibus ei, anathema ſit. Si quis virginem, niſi deſponſaverit, furatus fuerit in uxorem, vel conſentientibus ei, anathema ſit. Et in his omnibus tertio omne Concilium reſpondit, Amen.

De Judicio.

Ex Concilio ad Confluentes. Karolus ad Ludovicum.

CLXXXVII. Filiam (*u*) noſtram Judith viduam ſecundum Leges Divinas, & humanas ſub tuitione Eccleſiaſtica, & Regio mundeburde conſtitutam, Balduinus ſibi furatus eſt uxorem, quem poſt legale judicium Epiſcopi noſtri regni excommunicaverunt ſecundum ſacros Canones, & diffinitionem Sancti Gregorii Papæ, qui dicit: *Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel conſentientibus ei, anathema ſit.*

De fœminis, quæ viros amittunt.

Capitular. Lib. I. Cap. XCVI.

CLXXXVIII. De (*w*) fœminis, quæ viros amittunt, placet, ne ſe, ſicut hactenus, indiſcrete vele it; ſed triginta dies poſt diſceſſum viri ſui exſpectent, & poſt triceſimum diem per conſilium Epiſcopi ſui, vel ſi Epiſcopus abſens fuerit, conſilio aliorum religioſorum Sacerdotum ſuorumque amicorum, id, quod eligere debent, eligant. Et quia a ſacro Conventu rogati, ut hi, qui publicam gerunt pœnitentiam, & fœminæ, quæ viros amittunt, noſtra auctoritate, donec deliberent, quid agant, tuerentur, ſpecialiter pro his Capitula fieri, & legis mundanæ Capitulis inſerenda decrevimus.

Mutilus eſt hic locus apud Reginonem, Burchardum, & Ivonem. Nam Lib. 1. Capitular. cap. CII. tam in editis, quam in manuſcriptis codicibus tum in Capitulari Aquiſgranenſi Ludovici Pii cap. XXI. poſt illa verba: *Religioſorum Sacerdotum*: legitur: *ſuorumque Parentum atque amicorum.* Unde colligi debet, Burchardum, & Ivonem ſua deſcripſiſſe ex Reginone.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. IV. cap. XVI.

CLXXXIX. Qui (*x*) viduam intra primos triginta dies viduitatis, vel invitam, vel volentem ſibi copulaverit, ſexaginta ſolidos componat: & ſi invitam eam traxerit, legem ſuam ei componat, illam vero ulterius non attingat.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interficit.

Ex eodem. cap. XVII.

CXC. (*y*) Qui hominem publicam pœni-

(*s*) Concil. Agath. c. 61. Concil. Arelat. 6. c. 11. Burchard. lib. 7. c. 4.
[*t*] Concil. Roman. ſub Gregor. II. c. 3. & ſeqq. Halitgar. l. 4. c. 22. Lib. 7. Capitular. c. 127.
(*) Cod. Pariſienſ. *fratris uxorem.*
(*u*) Capitula Karoli Calvi. tit. 30. cap. 5.
(*w*) Lib. 1. Capitular. c. 102. & Lib. 2. Leg. Longobard. tit. 6. c. 4. Burchard. lib. 8. c. 42. Ivo part. 7. c. 60.
[*x*] Lib. 4. Capitular. c. 17. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 6.
[*y*] Lib. 4. Capitular. c. 18. Lib. 1. Leg. Longob. tit. 9. c. 31.

pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & ejus Wirigildum proximis ejus perſolvat. *Vide ſupra cap.* 30. *bujus lib.*

Ne frater ſuper thorum defuncti fratris aſcendat.

Ex Concilio Aurelianenſi.

CXCI. Ne frater ſuper thorum defuncti fratris aſcendat, nec quiſquam amiſſa uxore ſororem ejus ſibi audeat ſociare.

De ſorore ſponſæ violata.

Ex Concilio Ancyrano.

CXCII. (*a*) Quidam ſponſam habens ſororem ejus violavit, & gravidam reddidit, poſtmodum deſponſatam ſibi duxit uxorem, illa vero, quæ corrupta eſt, laqueo ſe peremit; hi, qui fuerunt conſcii, poſt decennem ſatisfactionem juſſi ſunt ſuſcipi ſecundum gradus pœnitentiæ conſtitutos.

De muliere, quæ duobus fratribus nupſit.

Ex Concilio Neocæſarienſi.

CXCIII. (*b*) Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem, veruntamen in exitu, propter miſericordiam, communio ei concedatur. Quod ſi defecerit vir aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia, in vita permanenti.

De eadem re.

Ex Concilio Heliberitano.

CXCIV. (*c*) Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abſtineri, niſi mors coegerit.

De eadem re.

Ex Concilio Martini Papæ.

CXCV. (*d*) Si qua mulier duos fratres, aut ſi quis vir duas ſorores duxerit, a communione ſeparentur uſque ad mortem. In morte pro miſericordia viaticum accipiant.

De filiola & commatre.

Ex Epiſtola Rabani cap. 20. ad Heribaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem.

CXCVI. (*e*) De eo, quod interrogaſti, ſi ille, qui filiolam ſuam, & de eo, qui concubuit cum commatre ſua ſpiritali, & de illo, qui filium ſuum baptizavit. Et cujus uxor eum de fonte ſuſcepit, ſi poſtea in tali copulatione permanere poſſent, omnino illicitum eſſe judicavimus. Nam in Concilio Moguntiacenſi ſcriptum eſt cap. LV. (*f*) *Nullus proprium filium aut filiam a fonte baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium ad confirmationem ante Epiſcopum tenuerit. Ubi autem factum fuerit, ſeparentur.*

Si quis viduam uxorem duxerit.

Ex eodem.

CXCVII. (*g*) Si quis viduam uxorem duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit, aut ſi qua duobus fratribus nupſerit, ſeu cum patre & filio fornicata fuerit; tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari: ſed ſub magna diſtrictione fieri: *Caput iſtud additum eſt ex Codico manuſcripto. Non extat enim in editione Helmæſtadienſi.*

De eo, qui filiolam ſuam polluit.

Unde ſupra.

CXCVIII. [*h*] Quam deteſtabile & execrabile ſcelus ſit unicuique Chriſtiano

(z) Concil. Aurel. 1. c. 18. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 20. Tomo hoc II. pag. 205.
(*a*) Concil. Ancyr. c. 24. Tomo I. noſtro. pag. 149.
(*b*) Concil. Neocæſ. c. 2. Tomo I. noſtro. p. 150. Halitgar. lib. 4. c. 14. Burchard. lib. 17. c. 1. Vide Lib. 7. Capitular. c. 296.
(*c*) Concil. Eliber. c. 61. (*d*) Martin. Bracar. c. 79. Burchard. lib. 17. c. 2.
(*e*) Burchard. lib. 17. c. 24. Tomo hoc II. pag. 206.
[*f*] Concil. Mogunt. ſub Kar. M. c. 55. Tomo I. noſtro pag. 413. Lib. 5. Capitular. c. 100. Burchard. lib. 17. c. 25.
[*g*] Rhab. ibid. Concil. Mogunt. ſub Rhab. c. 56. Mihi c. 29. Tomo hoc II. pag. 160. Lib. 5. Capitular. c. 101. Burchard. lib. 17. c. 9.
(*h*) Rhab. ibid. Tomo hoc II. pag. 206. Burchard. lib. 17. c. 26.

ſtiano filiolam ſuam conſtuprare, teſtatur (*i*) Sanctus Gregorius Papa in dialogis ſuis, ubi refert, quendam hominem polluiſſe filiolam ſuam, & quia neglexit pœnitentiam agere, ſubito miſerabili morbo correptus expiravit, & ſepultus, non ſolum corpus, ſed etiam omne ſepulchrum ignis inviſibilis conſumpſit.

Item de inceſtis, & eorum pœnitentia.

Ex Concilio Mogunciacenſi.

CXCIX. (*k*) Si quis fornicatus fuerit cum duabus ſororibus, vel cum noverca ſua, vel cum amita ſua, vel cum matre ſua, vel cum filia patrui ſui, & avunculi ſui, vel cum filia amitæ ſuæ, vel materteræ ſuæ, vel cum nepte ſua, vel cum commatre, aut filiola ſua, ſive, quam de fonte ſuſcepit, vel ante Epiſcopum tenuerit: & ſi qua mulier ſimili modo fornicata fuerit, abſtineat ſe ab ingreſſu domus Dei annum unum, & eodem anno, niſi dominicis & feſtis diebus, ſolummodo pane, & aqua, & ſale utatur, arma non ferat, oſculum nulli præbeat, ſacrificium, niſi pro viatico, minime ſumat: ſex deinde annis ingrediatur quidem domum Dei, ſed carnibus & vino, & ſicera minime utatur, niſi feſtis diebus. De armis vero vel oſculo, ſive ſacrificio, ſicut ſupra dictum eſt. Poſtea vero duobus annis, quando carne veſcitur, a potu omni, qui inebriare poteſt, ſe contineat, & ſi potum biberit, minime carne veſcatur, abſque præcipuis feſtis diebus. De armis vel oſculo, & ſacrificio modum teneat jam dictum. Inde uſque ad obitum ſuum, niſi prædictis feſtis diebus a carne ſe abſtineat, tres legitimas ferias in omni hebdomada, & tres quadrageſimas in anno legitime cuſtodiat. De armis vero, ut ſupra dictum eſt. Et nunquam aliquando conjugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda eſt patricidis, vel fratricidis, vel conſanguineis, nec non & qui ſponte per fraudem, & avaritiam hominem innoxium occidunt, quod morchidum vocant.

In quota generatione copulentur fideles.

Ex Epiſt. Rhabani ad Humbertum Epiſcopum.

CC. (*l*) Igitur de nuptiis, vel quomodo conſanguinitas honoranda ſit, Dominus loquitur in Levitico dicens: (m) *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Cum enim Dominus populum ſuum de contaminationibus gentium voluiſſet ſeparare, primum generali vocabulo ad proximitatem ſanguinis prohibuit quenquam accedere, ne revelaret turpitudinem ejus; deinde ipſam generalitatem ferme in duodecim ſpecies ſubdiviſit, quæ tamen ultra tertiam vel quartam generationem non procedunt. Unde accidit, ut reor, Domnum Gregorium Auguſtino interroganti, tertia vel quarta generatione jam licite connubia jungere reſpondiſſe. Similiter & in Theodori Archiepiſcopi gentis Anglorum capitulis, quæ de neceſſariis conſcripſit rebus, invenimus, (*n*) quod in tertia propinquitate carnis ſecundum Græcos liceat nubere, in quinta ſecundum Romanos. Qui tamen conjugia in tertia propinquitate facta non ſolverent, ſi antea ab inſcientibus compacta fuiſſent, æqualiterque conjungeretur vir in matrimonio his, qui ſibi conſanguinei ſunt, & uxoris ſuæ conſanguineis poſt mortem uxoris. Hunc autem Theodorum Tharſo Ciliciæ natum, Vitellianus (*o*) Papa Romæ Epiſcopum ordinans, ad Britanniam miſit, unde tam Orientalium, quam etiam Occidentalium Eccleſiarum conſuetudinibus pleniter inſtructus fuerat, nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in obſervationibus legitimis Græci, vel Romani eo tempore habuerunt, maxime cum in utraque lingua perfecte inſtructus eſſet. Quod autem proximis temporibus Romanorum Pontificum ſcripta continent, uſque ad ſextam vel ſeptimam generationem conjugii

Z z z

(*i*) S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 32.
(*k*) Rhab. ibid. Tomo hoc II. pag. 206. Burchard. lib. 17. c. 8.
(*l*) Tom. VI. oper. Rhab. pag. 165. Vide Tomo hoc noſtro pag. 226.
(*m*) Levit. 18.
[*n*] Vide Tom. 9. Spicilegii Dacheriani pag. 53. cap. 13. & pag. 61. cap. 112.
(*o*) Lege: *Vitalianus Papa.*

jugii uſum differendum, magis ex conſuetudine humana, quam ex lege Divina hoc eos præcepiſſe credendum eſt. Nam quod *ISIDORUS* in Etymologiis ſuis uſque ad ſextam generationem conſanguinitatis abſtinendum, & ſic legitimo connubio conjungendum aſſeruit, inde reor eum feciſſe, quod genealogiæ ſeriem retexens, quo uſque ordinem numerandi perduxit, eo cognationem ſanguinis ſervandam æſtimavit, ſicque ad innovationem generis, & amicitiæ jus confirmandum, redire ad connubium ſancivit, quando jam cognationis ordo numerari deſiit. Cæterum ante omnia conſiderandum eſt, ut ſic cenſura diſciplinæ temperetur, ne per immoderationem correptionis peccati cumulus augeatur. Scimus enim, quod qui in lege cognationis jus obſervare conſtituit, in Evangelio fœdus conjugii non diſſolvendum præcepit. Si enim ubicunque aliquid proximitatis vel conſanguinitatis, licet longinquæ inter conjugatos inveniri poteſt, ſtatim matrimonium diſſolvatur, vereor, quod adulterium, & fornicationis ſcelus multiplicetur: quia cum conjugato adoleſcentulo, vel juveni, ſocietas comparis ſuæ denegatur, nec aliquid ei ſolatii impenditur, unde continentiam ſalvare poſſit, libidine inflammatus per diaboli inſtigationem multiplici fornicatione forſitan polluitur, ac ſic in præcipitium mortis æternæ anima demergatur.

Igitur quia a mea parvitate voluiſti, quid ſentirem de hac re, tibi reſcribi, propter fragilitatem præſentis temporis reor, hoc, quod Theodorus Epiſcopus, inter Gregorium, & Iſidorum medius incedens, in ſuis capitulis diffinivit, magis ſequendum, ut quinta generatione jam licitum connubium fiat, quia non lex Divina huic contradicit, nec etiam ſanctorum Patrum dicta hoc prohibent. Si autem & in quinta ab inſciis fuerit copulâ peracta; melius mihi videtur, ut cum pœnitentiæ humiliatione, ſi ſe uxoratus continere non vult, Deo ſatisfaciat.

De eadem re.

Gregorius ad Auguſtinum.

CCI. (*p*) Neceſſe eſt, ut etiam tertia vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam a ſecunda, quam prædiximus, ſe omnino debet abſtinere.

De eadem re.

Ex Epiſtola Rhabani ad Reginbaldum Chor-Epiſcopum.

CCII. De eo, quod interrogaſti, (*) ſi Pater, & filius, vel ſi duo fratres, vel ſi avunculus & nepos, cum una muliere fornicati ſint, quid inde faciendum ſit; manifeſtum eſt, quod gravi vindicta plectendum eſt, quod grave facinus eſſe reperitur. Omnis enim mœchia interdicitur, ubi ſcriptum eſt: *Non mœchaberis.* Quanto magis cum cognata, vel cum conjuge, ſeu concubina cognati. Hinc in Levitico ſcriptum eſt: [q]. *Si mæçhatus fuerit quis cum uxore alterius, morte moriantur & mœchus, & adultera. Qui dormierit cum noverca ſua, vel cum nuru ſua, & qui filiam & matrem duxerit, & qui acceperit ſororem ſuam, morte moriatur.* Si enim in lege turpitudinem inceſtus mortis ſententia vindicare juſſit; quomodo in Evangelio, ubi ſumma juſtitia eſt, inceſtuoſus pœnitentiam peccati evadet? Unde Apoſtolus: (*r*) *Irritam qui fecerit legem Moyſi, ſine ulla miſeratione ſub duobus vel tribus teſtibus moriatur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Igitur Theodorus judicavit eum, qui inceſtum fecerit, duodecim annos pœnitere debere. Alii quindecim, alii decem, alii ſeptem. Sed tu priſcorum Patrum veſtigia ſequens, his ſolis pœnitentiæ ſpatium temperes, qui devote & cum lacrymis pœnitentiam egerint. Ceteri definitum tempus ſervent.

De illo, qui ſervum ſe fecit.

Ex Concilo Triburienſi. cap. XI.

CCIII. Perlatum eſt ad ſanctam Synodum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem; & poſt filiorum procreationem occaſione divortii, cujusdam ſervum ſe fecerit; utrum neceſſario mulierem tenere debeat, & ſi tenuerit, utrum illa quoque ſecundum

(*p*) Apud Bedam lib. 1. Hiſt. Angl. c. 27. §. 6.
(*q*) Levit. 20.
[*] Tomo hoc II. pag. 215.
(*r*) Hebr. 10.

dum sæcularem legem servituti subjici debeat. Judicatum est, uxorem minime debere dimitti; non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi; dum ille non ex consensu conjugis se servum fecit, quem liberum maritum acceperat.

Item de incestis.

Ex eodem.

CCIV. Item indicatum (*s*) est; quendam stuprasse quandam fœminam, quam postea frater ejus accepit uxorem. Statuerunt eum; qui stupravit, & a se stupratam fratri celavit, quia geminavit peccatum, pœnitentia districtiori castigandum, & conjugium tale dissolvi oportere: & mulieri quidem eis viventibus non fore potestatem nubendi, illis autem pro misericordia conjugium indulgere.

Si quis cum filia materteræ suæ &c. concubuerit.

Ex eodem.

CCV. Item interogatum fuit, si quis cum filia materteræ suæ, vel avunculi, amitæ, vel patrui concubuerit; si conjugatus fuerit; liceatne illi ulterius uti conjugio, aut non conjugato uxorem accipere. Justum esset, sicut aliqua priorum statuta habeantur, ut in perpetuum a conjugio tales abstineant. Sed visum est, humanæ fragilitatis intuitu, ut post pœnitentiam non quidem penitus priventur conjugio, durissime tamen tam immanis fornicatio vindicetur, sicut Sanctus Papa Nicolaus, & alii Romani Pontifices statuerunt; ne forte desperata conscientia multiplicius peccent.

Item de incestis.

Ex eodem.

CCVI. In lectum mariti [*t*] absente uxore, soror ivit uxoris, quam ille uxorem suam putans, dormivit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit; quod inscius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem, quæ sibi indicata fuerit, agat, & legitimum suum conjugium habere permittatur; illam digna vindicta affligi; & in æternum conjugio privari.

In editione Helmæstadiensi legitur: *Veram non probaverit.* Omnino contra mentem Canonis. Nos, quia destituebamur ope manuscripti codicis, qui imperfectus est in hoc loco, veram lectionem accepimus ex Burchardo, & ex Pœnitentiali Romano, quod editum est ab Antonio Augustino.

De eadem re.

Ex eodem.

CCVII. Quidam fornicatus est cum aliqua muliere. Postea filius, nesciens (*u*) patris factum, stupravit eandem. Quod cum pater rescisset, de se, filioque suo confessus est. Statuerunt, melius esse, ut taliter lapsis cum digna pœnitentia legitima permittantur conjugia, quam forte deterius delinquant; cum fornicaria autem illa gravius agendum.

De eadem re.

Ex eodem.

CCVIII. Si quis cum [*x*] duabus sororibus fornicatus fuerit, & soror sororem ab eodem antea stupratam nescierit: vel si ipse sororem ejus, quam antea stupravit, non intellexerit; si digne pœnituerint, & se continere non valuerint, post annos septem conjugia illis non negentur. Si autem non ignoraverunt, usque ad mortem a conjugio abstineant.

De eadem re.

Ex eodem.

CCIX. (*y*) Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, vir diebus vitæ suæ pœniteat; soror autem, quæ de alia sorore nescivit, licentiam habeat nubendi.

De eadem re.

Ex eodem.

CCX. [*z*] Si homo fornicatus fuerit cum muliere. Et frater ejus nesciens duxerit eam uxorem; frater, eo quod fratri

Zzz 2

(*s*) Tomo hoc II. pag. 404. 405.
(*t*) Tomo hoc II. cap. 43. pag. 404.
(*u*) Tomo hoc II. cap. 43. pag. 404.
(*x*) Tomo hoc II. cap. 44. pag. 405.
(*y*) Burchard. lib. 17. c. 6.
(*z*) Concil. Tribur. c. 44. Tomo hoc II. pag. 404. Burchard. lib. 17. c. 13.

fratri crimen celaverit, pœniteat, & post pœnitentiam nubat: mulier autem usque ad mortem pœniteat. *Vid. Lib.* 7. *Capitular. Cap.* 296.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXI. (*b*) Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater nesciens cum eadem concubuerit, mulier diebus vitæ suæ pœniteat; post pœnitentiam autem frater ignarus sceleris, conjugium accipiat, si vult. *Vide Concilium Compendiense sub Pippino Cap.* 8. & *Lib.* 5. *Capitular. Cap.* 19.

De separatione.

Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pippini.

CCXII. (*c*) In tertio geniculo separentur. In quarta autem conjugatione si inventi fuerint, non eos separamus, sed pœnitentiam eis indicimus. Et tamen si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXIII. (*d*) Si aliquis cum filiastra sua manet, nec matrem, nec filiam ipsius potest habere, nec illa, nec ille aliis se poterunt conjungere ullo unquam tempore. Attamen uxor ejus, si ita voluerit, si se continere non potest; si postea, quam cognovit, quod cum filia sua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habeat; si vult, potest alii nubere.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXIV. (*e*) Si quis cum noverca sua dormierit, neutiquam possunt ad conjugium pervenire: si vir ejus sic vult, potest aliam accipere, si se continere non potest. Similiter qui cum filiastra sua, vel cum sorore uxoris dormierit, stare potest.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXV. (*f*) Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis antea uxor fuerit; nullam ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri unquam conjugio copulentur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXVI. (*g*) Si quis cum uxore fratris sui dormierit, adulter & mœcha diebus vitæ suæ absque conjugio maneant. Ille vero, cui uxor fuerit, si vult, aliam conjugem accipiat.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXVII. [*h*] Si quis sponsam filii sui oppresserit, & postea filius ejus eam duxerit; pater postmodum non habeat uxorem, nec ipsa mulier virum. Filius, qui patris facinus ignoravit, aliam accipiat.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXVIII. (*i*) Si quis filiastrum, aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, & aliam nunquam accipiat. Similiter & mulier.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXIX. [*k*] Si quis cum matre & filia fornicatus est, ignorante matre de filia, & filia de matre; ille nunquam accipiat uxorem. Illæ vero, si volunt, accipiant maritos. Si autem hoc scierint ipsæ fœminæ, absque maritis in perpetuo maneant.

De

(*b*) Concil. Tribur. c. 43. Tomo hoc II. pag. 404. Burchard. lib. 17. c. 14.
(*c*) Concil. Vermer. c. 1. Concil. Compend. c. 1.
(*d*) Concil. Vermer. c. 2.
(*e*) Concil. Vermer. c. 10. Burchard. lib. 17. c. 11.
(*f*) Concil. Vermer. c. 12. Burchard. lib. 17. c. 3.
(*g*) Concil. Compend. c. 8. Burchard. lib. 17. c. 17.
(*h*) Concil. Compend. c. 10. Lib. 5. Capitular. c. 5. Burchard. lib. 17. c. 18.
(*i*) Burchard. lib. 17. c. 22.
(*k*) Concil. Compend. c. 14. Burchard. lib. 17. c. 12.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXX. (*l*) Similiter & de duabus ſororibus, qui cum una in adulterio manſit, & aliam publice accepit, non habeat mulierem uſque in diem mortis, & illa, quæ neſcivit, accipiat maritum.

Si quis propter Faidam fugit.

Ex eodem.

CCXXI. (*m*) Si qui propter vindictam fugiunt in alias Patrias, & dimittunt uxores ſuas; nec illi, nec illæ alteri copulentur.

Item de inceſtis.

Ex eodem.

CCXXII. [*n*] Si quis inceſtum cum proxima ſua commiſerit, peculium ſuum perdat, ſi habet; & ſi ſe non emendare voluerit, nullus eum in domo recipiat, neque ei cibum donet. Quod ſi fecerit, ſexaginta ſolidos Regi componat. Et ſi pecuniam non habet, mittatur, ſi liber eſt, in carcerem: ſi ſervus eſt, vapulet multis plagis.

Item de parricidis.

Ex eodem.

CCXXIII. Si homo liber patrem, aut matrem, fratrem, vel avunculum occiderit, hereditatem propriam amittat. Et ſi quis mœchatus fuerit cum matre, & ſorore, & amita, hæreditatem perdat.

Item de inceſtis.

Ex eodem.

CCXXIV. (*o*) Epiſcopi inceſtuoſos inveſtigare ſtudeant. Et ſi pœnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur. (*p*) Quod ſi obedire Sacerdotibus noluerint, oportet eos per ſæcularem diſciplinam coerceri.

De eadem re.

Ex Concilio Mogontiacenſi. cap. xxix.

CCXXV. [*r*] Si quis viduam uxorem duxerit, & poſtea cum filiaſtra fuerit fornicatus, ſeu cum duabus ſororibus nupſerit, aut ſi qua cum duobus fratribus, ſive cum patre, & filio: ſi quis relictam fratris, ſi quis neptem, aut novercam, aut nurum, aut conſobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam polluerit; eos disjungi, & ulterius nunquam conjugio copulari præcipimus.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXXVI. (*s*) Contradicimus quoque, ut quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem poſt interdictum factum fuerit, ſeparentur.

De eadem re.

Ex Concilio Wormatienſi.

CCXXVII. (*t*) Si quis cum duabus ſororibus, ſeu cum duobus fratribus, aut cum his perſonis, de quibus ſacra Scriptura prohibet, fornicationem fecerit; ſi dignam egerit pœnitentiam, & ſe continere non poteſt, liceat ei legitimam uxorem, vel virum accipere.

Si quis cum commatre fornicatus fuerit.

Ex eodem.

CCXXVIII. [*u*] Si quis cum commatre ſpirituali fuerit fornicatus, uſque ad dignam pœnitentiam anathemate percutiatur. Similiter ſi cum ea, quam de fonte ſuſcepit, vel quam ante Epiſcopum tenuerit, fornicatus fuerit. Legitimam autem, ſi habuerit, non dimittat uxorem.

Item de inceſtis.

Ex eodem

CCXXIX. (*w*) Si quis cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, poſt diſſolutum con-

(*l*) Concil. Compend. c. 15. Burchard. lib. 17. c. 7.
(*m*) Concil. Compend. c. 18. Lib. 5. Capitular. c. 6.
(*n*) Concil. Met. ſub Pippino. c. 1. Lib. 5. Capitular. c. 7.
(*o*) Conc. Mogunt. ſub Kar. M. c. 53. Tomo I. noſtro p. 413. Lib. 5. Capitular. c. 98. & 152.
(*p*) Conc. Turon. 3. c. 41.
(*r*) Vide ſupra c. 197. hujus libri.
(*s*) Conc. Mogunt. ſub Kar. M. c. 54. Tomo I. noſtro pag. 413. Lib. 5. Capitular. cap. 99. Burchard. lib. 7. c. 18.
(*t*) Concil. Wormac. c. 33. Tomo hoc II. pag. 315.
(*u*) Concil. Wormac. c. 34. Tomo hoc II. pag. 315.
[*w*] Concil. Wormac. c. 36. Tomo hoc II. pag. 315. ſed capitulo 34. non 36.

conjugium pœnitentiam agat. Scilicet per triennii tempus a corpore & sanguine Domini suspendatur. Carnem non manducet, vinum non bibat, & omnibus diebus jejunet, exceptis Festis & Dominicis diebus. Similiter de mulieribus, quæ patri se clanculo in concubitu postraverunt, & filio observandum est, & qui duabus se absconse sororibus pollutos cognoscunt.

Quod cum Sacramento illicita conjugia solvenda sunt.

Ex Concilio Triburiensi.

CCXXX. (x) Quorum illicita conjugia scindenda sunt, volumus, ut juramento confirment, ne ad unam mensam, nec sub uno tecto simul cohabitent, vel quolibet familiari colloquio perfruantur, nisi in publico, aut in Ecclesia. Res, quas communes habuerint, dividant, ne aliqua suspicio possit nasci, atque increscere.

Juramentum de parentela, quomodo inquirendum.

CCXXXI. (y) De illa parentela, quam dicunt esse inter illum & istam ejus conjugem, quidquid inde scis vel audisti computare a tuis vicinis, vel tuis antecessoribus, quod tu per nullum ingenium, nec propter timorem, aut præmium, aut consanguinitatem celabis Episcopo tuo, aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocunque ex hoc te interrogaverit. Sic te Deus adjuvet.

De eadem re.

CCXXXII. (z) Istud juramentum, quod iste juravit de illa parentela, quæ inter illum, & ejus conjugem computatur, quod tu illud observabis, in quantum sapis, aut audisti. Sic te Deus adjuvet.

Sacramentum de incestuoso discidio.

CCXXXIII. (a) Ab isto die jurabis, quod tu per nullum ingenium te sociabis huic tuæ consanguineæ, nomine illi, quæ contra legem & rectam Christianitatem usque in hunc diem tua uxor fuit, nec in conjugio, nec in adulterio, vel fornicatione, nec cum illa ad unam mensam manducabis, & bibes, aut sub uno tecto manebis; nisi forte in Ecclesia, aut in aliquo publico loco, ubi nulla mala suspicio possit esse, ut ibi coram testibus pro certa necessitate pariter colloquamini. Nec aliam conjugem accipies, nisi forte post actam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab Episcopo tuo, aut ejus Misso. Sic te Deus adjuvet, & istæ Sanctorum reliquiæ.

Invocatio Judicii.

CCXXXIV. (b) De hoc, quod mihi reputatum est in hac Synodo, quod simul cum ista fœmina adulterium, vel fornicationem fecissem, quod ego non ita feci, nec inde me culpabilem recognosco. Sic me Deus adjuvet, & istud judicium suum.

Juramentum post datam pœnitentiam de perpetrata luxuria.

CCXXXV. (c) Ab ista die cum fœmina, cum qua adulterium, vel fornicationem fecisti, unde disciplinam, vel pœnitentiam suscepisti, amplius non adulterabis, nec fornicaberis, nec eam in uxorem accipies: nisi forte post peractam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab Episcopo, aut ejus Misso. Sic te Deus adjuvet.

De eo, qui vivente marito conjugem illius adulterasse accusatus perhibetur.

Ex Synodo Meldensi.

CCXXXVI. (d) Is, qui, vivente marito, conjugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eandem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ subigatur. De quo etiam post pœnitentiam, præfata, si expedierit, servabitur regula: nisi forte idem, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notentur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii cum pœnitentia perpetuo maneant. Si autem negaverit, se eandem fœminam vivente viro, adulterasse, & præfati homicidii

(x) Concil. Tribur. c. 49. Tomo hoc II. pag. 405, 406.
(y) Burchard. lib. 7. c. 25.
(z) Burchard. lib. 7. c. 26.
(a) Burchard. lib. 7. c. 27.
[b] Burchard. lib. 9. c. 79.
(c) Burchard. lib. 9. c. 80.
[d] Conc. Meld. c. 69. Burchard. l. 9. c. 65.

micidii nemo eorum reus extiterit, & probatis teſtibus neutiquam convinci potuerit; purgent legaliter famam ſuæ opinionis, & ſumpto utantur conjugio, ſi alia, ut diximus, non impedierit ratio.

De eadem re.

Ex Concilio Triburienſi.

CCXXXVII. (*e*) Relatum eſt auribus Sanctorum Sacerdotum, quendam alterius uxorem ſtupro violaſſe, inſuper & mœchæ, vivente viro ſuo, juramentum dediſſe, ut poſt legitimi mariti mortem, ſi ſupervixiſſet, duceret in uxorem, quod & factum eſt. Tale igitur connubium prohibemus & anathematizamus.

Invocatio de morte mariti, vel uxoris.

CCXXXVIII. De hoc, quod tu accuſata es in præſentia iſtius Epiſcopi, in hac Synodo, quod per tuum factum, & per tuum conſilium tuus maritus illius, vel tua conjux illius mortem recepiſſet, & vitam perdidiſſet, omnino non eſt ita: nec tu in ejus vita, aut membris quicquam feciſti, aut cum aliis conſiliatus es, unde merito ſecundum Eccleſiaſticum Judicium pœnitentiæ remedia ſuſcipias, aut ſecundum mundanam legem mortem, aut aliquod damnum ſuſtineas. Sic te Deus adjuvet ad iſtud judicium.

Juramentum vel invocatio de homicidio imputato.

CCXXXIX. De hoc, quod tibi imputatum eſt, in præſentia tui Epiſcopi, cujus parrœchianus es, quod tu illum hominem cum aliis hominibus ſequacibus tuis occidiſſes propter hanc cauſam, ut bona illius diriperes, & ejus uxorem tibi in matrimonium ſociares; in veritate non eſt ita: nec tu ſolus, nec cum aliis hominibus illum hominem occidiſti, nec ut ſuam vitam, aut membra perderet, cum aliis conſiliatus es, nec in ejus morte quicquam habes factum, unde merito aut pœnitentiam ſuſcipias, aut vindictam ſuſcipias, aut pretium aliquod perſolvas. Sic te Deus adjuvet.

Juramentum de reconciliatione conjugatorum.

CCXL. (*f*) Ab iſta die in antea, iſtam tuam conjugem, nomine illam, quam injuſte dimiſeras, ita tenebis, ſicut per rectum maritus ſuam debet habere conjugem in dilectione & debita diſciplina, nec eam per ullum malum ingenium ſeparabis a te, nec ea vivente aliam accipies. Sic te Deus adjuvet.

De eadem re.

CCXLI. (*g*) Amodo in ante iſtum tuum maritum, quem injuſte dimiſeras, ita tenebis & amplexaberis, & ei in ſervitio, in amore, & in timore ita eris ſubjecta, & obediens, ſicut per rectum uxor ſubjecta debet eſſe marito: nec unquam ab eo te ſeparabis, nec illo vivente alteri viro te ſociabis in conjugio, aut adulterio. Sic te Deus adjuvet.

De his, qui matrimonio juncti ſunt, & nubere non poſſunt.

Ex Epiſt. Rhabani. cap. XXIX.

CCXLII. (*h*) Quod autem interrogaſti de his, qui matrimonio juncti ſunt, & coire non poſſunt, an ille aliam, vel illa alium ducere poſſit. Quibus ſcriptum eſt: (*i*) *Vir & mulier, ſi ſe conjunxerint, & poſtea dixerit mulier de viro, quod non poſſit coire cum eo, ſi poteſt probare per juſtum judicium, quod verum ſit, accipiat alium.*

De eadem re.

Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pippini Regis. cap. XVII.

CCXLIII. (*k*) Si qua mulier ſe proclamaverit, quod vir ſuus nunquam cum ea coiſſet, exeant inde ad crucem, & ſi verum fuerit, ſeparentur, & illa faciat, quod vult.

De eadem re.

CCXLIV. (*l*) Si quis accepit uxorem, & habuit ipſam aliquo tempore, & ipſa fœmina dicat, quod non coiſſet cum ea, & ille vir dicit, quod ſic fecit: in veritate viri conſiſtat, quia vir caput eſt mulieris.

De

(*e*) Concil. Tribur. c. 40. Tomo hoc II. pag. 404. Burchard. lib. 9. c. 66.
(*f*) Burchard. lib. 9. c. 81. (*g*) Burchard. lib. 9. c. 82.
(*h*) Rhaban. Epiſt. ad Heribald. c. 29. Tomo hoc II. pag. 209.
[*i*] Lib. 6. Capitular. c. 55. Burchard. lib. 9. c. 40.
[*k*] Concil. Vermer. c. 17. Burchard. lib. 9. c. 41.
(*l*) Concil. Compend. c. 17. Burchard. lib. 9. c. 42.

De eadem re.

Ex Concilio Triburienſi.

CCXLV. (*m*) Si duxerit vir uxorem, & concumbere cum ea non valens, frater ejus clanculo eam vitiaverit, & gravidam reddiderit, ſeparentur. Conſiderata autem imbecillitate, miſericordia eis impertiatur ad conjugium, tantum in Domino.

De fornicatione diverſarum perſonarum.

Ex Pœnitentiali Romano, Theodori Epiſcopi, & Bedæ Presbyteri.

CCXLVI. Adoleſcens, ſi cum virgine peccaverit, annum pœniteat.

Si ſemel & fortuito caſu, levigetur ei pœnitentia, & tantum uſque ad annum plenum pœniteat.

Si infra triginta annos adoleſcens fornicationem faciat, tres quadrageſimas & legitimas ferias.

Si propter hoc peccatum ſervitio humano addicti ſunt, quadraginta dies pœniteant.

Si uxoratus cum virgine fornicatus fuerit, duos annos pœniteat, ita primum omnium, ut a ſua ſe contineat. Si ei conſenſerit, uxori etiam addatur modus pœnitentiæ.

Si laicus cum laica fornicatus fuerit, tres annos pœniteat, & quanto ſæpius, tanto magis tempus addatur.

Laicus maculans ſe cum ancilla Dei, duos annos pœniteat. Si genuerit ex ea filium, annos tres pœniteat. Si ſine conjugio eſt, tres quadrageſimas,& legitimas ferias. Si Canonici ſunt, & fornicantur, annum unum; ſi frequenter, duos.

Qui in gradu eſt, annos tres pœniteat: Monachus ſine gradu, vel Canonicus gradum habens, ſi cum puella laica fornicati ſunt; annos tres pœniteant: ſi cum ſanctimoniali, annos ſeptem pœniteant. Monachi cum gradu fornicationem facientes, ſeptem annos pœniteant. Si Monachus laicam duxerit, tres annos pœniteat, illa duos, & legitimas ferias. Si uſque ad generationem filii, quatuor annos pœniteat; ſi occiderit, ſeptem annos pœniteat.

Si Epiſcopus fornicatus fuerit, octo annos pœniteat. Alii judicaverunt, duodecim annorum pœnitentiam. Poſt annum tertium levius pœniteat.

Presbyter cum puella fornicans, annos quatuor, & tres quadrageſimas in anno, & ferias quartam & ſextam in pane & aqua. Si cum ancilla Dei fornicatus fuerit, ſeptem annos pœniteat.

Epiſcopus, [*n*] Presbyter, & Diaconus, ſi in fornicatione, perjurio, vel furto captus eſt, deponatur; non tamen communione privetur. Quia non vindicat Dominus bis in idipſum. [*Ex Canone XXV. Apoſtolorum.*]

Item de inceſtis.

CCXLVII. Si adoleſcens ſororem ſuam duxerit, quinque annos pœniteat; ſi matrem, ſeptem annos. Et quamdiu vixerit, nunquam ſit ſine (*o*) continentia.

Item alii.

Qui cum matre fornicatus fuerit, quindecim annos pœniteat.

Qui cum filia, vel ſorore fornicatus fuerit, ab omni carne ſe abſtineat, & quindecim annos pœniteat.

Si mater cum filio ſuo parvulo fornicata fuerit, tres annos abſtineat ſe a carne, & diem unum in unaquaque hebdomada jejunet uſque ad veſperam.

Item.

Qui habet matrem & filiam, duas ſorores, uxorem patris & fratris, patruelis aut avunculi, neptem aut conſobrinam: aut qui in prima, ſecunda, vel tertia generatione juncti ſunt, iſtis volumus indicare, ut ſeparentur. Et propter novellam plantationem Eccleſiæ, ut ſeptem annos agant pœnitentiam: tres primos annos tres dies in hebdomada, id eſt, feria ſecunda, & quarta, & ſexta: quadraginta dies ante Paſcha, viginti ante Miſſam Sancti Johannis, viginti ante Natale Domini. Quatuor vero reliquos annos, feria quarta & ſexta, & quatuordecim noctes ante Miſſam Sancti Johannis, & alias ante Natale Domini. Si ſe redimere vult, donet unum denarium, aut pretium unius denarii pro uno die. Si pauper eſt, donet dimidium denarium.

De

(*m*) Concil. Tribur. c. 41. Tomo hoc II. pag. 404. Burchard. lib. 9. c. 43.
(*n*) Burchard. lib. 17. c. 39. Tomo I. noſtro pag. 133.
(*o*) Lege: *pœnitentia.*

De ſordidatione puerorum.

CCXLVIII. Pueri ſe manibus invicem coinquinantes, quadraginta dies pœniteant, majores vero centum dies. Pueri ſe inter femora ſordidantes, centum dies pœniteant, majores tres quadrageſimas & legitimas ferias. Parvulus a majore oppreſſus ſeptem dies pœniteat. Si conſenſerſt, viginti dies. Puer voluntarie ſe polluens, triginta dies; juvenis vero quadraginta dies pœniteat.

De menſtruis abſtinendis.

CCXLIX. Qui cum muliere menſtruata nupſerit, quadraginta dies pœniteat.

Ut ſupra.

Si quis cum uxore ſua retro nupſerit, quadraginta dies pœniteat: ſi in terga nupſerit, tres annos, quia Sodomiticum ſcelus eſt. Viri inter femora fornicantes, annum unum pœniteant: ſi in terga, tres annos. Si pueri ſunt, duos annos pœniteant.

De mulierum fornicatione.

CCL. [*p*] Mulier quocunque molimine aut in ſe ipſa, aut cum altera fornicans, tres annos pœniteat.

Unde ſupra.

(*q*) Si ſanctimonialis cum alia ſanctimoniali per aliquod machinamentum fornicatur, ſeptem annos pœniteat.

De inlecebroſo amplexu.

CCLI. (*r*) Qui per inlecebroſos amplexus fœminæ, vel per oſculum polluitur, triginta dies pœniteat. Qui tetigerit inverecunde carnem ejuſdem fœminæ, tres menſes pœniteat. Qui per turpiloquium polluitur, ſeptem dies pœniteat. Presbyter ſi oſculatus fuerit fœminam per immundum deſiderium, viginti dies pœniteat. Si inquinatus fuerit, quadraginta dies pœniteat. Qui in Eccleſia per ſomnum polluitur, tres dies pœniteat. Qui in ſomnis voluntate pollutus eſt, ſurgat, & cantet ſeptem Pſalmos pœnitentiales, & die triginta. Qui peccare voluerit in ſomnis, & non fuerit pollutus; triginta quatuor Pſalmos cantet.

De fundendo ſemen.

CCLII. (*s*) Clericus ſi ſemen fuderit, non tangendo, ſeptem dies pœniteat; ſi tangit cum manu, viginti dies. Si Diaconus, triginta dies. Si presbyter, hebdomadas quatuor. Presbyter ſi ſemen fuderit per cogitationem, ſeptem dies pœniteat. Monachus ſimiliter. Qui voluntarie ſemen fudit in Eccleſia, ſi Clericus eſt, quatuordecim: ſi monachus, aut Diaconus; triginta dies: ſi Presbyter, quadraginta: ſi Epiſcopus, quinquaginta dies pœniteat.

De quadrupedum fornicatione.

CCLIII. [*t*] Qui cum pecude peccat, annum unum. Quidam judicant, annos decem, quidam ſeptem, quidam quatuor: quidam centum dies.

Item.

Si quis Clericus cum quadrupede fornicatus fuerit, annos duos: Subdiaconus tres: Diaconus, & Monachus quinque: Presbyter ſeptem: Epiſcopus decem pœniteat.

De Sodomitis.

CCLIV. Qui fornicaverit, ſicut Sodomitæ, (*) quidam judicaverunt decem annos, quidam ſeptem, alii unum. Pueri centum dies. Alii judicaverunt, ſi in conſuetudine eſt, laicus annos quinque, Clericus ſeptem, Subdiaconus, & Monachus octo: Diaconus decem, Presbyter duodecim, Epiſcopus tredecim pœniteat.

De eadem re.

Ex Concilio Ancyrano.

CCLV. (*u*) De his, qui irrationabiliter verſati ſunt, ſive verſantur, quotquot ante viginti annos ætatis tale crimen commiſerunt, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem mereantur orationum. Poſt quinquennium, id eſt, poſt viginti annos, oblatio-

Aaaa

(*p*) Burchard. lib. 17. c. 27.
(*q*) Burchard. lib. 17. c. 28.
(*r*) Burchard. lib. 17. c. 42.
(*s*) Burchard. Lib. 17. c. 43.
(*t*) Burchard. lib. 17. c. 32.
[*] Halitgar. lib. 6. c. 25. Burchard. lib. 17. c. 34.
(*u*) Concil. Ancyr. c. 15. Tomo I. noſtro pag. 148. Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 32. Tomo hoc II. pag. 210. Halitgar. lib. 4. c. 7. Burchard. lib. 17. c. 30.

lationis Sacramenta contingant. Quotquot autem post viginti annos ætatis uxores habentes, in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annos pœnitentiam agentes, ad orationis communionem recipiantur. Et post quinquennium iidem post triginta annos communicent.

De eadem re.

Ex eodem Concilio.

CCLVI. (*w*) Eos, qui inrationabiliter vixerunt, & lepra inusti criminis alios polluerunt, præcepit sancta Synodus, inter eos errare, qui spiritu periclitantur immundo.

De eadem re.

Ex Lib. I. *Capitularium* cap. XIX.

CCLVII. (*x*) Si inventi fuerint, qui cum quadrupedibus, vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia coercendi sunt. Quapropter Episcopi, vel Presbyteri, a quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum radicitus abscidere.

De eadem re.

Ex dictis Basilii.

CCLVIII. (*y*) Clericus, vel Monachus, adulescentium, vel parvulorum insectator, vel qui osculo, vel aliqua occasione turpi reprehensus fuerit; publice verberetur, & coronam amittat, decalvatusque turpiter, sputamentis obliniatur in facie, vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur, & triduo per hebdomadas singulas ex pane hordeacio ad vesperam reficiatur. Post hæc aliis sex mensibus sub senioris spiritalis custodia segregata in curticula degens, operi manuum, & orationi sit intentus, vigiliis & fletibus subjectus; & sub custodia semper duorum fratrum spiritalium ambulet, nulla privata locutione vel consilio deinceps juvenibus conjungendus.

De eadem re.

Ex dictis Isidori.

CCLIX. (*z*) Si quis ex juvenibus, vel aliqua suspiciosa persona cum parvulis jocaverit, diuturna pœnitentia maceretur.

De eadem re.

Unde supra.

CCLX. (*a*) Si deprehensus fuerit aliquis frater ludere cum pueris, & habere amicitias ætatis infirmæ; tertio commoneatur, ut memor sit honestatis atque timoris Dei. Si non cessaverit, severissime corripiatur.

De eadem re.

Ex Lege Theadosiana. Lib. IX

CCLXI. (*b*) Omnibus flagitiosum est, virile corpus muliebriter (*c*) constitutum alieni sexus damnare patientiam. Nihil enim discretum videntur habere cum feminis. Hujusmodi scelus, spectante populo flammis vindicibus expiabis [*Editio Helmæstad.* expiabunt.]

De Copulatione fidelium.

Ex Concilio Wormaciensi.

CCLXII. (*d*) In copulatione fidelium generationum numerum non definimus: sed id statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate, seu cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.

Hæc de multimoda fornicatione ex diversis opusculis perstrinximus, sacerdotum judicio relinquentes, quid salubrius & utilius esse in dandis pœnitentiis decernant.

Ne in domibus fidelium adulteria perpetrentur.

Ex Concilio Meldensi.

CCLXIII. (*e*) Provideant viri potentes & maxime potentes fœminæ, ut in suis domibus adulteria, & luxuriæ con-

[*w*] Concil. Ancyr. c. 16. Tomo I. nostro pag. 148. Lib. 7. Capitular. c. 273. Halitgar. lib. 4. c. 8. Burchard. lib. 17. c. 31.
(*x*) Lib. 1. Capitular. c. 49. Burchard. lib. 17. c. 33.
(*y*) Burchard. lib. 17. c. 35.
[*z*] Burchard. lib. 17. c. 36.
(*a*) Burchard. lib. 17. c. 37.
(*b*) Interpretat. l. 6. cod. Theodos. De adulteris.
(*c*) Edit. Helmæstad. *constituere & ad al.*
[*d*] Concil. Wormac. c. 32. Tomo hoc II. p. 315. Lib. 5. Capitular. c. 80. Burchard. l. 7. c. 2.
(*e*) Concil. Meld. c. 74.

concubinaticæ, & incesta adulteria non vigeant. Et (*f*) suos Presbyteros, qui cum eis in capella vadunt, hujusmodi virtutem habere faciant, quatinus in domibus suis omnia vitia resecent, & orationem Dominicam ac symbolum cunctos tenere, & frequentare compellant: quia parrœchiani Presbyteri, & Episcoporum Ministri de minoribus, & levioribus personis hoc providere studebunt.

De eadem re.

Ex Capitular. Lib. III.

CCLXIV. (*g*) Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi, & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, Wadios accipiant, & a Presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant, quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiæ locus detur.

ABHINC DE FURTO, ET RAPINA.

Ex Pœnitentiali.

CCLXV. (*h*) Qui cupiditate captus, furtum fecerit; quod abstulerit, reddat, & annos quinque pœniteat.

De eadem re.

Ex Lege Romana.

CCLXVI. Pecunia Ecclesiastica furata, sive rapta, solvatur quadruplum, popularia dupliciter. *Vide Tom. IX. Spicilegii Dacheriani pag.* 57. *cap.* 54. *& Gratian.* 17. *Q.* 4. *cap.* 16.

De eadem re.

Ex pœnitentiali.

CCLXVII. Qui sæpe furtum fecerit, septem annos pœniteat.

De eadem re.

Ex eodem.

CCLXVIII. [*i*] Si quis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia tulerit, vel casas effregerit, septem annos pœniteat, & quod furatum est, reddat; si quis vero de minoribus semel aut bis, furtum fecerit, reddat, quod tulit, & annum unum pœniteat in pane & aqua. Et si reddere non potuerit, annos tres pœniteat.

Unde supra.

Si quis sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua.

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

CCLXIX (*k*) Si quis Clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus; oportet in tali scelere proditum a Clericatus ordine submoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CCLXX. (*l*) Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCLXXI. (*m*) Si quis Clericus aut monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest; id censuimus ordinandum, ut junior virgis cæsus, tanti criminis reus, nunquam officium Ecclesiasticum accipiat: si vero jam ordinatus in hoc facinore fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur. Cui sufficere potest, pro actus sui levitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, sola communio.

Caput istud non extat inter canones Synodi Agathensis, & tamen Egbertus Cantuariensis, qui multo antiquior est Reginone, illud laudat ex Concilio Agathensi

De eadem re.

Ex dictis Hieronymi ad Titum.

CCLXXII. (*n*) Fur autem non solum

(*f*) Vetus codex MS. *sui Presbyteri.*
(*g*) Concil. Cabilon. 2. c. 18. Lib. 2. Capitular. c. 38. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 3. c. 10.
(*h*) Halitgar. lib. 4. c. 29.
(*i*) Halitgar. lib. 6. c. 4. Burchard. lib. 11. c. 58. Gratian. 17. q. 4. c. 17.
(*k*) Concil. Tolet. 4. c. 46. Burchard. lib. 11. c. 63.
(*l*) Concil. Agath. c. 5.
(*m*) Exceptiones Egberti c. 68. Burchard. lib. 11. c. 64.
(*n*) Burchard. lib. 11. c. 55.

ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus judicatur. Non enim quid furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione, non idcirco diverſa eſt fornicatio, ſi mulier pulchra aut deformis, ancilla aut ingenua, pauper aut opulenta; ſed qualiscunque illa fuerit, una eſt fornicatio. Ita in furto, quantumcunque quis abſtulerit, furti crimen incurrit.

De eadem re.

Auguſtini dicta.

CCLXXIII. (o) Dixit Dominus ad Moyſen: *Accipiat unusquisque a proximo ſuo, & proxima, vaſa argentea, & aurea, & veſtes. &c.* Non hinc quisquam exemplum ſumendum putare debet, ad expoliandum proximum. Hoc enim Deus juſſit, qui noverat, quid quemque pati oporteret. Nec Iſraelitæ fecerunt, ſed Deo jubente miniſterium præbuerunt. Quemadmodum cum miniſter occidit eum, quem judex juſſit occidi. Profecto ſi id ſponte faciat, homicida eſt, etiamſi eum occidat, quem ſcit a judice occidi debuiſſe.

Item Auguſtinus.

(p) Pœnale eſt, occulte auferre: multo majoris pœnæ eſt, viſibiliter eripere. Auferre ergo nolenti, ſive occulte, ſeu palam, habet præceptum ſuum. Furti enim nomine bene intelligitur, omnis inlicita uſurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed utique ſub furti nomine, & rapinam intellegi voluit. A parte enim totum ſignificavit, quidquid proximo aufertur.

De eadem re.

Ex Capitularibus.

CCLXXIV. (q) Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli, aut ejus homini, aliquid vi abſtulerit, in triplo, cui tulit, legibus componat, & inſuper bannum noſtrum perſolvat. Poſtmodum vero ante nos a Comite adducatur, ut in baſtiniaco retruſus, uſque ad dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam ſi publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta ſanctorum Canonum ſanctiones. Si vero occulte, ſacerdotum conſilio exinde agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut Apoſtolus ait, niſi inde veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non poſſidebunt. Qui vero de rebus Eccleſiarum aliquid abſtulerint, gravius inde judicentur: quia ſacrarum rerum ablatio ſacrilegium eſt, & ſacrilegus vocatur, qui exinde aliquid tulerit. Extorres namque a liminibus Sanctæ Dei Eccleſiæ tales perſonæ uſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, quam læſerunt, ſunt habendæ, atque firmiter denotandæ.

Pars ultima iſtius Capitis diverſa eſt ab editione, quæ extat in libris Capitularium. Sed convenit cum ea, quam exhibent Capitula Karoli Calvi.

De eadem re.

Ex Pœnitentiali.

CCLXXV. (r) Si aliquis de miniſterio Eccleſiæ quolibet modo aliquid furatus fuerit, ſeptem annos pœniteat.

De eadem re.

Ex Concilio Wormacienſi.

CCLXXVI. (s) Sæpe contingit, ut in Monaſteriis furta perpetrentur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talibus ſe purgare debent, miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, præſentibus fratribus. Et ſic, expleta Miſſa, omnes communicent in hæc verba: *Corpus Domini ſit tibi ad probationem hodie.*

Multum diverſus eſt hic canon a vulgatis editionibus Concilii Wormacienſis. Iſtam tamen lectionem ſecutus eſt Burchardus, & ex eo Gratianus. Itaque poſtrema pars ita habet in canonibus Concilii: *Et ſic in ultima Miſſæ celebratione pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.* Vide Miſſam judicii in Gloſſario Franciſci Pithœi in verbo: *Aquæ ferventis, aut frigidæ judicium.*

De

(o) Auguſt. in Exod. Q. 39. Burchard. lib. 11. c. 53.
(p) Auguſt. in Exod. Q. 71. Burchard. lib. 11. c. 54.
(q) Lib. 6 Capitular. c. 96. & in Capitulis Karoli Calvi tit. 20. pag. 158. & tit. 27. pag. 249.
[r] Burchard. lib. 11. c. 65.
[s] Concil. Wormac. c. 15. Tomo hoc II. pag. 313. Burchard. lib. 11. c. 66.

De causa criminali.

Ex eodem.

CCLXXVII. (*t*) Si Episcopo, aut Presbytero causa criminalis, homicidium, adulterium, & maleficium reputatum fuerit; in singulis Missam tractare debet, & secretam publice dicere, & communicare: & de singulis sibi reputatis innocentem se ostendere. Quod si non fecerit; quinquennio a liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur.

De rapina & violentia.

Ex Capitulari,

CCLXXVIII. (*u*) Episcopi Evangelicæ, & Apostolicæ, nec non Propheticæ auctoritatis sententias de rapina, & vi, & decreta canonica & Apostolica breviter debent habere adnotata, & hæc omnibus publice relegant. Missi quoque legationis legales sententias, & Prædecessorum nostrorum, & nostra de hac causa capitula, omnibus nota faciant. Et Episcopi Dei, & Episcopali auctoritate deprædationes, & rapinas omnibus interdicant. Et Missi, & Comites nostri cunctis ex nostro banno prohibere firmiter studeant; ut cognoscant omnes, quod si tale aliquid facere præsumpserit, secundum divinas sententias Episcopalem excipiet sententiam, & secundum leges, & capitula Regia emendare cogatur, & secundum judicium fidelium nostrorum condignam vindictam excipiet.

De eadem re.

Ex eodem.

CCLXXIX. (*w*) Quod si, quod absit, talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & Ecclesiasticam auctoritatem contemnat, & Regiam potestatem refugiat; sciat, quicumque ille fuerit; quia & secundum canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum cœtu, & a sanctæ Ecclesiæ consortio in cœlo, & in terra alienus efficietur: & regali potestate, atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei inimicus, & regni devastator, persequetur, usque a regno exterminetur.

Unde supra.

CCLXXX. [*x*] Audiant rapaces, quid Dominus per Esaiam dicit: *Rapina pauperis* (*y*) *in domo vestra.* Et per Apostolum: *Neque rapaces,* (z) *neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Unde intendant, quale, quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio & homicidio sanctus comparavit Apostolus. Item ipse dicit: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi* (a) *nec cibum sumere,* Christiano licet ante satisfactionem. Et beatus Johannes Apostolus talem hominem salutare vetat, dicens: *Nec ave ei dixeris, neque in domum receperis. Qui enim ave ei dicit, communicat* (b) *operibus ejus malignis.* Audiant, quid in Toletano Concilio scriptum est. *Require Cap. XXXVI.*

CCLXXXI. Si quis, inquiunt, de potentioribus Clericum, aut pauperem expoliaverit. Require retro, ubi de homicidiis continetur. Audiant raptores, & prædones rerum Ecclesiasticarum, quid Sanctus Anacletus, a Petro Apostolo ordinatus, dicat:

De eadem re.

Anacletus.

CCLXXXII. (*c*) Qui abstulit, inquit, aliquid patri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Mater vero nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter genuit. Ergo qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, rapit, aut fraudatur; homicida est, atque ante Deum homicida deputatur. Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est.

Item Urbanus Papa & Martyr dicit:

CCLXXXIII. [*d*] Res & facultates Ecclesiasticæ oblationes appellantur: quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, & pretia peccatorum atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit reus

[*t*] Concil. Wormac. c. 10. Tomo hoc cap. IX. pag. 312. Burchard. lib. 2. c. 199.
(*u*) Capitula Karoli Calvi tit. 20. c. 3. 4. & tit. 29. c. 4.
[*w*] Ibid. cap. 7. (*x*) Ibid. cap. 10. [*y*] Isaiæ IV, 14.
(*z*) I. Corinth. VI, 10. (*a*) I. Corinth. V, 11. (*b*) II. Joannis II.
(*c*) Capitula Karoli Calvi ibid. Burchard. lib. 11. c. 18.
(*d*) Capitula Karoli Calvi ibid.

reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ; & oportet hujuſmodi tradere Satanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in diem Domini.

Item Lucius Papa.

CCLXXXIV. (a) Rerum Eccleſiaſticarum & Facultatum raptores a liminibus ſanctæ Eccleſiæ anathematizantes Apoſtolica auctoritate pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus: & non ſolum eos, ſed etiam omnes conſentientes eis, quia non ſolum, qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt, rei judicantur.

De eadem re.

CCLXXXV. (b) Auguſtinus dicit: Qui aliquid de Eccleſia furatur, & rapit, Judæ proditori comparatur.

In Canonibus ſcriptum.

CCLXXXVI. [c] Si quis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam rapere, vel dare voluerit præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus, cui hujuſmodi officia commiſſa ſunt, anathema ſit.

De eadem re.

Ex Concilio Meldenſi. cap. LXI.

CCLXXXVII. (d) Ut pervaſores rerum Eccleſiaſticarum, qui eaſdem res contra auctoritatem non ſolum retinere, verum etiam crudeliter depopulari noſcuntur, quidam etiam & facultates Eccleſiæ in diverſa conlaboratione, & reditibus eas expoliant: ſed & pauperes, & vicinos, & circummanentes immiſericorditer expoliant, devaſtant & opprimunt; ut rapaces, qui ſecundum Apoſtolum (e) a regno Dei excluduntur, ex criminali & publico peccato publica pœnitentia ſatisfaciant. Quod ſi hoc agere noluerint, & poteſtate regia ad hoc exhortati, vel coacti non fuerint; proferatur contra eos Apoſtolica terribilis ſententia, qua dicitur: (f) *Si quis frater nominatur, & eſt rapax; cum hujuſmodi nec cibum quisquam ſumere præſumat.* (g) Quia iniquum & ſacrilegum eſt, ut Symmachus Papa, & poſt eum Beatus Gregorius Sabino Subdiacono ſcribit, & contra leges eſt, ſi quis, quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis ſtudiis, ſuis compendiis tentaverit retinere. Secundum ſtatuta Canonum ab omni Eccleſiaſtica communione, ut ſacrilegus debet arceri, donec ſtudeat digna ſatisfactione, quod admiſit, corrigere.

De his, qui loca ſacrata infringunt.

Ex eodem.

CCLXXXVIII. [h] Ut hi, qui monaſteria & loca Deo ſacrata, & Eccleſias infringunt, & depoſita, vel alia quælibet exinde abſtrahunt, & Sacerdotes ac viros Eccleſiaſticos non ſolum dehonorant, verum diverſo modo affligunt, velut ſacrilegi, canonicæ ſententiæ ſubigantur, atque excommunicentur.

Quomodo Epiſcopus ad Synodum vocet prædatores.

Unde ſupra.

CCLXXXIX. (i) Epiſcopus, in cujus parrœchia aliquis conſiſtens aliquid injuſte fecerit, ſemel & bis, atque tertio, ſi neceſſe fuerit, vocabit illum ſua admonitione per ſuum nuntium canonice ad emendationem, ſive compoſitionem, & ad pœnitentiam, ut Deo & Eccleſiæ ſatisfaciat, quam læſit. Si autem deſpexerit, atque contempſerit ejus admonitionem & ſaluberrimam invitationem, feriat illum paſtorali virga, hoc eſt, ſententia excommunicationis; ut a communione Sanctæ Eccleſiæ, omniumque Chriſtianorum ſit ſeparatus uſque ad congruam ſatisfactionem, & dignam emendationem: quam excommunicationem debebit iſdem Epiſcopus ſeniori illius notam facere, & omnibus ſuis Coepiſcopis, ne eum recipiant uſque ad dignam ſatisfactionem.

Burchardus in fine iſtius Capitis quædam, ut ego quidem arbitror, de ſuo addidit, quod putaret haud dubie neceſſarium eſſe, ut, cum quis Chriſtianus erat excommunicatus, id in

(a) Capitula Karoli Calvi ibid. Burchard. lib. 11. c. 19.
(b) Capitula Karoli Calvi ibid. Burchard. lib. 11. c. 19.
(c) Concil. Gangr. c. 7. Tomo I. noſtro p. 154. Burchard. lib. 11. c. 21.
(d) Concil. Meld. c. 61. Burchard. lib. 11. c. 16.
(e) I. Corinth. VI. [f] I. Corinth. V.
(g) Sexta Synod. Rom. ſub Symmacho. S. Greg. lib. 8. ind. 3. Epiſt. 6.
(h) Concil. Meld. c. 60. Burchard. lib. 11. c. 22.
(i) Capitula Karlomanni tit. 2. c. 5. Burchard. lib. 11. c. 13.

in omnium parochianorum notitiam perferretur. Itaque in fine Capitis, post vocem: *Coepiscopis*, ista addita sunt apud Burchardum: *& omnibus suis parochianis.* Quæ autem non extant apud Reginonem, neque in Capitulis Karlomanni, unde petitum est istud Caput.

De his, qui alterius parrœchiani sunt.

Ex eodem.

CCXC. (*k*) De illis autem, qui infra parrœchiam beneficium aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi parrœchiani sunt, & dum de loco ad locum iter faciunt, rapinas & deprædationes peragunt; placuit nobis & fidelibus nostris, ut excommunicentur, nec ante ex parrœchia exeant, quam, quæ perpetrarunt, digne emendent. Quorum excommunicatio seniori eorum, & proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiant ante, quam illuc redeant, ubi rapinam fecerunt, & omnia pleniter emendent.

In Capitulis Karlomanni, & apud Burchardum, tum etiam apud Ivonem, & Gratianum, & in prima collectione Decretalium, longe diversa est editio istius capitis ab ea, quam præfert collectio Reginonis. Nulla enim illic mentio fidelium Regis, ut neque in sequenti capite. Quin & in veteri codice Reginonis, quo nos usi sumus, hæc verba: *Et fidelibus nostris*, cultelli ope erasa sunt in his duobus capitibus, sic tamen, ut manifesta vestigia supersint veteris lectionis.

De eadem re.

Unde supra.

CCXCI. (*l*) Placuit nobis, & fidelibus nostris pro communi utilitate, & instanti necessitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, si ejus parrœchianum pro hujusmodi deprædationis causa alter Episcopus excommunicaverit.

De eadem re.

Ex eodem.

CCXCII. (*m*) Si aliquis autem Regiam potestatem, & Episcopalem auctoritatem pro nihilo duxerit, & rebellis existens in rapina occisus fuerit; nulli fidelium nostrorum, qui eum occiderit, aliquis faidam portet, neque pro ejus morte aliquid componat.

Si Episcopus non excommunicet prædatorem.

Ex Concilio ad Pistas.

CCXCIII. (*n*) Episcopus autem secundum Toletani Concilii Capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi, qui talia contra Deum & Ecclesiæ pacem faciunt, si eos quolibet munere, vel favore, aut negligentia (*o*) admonere, aut excommunicare distulerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia ejiciat; excommunicatus a Collegio cæterorum habebitur, quousque emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur. Quoniam nisi communiter certaverimus, ut in omnibus justitia conservetur, nec Rex Pater patriæ, nec Episcopi propitiatores vel reconciliatores populi, nec qui participatione nominis Christi Christiani vocamur, hoc quod humano ore dicimur, in Divinis oculis esse valemus.

Item de rapacibus.

Ex Concilio Mogonciacensi.

CCXCIV. (*p*) Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo sacratas, atque ad honorem Dei sub regiæ immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, aut incendia, vel vastationes ausu temerario perpetraverit; quasi invasor & violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei vivi, a communione omnium fidelium abscidatur. Decet etiam, ut indignationem Domini Regis sentiat, cujus benevolentiæ contemptor, & constitutionis prævaricator extitit.

Quod

(*k*) Capit. Karlomanni ibid. c. 6. Burchard. lib. 11. c. 45. Ivo part. 14. c. 109. Gratian. 6. q. 3. c. 5. Prima coll. Decretal. lib. 5. tit. 14. cap. 1.
(*l*) Capitula Karloman. ibid. c. 8. Burchard. lib. 11. c. 12.
(*m*) Capitula Karlom. ibid. c. 10.
(*n*) Concil. Toletan. 6. c. 7. Capitula Karoli Calvi tit. 29. pag. 277.
(*o*) In Capitulis Karoli Calvi: *adm. noluerit, ut aut rev.*
(*p*) Concil. Mogunt. sub Rhab. c. 6. Tomo hoc II. pag. 155. Burchard. lib. 11. c. 23.

Quod Episcopi protegere & defendere populum debent.

Ex Concilio Toletano.

CCXCV. (q) Episcopi in protegendis populis, ac defendendis impositam sibi curam non ambigant; ideoque dum conspiciunt judices, ac potentes, pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali (*) communione redarguant: & si contempserint emendari, eorum insolentiam regiis auribus intiment, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

Item de malefactoribus.

Ex Concilio Triburiensi Cap. VIII.

CCXCVI. (r) Conquesti sunt quidam de quibusdam malefactoribus, quorum tam nimia improbitas est, ut admonitionem sacerdotum non curent, bannum Episcoporum contemnant, ad Synodum ter, quaterque vocati, venire despiciant, ad extremum excommunicari pro nihilo ducant. De talibus etiam in capitulari statutum est, Regiæ cognitioni suaderi debere. Et devoto Regi Arnulfo cum sancta Synodo placuit, ut quicunque post excommunicationem debitam sic Deum parvi æstimant, & Christianitatem; seculari potestate persequendos, & si interficiantur, jaceant absque compositione.

De eadem re.

Ex Concilio apud Suessionis.

CCXCVII. (s) Obtentum est etiam a devotissimo Principe Karolo, ut incesti quilibet, aliique perditi, examen Episcoporum refugientes, per judices publicos ad eorum præsentiam deducantur, ne ulterius inlecebram peccandi nutriat impunitas vitiorum.

Ex Concilio apud Lauriacum in pago Andecavensi anno DCCCXLIV. Indictione VI. Cap. 1. mense Octobri.

CCXCVIII. (t) Si quis publicus Divinæ legis prævaricator, vel pro manifestis criminibus, Ecclesiastica justa, & rationabilia judicia, contemptor repertus fuerit, ac sanctorum Patrum constitutionibus contradictor; si monitionibus Episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur.

Ex eodem. cap. II.

CCXCIX. Si quis contra Regiam dignitatem dolose ac callide, & perniciose agere comprobatus fuerit, nisi dignissime satisfecerit, anathematizetur.

Ex eodem. cap. 3.

CCC. [u] Si quis potestati Regiæ, quæ non est juxta Apostolum (w) nisi a Deo, contumaci, & inflato spiritu contradicere vel resistere præsumpserit, & ejus justis & rationabilibus imperiis secundum Deum, & auctoritatem Ecclesiasticam, ac jus civile obtemperare noluerit, anathematizetur.

Unde supra. cap. IV.

CCCI. Quicunque superbiæ facibus accensi, vel protervia stomachati, hæc, quæ pro sanctæ matris Ecclesiæ tranquillitate, sacerdotalique rigore a nobis unanimiter definita, manibusque propriis roborata, violaverint; placet eos omnes anathematizari.

Si homo accusatur & negaverit.

Ex Concilio Triburiensi.

CCCII. (x) Nobilis homo, vel ingenuus, si in Synodo accusatur, & negaverit, si eum fidelem esse sciunt, juramento se expurget. Si antea deprehensus fuerit in furto atque perjurio, ad juramentum non admittatur. Sed, sicut qui ingenuus non est, ferventi aqua & candenti ferro se expurget.

Ut nullus alterius parrœchianum excommunicet.

Ex Epist. Zephyrini Papæ.

CCCIII. (y) Nemo absens judicetur, quia humanæ & Divinæ hoc prohibent leges. Nullum namque eorum, id

(q) Concil. Toletan. 4. c. 32. Burchard. lib. 15. c. 1.
(*) Lege: *commonitione.*
[r] Concil. Tribur. c. 3. 8. Tomo hoc II. pag. 392. 393.
(s) Concil. Suession. 2. c. 12.
(t) Vide Tomo hoc II. pag. 36. Burchard. lib. 15. c. 7.
(u) Burchard. lib. 15. c. 22. (w) Rom. 13.
(x) Concil. Tribur. c. 22. Tomo hoc II. pag. 398. Burchard. lib. 16. c. 19.
[y] Lib. 5. Capitular. c. 159. Burchard. lib. 16. c. 13.

id eſt, accuſatorum, ſententia non a ſuo judice dicta conſtringat, quia & ſæculi leges id ipſum fieri præcipiunt. [*Vid. Lib.* 7. *Capitular. cap.* 229. & 266.]

De eadem re.

Ex Lege Theodoſiana.

CCCIV. (z) In cauſis privatorum talis ratio obſervetur, ut nullus alterius judicis, niſi ſui, ſententia teneatur.

Ex eodem cap.

Nullus penitus audiatur, qui unius cauſæ propoſitionem apud duos judices partiri voluerit.

De eadem re.

Ex Capitularibus.

CCCV. (a) Ut nemo Epiſcoporum hominem peccantem ab Eccleſia & Chriſtiana religione, vel communione alienet, donec illum, ut ſecundum Evangelicum præceptum ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Quod ſi incorrigibilis permanſerit, Regiæ poteſtati Epiſcopus notum faciat, ut conſtringatur. Quod ſi nec ſic correxerit, tunc ſecundum leges Canonicas a communione Eccleſiaſtica ſegregetur.

De eadem re.

In Synodo Meldenſi.

CCCVI. (b) Ut nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa & manifeſta peccati cauſa communione privet Eccleſiaſtica. Anathema autem ſine conſenſu Archiepiſcopi, aut Coepiſcoporum, prælata etiam Evangelica admonitione, nullum ponat, niſi unde Canonica docet auctoritas: quia anathema æternæ eſt mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.

Ut non cito ira commotus aliquem Epiſcopus excommunicet.

Ex Epiſt. Evariſti Papæ.

CCCVII. [c] Deus omnipotens, ut nos a præcipitata prolatione ſententiæ compeſceret, cum omnia nuda, & aperta ſint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifeſte agnoſceret, quæ dicebantur: Unde ait: (d) *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui deſcendit ad me, opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam.* Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites ſimus, aut temere, indiligenterque indiſcuſſa quoquo modo judicemus.

De eadem re.

Ex dictis Gregorii.

CCCVIII. [e] Beatus Job dicit: (f) *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam.* Summopere præcavere debent Rectores Eccleſiarum, & qui publica judicia exercent, ut in dictandis ſententiis nullatenus levitate, aut furore ducti, ſint præcipites; ſed cauſis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit; tunc divina, & humana lex revolvatur, & ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remota perſonarum acceptione, definitiva proferatur ſententia. Hinc eſt, quod Moyſes querelas populi ſemper ad Dominum, tabernaculum ingreſſus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat, nimirum nos inſtituens, ut non ex corde noſtro, ſed ex oraculo divino, condemnationis & juſtificationis ſententiam proferamus.

De eadem re.

Ex Lege Theodoſiana. Lib. II. cap. XVIII.

CCCIX. (g) Judex cum cauſam adire cœperit, litigatorum aſſertiones, vel reſponſiones patienter accipiat, & omnia plena diſcuſſione perquirat: nec prius litigantibus ſua ſententia velit obviare, niſi quando ipſi, peractis omnibus, jam in concione vel contentione non habuerint, quod proponant. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermiſſum fortaſſe remaneat.

Bbbb *Ut*

(z) Interpret. I. un. cod. Theodoſ. De re judicata. Interpret. I. 2. cod. Theodoſ. De judiciis.
(a) Capitula Karoli Calvi tit. 26. c. 6.
(b) Concil. Meld. c. 56. Burchard. lib. 11. c. 10.
(c) Concil. Tribur. c. 22. Tomo hoc II. pag. 398. Burchard. lib. 11. c. 9.
(d) Geneſ. 18.
(e) S. Gregor. lib. 19. Moral. c. 23.
(f) Job. 29.
(g) Interpret. I. 1. cod. Theod. De judiciis.

Ut quod in Deum quis peccat, nullus condonare possit.

Ex dictis Hieronymi.

CCCX. [*b*] Attendendum est, quid Dominus dicat: *Si peccaverit in te frater tuus.* Aliud est peccare in nos, aliud in Deum peccare. Si in nos aliquis peccaverit; habemus potestatem dimittere. Si autem in Deum quis peccaverit; non est nostri arbitrii. Scriptum quippe est: (*i*) *Si peccaverit vir in virum; placari potest ei Deus: si autem in Deum peccaverit; quis orabit pro eo?* Nos e contrario in Dei injuria benigni & misericordes sumus, & Dei offensam, quasi in nostra potestate sit ejus velle, & ejus nolle, impune absque congruenti pœnitentiæ vindicta donamus; cum tamen, quod in nobis commissum est, nec saltem verbum contumeliosum leviter prolatum, sine vindicta pertransire patiamur. Dimittamus ergo propter Deum, quod in nobis perpetratum est, & quod in Deum commissum est, quia dimittere non possumus; juxta (*k*) consuetudinem sanctorum Patrum, secundum canonicam auctoritatem vindicemus.

ABHINC DE PERJURIO.

Ex Cap.

CCCXI. Habemus in lege Domini scriptum: (*l*) *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, nec assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ideo admonendi sunt omnes, ut diligenter caveant perjurium, non solum in Altari, seu Sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela. Item cavendum est, ne aliquis plus aurum honoret, quam Altare, ne ei Dominus dicat: (*m*) *Stulte, quid est majus? aurum, aut Altare, quod sanctificat aurum?*

Item unde supra.

CCCXII. (*n*) Sed & nobis honestum videtur, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat, cum omni honestate & timore Dei, & ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare.

Item.

CCCXIII. (*o*) Qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit posthæc, nec ad Sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.

De eadem re.

Ex Concilio ad Pistas.

CCCXIV. (*p*) Ut nulli alteri per Sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris, excepto his Sacramentis, quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur.

Ex eodem. Cap. X.

(*q*) De perjuriis ut caveantur, & non admittantur testes ad juramentum, antequam discutiantur, & si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur: & non solum accusatori liceat, testes eligere, absente suo causatore: & omnino nullus, nisi jejunus, ad Sacramentum vel testimonium admittatur: & de ipso pago, & de vicinis centenis eligantur: & si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum, aut redimat.

De eadem re.

Ex eodem Cap. LVIII.

CCCXV. (*r*) Ut Sacramenta, quæ ad palatium fuerint adramita, in palatio perficiantur. Et si Sacramentales homines venire renuerint, jussione dominica, aut indiculo, aut sigillo venire cogantur.

Ex Lib. IV. cap. XXVI.

(*s*) Ubi antiquitus consuetudo fuit, &

(*b*) Hieron. in Matth. c. 18. Burchard. lib. 11. c. 15. Ivo part. 14. c. 85.
(*i*) 1. Reg. 2. (*k*) Codex MS. *constitutionem.*
[*l*] Levit. 19. Capitulare Aquisgran. Karol. M. c. 63. & Lib. 1. Capitular. c. 63. Burchard. lib. 12. c. 2. [*m*] Matth. 23.
(*n*) Lib. 1. Capitular. c. 63. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 55. c. 22. Burchard. lib. 12. c. 12.
(*o*) Lib. 1. Capitular. c. 63. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. c. 4.
(*p*) Lib. 3. Capitular. c. 8.
(*q*) Lib. 3. Capitular. c. 10. Lib. 2. Leg. Longob. Tit. 51. c. 2. & Tit. 58.
(*r*) Lib. 3. Capitular. c. 58. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 55. c. 26.
(*s*) Lib. 4. Capitular. c. 28.

& ubi mallum habetur, ibi Sacramenta jurentur.

Ut Episcopus super sacra non juret.

Ex Concilio Meldensi. cap. XXXVII.

CCCXVI. (*t*) Ut nullus deinceps Episcopus super sacra jurare præsumat, quod mysterii causa sancti quæsierunt Patriarchæ, & fecerunt. Non enim in hæsitatione, & malitia exigentis, sed in caritate non ficta fides servatur. Quod qui transgredi ausu temerario præsumpserit, quolibet modo illectus, gradus sui periculo subjacebit.

Idem de perjurio.

Ex eodem. cap. XXXVIII.

CCCXVII. [*u*] Ut multiplex juramentorum, & perjuriorum confusio, per quam multæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ esse noscuntur, quam sit detestanda, & Deo odibilis, attentius omnibus annuntietur. Tantum namque hoc malum est, ut ad sanctuaria martyrum, ubi diversorum ægritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifeste interdum vexari non videantur, justo Dei judicio, a dæmonibus arripiantur; & sicut sanctus dicit Gregorius: (*w*) *Ad horum corpora ægri veniunt & curantur, & perjuri a dæmonio vexantur.*

Quo tempore Sacramenta jurentur.

Ex Concilio ad Pistas.

CCCXVIII. (*x*) Constituimus una cum consensu & consilio fidelium nostrorum, ut ab ipso die, quo Sacramentum accipitur, post quadraginta dies, & quadraginta noctes, id est, quadragesimo secundo die de sex septimanis, ipsa feria, qui illud Sacramentum accepit, legaliter in locis constitutis juret. Et si ipsa dies intra quadragesimam evenerit, nemo jurare præsumat. Et si quis præsumpserit, bannum nostrum componat, & inde pœnitentiam Episcopali judicio faciat. Ipsa autem quadragesima a capite jejunii cum ipsa feria quarta usque ad illud die lunis post octavas Paschæ observari præcipimus.

Ut feria quarta ante quadragesimam Sacramenta non jurentur.

Ex Concilio apud sanctum Medardum.

CCCXIX. [*y*] Ut Missi nostri Comitibus, & omnibus reipublicæ ministris, firmiter ex verbo nostro denuntient, ut a feria quarta ante initium quadragesimæ usque post octavas Paschæ, mallum publicum, nisi de concordia, & pacificatione, tenere præsumant, neque aliquis juret. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem Domini usque post consecratos dies observent, nec non & jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus. Nullus etiam in Dominico die placitum teneat, aut Sacramentum juret.

Postremum illud membrum, quod & Helmæstadiensis editio Reginonis, & manuscriptus liber Parisiensis exhibent, non extat in actis Concilii Suessionensis, neque in Capitulis Karoli Calvi.

De Clerico, si perjuraverit.

Ex Concilio Aurelianensi.

CCCXX. (*z*) Si quis Clericus præbuerit juramentum, & post rebus evidentibus detegitur perjurasse, biennii temporis excommunicatione plectatur.

De his, qui Sacramento se obligant, ne ad pacem redeant.

Ex Concilio Hilerdensi.

CCCXXI. (*a*) Qui Sacramento se obligaverit, ut ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a corpore, & sanguine Domini segregetur, & reatum suum jejuniis, & eleemosynis absolvat. Ad caritatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter veniat.

Item de perjurio.

Ex dictis Hieronymi.

CCCXXII. [*b*] Cum juramento pollicitus est Herodes Saltatrici dare, quodcunque

(*t*) Concil. Meld. c. 38.
(*u*) Concil. Meld. c. 39. Burchard. lib. 12. c. 1.
(*w*) Homil. 32. in Evang.
(*x*) Capitula Karoli Calvi tit. 31. c. 33.
(*y*) Capitula Karoli Calvi tit. 9. c. 7. §. 8. & Tom. 3. Conc. Gall. pag. 89.
(*z*) Concil. Aurel. 3. c. 8.
(*a*) Concil. Hilerd. c. 7. Halitgar. lib. 4. c. 33. Burchard. lib. 12. c. 17.
(*b*) Burchard. lib. 12. c. 16.

cunque poſtulaſſet ab eo. Si ob jusjurandum feciſſe ſe dicit, quid ſi patris matrisque poſtulaſſet interitum, facturus eſſet, an non? Quod in ſuis ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit etiam in Propheta.

De eadem re.

Ex dictis Bedæ Presbyteri.

CCCXXIII. (*c*) Si aliquid forte nos in cautius juraſſe contigerit, quod obſervatum pejorem vergat in exitum; illud conſilio ſalubriori mutandum noverimus, ac magis inſtante neceſſitate perjurandum nobis, quam perfecto juramento in aliud crimen majus eſſe divertendum.

De eadem re.

Ex Pœnitentiali.

CCCXXIV. (*d*) Quicunque ſciens perjuraverit, ſeptem annos pœniteat, & poſt hæc communionem accipiat [*Vide Epiſt. Rhabani ad Heribaldum cap.* 8. *Tomo hoc noſtro pag.* 204.

Ex Pœnitentiali, ut ſupra.

CCCXXV. Si quis perjuraverit, ultra ad Sacramentum non admittatur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXXVI. (*e*) Si quis ſuſpicatur, quod ad perjurium inducitur, & tamen ex conſenſu jurat, duos annos pœniteat.

Unde ſupra.

CCCXXVII. (*f*) Si quis perjuraverit per cupiditatem, omnes res ſuas vendat, & pauperibus diſtribuat, & Monaſterium ingreſſus jugi pœnitentiæ ſe ſubdat.

Unde ſupra.

CCCXXVIII. Si quis perjurium fecerit, laici annos tres, Clerici quinque, Subdiaconi ſex, Diaconi octo, Presbyteri decem, Epiſcopi duodecim annos pœniteant.

De eadem re.

Ex Capitul. Tit. XIV.

CCCXXIX. [*g*] Quicunque comprobatus fuerit, quod ſcienter teſtes in perjurium induxiſſet, ſub fidejuſſoribus ad palatium educatur, ubi cum fidelibus noſtris conſideremus, quid de talibus faciendum ſit. Epiſcoporum autem erit, de pœnitentia cogitare.

Poſtremam capitis iſtius partem non exhibet Capitulare III. Ludovici Pii, neque additio IV. Capitularium. Extat tamen in editione Helmæſtadienſi Reginonis, & in veteri codice MS. quo nos uſi ſumus.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXXX (*h*) Qui compulſus a Domino perjurat, ſi ſciens, tres quadrageſimas, & legitimas ferias pœniteat.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXXXI. (*i*) Qui perjurat ſe in manu Epiſcopi, vel Presbyteri, aut in cruce conſecrata, tres annos pœniteat.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCXXXII. (*k*) Si vero in cruce non conſecrata, annum unum pœniteat. Si autem in manu hominis, apud Græcos, nihil eſt. Qui autem ſeductus fuerit, & ignorans juravit, & poſtea cognoſcit, tres quadrageſimas pœniteat.

Ex eodem.

(*l*) Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet cauſa, vel neceſſitate perjurat, tres quadrageſimas, alii judicant tres annos, unum ex his in pane & aqua, pœniteat.

De

(*c*) Beda homil. 44. in decollat. S. Johannis. Burchard. lib. 12. c. 18.
(*d*) Halitgar. lib. 4. c. 28. Burchard. lib. 12. c. 8.
(*e*) Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 18. Tomo hoc II. pag. 204. Burchard. l. 12. c. 11.
[*f*] Burchard. lib. 12. c. 3.
[*g*] Capitulare III. Lud. Pii tit. 7. c. 6. & Addit. IV. c. 77. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. c. 14.
(*h*) Burchard. lib. 12. c. 4.
(*i*) Rhab. Epiſt. ad Heribald. c. 18. Tomo I. noſtro pag. citata. Burchard. lib. 12. c. 5.
(*k*) Rhab. Epiſt. ibid. Burchard. lib. 12. c. 5.
(*l*) Burchard. lib. 12. c. 6.

De falso testimonio.

Ex Concilio Aurelianensi.

CCCXXXIII. (*m*) Si quis Clericus furtum fecerit, aut falsum testimonium dixerit; quia capitalia crimina sunt, communione concessa ab ordine degradetur.

De eadem re.

Ex Capitular. Lib. IV. Cap. XXII.

CCCXXXIV. [*n*] Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, & testes contra eum per judicium producti fuerint, si ille falsos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere. Quod si ambæ partes ita inter se dissentiunt, ut nullatenus ulla pars alteri cedere velit; eligantur duo ex ipsis, qui cum scutis & fustibus in campo decertent, & campioni, qui victus fuerit, propter perjurium dextera manus amputetur. Cæteri vero falsi testes manus suas redimant. Duæ partes ex hoc persolvantur, qui calumniatus est, tertia pro fredo. Et hoc in seculi causa. In Ecclesiasticis vero, ubi de una parte seculare, de altera Ecclesiasticum negotium est, idem modus servetur. Ubi autem ex utraque parte Ecclesiasticum, si se rectores pacificare non possunt, advocati eorum in mallo coram Comite causas suas prosequantur. Testes autem de ipso comitatu esse debent.

De eadem re.

Unde supra. Cap. XXXII.

CCCXXXV. (*o*) Optimus quisque in pago, vel civitate in testimonium assumatur, & cui is, contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit inferre.

De eadem re.

Ex eodem Cap. III.

CCCXXXVI. (*p*) Ut testes ad testimonium dicendum præmio non conducantur. Et nullus testimonium dicat, nisi jejunus. Et ut testes, priusquam jurent, separatim discutiantur, quid dicere velint de illa re, unde testimonium reddere debent.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CCCXXXVII. (*q*) Eos, qui false fratribus suis capitalia crimina objecisse convicti fuerint, placuit, eos usque ad exitum non communicare, nisi digna satisfactione pœnituerint.

De eadem re.

Ex Concilio Heliberitano.

CCCXXXVIII. (*r*) Si quis Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in finem dandam ei communionem.

De eadem re.

Ex Concilio Hispalensi.

CCCXXXIX. (*s*) Si quis Clericus de falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CCCXL. (*t*) Episcopus accusatores fratrum excommunicet. Et si emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clerum.

De eadem re.

Ex Concilio Heliberitano.

CCCXLI. (*u*) Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur. Si tamen non fuerit mortis, quod objecit, & probaverit, quod diu tacuit; biennii tempore abstinebitur. Si autem non probaverit, in conventu Clericorum placuit per quinquennium abstineri.

 De

[*m*] Concil. Aurel. 3. c. 8. Lib. 7. Capitular. c. 165.
[*n*] Lib. 4. Capitular. c. 23. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. c. 11.
[*o*] Lib. 3. Capitular. c. 32. Addit. Karoli M. ad Legem Salicam c. 11. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. cap. 3.
[*p*] Lib. 3. Capitular. c. 52. Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. c. 6. Burchard. lib. 16. c. 35.
(*q*) Concil. Agath. 2. c. 24. Lib. 6. Capitular. c. 241. Burchard. lib. 16. c. 34.
(*r*) Concil. Heliber. c. 75. Burchard. lib. 2. c. 19.
(*s*) Concil. Epaon. c. 13. in Supplemento hujus Tomi. Burchard. lib. 16. c. 24.
(*t*) Concil. Carthag. 4. c. 55. Addit. IV. c. 20. Burchard. lib. 16. c. 33.
(*u*) Concil. Eliberit. c. 74. Burchard. lib. 16. c. 18.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi.

CCCXLII. (w) Falsos testes a communione Ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

Unde supra.

CCCXLIII. (x) Noverint falsi testes, quod, si falsum testimonium capitale crimen non esset, nequaquam Dominus in Evangelio inter principalia crimina adnumerasset. Ait enim: *De corde exeunt homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia.* Et ideo similiter debet pœnitere, & excommunicari falsus testis, sicut adulter, & fur, & homicida.

De eo, qui hominem furatus fuerit.

Ex Epist. Rhabani Episcopi, ad Reginbaldum Chorepiscopum. Tomo hoc pag. 214.

CCCXLIV. Primo interrogasti, quid de eo faciendum esset, qui hominem Christianum sollicitando fuerit furatus, & ad paganam gentem tradendo vendiderit. Ad quod tunc respondi, homicidii reatum ipsum hominem sibi contrahere mihi videri. Quod & postea, legens Divinam legem, in (y) Deuteronomio ita reperi: *Animam pro anima homicidam reddere debere, oculum pro oculo, dentem pro dente* &c. Et rursum: [z] *Si quis deprehensus fuerit sollicitasse fratrem suum de filiis Israel, & vendidisse, accipiendo pretium, interficiatur.* Unde mihi videtur, sicut par sententia in lege Divina est constituta de homicida, & de fure hominem vendente; sic & canonica auctoritate pari modo plectendum esse, qui fratrem suum furando, atque sollicitando vendiderit, & illum, qui proximum suum, hoc est, Christianum hominem, injuste peremerit.

De eadem re.

Ex Lege Theodosiana Lib. IX.

CCCXLV. [a] Hi, qui filios alienos furto abstulerint, & ubicunque transduxerint, sive ingenuus, sive servus sit, morte puniatur.

Ne Judæo Christianum mancipium habere liceat.

CCCXLVI. Convenit diligenter observare, ut nulli Judæo servum Christianum habere liceat, nec ad suam legem transferre præsumat.

DE INCANTATORIBUS MALEFICIS, ET SORTILEGIS.

De his, qui divinationes expetunt.

Ex Concilio Ancyrano.

CCCXLVII. [b] Qui divinationes expetunt, & more gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa; sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.

Ex Concilio Bracarensi.

CCCXLVIII. (c) Si quis paganorum consuetudinem sequens, divinos, & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, quinque annos pœnitentiam agat.

Ex Dictis Gregorii Papæ.

CCCXLIX. (d) Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut filacteriis usus fuerit, anathema sit.

Ex Concilio Carthaginensi.

CCCL. [e] Auguriis vel incantationibus servientem a conventu Ecclesiæ separandum. Similiter & Judaicis superstitionibus inhærentem.

De eadem re.

Gregorius Papa.

CCCLI. [f] Pervenit ad nos, quod quosdam incantatores, atque sortilegos fueris

(w) Concil. Agath. c. 37. Halitgar. lib. 4. c. 30. Burchard. lib. 16. c. 17.
(x) Burchard. lib. 16. c. 16. (y) Deuteron. 19. (z) Deuteron. 24.
(a) Interpret. I. un. cod. Theodos. ad Leg. Fab.
(b) Concil. Ancyr. c. 23. Tomo I. nostro pag. 149. Halitgar. lib. 4. c. 25. Hincmar. de Divortio Lothar. in respons. ad interrog. 17. Burchard. lib. 10. c. 5.
(c) Concil. Bracar. 2. c. 71. Hincmar. ibid. Burchard. lib. 10. c. 6.
(d) Concil. Roman. sub Gregor. II. Burchard. lib. 10. c. 23.
(e) Concil. Carthag. 4. c. 89. Halitgar. l. 4. c. 27. Hincmar. ibid. Burchard. lib. 10. c. 7.
(f) S. Gregor. lib. 9. Epist. 47. Burchard. lib. 10. c. 4. & apud Gratian. 26. q. 5. c. 8.

fueris sectatus cum omni sollicitudine. Et zelum tuum gratum nobis fuisse cognoscas. Studii enim tui sit, sollicite quærere, & quoscunque hujusmodi Christi inimicos inveneris, districta ultione corrige.

De eadem re.

Ex Concilio Toletano.

CCCLII. [g] Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum, magos, aruspices, aut ariolos, aut certe augures vel sortilegos, vel eos, qui profitentur sortem aliquam, consulere fuerit deprehensus; ab honore dignitatis suæ depositus, monasterii censuram excipiat, ibique perpetua pœnitentia scelus admissi sacrilegii luat.

De eadem re.

Ex Lege Romana.

CCCLIII. [h] Malefici, vel incantatores, vel immissores tempestatum, vel qui per invocationem dœmonum mentes hominum turbant, omni pœnarum genere puniantur.

De eadem re.

Ex eodem.

CCCLIV. [i] Quicunque pro curiositate futurorum, vel invocatorem dœmonum, vel divinos, quos ariolos appellant, vel aruspicem, qui auguria colligit, consuluerit, capite puniatur.

De eadem re.

Ex Pœnitentiali.

CCCLV. (k) Quicunque nocturna sacrificia dœmonum celebraverint, vel incantationibus dœmones invocaverint, capite puniantur.

CCCLVI. Qui auguriis vel divinationibus inserviunt, quinque annos pœniteant; Immissores tempestatum septem annos pœniteant.

CCCLVII. (l) Mulier, si divinationes, vel incantationes diabolicas fecerit, annum unum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies secundum qualitatem delicti.

Ex eodem.

CCCLVIII. [m] Auguria, vel sortes, quæ dicuntur false sanctorum, vel divinationes, qui eas observaverit, vel quarumcunque scripturarum, vel vota voverit, vel persolverit ad arborem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem, excepto ad Ecclesiam; omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam venerint, Clerici annos tres, laici unum, & dimidium, pœniteant.

De arboribus, & fontibus, & lapidibus, dæmonibus consecratis.

Ex Concilio Nannetensi.

CCCLIX. (n) Summo decertare studio debent Episcopi, & eorum ministri, ut arbores dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, ut nec ramum, nec surculum inde audeat amputare; radicitus excindantur, atque comburantur. Lapides quoque, quos in ruinosis locis, & silvestribus, dæmonum ludificationibus decepti venerantur, ubi & vota vovent & deferunt, funditus effodiantur: atque in tali loco projiciantur, ubi nunquam a cultoribus suis venerari possint. Et omnibus annuntietur, quantum scelus sit idololatria: & qui hæc veneratur, & colit, quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenuntiat, & talem pœnitentiam inde debet suscipere, quasi idola adorasset. Omnibusque interdicatur, ut nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro salute sua rogaturus, alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo, scriptum est enim: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Novimus siquidem, quanta Dominus antiquo populo per Prophetas suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hæc transgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior. Et

(g) Concil. Tolet. 4. c. 29. Burchard. lib. 10. c. 48.
(h) Interpret. l. 3. cod. Theodos. de Malefic. Burchard. lib. 10. c. 28.
(i) Interpret. l. 4. eod. tit. Burchard. lib. 10. c. 30.
[k] Burchard. lib. 10. c. 31.
(l) Rhab. Epist. ad Heribald. c. 30. Tomo hoc II. pag. 209. Burchard. lib. 10. c. 24.
[m] Burchard. lib. 10. c. 9.
(n) Concil. Nannet. c. 20. Burchard. lib. 10. c. 10.

Et idcirco omnimodo a Sanctæ Ecclesiæ consortio abscidatur, & nisi digne pœnituerit, non recipiatur.

De eadem re.

Rabanus.

CCCLX. (*o*) Nam de his, qui dæmonibus immolant, Theodori Episcopi constitutiones habemus, in quibus scriptum est: *Qui immolant dæmoniis in minimis, annum unum pœniteant: qui vero in magnis, decem annos pœniteant.*

De eadem re.

Ex eodem.

CCCLXI. (*p*) Mulier, siqua filium suum ponit supra tectum, aut in fornacem pro sanitate febris, septem annos pœniteat. Qui ardere facit grana, ubi mortuus est homo, pro sanitate viventium & domus; quinque annos pœniteat.

De menstruo sanguine.

Rhabanus ad Heribaldum.

CCCLXII. (*q*) De his etiam super quibus interrogasti, hoc est, de illa fœmina, quæ menstruum sanguinem suum immiscuit cibo, vel potui, & dedit viro suo, ut comederet: & de illa, quæ semen viri sui in potu bibit: & de ea, quæ testam hominis combussit igni, & viro suo dedit pro infirmitate vitanda, quali pœnitentia sint plectendæ; ut nobis videtur, tali sententia feriendi sunt, sicut magi & arioli; quia magicam artem exercuisse noscuntur.

De eadem re.

Ex Concilio Anquirensi.

CCCLXIII. (*r*) Mulier, si cum muliere fornicata fuerit, annos tres pœniteat; sic & illa, quæ semen viri sui cibo miscens, ut inde plus ejus accipiat amorem, pœniteat.

Unde supra.

CCCLXIV. (*s*) Ut Episcopi, Episcoporumque ministri, omnibus viribus elaborare studeant, ut perniciosam, & a diabolo inventam sortilegam, & maleficam artem penitus ex parrœchiis suis eradant, & si aliquem virum, aut fœminam hujuscemodi sceleris sectatorem, invenerint, turpiter dehonestatum de parrœchiis suis ejiciant, ait enim Apostolus: *Hæreticum post unam & secundam admonitionem devita: sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est.* Subversi sunt, & a diabolo capti tenentur, qui derelicto Creatore suo, a diabolo suffragia quærunt, & ideo a tali peste mundari debet Sancta Ecclesia. Illud etiam non omittendum, (*t*) quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt se, & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus, velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in perfidia sua periissent, & non multos secum in infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credit, & credendo a recta fide deviat, & in errorem paganorum revolvitur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum esse arbitratur. Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo cum omni instantia prædicare debent, ut noverint hæc omnimodis falsa esse, & non a Divino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus infidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui *transfigurat se in angelum lucis*, cum mentem cujuscunque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem & incredulitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species, atque similitudines, & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit, & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore, evenire opinatur. Quis enim non in somnis & nocturnis

(*o*) Rhab. Epist. ad Heribald. c. 30. Tomo hoc II. pag. 209. Burchard. lib. 10. c. 13.
(*p*) Rhaban. ibid. Burchard. lib. 10. c. 14.
[*q*] Rhaban. ibid. Burchard. lib. 19. c. 152.
(*r*) Rhaban. ibid. c. 25. Burchard. lib. 17. c. 29. In Concil. Ancyrano non extat hic canon.
(*s*) Burchard. lib. 10. c. 1.
(*t*) Vide Capitula Herardi Turon. cap. 3.

ɕturnis visionibus extra se ipsum educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis vero tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur; cum Ezechiel Propheta visiones Domini *in spiritu*, non in corpore viderit, & Johannes Apostolus Apocalypsis Sacramenta *in spiritu*, non in corpore, vidit, & audivit, sicut ipse dicit: (*u*) *Statim fui in spiritu.* Et Paulus non audet se dicere raptum in corpore; omnibus itaque publice annuntiandum est, quod qui talia & his similia credit, fidem perdidit, & qui fidem rectam a Deo non habet, hic non est ejus, sed illius, in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est: [*w*] *Omnia per ipsum facta sunt.* Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam Creaturam in melius aut deterius immutari, aut transformari in aliam speciem aut similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est.

Ut Christiani traditiones gentilium non observent.

Ex dictis Ambrosii.

CCCLXV. Apostolus dicit: [*x*] *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo, ne sine causa laboraverim in vobis.* Dies observant, puta, qui dicunt: Christiano proficiscendum non est, post crastinum enim non debet aliquid inchoari: & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursum lunæ perscrutantur, dicentes: (*y*) Septima luna strumenta confici non debent. Nona iterum luna emptum servum domum duci non oportet, & per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora vero observant, cum dicunt: Hodie veris initium est, & ideo festivitas est. Post cras Vulcanalia sunt. Et rursum: Posterum est, domum regredi non licet. Annos sic colunt, cum dicunt: Kalendis Januariis novus est annus, quasi non quotidie anni impellantur. Hæc superstitio longe debet esse a servis Dei. (*Vide Hincmar. tom.* 1. *pag.* 656.)

De eadem re.

Ex Concilio Bracarensi.

CCCLXVI. [*z*] Non licet Christianis traditionem gentilium observare, vel colere elementa, aut lunam, aut stellarum cursum, & inanem signorum fallaciam considerare pro domo facienda, vel segetes vel arbores plantandas, aut conjugia socianda. Scriptum enim est: (*a*) *Omnia, quæcunque facitis in verbo, aut in opere; in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo.*

De collectione herbarum.

Ex eodem.

CCCLXVII. [*b*] Non licet in collectione herbarum Medicinalium aliquas observationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum Symbolo divino, & oratione Dominica, ut Deus & Dominus noster Jesus Christus honoretur.

De lanificiis fœminarum.

Ex eodem.

CCCLXVIII. (*c*) Non licet Christianas mulieres vanitatem in suis lanificiis observare; sed Deum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

De morticinis.

De Pœnitentiali.

CCCLXIX. [*d*] Qui manducat carnem immundam, aut morticinum, aut dilaceratum a bestia, quadraginta dies pœniteat. Si quis necessitate famis cogente manducavit, multo levius pœniteat.

CCCLXX. Qui fraudatum, raptum, vel furatum sciens manducat, si pauper est; septem dies: si potens, quadraginta

Cccc

(*u*) Apoc. 4. (*w*) Joan. I.
(*x*) S. Ambros. in cap. 4. Epist. ad Galat. Burchard. lib. 10. c. 12.
(*y*) Vid. August. Epist. 119. & in Enchirid. cap. 79.
(*z*) Concil. Bracar. 2. c. 72. Halitgar. lib. 4. c. 26. Hincmar. de Divort. Lothar. in resp. ad interr. 17. Burchard. lib. 10. c. 13. (*a*) Coloss. 3.
[*b*] Concil. Bracar. 2. c. 74. Halitgar. ibid. Hincmar. ibid. Burchard. lib. 10. c. 20.
(*c*) Concil. Bracar. 2. c. 75. Halitgar. ibid. Hincmar. ibid. Burchard. lib. 10. c. 19.
[*d*] Burchard. lib. 19. c. 88.

rent. Et ut ipſi Decani Sacramento adſtringantur, ut nulla interveniente cauſa, ſcilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, aut muneris, negligentes, & transgreſſores reticeant, quin Sacerdotibus proprias eorum culpas manifeſtent. Sacerdotum autem erit, ita eorum vitia zelo, & amore divino, cum debita diſciplina corrigere, ſicut ipſi nolunt pro aliorum erratibus ſententiam juſtæ damnationis ſuſcipere. Et ut dies feſti a veſpera uſque ad veſperam abſque opere ſervili cum debito honore celebrentur.

De excommunicatis.

Ex dictis Caſſiani.

CCCXCI. Si quis autem pro culpa ſua fuerit ab oratione ſuſpenſus, nullus cum eo orandi, aut loquendi habeat licentiam, antequam reconcilietur. Nam qui ſe orationi, vel confabulationi ejus, antequam a Priore recipiatur, inconſiderata pietate ſociare præſumpſerit, ſimiliter damnatus efficitur.

De eadem re.

Iſidorus ut ſupra.

CCCXCII. (*y*) Cum excommunicato neque orare, neque loqui, neque veſci cuiquam licet.

Unde ſupra.

CCCXCIII. (*z*) Si quis frater aut palam, aut abſconſe cum excommunicato fuerit locutus; communem ſtatim cum eo excommunicationis contrahit pœnam.

De eadem re.

Ex dictis Fructuoſi Epiſcopi.

CCCXCIV. (*a*) Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compaſſione, vel miſeratione refoveat, neque ad contradictonem, vel ſuperbiam confortare præſumat.

De eadem re.

Ex Regula S. Benedicti.

CCCXCV. (*b*) Si quis fratri excommunicato quolibet modo ſe junxerit, aut mandatum ei direxerit, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

Item.

CCCXCVI. (*c*) Is autem frater, qui gravioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur a menſa ſimul, & ab oratorio. Nullus ei jungatur in conſortio, neque in conloquio.

De eadem re.

Ex Concilio Antiocheno.

CCCXCVII. [*d*] Cum excommunicatis non licere communicare, nec cum his, qui per domos conveniunt, devitantes orationes Eccleſiæ, ſimul orandum eſt. Si quilibet autem ex Clero deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam ille privetur communione.

De eadem re.

Ex Concilio Apoſtolorum.

CCCXCVIII. (*e*) Si quis cum excommunicato ſaltem in domo oraverit, iſte communione privetur.

De eadem re.

Ex Concilio Nicæno.

CCCXCIX. [*f*] De his qui communione privantur, ſeu ex Clero, ſive ex laico ordine ab Epiſcopis, ſententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, vel alio vitio Epiſcopi videatur a communione ſecluſus.

De eadem re.

Ex Concilio Antiocheno.

CCCC. (*g*) Si quis a proprio Epiſcopo communione privatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis Epiſcopis, quam ſuo reconcilietur Epiſcopo.

De eadem re.

Ex Concilio Apoſtolorum.

CCCCI. (*h*) Si quis cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, ſimul oraverit, iſte damnetur.

De

(*y*) Regula S. Iſidori c. 17. Burchard. lib. 11. c. 31.
(*z*) Burchard. lib. 11. c. 32.
(*a*) Regula S. Fructuoſi c. 14. Burchard. lib. 11. c. 33.
(*b*) Regula S. Benedicti c. 26.
(*c*) Regula S. Benedicti c. 25.
(*d*) Concil. Antioch. c. 2. Burchard. lib. 11. c. 34.
(*e*) Canon. Apoſtol. c. 11. Burchard. lib. 11. c. 35.
(*f*) Concil. Nicæn. c. 5. Burchard. lib. 11. c. 36.
(*g*) Concil. Antioch. c. 6. Burchard. lib. 11. c. 37.
(*h*) Canon. Apoſt. c. 12.

De damnatis a Synodo.

Ex Concilio Antiocheno.

CCCCII. (*i*) Si quis Epiſcopus damnatus a Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus a ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio contingere; nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo, reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis.

De excommunicato, qui communicare præſumpſerit.

Ex Concilio Carthaginienſi.

CCCCIII. (*k*) Item placuit univerſo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſive Epiſcopus, ſive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communionem præſumpſerit, ipſe in ſe dammnationis judicetur protuliſſe ſententiam.

Si Epiſcopus voluerit exterminare aliquem de Eccleſia.

Ex Concilio Sardicenſi.

CCCCIV. [*l*] Si Epiſcopus exterminare voluerit Clericum ſuum de Eccleſia, providendum eſt, ne innocens damnetur; & ideo habeat poteſtatem, ut Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa ejus audiatur, ac diligentius tractetur. Quia non oportet negari audientiam roganti, & Epiſcopus patienter accipiat, ut aut probetur ſententia ejus, aut emendetur.

De depoſitis, ſi auſi fuerint attrectare miniſterium ſibi dudum commiſſum.

In Canonibus Apoſtolorum.

CCCCV. (*m*) Si quis Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, juſte ſuper certis criminibus depoſitus, auſus fuerit attrectare miniſterium ſibi dudum commiſſum, hic ab Eccleſia penitus abſcidatur.

De Presbytero accuſato.

Ex Concilio Rotomagenſi.

CCCCVI. Ut nullus Epiſcopus Presbyterum accuſatum ab officio Miſſæ removeat, niſi ad cauſam ſuam dicendam die ſtatuta litteris evocatus minime occurrit, id eſt, infra ſpatium menſis: & ſi poſt menſem ſecundum non occurrerit; tunc ab officio ſuſpendatur, quouſque pro ſe rationem reddat. Si enim Laici non canonice excommunicantur: niſi tertio fuerint vocati, atque commoniti; indignum videtur, ut Sacerdotibus denegetur, qui majoris ordinis & dignitatis ſunt, quod laicis regula Eccleſiaſtica indulgenter permittit. Pro tanto enim habetur, Sacerdotem ab officio removere, pro quanto laicum a communione Eccleſiæ ceſſare. Nam unde laici excommunicantur, inde Presbyteri ab officio Altaris ſubmoventur. Require cap. CCLXXXIX.

Qualiter Epiſcopus excommunicare infideles debeat.

Unde ſupra.

CCCCVII. (*n*) Epiſcopus, cum excommunicare, vel anathematizare aliquem infidelem pro certis & manifeſtis ſceleribus diſpoſitum habet, poſt lectionem Evangelii Clerum & plebem ita debet alloqui:

ALLOCUTIO.

CCCCVIII. (*o*) Noverit charitas veſtra, fratres mei, quod quidam vir, nomine ille, diabolo ſuadente poſtponens Chriſtianam promiſſionem, quam in baptiſmo profeſſus eſt, per apoſtaſiam converſus poſt Satan, cui abrenuntiavit & omnibus operibus ejus, vineam Chriſti, id eſt, Eccleſiam ejus, devaſtare & deprædare non pertimeſcit, pauperes Chriſti, quos pretioſo ſanguine ſuo redemit, violenter opprimens & interficiens, & bona eorum diripiens. Unde, quia filius hujus noſtræ Eccleſiæ, cui Deo auctore præſidemus, debuerat eſſe, quia in ea per aquam & Spiritum Sanctum renatus eſt, & inter adoptivos filios Dei adnumeratus, quamvis modo filius diaboli ſit imitando diabolum; ſolliciti, ne per negligentiam paſtoralem aliqua de ovibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo

(*i*) Concil. Antioch. c. 4. Burchard. lib. 1. c. 199.
(*k*) Lib. 5. Capitular. c. 28. & Addit. IV. c. 35. Burchard. lib. 1. c. 200.
[*l*] Concil. Sardicen. c. 17. [*m*] Canon. Apoſt. c. 29.
[*n*] Burchard. lib. 11. c. 2. ex Conc. Rotomag.
(*o*) Burchard. lib. 11. c. 2. & apud Centuriatores Centur. 10. c. 6.

mendo judicio ante Principem Paſtorum Dominum noſtrum JEſum Chriſtum rationem reddere compelleremur, juxta quod ipſe terribiliter nobis comminatur, dicens: (*p*) *Si non adnuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram:* miſimus ad eum Presbyterum noſtrum, & litteras commonitorias ſemel, & iterum, & tertio, invitantes eum canonice ad emendationem, & ſatisfactionem, & pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipſe, pro dolor! diabolo cor ejus indurante, monita ſalutaria ſprevit, & in cœpta malitia perſeverans, Eccleſiæ Dei, quam læſit, ſuperbiæ ſpiritu inflatus, ſatisfacere dedignatur. De talibus itaque transgreſſoribus, & Sanctæ Religionis, pacisque, quam Chriſtus ipſe ſuis Diſcipulis dedit, atque reliquit, violatoribus, præcepta Dominica & Apoſtolica habemus, quibus informamur, quid de hujuscemodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in Evangelio: (*q*) *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Fratres, in unoquoque noſtrum peccat, qui in Sanctam Eccleſiam peccat. Si enim Sancta Eccleſia (*r*) unum corpus eſt, cujus corporis caput Chriſtus eſt, ſinguli autem ſumus alter alterius membra, & cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; procul dubio in nos peccat, qui membra noſtra lædit. Jubet ergo Dominus, ut frater, id eſt, Chriſtianus in nos peccans, primo ſecrete corripiatur, deinde cum teſtibus redarguatur, noviſſime in conventu Eccleſiæ publice conveniatur. Quod ſi has ttes admonitiones, & pias correptiones contemnit, & ſatisfacere deſpicit; poſt hæc *Sit tibi*, inquit, (*s*) *ſicut ethnicus*, id eſt, gentilis, atque paganus, ut non jam pro Chriſtiano, ſed pro pagano habeatur. Et in alio loco membrum, quod a ſua compage reſolvitur, & a junctura charitatis diſſociatur, & omne corpus, quod ſcandalizat, Dominus abſcidi & projici jubet, dicens: (*t*) *Si oculus, vel manus, vel pes tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice a te.* Et Apoſtolus: (*u*) *Auferte*, inquit, *malum a vobis.* Et item: (*w*) *Infidelis, ſi diſcedit, diſcedat.* Et in alio loco rapaces a regno Dei excludit, dicens: (*x*) *Neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Et alibi: (*y*) *Si quis frater nominatur, & eſt fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere* licet. Et Johannes, dilectus præ cæteris Chriſti diſcipulis, talem nefarium hominem ſalutare prohibebat, dicens: (*z*) *Nec ei ave dixeris, neque eum in domum receperis. Qui enim ei ave dicit, communicat operibus ejus malignis.* Dominica itaque atque Apoſtolica Præcepta adimplentes membrum putridum & inſanabile, quod (*) medicinam non recipit, ferro excommunicationis a corpore Eccleſiæ abſcidamus, ne tam peſtifero morbo reliqua membra corporis, veluti veneno inficiantur.

EXCOMMUNICATIO.

CCCCIX. (*a*) Igitur, quia monita noſtra, & crebras exhortationes contemnit: quia tertio ſecundum Dominicum Præceptum vocatus, ad emendationem & pœnitentiam venire deſpexit; quia culpam ſuam necdum cognovit, nec confeſſus eſt, nec miſſa nobis legatione, qui cauſam ipſius exequimur, quia noſter parrœchianus eſt, veniam poſtulavit: quia in cœpta malitia, diabolo cor ejus indurante, perſeverat, & juxta quod Apoſtolus dicit, ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ; idcirco nos eum cum univerſis complicibus, & communicatoribus, fautoribusque ſuis judicio Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & beati Petri Principis Apoſtolorum, & omnium Sanctorum, nec non & noſtræ mediocritatis auctoritate, & poteſtate nobis Divinitus collata ligandi, & ſolvendi in cœlo, & in terra, a pretioſi corporis & ſanguinis Domini perceptione, & a ſocietate omnium Chriſtianorum ſeparamus, & a liminibus ſanctæ Matris Eccleſiæ in cœlo & in terra excludimus, & excommunicatum, & anathematizatum eſſe decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis ejus, & omnibus reprobis in igne æterno judicamus; niſi forte a diaboli laqueis reſipiſcat, & ad emendationem & pœni-

(*p*) Ezech. 3. (*q*) Matth. 18. (*r*) 1. Cor. 12.
(*s*) Matth. 18. (*t*) Ibidem. (*u*) 1. Cor. 5.
[*w*] 1. Cor. 7. (*x*) 1. Cor. 6. (*y*) 1. Cor. 5.
(*z*) 2. Joan. (*) Decreta Siric. c. 7. (*a*) Burchard. l. 11. c. 3. & apud Centuriat. ibid.

pœnitentiam redeat, & Ecclesiæ Dei, quam læsit, satisfaciat. Et respondeant omnes tertio: *Amen.* Aut: *Fiat, fiat.* Aut: *Anathema sit.* Debent autem duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis projicere debent in terram, & pedibus conculcare. Post hæc Episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant, quam terribiliter damnatus sit, & ut noverint, quod ab illa hora in reliquum non pro Christiano, sed pro pagano habendus sit: & qui illi quasi Christiano communicaverit, aut cum eo manducaverit, aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, nisi forte ad satisfactionem & pœnitentiam eum provocare studuerit: aut in domo sua eum receperit, aut simul cum eo oraverit; procul dubio similiter sit excommunicatus. Deinde epistolæ Presbyteris per parrœchiam mittantur, continentes modum excommunicationis, in quibus jubeatur, ut Dominicis diebus post lectionem Evangelii plebibus sibi commissis publice annuntient ipsam excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Oportet etiam, ut aliis Episcopis ipsa excommunicatio manifestetur. Præcipit enim Toletanum Concilium, (*b*) ut invicem mox scripta percurrant per omnes Provinciæ Episcopos, quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur. Seniori etiam ejus ipsa excommunicatio debet nota fieri.

ITEM ALIA EXCOMMUNICATIONIS ALLOCUTIO.

CCCCX. (*c*) Audistis, Dilectissimi, quanta, & quam horrenda pravitatis ac iniquitatis opera ille a diabolo instigatus perpetrare non timuerit, & quomodo per apostasiam a totius Christianæ Religionis cultu profana mente recesserit. Audistis, quemadmodum canonice ad satisfaciendum evocatus sit, sed venire distulerit: quomodo frequenter admonitus, ut resipisceret a laqueis diaboli, quibus tenetur adstrictus, saluberrimas admonitiones obduratis auribus cordis audire contempserit. Dominus dicit in Evangelio de tali contumaci fratre, qui Ecclesiasticam renuit suscipere correptionem: (*d*) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi,* inquit, *sicut ethnicus & publicanus.* Id est, jam non est computandus inter Christianos, sed inter paganos. Hinc Paulus, Domini & Magistri doctrinam sequens, Corinthios redarguit, quare cum criminosis & sceleratis communionem haberent, dicens: (*e*) *Vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum:* id est, separetur a vestro consortio, qui tale scelus operatus est. Et adjungit: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri JEsu Christi congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini mei JEsu tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis.* Et post pauca: *Scripsi vobis, ne commisceamini fornicariis.* Et statim infert: *Si quis frater appellatur*, id est, Christianus, *& fornicator est, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.* Et alibi: (*f*) *Auferte malum ex vobis.* Et: (*g*) *Infidelis, si discedit, discedat.* Una enim ovis morbida omnem gregem contaminat, & modicum fermentum totam massam corrumpit, & plerumque unum membrum putridum totum corpus inficit. Et ideo tam perniciosa pestis a corpore Ecclesiæ radicitus evellatur.

EXCOMMUNICATIO.

CCCCXI. (*b*) Dominicis igitur, atque Apostolicis informati præceptis, judicio Patris, & Filii ejus Domini nostri JEsu Christi, & Spiritus Sancti auctoritate, & potestate Apostolis, Apostolorumque Successoribus a Deo concessa, una vobiscum prædictum pessimum virum a liminibus Sanctæ Matris Ecclesiæ excludimus, & ab omni societate & communione Christiana separamus, separatumque esse in æternum decernimus, id est, in præsenti sæculo, & in futuro. Nullus Christianus ei ave dicat, aut eum oscu-

(*b*) Concil. Tolet. I. c. 11. vid. supra cap. 289. hujus libri.
[*c*] Burchard. lib. 11. c. 4. & apud Centuriator. ibid.
[*d*] Matth. 18. (*e*) 1. Cor. 5. (*f*) 1. Cor. 7.
(*g*) 1. Cor. 5. (*b*) Burchard. lib. 11. c. 5. & apud Centuriat. ibid.

osculari præsumat. Nullus Presbyter cum eo Missam celebrare audeat, vel sacrosanctum corpus & sanguinem Domini tradere. Nemo ei jungatur in consortio, neque in aliquo negotio. Et si quis ei se sociaverit, & communicaverit ejus operibus malignis; noverit se simili percussum anathemate, his exceptis, qui ob hanc causam ei junguntur, ut eum revocent ab errore, & provocent ad satisfactionem; nisi forte resipuerit, & Dei gratia inspirante ad pœnitentiæ remedium conversus fuerit, & digna emendatione Ecclesiæ Dei, quam læsit, humiliter satisfecerit.

ITEM ALIA TERRIBILIOR EXCOMMUNICATIO.

CCCCXII. (*i*) Canonica instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, videlicet raptores, deprædatores, & homicidas illos, in nomine Patris, & Filii, & in virtute Spiritus Sancti, nec non auctoritate Episcopis per Petrum Principem Apostolorum divinitus collata, a Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ illorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum. Maledicti sint ingredientes, & maledicti sint egredientes. Sintque in domo maledicti, in agro profugi; veniantque super eos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moysen in populum Divinæ legis prævaricatorem se esse missurum intentavit: sintque anathema maranatha, id est, pereant in secundo adventu Domini. Nullus eis Christianus ave dicat. Nullus Presbyter Missam celebrare præsumat, vel sanctam Communionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium sint super faciem terræ. Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris projectæ hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur; nisi forte resipuerint, & Ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem & condignam pœnitentiam satisfecerint.

EXCOMMUNICATIO BREVIS.

CCCCXIII. (*k*) Canonica instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores illos auctoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus, a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & a consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.

Qualiter Episcopus reconciliet, vel recipiat excommunicatum.

CCCCXIV. (*l*) Cum aliquis excommunicatus, vel anathematizatus, pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit; Episcopus, qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent: ubi etiam adesse debent illi, quibus injuria vel damnum illatum est, & ibi secundum leges divinas & humanas oportet damnum commissum emendari, aut si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus, si pœnitentiam, juxta quod canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam spondet; tunc Episcopus, apprehensa manu ejus dextera, eum in Ecclesiam introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat. Post hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat, & literas per parrœchiam dirigat, ut omnes noverint, eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam Episcopis hoc notum faciat. Nullus autem Episcopus alterius parrœchianum excommunicare, vel reconciliare præsumat, sine conscientia vel consensu Episcopi proprii.

De eo, qui Patrem vel Matrem inhonorat.

Ex Concilio Rotomagensi.

CCCCXV. Si quis patrem aut matrem percutit, aut maledicit, quia capitalia

[*i*] Burchard. lib. 11. c. 6. & apud Centuriat. ibid.
[*k*] Burchard. lib. 11. c. 7. & apud Centuriat. ibid.
(*l*) Burchard. lib. 11. c. 8.

talia crimina commisit, publicam inde pœnitentiam agat, sicuti de gravioribus peccatis. Ait enim Dominus: (m) *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Quem enim Dominus dignum morte judicat, procul dubio pro homicida tenetur, & sicut homicida debet pœnitere.

De bubulcis & porcariis, ut ad Missam veniant, saltem in Dominicis diebus.

Unde supra.

CCCCXVI. (n) Admonere debent Sacerdotes plebes sibi subditas, ut bubulcos, atque porcarios, vel alios pastores, vel aratores, qui in agris assidue commorantur, vel in silvis, & ideo more pecudum vivunt, in Dominicis, & in aliis Festis diebus saltim ad Missam faciant, vel permittant venire: nam & hos Christus pretioso sanguine suo redemit. Quod si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum non elegit oratores atque nobiliores quosque, sed piscatores, atque idiotas sibi discipulos adscivit; ut ostenderet in facto, quod ipse verbo in Evangelio adfirmat, dicens: *Quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum.* Et salva altiore intelligentia, nativitas nostri Redemptoris primo omnium pastoribus ab Angelo nuntiatur.

De confessione, de pœnitentia, de decimis, & de ebrietate, & de vomitu post Eucharistiam in primo libello supra expositum est.

De pauperibus, qualiter alantur.

Ex Concilio Turonensi.

CCCCXVII. (o) Unaquæque civitas pauperes & egenos alimentis congruentibus pascat secundum vires: & tam vicini Presbyteri, quam cives, unusquisque suum pauperem nutriat: quo fiat, ut ipsi pauperes per alias civitates non vagentur.

De eadem re.

Ex Capitularium Lib. I. Cap. CXVIII.

CCCCXVIII. (p) De mendicis, qui per patrias discurrunt, volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, qui laborare manibus possunt, & non faciunt, nullus eis quicquam tribuere præsumat.

De eo, qui bannum Episcopi, vel Presbyteri parvipendit.

Unde supra.

CCCCXIX. Quisquis bannum, vel excommunicationem Episcopi, vel Presbyteri sui superbiendo parvipenderit, hic talis ab Ecclesia penitus evellatur. Ait enim Dominus ad Moysen: (q) *Anima, quæ superbiendo mandatum Domini transgressa fuerit, peribit de populo suo.* Hinc Dominus in Evangelio: (r) *Qui vos spernit, me spernit.* Et Moyses contumacibus dicit: (s) *Non contra me est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et Dathan, & Abiron vivi absorpti sunt, quia insurrexerunt adversus eundem Moysen, & ejus mandatum spreverunt: & ideo tale scelus gravissime vindicandum est.

De Presbytero, qui fuerit degradatus.

Ex Concilio Toletano XII. Cap. VI.

CCCCXX. (t) Si quis Presbyter ab Episcopo suo fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus: & ipse per contemptum, vel superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & postea ab Episcopo suo correptus, in cæpta præsumptione perduraverit; hic omnimodis excommunicetur, & ab Ecclesia expellatur. Et quicumque cum eo communicaverit scienter, similiter se sciat esse excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel fœminis excommunicatis observandum est. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare mini-

Dddd

(m) Exod. 21.
(n) Burchard. lib. 2. c. 71.
(o) Conc. Turon. 2. c. 5.
(p) Lib. 1. Capitular. c. 124.
(q) Num. 15.
[r] Luc. 10.
(s) Exod. 16.
(t) Concil. Vern. sub Pippin. c. 9. Lib. 5. Capitular. c. 42. Burchard. lib. 2. c. 179.

minime potuerit, Regis judicio exilio damnetur.

Ut nullus hospitium deneget iteranti.

Ex Concilio ad Palatium Vernis.

CCCCXXI. Placuit nobis, & nostris fidelibus, ut Presbyteri suos parrœchianos admoneant, ut & ipsi hospitales, ut nulli iter facienti mansionem denegent: & ut omnis occasio rapinæ tollatur, nihil carius vendant transeuntibus, nisi quanto in mercato vendere possunt. Quod si carius vendere voluerint, ad Presbyterum transeuntes hoc referant, & illius jussu cum humanitate eis vendant.

De eo, qui Presbyterum inhonorat.

Unde supra.

CCCCXXII. (*u*) Si quis Presbyterum proprium inhonorat, aut verbo, aut facto contumeliam facit, tam diu a liminibus Ecclesiæ arceatur; quousque per condignam pœnitentiam satisfaciat. Ait enim Apostolus: (*w*) *Presbyteri, qui præsunt, duplici honore digni habeantur.* Item alibi dicit: (*x*) *Obedite Præpositis vestris, & subjecti eis estote.* & cetera.

Si quis contradicit Episcopo, ne servi propter crimina virgis cedantur.

Ex Concilio ad Sanctum Medardum.

CCCCXXIII. (*y*) Ut Missi nostri omnibus per singulas Parrœchias denuntient, quia si Episcopus, aut ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, ut ipsi criminosi corrigantur, cum tali discretione, sine ulla occasione indebita, sicut in Synodo collocutum est; ut vel inviti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos, ne distringantur, contendere præsumpserint; sciant, quia & bannum nostrum componant, & simul cum excommunicatione Ecclesiastica nostram harmiscaram durissimam sustinebunt.

De advenis.

Ex Concilio Karoli & Lotharii ad Valentinas. cap. X.

CCCCXXIV. (*z*) De advenis, qui oppressione Nortmannorum, vel Britannorum in partes istorum regnorum confugerunt, statuerunt seniores nostri, ut a nullo reipublicæ ministro quamcunque violentiam, vel oppressionem, aut exactionem patiantur; sed liceat eis conductum suum quærere, donec pace reddita, aut ipsi redeant ad loca sua, aut seniores illorum eos recipiant. Nullus autem eos inservire præsumat, eo quod loco mercenarii apud aliquem manserint: nec censum, aut tributum exigere. Quod si inventus fuerit ex reipublicæ ministris, aut alius quilibet, contra hoc pietatis præceptum facere, aut fecisse, bannum nostrum exinde componat.

Unde supra.

CCCCXXV. Pervenit ad aures sacerdotum, quod profugi, qui paganorum manus omnibus bonis amissis vix evaserunt, in regionibus nostris a quibusdam injuste opprimantur, & in servitutem redigantur contra divinas humanasque leges, cum Dominus per Prophetam dicat: (a) *Advenæ ne feceritis calumniam in loco hoc, & habitabo vobiscum.* Et iterum: [*b*] *Advenam non contristabis.* Et multa his similia. Tales igitur severiter corripiendi sunt, & de manibus eorum advenæ eruendi juxta quod scriptum est: (*c*) *Eripiens inopem de manu fortioris ejus, &c.* Nam advenæ apud fratres suos, id est, Christianos, mercenarii debent esse, non servi. Si autem in servitutem redigantur, quid illis profuit paganorum manus effugisse, cum captivitatis jugum, & duræ servitutis non effugerint? Et ideo contra hanc crudelitatem sacerdotum debet pietas decertare, ne pro tam immani malitia ira divina populum Christianum consumat.

Ut

(*u*) Burchard. lib. 2. c. 229.
(*x*) Hebræor. 13.
[*z*] Capitula Karoli Calvi. tit. 12. c. 9.
(*b*) Exod. 22.
(*w*) 1. Timoth. 5.
[*y*] Concil. Suession. 2. Act. 8. c. 9.
(*a*) Hierem. 7.
(*c*) Psal. 34.

Ut justæ mensuræ sint.

Ex Capitulari ad Pistas.

CCCCXXVI. (*d*) Ut Comites, & omnes reipublicæ Ministri, seu cæteri fideles nostri provideant, quatenus justus modius, & æquus sextarius secundum sacram Scripturam, & capitula Prædecessorum nostrorum in civitatibus, & in vicis, vel in villis ad vendendum, & emendum fiat, & mensuram secundum antiquam consuetudinem de palatio nostro accipiant. Et si cui reputatum fuerit mensuram adulterasse; si liber homo est, aut Sacramento secundum suam legem se expurget; aut si culpabilis invenitur, bannum nostrum persolvat, & a ministris reipublicæ tollatur, quod cum injusta mensura vendere voluit. Si autem colono, aut servo hoc reputatum fuerit, judicio Dei se inde examinet: & si convictus fuerit, perdat rem, id est, hoc, unde mensuram adulteratus est, insuper & nudo corio virgis cædatur. Et sive servus, sive liber, post legalem emendationem Episcopale judicium suscipiat, quia contra interdictum Dei fecit. Ait enim: (e) *Æquus tibi sit modius, & sextarius æquus.* Et alibi: (f) *Mensuram, & mensuram odit Dominus.* Et item: (g) *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quod peccatum inter illa capitalia peccata computatur, de quibus Apostolus (*h*) dicit, quod qui ea fecerit, cum hujusmodi nec cibum sumere Christiano licet. Similiter per civitates, & vicos, atque mercata, ministri reipublicæ provideant; ne illi, qui panem, & carnem per deneradas, & vinum per sextarios vendunt, mensuram adulterare possint: sed quantos mensurabiles panes de justo modio in unaquaque civitate Episcopi, vel Abbates, a suis pistoribus recipiunt, tantos mensurabiles panes de eodem modio a pistoribus, qui panem vendunt, fieri faciant. Quod si inventi fuerint mensuram adulterare, vel minuere; & damnum sustineant, & virgis cædantur. Homines etiam, quibus hoc commissum est, ut provideant, ne mensuræ minorentur, si de perjurio, quod juraverunt, quod hoc consentire non debuissent, fuerint convicti; secundum legem puniantur, aut perdant manum, aut redimant, aut grave damnum sustineant. Et postea ab Episcopo de perjurio publicam pœnitentiam accipiant.

De eadem re.

Ex Capitular. Lib. III. cap. xc.

CCCCXXVII. (*i*) Ut æquales mensuras, & pondera æqualia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in Monasteriis, ad dandum invicem, seu accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. *Vid. Burchard. Lib.* 19. *cap.* 148.

De conspirationibus.

Ex Concilio Chalcedonensi.

CCCCXXVIII. (*k*) Conjurationis, vel conspirationis crimen etiam ab exteris legibus est omnino prohibitum. Multo magis hoc, in Dei Ecclesia ne fiat, admonere convenit. Si ergo Clerici, vel Monachi reperti fuerint conspirantes, aut conjurantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis; gradu proprio penitus abscidentur.

De eadem re.

Ex Capitular. Lib. I. Tit. XXVIII.

CCCCXXIX. (*l*) Nec Clerici, nec Monachi conspirationem, vel insidias contra pastorem suum faciant.

De eadem re.

Ex Concilio ad Pistas.

CCCCXXX. [*m*] Nos quoque Episcopi authoritate Dei, & sacrorum canonum, sicut sancti Pontifices DCXXX. Chalcedonensis Concilii conspirationem fieri prohibuerunt, & sicuti cætera Episcoporum Concilia hujusmodi perniciosa facta vetuerunt, & nos prohibemus: quia facientes illa, per eorum judicium, qui cum Deo jam in cœlo regnant, & a cœlesti Ecclesia, & a Christianorum societate separati sunt; nisi per dignos pœnitentiæ fructus ad hoc redeant,

Dddd 2

(*d*) Capitula Karoli Calvi tit. 31. c. 20.
(*e*) Levit. 19.
(*f*) Prov. 20.
(*g*) Psalm. 14.
(*h*) 1. Cor. 5.
(*i*) Lib. 1. Capitular. c. 74.
(*k*) Concil. Chalced. c. 18.
(*l*) Lib. 1. Capitular. c. 29.
(*m*) Capitula Karoli Calvi tit. 29. c. 4. pag. 279.

redeant, ut ſanctæ Eccleſiæ poſſint readunari.

De eadem re.

Ex Capitular. Lib. III. cap. IX.

CCCCXXXI (*n*) Conſpirationes vero quicunque facere præſumpſerint, & Sacramento quamcunque conſpirationem firmaverint, triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur. Adjutores vero illorum ſinguli, alter ab altero flagellentur, & nares ſibi invicem præſcindant. Ubi vero nihil mali perpetratum eſt, ſimiliter quidem inter ſe flagellentur, & capillos ſibi viciſſim detondeant. Si vero per dexteras conſpiratio facta fuerit; ſi liberi ſunt, aut jurent cum idoneis juratoribus: aut ſi hoc facere non poſſunt, ſuam legem componant. Si vero ſervi ſunt, flagellentur.

De Confratriis & Conſortiis.

Ex Concilio Nannetenſi.

CCCCXXXII. (*o*) De collectis vel confratriis, quas conſortia vocant. Sicut verbo monuimus, & nunc ſcriptis expreſſe præcipimus; ut tantum fiat, quantum rectum ad auctoritatem, & utilitatem, atque ad ſalutem animæ pertinet. Ultra autem nemo neque ſacerdos, neque fidelis quisquam in parrœchia noſtra progredi audeat, id eſt, ut in omni obſequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynis, & cæteris pietatis officiis. Paſtos autem & commeſſationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes & inanes lætitiæ, & rixæ ſæpe etiam, ſicut experti ſumus, uſque ad homicidia, & odia, & diſſenſiones accidere ſolent, adeo penitus interdicimus; ut, qui contra decretum agere præſumpſerit, ſi Presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu privetur: ſi laicus eſt, aut fœmina, ab Eccleſia uſque ad ſatisfactionem ſeparetur. Conventus autem talium confratrum, ſi neceſſe fuerit, ut ſimul conveniant, aut forte aliquis contra parem ſuum diſcordiam habuerit, quem reconciliari neceſſe ſit, & ſine conventu Presbyterorum & cæterorum eſſe non poſſit; poſt peracta illa, quæ Dei ſunt, & Chriſtianæ religioni conveniunt, & poſt debitas admonitiones, ſi contigerit, ut veræ caritatis & fraternæ invicem conſolationis omnes ad refectionem conveniant, ſic talia fieri permittimus; ut ſervata modeſtia, & temperantia, & ſobrietate, pacisque concordia, ſicut decet fratres, omnia in ædificationem fraternitatis, & laudem & gloriam Dei, gratiarum actiones fiant. Et hoc modo caveatur, quod Salvator ait: (p) *Videte, ne graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Qui voluerint, eulogias a Presbytero accipiant, & panem tantum frangentes, ſinguli ſingulos biberes accipiant, & nihil amplius contingere præſumant: & ſic unusquiſque ad ſua cum benedictione Domini redeat.

Ut ſi Presbyter defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud ſeniorem ſecularem nequaquam Eccleſiam obtineat.

Ex eodem.

CCCCXXXIII. (*q*) Ut, ſi quilibet Presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud ſæcularem ſeniorem nulla precatione, vel aliquo xenio Eccleſiam illam obtineat: quia titulus per ſe conſtans antea extitit; ſed neque capellam ſine conſultu Epiſcopi. Quod ſi fecerit, definitam ſententiam ſibi prolatam ſuſcipiat: ſicuti de Epiſcopo (*r*) canonica decrevit auctoritas; ut qui per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat, quam tenuit; & illam nequaquam obtineat, quam uſurpare tentavit.

De liquore, in quo mus ceciderit.

Ex Pœnitentiali.

CCCCXXXIV. Mus, ſi ceciderit in liquorem, tollatur inde, & aſpergatur aqua

(*n*) Lib. 3. Capitular. c. 9. Lib. 1. Leg. Longob. tit. 17. c. 11.
(*o*) Concil. Nannet. c. 15. Hincmar. Capitula tit. 1. c. 16. (*p*) Luc. 21.
(*q*) Concil. Nannet. c. 16. Hincmari Capitula tit. 2. cap. 17. Burchard. lib. 3. c. 229.
[*r*] Decreta Leon. I. c. 38.

aqua benedicta, & fumatur. Si vero mortua fuerit inventa, abjiciatur totus ille liquor. Quod si multum est de liquore, purgetur ille liquor, & aspergatur aqua sancta, & sumatur, si necesse est. Si in farina, aut in lacte coagulato, aut in melle mus mortua invenitur; quod in circuitu ejus est, foras projiciatur, reliquum sumatur.

Si quis sepulcrum violaverit, & cetera.

Ut supra.

CCCCXXXV. Si quis sepulcrum violaverit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua.

Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile est; tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua.

Si quis manducaverit morticinum, aut idolis immolatum; jejunet hebdomadas duodecim.

Si quis quodlibet membrum sibi voluntarie truncaverit; tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua.

Si quis usuras undecunque exegerit, similiter pœniteat.

Si quis per violentiam, aut quolibet ingenio, malo ordine res alienas invaserit, aut tulerit, similiter pœniteat.

Si quis aliquem hominem malo ordine vendiderit, similiter pœniteat.

Si quis arcam, aut domum voluntarie igne cremaverit, similiter pœniteat.

Si quis per iram aliquem percusserit, & sanguinem fuderit, aut debilem fecerit; quadraginta dies pœniteat in pane & aqua.

Si aliquis excommunicatus mortuus fuerit.

Ut supra.

CCCCXXXVI. (s) Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & non occurrit venire ad Sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo, aut in via; faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.

De eo, qui furatus fuerit per necessitatem.

CCCCXXXVII. (t) Si quis per necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus per famem, aut per nuditatem; pœniteat hebdomadas quatuor. Si reddiderit, non cogatur jejunare.

De redemptionis pretio.

CCCCXXXVIII. (u) Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit, unde possit redimere; si dives fuerit, pro septem hebdomadis det solidos viginti: si non habuerit tantum, unde dare possit, det solidos decem. Si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Neminem vero conturbet, quia jussimus dare solidos viginti, aut minus; quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos viginti, quam pauperi solidos tres. Sed attendat unusquisque, cui dare debeat, sive pro redemptione captivorum, sive supra sanctum Altare, sive Dei servis, seu pauperibus in eleemosyna.

Quid pro uno mense agendum sit.

Unde supra.

CCCCXXXIX. (w) Pro uno mense, quod in pane, & in aqua pœnitere debet aliquis; Psalmos decantet mille CC. genu flexo, & si non genu flexo, mille DCLXXX. Et omni die, si vult, & abstinere non potest, reficiat ad sextam; nisi feria quarta, & sexta jejunet usque ad nonam. Carnem & vinum non sumat. Reliqua percipiat.

Quid pro una hebdomada?

Ut supra.

CCCCXL. (x) Pro una hebdomada Psalmos CCC. genua flectendo decantet, aut in uno loco per ordinem psallat.

Quid pro uno anno.

CCCCXLI. (y) Qui vero Psalmos non novit, & jejunare non potest, pro uno anno, quod jejunare debet in pane & aqua, det in eleemosyna viginti sex solidos: & in unaquaque hebdomada diem

[s] Halitgar. lib. 6. c. 10. Burchard. lib. 11. c. 51.
(u) Burchard. lib. 19. c. 22.
(x) Burchard. lib. 19. c. 18.
[t] Burchard. lib. 11. c. 56.
[w] Burchard. lib. 19. c. 19.
[y] Burchard. lib. 19. c. 20.

diem unum jejunet uſque ad Nonam, id eſt, feriam quartam: & alium, id eſt, feriam ſextam, uſque ad veſperam. Et in tres quadrageſimas quantum ſumit, penſet, & medietatem tribuat in eleemoſyna.

Item de pretio unius anni.

CCCCXLII. Primo anno quidam permiſerunt, triduanas quatuor, alii duodecim triduanas, id eſt, ſemel in menſe uno. Quidam dixerunt triduanas agere in verberibus, & vigiliis inſiſtendo triduum.

De redemptione unius diei.

CCCCXLIII. Pretium autem unius diei, id eſt, agapen duorum, vel trium pauperum, ſive unum denarium. Alii totum Pſalterium in æſtate, in hyeme vero, & in verno, vel in autumno Pſalmos quinquaginta. Quidam judicaverunt duodecim plagas, vel percuſſiones.

Item de redemptione unius diei.

CCCCXLIV. Qui itaque hoc, quod in Pœnitentiale ſcriptum eſt, implere potuerit, agat Deo gratias. Qui autem non potuerit adimplere, conſilium damus per miſericordiam Dei. Inprimis pro uno die in pane & aqua, quinquaginta Pſalmos cantet genu flexo, aut ſtando in uno loco ſeptuaginta decantet, aut unum denarium det, aut tres pauperes paſcat. Quidam dicunt quinquaginta percuſſiones, vel quinquaginta Pſalmos pro uno die in autumno, hyeme, vel verno centum percuſſiones vel Pſalmos quinquaginta: in æſtate pſalterium unum, vel percuſſiones centum.

Item de redemptione trium annorum.

CCCCXLV. (z) Qui non poteſt ſic agere pœnitentiam, ut ſuperius diximus, in primo anno eroget in eleemoſyna ſolidos viginti ſex, in ſecundo viginti, in tertio octodecim, hoc eſt, ſolidos ſexaginta quatuor. Potentes homines faciant pro culpis ſuis, quod Zachæus fecit. Ait enim ad Dominum: *Domine, omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, & ſi aliquid injuſte abſtuli, in quadruplum reſtituo.* Et de mancipiis ſuis aliquos dimittant liberos, captivos redimant, & in ſe peccantibus ex corde dimittant. Et qui illicita commiſit, etiam a licitis ſe abſtineat, & corpus affligat jejuniis, vigiliis & crebris orationibus. Caro enim læta nos ad culpam traxit, afflicta reducit ad veniam.

Quomodo poſſum pœnitentiam ſeptem annorum pœnitere.

Ex dictis Sancti Bonifacii Epiſcopi.

CCCCXLVI. Triduana una pro triginta diebus, & cantatio Pſalmorum centum viginti. Pro uno die Pſalmi quinquaginta, & quinque *Pater noſter.* Pro tribus diebus Pſalterium unum, & quindecim *Pater noſter.* Item pro uno die tribus vicibus *Beati Immaculati*, & ſex *Miſerere mei Deus*, & ſeptuaginta vices proſternat ſe in terram, & per ſingulas *Pater noſter* dicat. Item ſi neſcit Pſalmos, pro uno die proſternat ſe centum vicibus in terram, & per ſingulas: *Miſerere mei Deus, & dimitte Domine peccata mea.* Cantatio unius Miſſæ poteſt redimere duodecim dies, decem Miſſæ quatuor menſes, viginti Miſſæ novem menſes, triginta Miſſæ duodecim menſes. Pro hebdomada una trecenti Pſalmi genu flexo decantentur. Qui Pſalmos neſcit, & jejunare non poteſt, quantum quotidie ſumit, penſet, & medietatem tribuat in Eleemoſyna.

Ecce diverſorum Patrum diverſas opiniones de remediis peccatorum, vel de levigaanda pœnitentia, in ordine poſuimus, in arbitrio prudentis ſacerdotis relinquentes, quid ſalubrius, & utilius animæ pœnitenti eſſe decernat.

F I N I S.

(z) Burchard. lib. 19. c. 20.

SYNO-

SYNODUS FORCHEMENSIS.

Anno Chriſti CMIII. Chriſtophori Papæ I. Ludovici III. Imp. IV.

SUMMA CONCILII.

Ob diſſidium anno 901. inter Bambergenſem Comitem, & Wirceburgenſem Epiſcopum, Adelbertus Comes Babebergenſis cæde fratrum ſuorum anno 902. Henrici & Adalhardi, irritatior factus, bellum anno 903. indixerat. Radolphum Epiſcopum Wirceburgenſem ditione pellit, urbem ejus, prædia, & poſſeſſiones diripit, incendit: & Eberhardi Cattorum reguli filios una cum matre ultra Speſſarticam ſylvam ablegat.



QUibus rebus exaſperatus Ludovicus Imperator, Conventum Epiſcoporum, & Principum, Forchemium indicit: atque ei ipſe excelſo præſidens in tribunali, Adelbertum (*a*) Bambergenſem, Eccleſiæ Wirceburgenſis vaſtatorem, communi Procerum ſententia oppidis, & caſtellis exuit, & cladem Wirceburgenſis Eccleſiæ, ab Adelberto acceptam, Frickenhuſano, & Broſethemenſi vicis, atque aliis muneribus reſarcit. IBI aliæ quoque Eccleſiæ magnificis poſſeſſionibus cumulatæ, Epiſcopi, & Abbates eximiis privilegiis honeſtati ſunt.

Hoffmann. Lib. I. Annal. Bambergenſium pag. 1617. *edit. Ludewigii.*

LUDOVICI III. REGIS DONATIO

DE PROZOLDESHEIM ET FRICKENHAUSEN.

Ex Chartario vetuſto.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hludowicus Divina favente clementia Rex. Si fidelium noſtrorum petitionibus, quas pro utilitate Eccleſiarum ſibimet commiſſarum nobis ſuggeſſerint, clementer annuimus; credimus, eos nobis inde fideliores exiſtere, Dominumque inde propitium habere. Quamobrem noverit generale collegium omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet ac futurorum: quia Rudolfus, venerabilis ac dilectus Epiſcopus noſter, per ſupplicationem fidelium noſtrorum, Hathonis videlicet, & Walthonis, Erckenboldi, Adalperonis, Salomonis, ac Tutonis, venerabilium Epiſcoporum: Comitum, videlicet Chuonradi, Kebelharti, Adalberti, Burcardi, Odalrici, Arnolfi, Luitfredi, Burcardi & Eranfredi, petiit Clementiam noſtram, ut quaſdam res juris noſtri, quæ Adalberti, & Heinrici fuerunt, &

[*a*] Hic Adelbertus, Comes Babenbergenſis, dolo ad Imp. Ludovicum ductus anno 904. V. Idus Decembris, omnium Procerum conſenſu damnatus, capitali ſupplicio affectus fuit, & in templo arcis Tariſienſis (in, & ex quo Cœnobium Tariſienſe condidit) ſepultus eſt. Poſt ejus mortem bona ejusdem caſtella, & prædia, inter quæ Norimberga fuiſſe creditur, partim ad Majores ejus, Saxoniæ Duces, partim ad Imperium devoluta ſunt. *Annaliſta Saxo Eckhartinus refert cædem ad* 906. *& quidem Triburiæ decretam, & executioni datam. Sed Hoffmanni hiſtoriam* præfero.

& ob nequitiæ eorum magnitudinem judicio Francorum, Alamannorum, Bauwariorum, Thuringorum, seu Saxonum legaliter in nostrum jus publicatæ sunt, ad Episcopium suum Wirtzeburg, ubi Sanctus Kylianus Martyr Christi corpore requiescit, pro remedio animæ nostræ concederemus; nos quoque eorum petitionibus annuentes, ipsas res ad præfatum sanctum locum, a prædictis Adalberto, & Henrico, undique vastatum, pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum perenniter in proprium donavimus: hoc est, in pago Gozfelda, in Comitatu Chuonradi, duo loca Prozzoltesheim & Frichinhusa cum Ecclesiis, curtilibus, ædificiis, familiis, & mancipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, agris, pratis, vineis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, omnibusque rebus, vicis & villis, & cæteris appendiciis, quæsitis & inquirendis, ad prædicta loca juste, & rationabiliter pertinentibus, in quibuscunque pagis vel Folgfelda, Iphigowin, Crapfelda, seu Padiniggouuin, sive cæteris locorum finibus consistentibus. Solos vero homines, qui bonæ memoriæ Tragapotonem, fidelem nostrum, de villa Prozzoltesheim occiderunt, ab hac donatione excipimus: & si quid memorati Marchiones ad supra scripta loca de nobilium virorum proprietatibus injuste contraxerint. Jussimus quoque hoc præceptum inde conscribi, per quod firmissime Regia auctoritate jubemus, ut antetitulata loca cum suis pertinentiis ab hodierna die ac deinceps ad prælibatum Episcopatum perpetualiter possidenda consistant. Et ut hujus donationis pagina in æternum & ultra firma, & inconvulsa perseveret, manus propriæ subscriptione illam firmavimus, & sigillo nostro consignari jussimus.

Ernestus Cancellarius ad vicem Theotmari Archi-Capellani recognovit & subscripsit.

Data VII. Idus Julii anno Incarnationis Domini CMIII. Indict. VI. Anno vero Regni Domni Hludowici IV. Actum Tarasse, in Dei nomine feliciter, Amen.

Ex Eckhart. rer. Wirceburgens. T. II. Append. pag. 897.

CONVENTUS IN OTTINGA,

EPISCOPORUM BAVARIÆ.

Anno Christi CMIII. Christophori Papæ I. Ludovici III. Imp. IV.

Ludovicus Rex per consilium, & consensum Venerabilium Episcoporum, Theodmari Archi-Episcopi Salisburgensis, Waldonis Frisingensis, Erchanbaldi Eistatensis, Zachariæ Sebonensis, (*Sabionensis*) Tutonis Ratisbonensis, Burchardi Pataviensis, donat Monasterio S. Emmerani curtim Velda, die II. Idus Augusti. Actum Ottinga.

Hansiz. Tom. II. Sacræ Germaniæ pag. 143. notat, in hoc loco Ottingæ Bavariæ Præsules Conventum egisse.

Anno eodem ad intercessionem Theodmari donat curtem Veringa, Ecclesiæ Frisingensi. *Hansiz. ibidem.*

CON-

CONVENTUS EPISCOPORUM IN HOLTZEKIRICHA BAVARIÆ.

Anno Christi CMVI. Sergii III. Papæ II. Ludovici III. Imp. VII.

Ludovicus Rex per interventum Hattonis, & Thietmari Venerabilium Archi-Episcoporum, nec non aliorum Episcoporum Erchanboldi, Adelberonis Augustani, Zachariæ, & Deotolobi Wormatiensis, renovat privilegium Frisingensi Ecclesiæ, de libertate eligendi inter se Episcopi. Datum IX. Kal. Maji, in loco, qui dicitur Holtzekericha.

Hansiz. Tom. II. Germaniæ sacræ pag. 143. *observat, in eo loco cœtum Episcoporum fuisse.*

Conventum Raftfelftadiensem, in quo Ludovicus Rex Theadmaro Salisburgensi, & Burchardo Pataviensi demandavit cognitionem Provincialium Bajuvariorum ob intemperantiam vectigalium, refert Aventinus una cum legibus, ab his Episcopis, & Comitibus aliis in eo latis *de vectigalium moderatione.* Insinuant eundem Conventum & alii Bajuvariæ Scriptores: sed cum res sit mere politica, non video, cur eum inter Concilia referam.

SYNODUS FRISINGENSIS.

Anno Christi CMVIII. Sergii III. Papæ III. Ludovici III. Imp. IX.

Dracholfi Frisingensis Episcopi, & Cuononis Chorepiscopi mutua complacitatio, & traditio in publica Synodo Ecclesiæ Frisingensis.

Consultum enim, & rationabile videtur, ut quidquid Ecclesiasticis, vel secularibus negotiis, aut judiciis agatur, serie literarum, & testimonio nobilium, & veracium virorum, ita ligetur, & confirmetur, ne in posterum ullo modo possint dissolvi, vel corrumpi.

Notum sit enim Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, veracibusque viris, qualiter Dracholfus, Frigisingensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus, & Cuono, ejusdem Ecclesiæ humilis Chorepiscopus, inter se conplacitaverunt, & communi traditione, testiumque conductione, sicut mos est, firmaverunt. Remisit enim idem Chorepiscopus, & advocatus suus, Comes Sigihardus, propriam Abbatiolam suam, quam coram Rege, & Episcopis, atque Comitibus, & ceteris Principibus suis, sicut in cartula, exinde præcepto Regis facta, scriptum est, conplacitavit Mosapurg nuncupatam, ad Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis, & Sancti Corbiniani Confessoris, in manus præfati Episcopi, & Advocati sui Kepolfi, ea ratione, & tenore, quatenus ille, quidquid eodem die, vel tempore de Episcopatu in beneficium haberet, deinceps usque in finem mortalis vitæ sine ulla contradictione, & molestia possideret. Insuper vero in eadem Frigisingensi villa ejusdem rei causa Colonias duas cum habitatoribus suis, ceterisque appendiciis ad easdem pertinentibus, ab eodem Episcopo idem Chorepiscopus in proprietatem accepit. Simili vero modo de eadem Abbatiola, Mosapurg dicta, curtam unam, Humbala vocatam, cum omni-

omnibus ad illam pertinentibus, mobilibus, & immobilibus, adquiſitis, & adquirendis, nec non & beneficiolum unum pene deſertatum, Swanahiltadorf nominatum. Præterea vero fabrum unum, Heironem, & ſcutarium unum Perhtkozum, atque Piſtorem unum, Linguni dictum, nec non & Piſcatorem unum, Artheri nominatum, atque de genetio ancillas XII. De orientali vero vino, Bauzano, illic dato, carradas III. Hæc vero conplacitatio facta eſt in Eccleſia Frigiſingenſi in publica Synodo, coram clero, & aſtanti populo. Anno vero Domini DCCCCVIII. Idibus Septembris, anno præfati Epiſcopi ſecundo incipiente, Chorepiſcopi vero VI. & incipiente VII. Iſti ſunt teſtes ejuſdem conplacitationis, ſicut mos eſt Bajoariorum, per aures tracti: Arbo Comes, Sigihard Comes, Wetti Comes, Wolfdregil Comes, & ceteri Vaſſalli &c. &c.

Meichelbeck Hiſtoriæ Friſingenſis Tom. I. Part. II. Inſtrumento CMLXXXII. pag. 429.

SYNODUS HALBERSTADENSIS.

Anno Chriſti CMXII. Anaſtaſii III. Papæ I. Conradi Regis I.

SUMMA ACTORUM HUJUS SYNODI.

Henricus Auceps, Hatheburgam filiam Ervini, Comitis in Merſeburch, & Altſtadii (quæ vidua Monaſterium ingreſſa fuerat, & velum ſuſceperat) uxorem aſcivit, & obtinuit: ob quod facinus Sigismundus, Halberſtadienſis Epiſcopus, eundem ad Synodum vocavit, & excommunicavit.

Sigismundus, (*a*) ſpiritualis Pater, & Paſtor Orientalium (Saxonum) tunc erat Sanctæ Halberſtadienſis Eccleſiæ Præſul egregius, vir ingenioſus, omnigenarumque, quæ ſpiritualia, vel etiam carnalia reſpicit, artium ſcientia, omnes ſuimet contemporales præcellens. Hic pietate maxima, & quod ſummum eſt perfectionis culmen, Chriſti zelo fervens, ut perpetrati (ab Henrico, & Hateburga) facinus connubii primo audivit: Ovium ſuarum culpam ingemuit, & aliquam inter ſe fieri amplius commixtionem, per internuntium, & per epiſtolam banno Apoſtolicæ auctoritatis interdicens, ad condictam ambos Synodum vocavit.

Henricus tali rumore perturbatus, ad Imperatorem (Conradum) properavit, omnemque indicans ei rei ordinem, auxilium ejus petivit, & quia familiaris ei fuit, & (ex *legit Leibnitius*) Patris commiſſo, ac fideli ſervitio, impetravit. Nam Legato ad antiſtitem Sigismundum concite directo, ut vinctos (vinctum *legit Leibnitz*) ſolveret, & ad ſuimet præſentiam differret, poſtulavit.

Hactenus Dithmarus, editus a Leibnitio Tomo I. Scriptor. Braunwicenſ. p. 325. *Conſentit Annaliſta Saxo, ab Eckharto editus Tomo I. Scriptor. Medii ævi.*

Cl. Samuel Lentzen in hiſtoria Diplomatica des Stiffts und Landes von Halberſtadt. pag. 11. narrat, Sigismundum quidem ſententiæ executionem diſtuliſſe ob interventionem Regis Conradi, attamen debuiſſe Henricum eam dimittere [etſi ex ea filium Tammonem, vel Tanckmarum genuiſſet] qui & injuſto ſe hactenus connubio multum peccaſſe tandem profeſſus eſt: & relicta Hatheburga, Mathildem ex Witekindi ſtirpe ortam, legitimam uxorem duxit. *Dithmarus pag.* 316.

(*a*) Sigismundus, Halberſtadenſis Eccleſiæ Antiſtes ſextus, anno DCCCCXXIII. Indictione XI, Regni autem primi Regis Henrici V, obiit XIX. Kal. Februarii, cui Bernardus, ejusdem Capellanus, ſucceſſit. *Dithmarus pag.* 328. Interfuerat Synodo Altheimenſi anno 916.

SYNO-

SYNODUS TULLENSIS.

Anno Chriſti CMXVI. Joannis X. PP. III. Conradi Regis V. Caroli Simplicis in Francia regnantis Anno IV.

SUMMA: *Audita relatione Sigedei, Abbatis Cœnobii S. Apri, de decima in villis Mannonicurte & Temblonicurte, ab Eccleſia S. Apri ad Eccleſiam S. Martini translata, Drogo Tullenſis Epiſcopus, Synodo probante, judicavit, illam decimam Eccleſiæ Sancti Apri reddendam.*

Reſidente Domino *Drogono* Epiſcopo, Tullo civitate in pleno Synodo, venit vir nobilis, *Sigedeus* Abba, ex cœnobio Beati Confeſſoris Chriſti Apri, & proclamavit ſe, & dixit, quod decimam, quam ad Eccleſiam, vel ad Altare Sancti Martini, quæ eſt ſita in villa, quæ dicitur *Mannonicurte*, & *Tomblonicurte*, ad aliam Eccleſiam, quæ dicitur in villa Domini Apri, fuiſſet datus. Poſtea vero Dominus Drogo Epiſcopus in pleno Synodo diligenter inquiſivit, & ita invenit, ſicut Segedeus Abba dixit. Tunc Dominus Drogo interrogavit fideles ſuos Archidiaconos, nec non ſacerdotes in plena Synodo reſidentes, quid inde facere debuiſſet? Quapropter judicaverunt omnes, & veraciter adfirmaverunt, quod Dominus Drogo Epiſcopus reddere debuiſſet Segedeo Abbati decimam, quæ ad ejus Eccleſiam ab antiquitate venerat, & ibi fuiſſet permanſurus. Quod ita & fecit. Et iſti probaverunt: *Girveus* ſacerdos, *Evorinus*, *Adrianus*, *Authardus*, *Otbertus*, *Amalfredus*, *Giraldus*. Si quis vero, quod minime credendum eſt, ſi ego ipſe, aut ulla oppoſita perſona, qui contra hanc notitiam venire tentaverit, aut eam infringere voluerit; ſciat, ſe apud Deum omnipotentem ſacrilegii crimine ligatum, & ſanctorum conſortium non adepturum eſſe, ſed potius cum damnatis anathematis vel infidelitatis permanſurum. Et ut verius credatur, & a ſucceſſoribus noſtris diligentius obſervetur; manu propria ſubter firmavimus, manibus quoque fidelium noſtrorum roborari fecimus.

† Domni Drogonis Epiſcopi, qui hanc notitiam fieri vel firmare rogavit.
† Rotlandi primiarii.
† Hetdoni Archid.
† Genulfi.
† Ingelramni Archid.
† Alloni Archid.
† Fulconi.
† Berengarii.
† Giſtulfi.
† Rotberti.
† Latemanni.
† Wendelini.
† Hugoni.
† Walerici.

Data ſub die nono Novemb. Anno IV. *Regnante Karolo Rege in Francia.* Anno vero Dominicæ Incarnationis DCCCCXVI. Indict. IV. Ego Rotlandus Cancellarius ſcripſi, & ſubſcripſi.

Annal. Benedictinorum Mabillonii Tomo III. in append. pag. 897.

SYNODUS APUD ALTHEIM.

Anno Christi CMXVI. Joannis X. Papæ III. Conradi Regis Germaniæ V.

De Episcopis, qui apud Romanam Sedem accusati fuerant, quod cum excommunicatis communicarent.

REgni Conradi, (*a*) Piissimi & Christianissimi Regis, quinto, congregata est Sancta generalis Synodus apud Altheim, in pago Rhetiæ, præsente videlicet Domini Joannis Papæ Apocrisario, sanctæ Ortensis (*b*) Ecclesiæ Petro venerabili Episcopo. Hoc quatenus aliquo modo diabolica semina in nostris partibus exorta extirpare, & nefandissimas machinationes quorundam perversorum hominum sedare, & eliminando purgare deberet.

Transacto igitur triduano jejunio, & sacris litaniis more debito celebratis, convenimus in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, & mœsti consedimus.

Tunc demum præfatus S. Petri, & Domini Joannis Papæ Missus, proferens chartam, Apostolicis literis inscriptam, qua monebamur, arguebamur, & instruebamur de omnibus, ad veram religionem Christianæ Fidei pertinentibus. Quæ omnia, ut justum & dignum erat, humiliter accepimus, diligenter tractavimus, & devoto affectu omnimodo amplectebamur.

Ergo Evangelicam præceptionem, & instructionem saluberrimam, lacrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisæi, & Scribæ: *Mundate*, inquit, *prius, quæ intus sunt*. Et item: *Ejice primum trabem de oculo tuo.* Ac Propheticum illud: *Ruina populi Sacerdotes mali.* Perpendentes, & discutiendo nosmetipsos inspicientes, & in medium pœnitentiæ sanctæ digno fructu ad terram nos projicientes, deflevimus negligentias innumerabiles, & peccata nostra gravissima. Deinde hortatu Domini Petri, contra nosmetipsos & vitia irati, adjuvante primo Sancto Spiritu, & miserante, Capitula infra notata ad correctionem tam nostram, quam Christiani populi statuendo collegimus.

De eo, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit.

Illud vero communi decreto secundum canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit; moriente marito Synodali judicio aditus ei claudatur illicitus; ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium. *Burchardus Lib. IX. cap. LXXIV. & Ivo part. VIII. Cap. CCXI. uterque ex Cap. V. Concilii apud Altheim.*

De Episcopis, qui sibi subjectos seducunt cum excommunicatis.

Scimus ex auctoritate scriptum: *Qui excommunicato communicaverit, excommunicetur.* In hoc nos fatemur Episcopi, & Presbyteri, & Clerici pœnaliter peccasse: quod imposterum Deo auxiliante, & emendare, & evitare cupimus, & præcipimus. *Burchard. Lib. XI. cap. LXIX. & Ivo Part. XIV. cap. CXVII. uterque ex cap. VI. Concilii apud Altheim.*

De

(*a*) Ex Burchardi Libro XI. cap. LXVIII.

(*b*) Ortanensis: Ortona nota est Italiæ civitas Episcopalis, in ora maris Adriatici in Aprutia citeriori posita. Ivo perperam legit *Ostiensis*. Serarius legerat in codice MS. Concilium hoc sub Herigero Archiep. Moguntino anno CMVI. Altheimii coactum fuisse: sed error certus est in numero anni: nam eo anno nec Herigerus Archiep. Moguntiæ, nec Conradus Germaniæ Rex erat. *Nota Pagii ad annum 916. in Critica.*

De eadem re.

Placuit ſanctæ Synodo, hunc errorem, quaſi impium, ab Eccleſia amovere: quia animarum curam a Domino accepimus, non pecuniarum: Inde & reddituri ſumus Domino rationem, & accepturi propter ſuam miſericordiam æternam retributionem, vel juſtam damnationem. *Burchard. ibid. cap. LXX. & Ivo ibid. cap. CXVIII. uterque ex cap. VII. ejuſdem Concilii.*

De Epiſcopis, ut non ſint malum exemplum populo.

Bonum exemplum populis ſe ipſos Epiſcopi, vel Sacerdotes debent præbere, & oſtendere non ſolum dictis, verum & factis. Propter hoc enim ſtatuimus, minime unquam in poſterum contra ſacra ſtatuta aliquo modo communicemus excommunicatis, & dijudicemus (*In Ivone perperam legitur : dijudicamus*) nosmetipſos, quatenus in futuro non judicemur a Domino. Sequi cupimus dicta, & ſtatuta Sancti Gregorii Papæ, & pœnitentiam dignam agere volumus ſecrete in Monaſterio, quia publice nequimus (*non : nequivimus, ut male apud Ivonem*) in futuroque prædicta omnibus modis Deo propitio vitare volumus. Eamdemque legem ſtatuentes Presbyteris, Diaconibus, & omni Clero, ſi de gradu deponi noluerint, ut fideliter obſervent, & aliis ſervare prædicent. *Burch. ibid. cap. LXXI. & Ivo ibidem cap. CXIX. uterque ex cap. VIII. ejuſdem Concilii.*

De correctione Epiſcoporum, qui cum excommunicatis communicaverunt.

Auctoritate Apoſtolica firmamus dicta, & præcepta ſanctorum canonum: & interdicimus, quamdiu quis excommunicatus ſit, ut nullus noſtrorum Epiſcoporum, ei audiat communicare, vel cum eo in Eccleſia orare. Et laici, qui ſecuti ſunt nos, ut dicunt, errando & ſequendo nos, modo nos aut noſmetipſos (*Ivo habet : nos autem nosmetipſos*) per pœnitentiam macerantes corrigendo, & viam eis vitæ prædicantes & aperientes: ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quibus per noſtra mala exempla capti tenentur, & ad veram matrem Eccleſiam per pœnitentiam revertantur. *Burchardus ibid. c. LXXII. & Ivo ibidem c. CXX. uterque ex cap. IX. ejuſdem Concilii.*

De Epiſcopo inculpato, qui ad Synodum vocatus venire contempſerat.

Richuvinum Epiſcopum, qui cotra ſanctorum canonum ſanctiones Stratzburgenſem Eccleſiam invaſit, quem ad *ſanctam Synodum* per literas noſtras invitavimus, & venire contemnens, nec vicarium ſuum miſit; auctoritate Sancti Petri ego *Joannes* Vicarius Apoſtolici, ex præcepto ſanctæ præſentis Synodi injungendo vocamus iterum, & præcipimus, quatenus ad Concilium, id eſt, Maji Moguntiæ indictum a Metropolitano Epiſcopo ſuo, ad præſentiam venerabilis *Herigeri* Archi-Epiſcopi, & confratrum ſuorum veniat, ſuæ inobedientiæ & perverſitatis ibidem juſtam rationem redditurus. Sin autem negligenter, & hoc agere parvipenderit, abſtineat ſe a proprio gradu, donec Romam veniens coram Domino Papa, & ſancta Eccleſia reddat rationem. *Burchard. Lib. I. Cap. CLXII. ex cap.* 10. *bujus Synodi.*

De Epiſcopis ad Synodum vocatis, & venire, & Miſſos ſuos mittere dedignantibus.

Placuit ſanctæ Synodo Epiſcopos, qui vocati de Saxonia ad ſanctum Concilium, non venerunt, nec ſecundum canones ſacros miſſos ſuos vel vicarios direxerunt; gravi increpatione objurgare, & pro culpa inobedientiæ increpare. Unde iterum eos fraterna charitate ad condictum Concilium invitamus, & vocamus. Quod & ſi hoc, quod non optamus, pro nihilo duxerint, & venire noluerint, juſtamque rationem inobedientiæ ſuæ reddere detrectaverint; Apoſtolica auctoritate interdicit eis Petrus, Sancti Petri & Papæ Miſſus, una cum ſancta Synodo, Miſſas celebrare, quousque Romam veniant, & coram Papa, & ſancta Eccleſia dignam reddiderint rationem. *Burchard. Lib. I. cap. III. ex cap. X. ejuſdem Syno-*

Synodi, sed loco cap. X. videtur legendum, cap. XI. Aventinus enim utriusque capituli meminit, ideoque utrumque in hoc Concilio conditum.

De Clericis, qui fugerint Ecclesias, & de servis, qui Dominos proprios fugerint.

Sanctus Gregorius dicit: Clericum fugientem ab Ecclesia sua, vel servum fugientem Dominum proprium, & nolentem reverti, judicamus communione privari, quoadusque ad propriam Ecclesiam, vel ad Dominum suum redeat. Et item clericum fugitivum, suo Episcopo, vel Domino suo decernimus Apostolica sententia restitui, vel excommunicari una cum illis, qui ei communicaverint. *Burchard. Lib. XI. Cap. LXXVIII. ex Cap. XXVII. ejusdem Concilii.*

De Clericis, qui a Dominis suis liberi facti sunt.

Nullus Clericus ad gradum Presbyterii promoveatur, nisi, ut scriptum in canonibus habetur: Si enim propter Dei dilectionem quis de servis suis quemquam elegerit, & docuerit litteras, & libertati condonaverit, & per intercessionem erga Episcopum Presbyterum effecerit, & secundum Apostolos victum & vestitum ei donaverit: ille autem postea in superbiam elatus, Missam Dominis suis, & canonicas horas observare, & psallere renuerit, & eis juste obedire, dicens, se liberum esse, noluerit, & quasi libere, cujus vult, homo fiat; hoc sancta Synodus anathematizat, & illum a sancta Communione arceri judicat, donec resipiscat, & Domino suo obediat secundum canonica præcepta. Sin autem obstinato animo & hoc contempserit; accusetur apud Episcopum, qui eum ordinavit, & degradetur: & fiat servus illius idem Domini sui, sicut natus fuerat. Quisquis vero talem secum habuerit, posteaquam rem prædictam illius audierit, & Domino suo non reddiderit, vel a se projecerit, sive Episcopus, sive Comes, sive Clericus, sive laicus, anathematis illius societate nodatus, pœnam excommunicationis luet. *Burchard. Lib. II. Cap. CCXXXIV. ex Cap. XXXVIII. Concilii apud Altheim habiti, cui inter fuisse Conradum Regem dicit, quod & in locis supra citatis iterat.*

Hactenus Pagi in Critica Baronii ad annum DCCCCXVI.

Sed & hoc ibidem inventum de Episcopis, Presbyteris, & Clericis: Si hæreditatem a Domino Rege, vel ab alio Principe, vel amico suo, seu per hæreditariam sortem sibi devenerit, vel acquisiverunt, donare eis liceat hanc, cui voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ, ad Ecclesiam, quamcunque elegerint, vel consanguineis suis, vel amicis. Sin autem antea obierint, quam firmiter perfecerint: Altari, cui serviunt, omnia perpetuo sanctificentur, & in jus tradantur. Similiter de Presbyteris statutum est. Hildebertus Moguntinensis Archiepiscopus subscripsit. Robertus Trevirensis Archiepiscopus subscripsit. Unni Hameburgensis Archiepiscopus subscripsit. Adalwardus Ferdinensis Episcopus subscripsit. Richovinus Argentinensis Episcopus subscripsit. Notingus Constantiensis Episcopus subscripsit.

Unewanus Padarbrunnensis Episcopus subscripsit. Udalricus Augustensis Episcopus subscripsit. Bernardus Halvarstadiensis Episcopus subscripsit. Rumaldus Minugardenowardensis Episcopus subscripsit. Eberus Mindunensis Episcopus subscripsit. Nec non & Abbates cum cæteris sacri ordinis viris subscripserunt.

Caput hoc ultimum cum subscriptionibus Episcoporum desumptum est ex Leuckfeldio de Antiquitatib. Halberstad.

Plura quam XXXVIII. Capitula in Concilio apud Altheim condita fuisse, observavit Aventinus, & ex eo Pagius ad hunc annum.

Aventinus addit, In hoc Concilio decretum fuisse, ut quisquis Regi fidem non servavit, aut rebellare conatus fuerit, excommunicetur. Adhæc Erchingerum, quandoquidem cum sociis vitæ Regis Domini sui insidiatus fuerit, a classibus Reipublicæ, armorumque exortem factum fuisse, utque in monasterio scelus expiaret.

Denique Erchingerum, Berchtoldum, Burckhardum, Arnulphum, quod decreto Synodi non stetissent, in numero impiorum haberentur, omnesque eorum sermonem defugerent.

Erchingerus, seu Erchanger anno CMXI. cum fratre Berchtoldo Regi Conrado rebellavit, eique tandem ad deditionem spe pactionis venientes, ipso jubente, apud villam Adingam [*Ottingam*] decollati sunt XII. Kalend. Februarii [anno CMXVII.] Et Burchardus, Dux Alemanniæ factus tyrannidem invasit CMXVIII, quæ omnia *Hermannus Contractus* in Chronico juxta editionem Canisianam notavit.

Porro Rhætia Passavium usque extenditur, ideoque Concilium illud in confiniis Rhetiæ & Noricæ congregatum fuit. In Geographia enim Synodica a Nicolao Sansone edita, Altheimum inter Salisburgum, & Dingolvingam locatur, estque in inferiori Bavaria. *Pagi loc. cit.*

SYNODUS CONSTANTIENSIS
UNA ET ALTERA.
Inter annos CMXII. & CMXIX.

WEndelgarta, Henrici Regis Germaniæ, de Filia neptis, & Vodalrici [*a*] Comitis, de Karoli Prosapia descendentis conjux, cum maritus in bello captus esset, nec rediret; Wiborada reclusa hortatrice, in tantum excrevit amorem castitatis vidualis, (maritum enim mortuum credebat) ut sacrum velamen, quod antea detrectaverat, ab Episcopo Salomone (*b*) Constantiensi imponi sibi *Synodo favente* rogaverit, quo facto includi optavit cum aliis, apud S. Gallum inclusis piis mulieribus.

Marito, præter spem e captivitate eluctato, & ab uxore datis indiciis agnito, uterque ad Ecclesiam pergunt, Deo gratis acturi pro captivitate mariti dissoluta.

Inter eundum ad Ecclesiam, quæso, ait Vodalricus maritus ad Wendilgartam: Quis capiti tuo velum illud imposuit? Audito, quod in Synodo Episcopus; tacitus sibimet: nec ego te jam, nisi ejus permissu, amplecti habeo, ait.

Laudes a Clericis tandem, qui plures ad diem convenerant, inchoantur, a plebe persolvuntur. Missas pro vivo, non pro defuncto *marito, uti antea*, celebrant.

In proximo *fit Synodus*. Repetit uxorem, quam Deo ille subarrhaverat, ab Episcopo Vodalricus. Velum manu Episcopi ablatum, in scriniis Ecclesiæ *Synodi* decreto servandum locatur, ut si vir ejus prior obierit, vidua illud reinducat. Nuptiæ tandem aguntur.

Eckkehartus junior de casibus Monasterii S. Galli. Cap. X. p. 40. 41. *Editus a Goldasto Tom. I. Alamannicarum rerum. anno* 1601. *Francofurti in Folio.*

(*a*) Vodalricus Comes anno 913. auxiliante nepote ejus Arnolpho, optimo Duce Bajoariorum, totum exercitum Agarenorum, Alamanniam intrantium, cæcidit juxta Ine fluvium. *Hepidannus in Annalibus.*

(*b*) Salomon III. Episcopus Constantiensis fuit ab 892. ad anni 919. vigiliam Epiphaniæ, qua obiit. *Ita Hepidannus*

SYNODUS LEODIENSIS
Anno Christi CMXX. Joannis X. Papæ VII. Henrici Regis I.
SUB STEPHANO EPISCOPO LEODIENSI.

S. Gerardus Abbas, postquam in Broniense Monasterium, a se instauratum, S. Eugenii Episcopi, & Martyris reliquias circa annum 928.

928. (a) ſolemni pompa intuliſſet, earundem cultum Stephanus Leodienſium Epiſcopus, quem prius approbaverat, idem mox, quorundam Clericorum prava ſuggeſtione, penitus abrogare ſtatuit. Sed diris ventris torminibus ad necem uſque cruciatus, S. Eugenium invocavit, & liberatus, in Synodo ſolemnitatem annuam die S. Eugenii mortuali decrevit.

Anonymus X. aut XI. Sæculi, Auctor vitæ S. Gerardi Abbatis Bronienſis, edit. a J. Mabillonio in act. SS. Ord. Bened. Sæcul. V.

Stephanus, Epiſcopus Tungrorum, ventris torminibus cruciatus, ad tumbam S. Eugenii Epiſcopi & Martyris, Broniæ requieſcentis, per unum ex Capellanis ſuis *candelas binas, juxta longitudinem, latitudinemque corporis ſui*, ocyus Bronium [*b*] transmiſit pro recuperatione ſanitatis. Qua in inſtanti percepta, neutiquam ingratus, gratum ille decrevit rependere munus, quod quidem memoriale ſuum cunctis repræſentaret diebus: evocans etenim æditUum Bronienſis Eccleſiæ, ſi bene recolimus, Anſelmum nomine, cum martyris paſſione Leodii coram ſe commendat adeſſe, ut in generali Synodo, quæ futura erat, proxima ſeſſione corroboraretur Epiſcopali authoritate. Quod cum ille gratanti animo compleſſet, & in plenaria Synodo paſſionis ſeries recitata fuiſſet, cunctisque, qui aderant, complacuiſſet; communi conſilio totius cleri decernitur; ut & Martyr digna cum veneratione colatur, & ejus paſſio rata, acceptabilisque in Eccleſia deinceps recitetur. Et proloquens Epiſcopus, tanquam teſtis idoneus, quæ ſibi obtigerant, immo quæ fuerat paſſus, propalare non erubuit omnibus. Subjungens quoque: Ecce, inquit, Fratres cariſſimi, audivit dilectio fraternitatis veſtræ, quanti, qualisque ſit meriti ſanctus ille, & quam ſit terribile, iram ejus incurrere, quamque ſaluberrimum, & optabile, gratiam ejus acquirere. Et quoniam prono verbere caſtigans caſtigavit me, morti tamen gratia ſua non tradidit me; condecens certe videtur, & honorabile, ut cum aſſenſu veſtro, & ſtipulatione honoremus eum aliquanto munere, quatenus apud Clementiam pietatis Divinæ pro noſtris exceſſibus dignetur intercedere.

Cujus ſententiam omnibus unanimiter approbantibus, hæc conſequenter Dominus proſequitur Epiſcopus: Decreto, inquiens, Pontificali confirmatur, & hæc ſancta Synodus adjudicans fieri adſtipulatur, ut per totam, in qua quieſcit, Decaniam ſolemnitas ejus, ac ſi Dominica, obſervetur, & Eccleſia Bronienſis ab omni obſonio, Epiſcopis Leodienſibus debito, ulterius immunis habeatur. Et ut omni tempore ratum, inconvulſumque permaneat, ſucceſſorumque meorum nullus infringere, vel infirmare audeat; quid acciderit mihi, contra eum ignoranter calcitranti, requirens audiat, audiens pertimeſcat, pertimeſcens præcaveat, præcavens hoc illibatum cuſtodiat. Talis ergo decreti prima procuratio, conſervandi jure perpetuo commiſſa perhibetur fratri Flodino (*c*) tunc temporis inde Decano.

Ægidius aureæ vallis Cap. 40. *apud Chapeauville Tom. I. Scriptorum Leodii.*

Mabillon. Annal. Benedictinor, Tom. III. pag. 396.

EPIS-

(*a*) Stephanus, Tungrorum Epiſcopus, juxta *Ægidium aureæ vallis Monachum*, ſedit in Cathedra Tungrenſi, nunc Leodienſi, ab anno 903. ad 920. XIV. Kal. Junias; ſed juxta *Foullonium* ſedit in hac Cathedra ab anno 903. ad 917. Cui Fullonio hæc ſanario, & Synodus fabulam redolere videtur. Hoc veroſimilius, a Mabillonio non recte aſſignatum fuiſſe annum 928. pro ſolemnizatione S. Eugenii Epiſc. & Martyris, a Stephano Epiſcopo inſtituta, cum ante eum annum Stephanus Epiſc. dudum obierit.

(*b*) Bronium, Abbatia erat Diœceſis Leodienſis, inter Sabim & Moſam, pari duarum horarum intervallo ſita, quæ poſt erectum a Paulo IV. Epiſcopatum Namurcenſem, menſæ Epiſcopi incorporata fuit anno 1559.

(*c*) *alias:* Elodino.

EPISTOLA CAROLI III. (a) REGIS.

AD EPISCOPOS REGNI SUI.

Adversus Hilduinum, Ecclesiæ Tungrensis (b) *pervasorem, cujus loco Richarium* (c) *ordinari jubet.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus, vir illustris Divina propitiante clementia Rex Francorum, omnibus Archiepiscopis & Episcopis in regno, nobis a Deo commisso, constitutis, pax & salus ab eodem Deo æterno.

Quia Divinæ propitiationis beneficia, quæ ab ipso ab ipsis crepundiis experti sumus, nullatenus enumerare possumus: *Idcirco laudem Domini loquetur os meum, & benedicet nomen sanctum ejus in sæculum sæculi.* Unde quia pluribus nostris exigentibus meritis multotiens adversa quæque sustinuimus, credimus, non hoc ad nostræ damnationis meritum, sed ad gratiam suæ reconciliationis nobis fore permissum: ut flagellis ejus eruditi, discamus perversa cavere, & in cunctis ejus voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum est, cum olim quidam nostri fideles, a nostra debita fidelitate exorbitantes, vitam & regnum nobis auferre moliti sunt, euntes post inimicos nostros, eisque familiariter inhærentes, res & Episcopia nostri regni ab ipsis dari sibi concupierunt.

CAPUT I.

Ut ergo de multis taceamus, unum, qui nobis nostris visceribus serpentinum virus infudit, vestræ sanctitati propalavimus; Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens potestatem, contra quoque Apostoli dicta, ubi dicitur: *Deum timete, Regem honorificate.* Et: *Non est potestas nisi a Deo.* Et: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: non est enim potestas, nisi a Deo.* Et adversus citharœdi David dicta, ubi ad Dominum loquitur: *Imposuisti homines super capita nostra.* Quique ultra Rhenum ad inimicos nostros proficiscens, minimeque reminiscens Sacramentorum suorum, nobis promissorum, eaque retro dorsum abjiciens, ab Henrico, inimico nostro, Episcopium Tungrensis Ecclesiæ expetiit: suaque damnatione contra omnia statuta, tam sacrorum Patrum, quam Regum videlicet Antecessorum nostrorum, usurpavit. De qualibus in libro Regum capitulari ita dicitur: Si quis præsumpserit, quam non meruit a Principe, vel Seniore justo, dignitatem, sacrilegus habeatur. Et Beatus Gregorius: Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel qui importunus se ingerit, procul dubio est repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illa in maledictum convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur?

II.

Cum quidam pestiferi viri, ut supra memoravimus, a nostra fidelitate deviarent, *convocavimus* (d) *Archi-Episcopos Præ-*

(a) Caroli Simplicis, Regis Franciæ Occidentalis, & post mortem Ludovici III. Germanici, anno 912. defuncti, Regis Lotharingiæ, sed varia fortuna.

(b) Hilduinus, Clericus Ecclesiæ Tungrensis, post mortem Stephani Tungrensis, anno 920. teste Flodoardo, defuncti, electus fuit ab una parte Cleri & populi Episcopus Tungrensis, hic Carolo Simplici suspectus erat.

(c) Richarius, aut Richardus, frater Comitum Gerardi & Matfridi, deposito Reginone anno 899. constituitur Abbas Prumiensis, & post mortem Stephani Tungrensis, ab altera parte Cleri & populi Tungrensis eligitur Antistes. *Calmet. Histor. Ecclesiast. & Civilis Lotharingiæ Tomo I. Lib. XVII. pag.* 851. Huic favebat Carolus Simplex, & Henricus Auceps Hilduino.

(d) En Synodum XVI. Episcoporum Regni Lotharingiæ & Franciæ Occidentalis.

Præsules XVI. nostri Regni. Nonnullos etiam Proceres, Marchiones, & Comites, Optimatesque, ut eorum consilio, auctoritate, atque virtute tantæ vesaniæ resisteremus. Inventum est, ut nova gibborum genera novis medicationibus secarentur ac sanarentur, pellentes eos Episcopali auctoritate, sacrorumque canonum constitutione, a cœtu & consortio Christianorum. Quorum præsumptioni ac nefandæ tyrannidi Hilduinus se immiscens, datis Henrico, suisque Proceribus complurimis auri argentique ponderibus, non solum cum eis scienter participavit; sed etiam ex thesauris Ecclesiæ Tungrensis, quos instinctu diabolico rapuerat, vel furatus fuerat, quibusdam minis ac terroribus egit; ut Herimannus, Agrippinæ civitatis Archi-Episcopus, per violentiam Henrici, suorumque fidelium, illum in Pontificem consecraret. Nam si non fecisset, sicut ipse venerabilis Archi-Episcopus nobis postea in præsentia plurimorum retulit, sibi vitam, resque Ecclesiasticas auferret, omnemque familiam trucidaret, ac illorum bona diriperet. Ideoque absque legitimorum Antecessorum auctoritate eum consecravit, ut ipse adhuc testatur, sed tantis terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Unde in Nicæno Concilio ita ad locum invenitur: *Si quis ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam ipse privetur communione*, tamquam qui regulas confundit. Quæ longe lateque in diversis Conciliis & Capitularibus Regum de excommunicatis inveniuntur.

III.

Idem etiam Hilduinus res nostri regni ex præfato Episcopio invasit, diripuit, & pro libitu abduxit, agens contra statuta Anacleti Papæ, ubi dicitur: Sanctus Anacletus, qui ab ipso Petro Apostolo ordinatus est Presbyter, postea in sede Roma Successor illius factus Episcopus, cum totius mundi Sacerdotibus judicavit: *Qui abstulerit*, inquit, *patri, vel matri aliquid, homicidii particeps est.* Pater noster sine dubio Deus est: mater vero nostra Ecclesia est, quæ nos in Baptismo regeneravit. Ergo qui pecunias Christi & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat; homicida est, atque homicida in conspectu justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit; sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est.

IV.

Præfatus denique Hilduinus thesauros Ecclesiæ Tungrensis, & Aquisgrani palatii, juxta beati Lamberti corpus martyris in quadam arca positos, avida cupiditate rapuit, eosque inimicis nostris, suis videlicet fautoribus, contulit, & Ecclesiæ abstulit. De quo, quibusque hujuscemodi, sacri canones ita decernunt: *Si quis inventus fuerit aliquid de ministeriis Ecclesiæ vendidisse vel abstulisse; qui sacrilegium commisit, placuit eum in ordine Ecclesiastico non haberi.* Unde beatus Augustinus XLVIII. Evangelii homilia Joannis dicit: Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas: & ne contemnas, fur hic sacrilegus est, non qualiumcunque fur loculorum, sed Dominicorum loculorum, sed sacrorum. Et post pauca: Quicumque aliquid de Ecclesia aufert, vel fraudat, Judæ proditori comparatur.

V.

Hos Ecclesiæ Thesauros Episcopis, & Comitibus, & fautoribus, pro sua ordinatione dedit, non præ oculis habens statuta Africani Concilii, quibus præcipitur, *ut nullus per pecunias ordinetur*, ita inquiens: *Si quis Episcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, modis omnibus abscidatur, sicut Simon Magus abscissus est a Petro.* Item in Concilio Chalcedonensi: *Si quis Episcopus, Presbyter* (e) *aut Diaconus sub pretio Spiritus Sancti gratiam obtinere voluerit; proprii gradus periculo subjacebit, & nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed anathematizetur.*

VI.

Jam dictus Hilduinus ad cumulum suæ damnationis, ante venerabilis Herimanni præsentiam veniens, super sacra nefanda juravit, quod ego Carolus Episcopium Tungrense dederim, & quosdam ex Clericis & laicis jurare compulit. Quod, quam sit absurdum, quam-

(e) Tomo I. nostro pag. 176.

quamque vitandum, ſparſim ſanctarum ſcripturarum teſtimonia approbant.

VII.

Memoratus præterea Hilduinus per Domnum Herimannum Epiſcopum, *tertio vocatus ad Synodum,* (f) ut contra hæc, quæ ſibi objiciuntur, reſponderet, ſi juſtam cauſam haberet; aut, ſi non poſſet, canonum feriretur ſpiculis. Qui quoniam quidem venire diſtulit, incidit ſententiam Bonifacii Papæ, ita dicentis: *Probat vera eſſe illa, quæ adverſus ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult.* Et ne dubitet, quod ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur, qui eſt innocens, quærit. Et poſt pauca: Confitetur enim de omnibus, quisquis ſubterfugere judicium poſſe dilationibus putat. Item ipſe: Si adeſſe voluerit, præſens, confidit, ad objecta reſpondeat. Quod ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur.

VIII.

Omnes tam Clerici, quam laici ſupradicti Eccleſiæ, noſtram adeuntes ſublimitatem, luctuoſis vocibus innotuerunt, quod jam ſæpe memoratus Hilduinus cum ſuis prædonibus bona illorum diripuit, omnemque illorum facultatem, & ſupellectilem abſtulit: nihilque illis remanſit, unde ſaltem ſibi victus ſufficientiam adhiberent. Addentes etiam in precibus, ut *veſtro Concilio* citius ageretur, ne amplius prædæ & direptioni paterent: ſed illis ad ordinandum daremus Pontificem RICHERUM, quem concorditer elegerunt. De quibus videlicet omnibus, hic capitulatim inſertis, veſtrum precamur Pontificium, ut propter Deum, & debitam, quam nobis polliciti eſtis, fidelitatem, pro viribus exinde adjuvetis, ut noſter honor in hujuſmodi negotiis amplius non decreſcat, & ſtatus Sanctæ Dei Eccleſiæ ſtabiliatur.

Harduinus Tomo VI. pag. 551.

Lunig Spicilegii Eccleſiaſtici Parte II. pag. 486.

[*f*] En mentionem Synodi *ſecundæ*, forte Agrippinenſis, in qua Hermannus Metropolita Colonienſis citavit Hilduinum, ad ſe purgandum de tot objectis criminibus.

Richarius fuit Epiſc. Tungrenſis XL. Abbas Prumienſis VIII. Abbas Stabulenſis XXVI. Monaſterium Prumienſe rexit annis 46, Stabulenſe annis 47, Eccleſiam Tungrenſem annis 24. Obiit anno Chriſti 945, ſepultus Leodii in Eccleſia S. Petri, a ſe ædificata. *Chartularium Prumienſe.*

Calmetus addit, eundem Richarium fuiſſe Abbatem Laubienſem Ord. S. Benedicti, quæ Abbatia eo tempore dependebat ab Eccleſia Tungrenſi, quam nunc Leodienſem vocamus.

EPISTOLA HERIMANNI
ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS,
AD RICHARIUM ABBATEM.

Mittit ei litteras Joannis Papæ, quibus Romam una venire jubebantur.

Magnifice venerando, omnique dilectionis affectu veraciter colendo Richero Abbati, Hermannus ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ ſervorum Chriſti famulus, præſens & permanens vale in Chriſto.

Sanctimoniam veſtram, ut ſæpe ſolemus, etiam nunc denuo poſtulamus, quo noſtræ ſenectutis imbecillitati, inpræſentiarum incumbenti, pia intentione memores, orationum veſtrarum remedia, quibus plus omnibus indigemus, impendere non dedignemini: nihilo minus ambigentes, quin id ipſum pro virium ſufficientia pro beatitudine veſtra die noctuque agere minime ceſſemus. Cæterum

rum intimetur almæ reverentiæ veſtræ, his nos diebus Epiſtolam ex Domino Papa Joanne transmiſſam accepiſſe: quæ quid contineat, ſine permutatione litteræ, vel ſyllabæ, in hoc exemplari liquido perſpicere licebit.



EPISTOLA
JOANNIS PAPÆ X. (a)
AD HERIMANNUM, (b) ARCHI-EPISCOPUM COLONIENSEM.

SUMMA EPISTOLÆ. Jubet, ut Romam veniat una cum Hilduino, & Richario, qui de Tungrenſi Epiſcopatu contendebant.

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO CONFRATRI NOSTRO HERIMANNO, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO.

CUm ſimus Dominicæ plebis ſuperna miſeratione rectores, ſtudioſius nos convenit Dei præſidium pro ſubditorum ſæpe cogitare ſalute; ne fruſtratis, quod abſit, animabus antiqui hoſtis inſidiis, ante omnium paſtorem diſtrictam cogamur ſolvere rationem: quia ideo fidelis ſervus & prudens Domini ſuper familia conſtitutus eſſe dignoſcitur, ut congruo tempore det illis fructum. Congruo tempore Sacerdotes propoſiti Deo fructum dant, cum pro ſalute omnium ſibi ſubditorum, quod opportunum eſt, offerunt. Et quia veſtra fraternitas ſententiam Apoſtoli reprobavit operando: Qui monet *nullo alicui leviter manus* (c) *imponere*, cum Hilduinum canonicis ſibi obviantibus regulis, abſque Clericorum electione (d) & laicorum acclamatione, Gisleberti metu, Epiſcopali infula decorare non denegaſtis: cum priſca conſuetudo vigeat, qualiter nullus alicui Clerico Epiſcopatum conferre debeat, niſi Rex, cui divinitus ſceptra collata ſunt. Quo vero ordine Gislebertus hoc, quod illi conceſſum non eſt, agere non metuit, ut arbitror, quia illicite præſumpſit, rationabiliter imbecille permanebit. Tamen quia Richerus, ut Caroli Regis teſtimonium perhibet, atque noſtri dilecti filii Berengarii glorioſiſſimi Imperatoris litteræ teſtantur, primitus a Clero electus, & a populo expetitus eſt: cur donum ſancti Spiritus, quaſi temporale commodum, cui non licuit, imponere non diſtuliſti, omnino miramur, cum ſcriptum ſit: *Intelligens* (e) *gubernacula poſſidebit.* In veteri etiam teſtamento (f) Divina lege ſancitum eſt, ut Sacerdotes de ſacrificio Domini pectusculum ſumant. Non equidem ob aliud, niſi ut ſacrificio diſcant, quid de ſemetipſis ipſi ſuo conditori debeant immolare. Et cum nosmetipſos Deo offerre ſedulo debeamus, cur alios errantes ſequi non contemnimus? cum ſcriptum ſit: *Si ſeparaveris* (g) *pretioſum a vili, quaſi os meum eris.* Igitur quia magis hominis, quam Dei formidine metuiſtis, quod inutiliter geſtum eſt, noſtra imbuti admonitione, ut citius emendare delectemini, omnino monemus. Valde namque admirari non diſtulimus, cur contra rationem abſque Regis juſſione agere pertentaſtis: cum vobis remi-

(a) Joannes Papa X. poſt annum 912. electus, obiit anno 928.
[b] Hermannus Archiep. Coloniæ, ſedit ab 890. ad 925.
(c) I. Timoth. V, 32.
[d] Frodoardus coævus, & conterraneus Presbyter in *Chronico* ſic ſcribit: Hermannus Archiep. Hilduinum Tungris Epiſcopum eligente Clero ac populo, favente nec non Gisleberto, quem plurimi Lotharienſes Principem relicto Carolo Rege delegerant, ordinavit. *Ex editione Pithoei Francofurti* 1594. *inter Annal. Francor. Scriptores.*
(e) Proverbior. I. (f) Levitici 7. (g) Jerem. 15.

reminiſcentibus hoc nullo modo eſſe debeat, ut abſque regali præceptione in qualibet parochia Epiſcopus ſit conſecratus. Tamen mediante Octobrio ad limina Apoſtolorum cum Hilduino & Richero venire ſatagite, ut ante præſentiam noſtri, noſtrorumque Epiſcoporum, coadunati, quid ex hoc canonica jubeat auctoritas, explicare non denegetur. Et ſi forſitan pro paganorum metu tunc venire non valetis, in Kalendis Aprilis, omni occaſione poſtpoſita, ad nos quantocius, ſicut ſuperius ſtatutum eſt, pervenite. Et tunc omni errore radicitus extirpato, qui dignus inventus fuerit, per oſtium ingrediatur in ovile ovium, & non aliunde, ut fur æſtimetur. Quia nos Caroli Regis decus nullo modo auferre volumus, ſed pro vigore atque dilectione, vel conſanguinitate noſtri dilecti filii Berengarii glorioſiſſimi Imperatoris, ut prior anteceſſorum ſuorum Regum mos fuit, eum ita illibatam, & inconcuſſam dominationem obtinere delectamur: & ſicut priores ſuos (*b*) anteceſſores, noſtrorum anteceſſorum auctoritate, Epiſcopum per unamquamque parochiam ordinare probabiliter ſtatutum eſt, ita ut Carolus Rex faciat, confirmando jubemus. Tamen uſque ad illud temporis, ſicut ſuperius ſtatutum eſt, (*i*) Leogis Epiſcopatus in veſtra maneat poteſtate: ita ut Hilduinus illic aliquod ſacerdotale miniſterium nullo modo audeat exhibere.

Pergit Herimannus.

His Apoſtolicis Romam vocati præceptis, ejuſdem Domini Papæ, ſanctorumque canonum auctoritate, eo vos præſcripto inevitabiliter invitamus tempore. Valere veſtram optamus Almitatem, ſemper memores veſtri memoris.

Harduinus Tomo VI. Concilior. p. 153. *& ſeqq.*

(*b*) Carolingi ſanguinis Reges, quorum ultimus erat hic Carolus III. ſimplex dictus, conceſſa ab Apoſtolica Sede auctoritate, poteſtatem habuiſſe, Epiſcopos nominandi ad ſedes vacantes, ſecundo jam hac Epiſtola Papa docet. Hilduinum ab una parte Cleri, & populi electum, primo nominaverat Carolus: verum, cum is a factione Caroli ad Giſlebertum, imo ad Henricum aucupem Germaniæ Regem deſciviſſet; Richarium ab altera parte Cleri, & populi Tungrenſis electum nominavit: & literis ad Papam & Berengarium ſcriptis, impetravit, cauſam Romæ diſcuti, ubi a Pontifice Richarius confirmatus fuit rejecto Hilduino, & manu Pontificis ejuſdem conſecratus eſt.

(*i*) *forte* Leodii, *vel* Leodienſis Epiſcopatus.

CONVENTUS BONNÆ.

Anno Chriſti CMXXI. Joannis X. Papæ VIII. Henrici Regis III.

SUMMA ACTORUM. *Carolus Simplex, Franciæ Occidentalis Rex, mox ſub initium Regni Henrici, dicti Aucupis, Lotharingiam irruperat, & obſeſſa Wormatia hoc ſibi Regnum tentaverat vendicare: quando ab Henrico clade affectus, Lotharingia pulſus, in deteriora redigendus videbatur. Sed mox de pace egit in congreſſu Bonnenſi. Ubi Epiſcopi, & Optimates ex utraque parte, ut* ARBITRI, *& ſponſores, pacem inter utrumque Regem conſtituerunt, cujus acta refert* Schatenus, Annal. Paderborn. Lib. III. ad hunc annum.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Divina propitiante Clementia, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXI, anno vero regni Domini Caroli

roli, Gloriosissimi Regis Francorum Occidentalium XXIX. redintegrante XXIV. Largiore vero hæreditate indepta X. Indict. IX. anno quoque Regni Domini, & magnificentissimi Regis Francorum Orientalium Henrici, tertio, inter ipsos præfatos Principes unanimitatis pactum, ac societatis amicitia quæsita, repertaque, exordia sumpsit, prout visa sunt competentia. Convenerunt enim ambo illustres Reges, sicut inter se discurrentibus legatis convenerant, secundo Non. Novemb. feria prima. Domnus enim Carolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, & strenuus Henricus ex altera parte Rheni, & ea tantum die mutuis se visibus intuentes, super ripas ejusdem fluminis huc, & ultra, ut sui fierent innoxii, Sacramento, quo hanc eorum conventionem fuerant polliciti. Verum feria quarta, VII. id. Novemb. in medio Rheni fluminis sæpius dicti Principes in navibus quisque suis, in tertiam ascenderunt, quæ anchorata in fluminis medio, gratia eorum colloquii fixa erat. Ibique in primo hanc sibi vicissim convenientiam ob statum pacis juramento sanxerunt ita: " Ego Carolus, Divina propitiante Clementia, Rex Francorum Occidentalium, amodo ero huic amico meo, Regi Orientali Henrico amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico, secundum meum scire, ac posse: ea vero ratione, si ipse mihi juraverit ipsum, eundemque Sacramentum, & attenderet, quæ promiserit. Sic me Deus adjuvet, & istæ sanctæ Reliquiæ.

Econtra Rex Heinricus eandem promissionem Sacramento, & iisdem prosecutus est verbis subsequenter, ut hujus amicitiæ firmitas inviolabiliter observaretur.

Hæc sunt nomina Episcoporum, qui cum nobilibus, ac fidelibus laicis firmitatem, quam præmemorati Reges inter se fecerunt, collaudando acceptaverunt, & manibus suis Sacramentum firmaverunt, nunquam a se destruendam.

Herimannus Archi-Episcopus Agrippinæ, quæ modo est Colonia vocitata.

Rodgerus Archi-Episcopus Trevirorum.

Stephanus Præsul Cameracorum.

Bovo Episcopus Catalaunensium.

Baldricus Trajectensium Episcopus.

Hæc nomina Comitum.

Matfredus, Erkengerus, Hagano, Boso, Waltkerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus.

Episcopi ex parte Regis Inclyti HEINRICI.

Herigerus Archi-Episcopus Moguntiacorum.

Nithardus Episcopus Mimmogerneferde.

Dodo Episcopus Osnabroggæ.

Ricavudo Episcopus Vangionum, quæ nunc dicitur Wormatia.

Honvardus (b) Episc. Paderbornensis.

Hotingus Episcopus Constantiæ Alemannicæ.

Hæc sunt nomina Comitum.

Eurardus, Chonradus, Herimannus, Halo, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Faldac.

[b] *alias:* Hunwanus.

SYNO-

SYNODUS APUD CONFLUENTIAM.

Anno Christi CMXXII. (a) Joannis X. Papæ IX. Caroli Simplicis Lotharingiæ Regis XI. Henrici Aucupis Germaniæ Reg. IV.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCCXXII. apud Confluentiam jussu venerabilium Principum, Caroli videlicet, & Henrici Regum Reverentissimorum, congregati sunt Episcopi numero VIII. Herimannus Agrippinensis Archi-Episcopus, Herigerus Moguntinensis Archi-Episcopus, Thiedo Wirceburgensis Episcopus, Luitharius Mindanensis Episcopus, Doto Osnebrugensis Episcopus, Richgowno Wormaciensis Episcopus, Richwinus Strazburgensis Episcopus, Vnwano Padebrunensis Episcopus, cum Abbatibus, aliisque sacri ordinis viris quam plurimis.

De incestuosis, qui admonitiones Sacerdotum contemnunt.

CAPUT I.

Qui ipso cooperante, & sententias eorum confirmante Domino nostro Jesu Christo, in Synodali residentes conventu, multa utilia, & sanctæ Dei Ecclesiæ profutura, saluberrimo tractantes consilio, inter cætera, quæ statuerunt, hoc maxime necessarium, & instanti (pro dolor) tempore per abusionem frequentissimum cognationis incestum summa cautela vitandum firmaverunt. Hoc est: ne ullus Christianus infra sextam generationem nuptias copulare præsumat. *Burchardus L. VII. Cap. XXX.*

CAP. II. III. IV. non supersunt.

V.

De laicis, qui proprias Ecclesias habent.

Si laici capellas proprias habuerint, a ratione & auctoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant; & inde canes, aut geneciarias (b) suas pascant: sed potius Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitium ac pauperum receptionem exhibeant, & pro sancta Ecclesia, ac pro statu regni, Dei misericordiam studiose implorent. *Burchardus Lib. III. c. 239. sed tribuit Concilio Remensi: Harduinus huic Confluentino.*

VI.

De Ecclesiis Monachorum.

Hoc quoque statutum est, quatenus Ecclesiæ quorumcumque Monachorum in singulis parochiis sitæ, Episcoporum, ut decet, divinitus subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis Ecclesiasticæ curæ negotiis solicite exhibeant. Ipsi procul dubio monachi Episcopis suis in omnibus obediant. *Burchardus L. IX. cap. 240.*

VII.

De eo, qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit, qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit: responsumque est ab omnibus, homicidii reatum, ipsum hominem sibi contrahere. *Burchardus L. VI. cap. 40.*

VIII.

(a) Ivo retulerat hanc Synodum ad annum 912. & ex eo Binius: at Browerus recte vidit, tunc Henricum nondum Germaniæ Regem fuisse; hinc refert ad annum 922. ad quem & Burchardus retulerat.

Observat Calmetus, nullum Lotharingiæ, aut ex Caroli Simplicis Regno, hic nominari Episcopum, nequidem ipsum Rudgerum Trevirensem Archi-Episcopum, intra cujus Diœcesin Synodus agebatur.

(b) *Gynæciarias*, legit Antonius Augustinus in collect. Decret. Lib. III. tit. 33. Significat mulierum, alias concubinarum, vel scortorum domos.

VIII.

De illis, qui dum suæ proprietatis loca alicubi dare voluerint, decimam nusquam tradere se posse cognoscant.

Si quis vero laicus, vel Clericus, seu utriusque sexus persona, proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum priori Ecclesiæ legitime signatum, inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus ducatur, & ipse ad emendationem Ecclesiastica coerceatur censura. *Burchardus L. III. caap.* 141.

ALIUD CAPITULUM.

Ex Concilio apud Confluentiam, cui interfuere Henricus & Karolus.

EMunitas sexcentis solidis solvitur, & IX. capitibus. Sacrilegium IX. novigeldis componendum est. Aut si quis negare voluerit, in XXIV. totis nominatis atque electis viris super altare juret: aut aliis non nominatis, tamen ingenuis, LXXII. super altare juret.

Hoc Caput ex codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ Numero 4227. *descripsit Schannatus.*

SYNODUS PROVINCIALIS TREVERENSIS.

Anno Christi CMXXVII. Joannis X. Papæ XIV. Henrici I. Aucupis, Germaniæ ac Lotharingiæ Regis IX.

POst hæc Ruotgerus, Trevirorum Archiepiscopus, Concilium Treviris cum universo Clero, & Suffraganeis, Adelberone (a) Metensi, Barnoinio Virdunensi, & Drogone Leucorum habuit. In eo cum variis decretis atque legibus soluta Cleri disciplina arctius devincta, tum ab ipso Ruotgero factus Ecclesiasticarum sanctionum liber, & summo omnium, qui convenerant assensu probatus, & ab Clero receptus est.

Browerus Annal. Treverensium L. IX. ad annum 927.

(a) Calmetus Tomo I. L. XVII. *Historiæ Ecclesiasticæ & Civilis Lotharingiæ*, censet Browerum erraffe in nominibus Episcoporum, Adalberonis Metensis, & Drogonis Tullensis: neutrum enim anno 927. fuisse in iis civitatibus Episcopum, sed Metensem fuisse Bennonem, vel Wigericum: Tullensem autem Gauzelinum. *Pag.* 850. *Tomi I. laudati.*

SYNODUS DUISBURGI.

Anno Christi CMXXIX. Stephani VII. Papæ I. Henrici Aucupis Regis Germ. XI.

SUMMA. Bennonis, Metensis Episcopi, oculis & virilibus multati violatores excommunicantur.

BEnno, qui & Benedictus, in locum Wigerici Medeomatricum Episcopi, vir ornatus absolutæ virtutis laude suffectus est.

Is

Is Rudulphi, Burgundiæ Regis consanguineus, ex Argentoratensi Canonico, solitudinis & vitæ purioris studio, annis viginti Turgouviæ, Helvetico solo, in Alpibus iis olim Eremitam professus erat, ubi Sancti Meginradi studio Deiparæ Matris Augustum oratorium surrexit, quod inde in Basilicam & Monasterium evasit amplissimi nominis, cui ab Eremitis dedere nomen Einsidelen; quem locum ut vivus opibus ipse maximis ornavit, ita moriens ab ingratis ovibus pastor repulsam passus, sepulchri sui monumento consecravit. Quippe biennio in Episcopatu, quem Henricus Cæsar ei conciliasse videtur, non expleto, impie atque crudeliter a Metensibus, Burgundicæ, an Germanicæ factionis impetu? luminibus orbatus est. Id recentiores pertulisse volunt, ab iis, qui Metis nobilitate ac opibus cæteris anteibant, quia sanctius & severius Benno viveret, & fortius palam, privatimque eorum scelera redargueret, quam dissoluti eorum mores & vitæ licentia sustinere possent. Quare etiam eodem hoc anno DCCCCXXVII. Synodus Duisburgi congregata, legibus severissime in ejus sceleris autores vindicavit, omnesque piaculo destinatos, & Cæsaris tribunali, iræque mox dedendos, hominum piorum consuetudine movit; Adelberonem etiam, nobilissimum virum, & eximia eruditione præstantem, Metensibus Episcopum dedit.

Browerus Annal. Treverens. Lib. IX. ad hunc annum.

Mabillon conjicit, Bennonem Metensibus ideo ingratum fuisse, quod contra eorum electionem invitis ab Henrico Rege impositus fuerit. *Annal. Benedictinorum Tom. III. pag.* 396. sed ad annum Christi 928. Continuator Reginonis ad annum 944. Calmetus anno 927. Wigerico suffectum Bennonem scribit: & circa 929. Adalberonem successisse Bennoni a sceleratis Metensibus evirato, & luminibus orbato. Deinde post hanc ignominiam patienter toleratam abdicasse se Episcopatu Metensi in Synodo Episcoporum; & ad solitudinem rediit in Helvetiam, ubi ei pro alimentis data fuit Abbatia forte Einsidlensis, in qua obiit anno 940. 3. Augusti. *Hæc Calmetus ex Flodoardo, & Catalogis MSS., & impressis Episcop. Metensium. Tomo I. Historiæ Ecclesiasticæ & Civilis L.* 17. *pag.* 858.

CONCILIUM ERPFORDIENSE.

Anno Christi CMXXXII. Joannis XI. Papæ II. Henrici Regis Germaniæ XIV.

ANNO ab Incarnatione Domini nostri JEsu Christi nongentesimo trigesimo secundo, Anno etiam Domini Henrici I. Regis Christianissimi decimo quarto, Indictione quinta, sub die Kalendarum Juniarum, congregata apud Erpesfurt sancta & universalis Synodus, ut Rex sapientissimus cum Concilio Primatum suorum decrevit, inspirante omnium Salvatoris clementia, pro utilitate & statu Sanctæ Matris Ecclesiæ. Cujus Regis solertiam prudentissimi viri Hildeberti Archi-Episcopi (*) gubernabat. Considentibus vero Religiosissimis Sacerdotibus, id est, R. (**) Sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Unni, Sanctæ Hamburgensis Ecclesiæ Episcopo, Adalguardo, Fardunensis Ecclesiæ Episcopo, Rino, Argentinæ civitatis Episcopo, Nodingo, Constantinæ Ecclesiæ Episcopo, Unovano, Padeburnensis Ecclesiæ Episcopo, Bernardo, Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopo, Othilrico, Augustodunensis Ecclesiæ Episcopo, Burchardo, Wirzeburgensis Ecclesiæ Episcopo, Duodone, Osnaburgensis Ecclesiæ Episcopo, Rumaldo, Mimigarnefurdensis Ecclesiæ Episcopo, Eburgiso, Mimidonensis Ecclesiæ Episcopo, nec non & Abbatibus, aliisque sacri ordinis viris. Porro cum eorum unanimitate, primum Deo favente, eorum Capitula infra notata, quam pro populi Christiani correctione collecta sunt.

CAPITULA.

I.

Ut deinceps Natalitia duorum Apostolo-

(*) *Supple:* consilium. (**) *Intellige:* Ruitgero.

ſtolorum ſumma veneratione ſolemniter celebrentur. Et in vigiliis antiquitus ſtatutis, atque hactenus ab Anteceſſoribus noſtris ſervatis, jejuniorum vota omni diligentia perſolvere decernimus: quia quos cœlitus ſublimioris meriti ſcimus, hos & amplioris dignitate honoris a nobis colendos eſſe non dubitamus.

II.

Placita ſæcularia Dominicis, vel aliis feſtis diebus, ſeu etiam in quibus legitima jejunia celebrantur, ſecundum canonicam inſtitutionem minime fieri volumus. Inſuper quoque Glorioſiſſimus Rex augmentum Chriſtianæ Religionis conceſſit, ut nulla judiciaria poteſtas licentiam habeat, Chriſtianos ſua auctoritate ad placitum bannire ſeptem diebus ante Natale Domini, & a Quinquageſima uſque ad octavas Paſchæ, & ſeptem diebus ante Nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ: quatenus adeundi Eccleſiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

III.

Præcipimus namque, ut nullus Chriſtianus, Eccleſiam pro reverentia petendo, ibique manendo, indeque revertendo, alicujus publicæ poteſtatis banno ibidem conſtringatur: ne forte dum ad Eccleſiam cauſa orationum properat, per bannum impediatur pro ſalute animæ devote inſiſtere.

IV.

Si quis Presbyter, aut Diaconus, negligens vitæ ſuæ, mala de ſe ſuſpicari permiſerit, & ejus infamia coram Epiſcopo canonice denotatur; admoneatur ab Epiſcopo ſemel, bis, ac tertio, ut vel prodendo reatum, culpabilem ſe eſſe cognoſcat, & ſic juſte correptionis ſententiam excipiat: aut adhibitis ſecum collegis, juramento ſe expurgando, innocentem ſe eſſe demonſtret.

V.

Ut nemo, niſi conſentiente proprio Epiſcopo, aut ejus Miſſo, ſub obtentu Religionis jejunium ſibi imponat, unum diem aliis excipiendo, omnimodo interdicimus. Quod & factum diſplicet, & in futurum fieri prohibemus: quia plus cauſa ariolandi eſſe cognoſcitur, quam ſupplementum Legis Catholicæ.

Severinus Binius Tomi III. Concilior. Part. II.

Ex quo reliqui Synodographi. *Chronicon Hildesheimenſe apud Ducheſne Tomo III. refert ad annum* 935. *Continuator Reginonis ad annum* 936.

Burchardus Lib. XIII. cap. 21. refert Caput ſecundum ex hoc Concilio: ſed Burchardus loco: *inſuper Chriſtianiſſimus Rex ad augmentum Chriſtianæ religionis conceſſit:* habet hæc verba: *inſuper etiam Sancta Synodus decrevit.* Rurſus Baronius *in Annalibus ad h. annum,* referens hoc Caput ſecundum, poſt hæc verba: *ſeptem diebus ante Natalem Domini,* omittit ſequentia apud Burchardum: *uſque in octavas Epiphaniæ.*

Burchardus Caput III. hujusmet Synodi habet Cap. XXVIII. libri ſui tertii, eodem ſtilo, quo Baronius.

Caput V. etiam Burchardus habet Cap. XXVII. libri ſui XIII. ſed clarius: nam *diem* omiſit Baronius in hoc commate: *Unum præ aliis excipiendo.* Burchardus recte: *Unum diem* præ *aliis* diebus *excipiendo.*

CONCILIUM RATISPONENSE.

Anno Chriſti CMXXXII. Joannis XI. Papæ II. Henrici Aucupis, Germ. Reg. XIV.

IN nomine æterni DEI, Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXII. indict. V. XIX. Kalend. Februarii, Regnante Arnolfo, venerabili Duce, anno X. congregata eſt Synodus generalis apud Radesponam, Metropolim Norici Regni civitatem; in qua primitus congregati ſunt venerabiles Domini Præſules Odulpertus, (al. Adalpertus, Hildebertus,) Juvavenſis Eccleſiæ Archi-Epiſco-

Episcopus, Vodalfredus Rubilocensis Ecclesiæ Episcopus, Wolframmus Frisigiensis Episcopus, Hizingrimus Radasponensis Sedis Antistes, Gehardus Pataviensis Ecclesiæ Episcopus; Suartzlot Chorepiscopus, Egilolf Abbas, cum reliqua non modica Sacerdotum coadunatione. Igitur ab omni populo crucibus decenter portatis, & sacris letaniis more solito celebratis, convenerunt omnes Episcopi cum copiosa sacri Ordinis frequentia in Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis, quæ mater Ecclesiarum Regiæ civitatis, juxta portam aquarum antiquitus excreverat, ibique juxta aram S. Petri Antistites, cetera Sancta Synodus in media consederunt Ecclesia.

Tum demum hi, quibus maxima cura est injuncta Pastoralis, semetipsos fraterno caritatis amore admonere curabant, ut, si aliquid in semetipsis dignum esset emendatione, haud segniter emoliare studerent. Deinde vera paterna sollicitudine omnem sanctam congregationem hortabantur, monebant, arguebant, & instruebant de omnibus rebus & justiciis, ad veram religionem Orthodoxæ & Catholicæ fidei pertinentibus, ut moribus bonis malas devincerent consuetudines, & inreprehensibiles se exhiberent, ad docendum populum, Christi sanguine redemptum.

Inter cetera vero cum totius Synodi consilio hoc decreverunt, ut quisquis illorum, id est, Episcoporum, de hac luce migraret, superstites Episcopi Missas XII. pro anima ipsius celebrare non tardarent. Similiter & Presbyteri: Ceteri vero Clerici & Sanctimoniales Psalteria IV. Episcopi vero tribuant de facultatibus suis pro anima defuncti Episcopi de sicera carradas III. de panibus modios VI. Frisk. VI. (*) Bachon. unum. (**)

Martene Tom. VII. pag. 53. ex MS. Stabulensi.

[*] Frischling, *porcellos anniculos.* [**] Bacher, *verrem, aut porcum saginatum.* P. Calles. Tom. IV. *Annal. Eccles. Germ.* pag. 181.

Synodum hanc cum sequente Dingolvingensi non confundendam esse, præter alia persuadet personarum, quæ utrisque interfuerunt, diversitas. Nam Ratisponensi adfuit ipse Vodalfredus Eistettensis, qui ad Dingolvingense Vicarios suo loco destinavit: inter hos legitur Gotbertus, qui non invenitur in Ratisbonensi. Iterum Dingolvingensi interfuit Nithardus Sabionensis Episcopus, non Ratisbonensi. *Vide Mansi T. I. Suppl. Concilior.*

SYNODUS DINGOLVINGÆ.

EODEM ANNO.

SUMMA. *Restitutio facta Ecclesiis ab Arnulpho Malo, Duce Bajoariæ: instauratio disciplinæ Ecclesiasticæ.*

ARnulphus, Bajoariæ Dux, redux ex Italia, Dingolvingæ ad Isaram *Concilio adfuit*, quod celebraverunt quinque Episcopi, Hildebertus Salisburgensis, Eisengrinnus Ratisbonensis, Gerardus (*a*) Passaviensis, Wolframnus Frisingensis, Nithardus Sabionensis: pro Udalfrido Eistettensi interfuere Sarcolochus & Gotbertus Chorepiscopi. In eo Conventu serio actum de instauranda Cleri disciplina, de restituendis Ecclesiarum possessionibus, quæ *Arnulphi* indulgentia ab aliis detinebantur, unde profectæ sunt querelæ, & Arnulpho (*b*) accrevit *Mali* cognomen. Eodem tempore redhibitæ Wolframo Episcopo Majæ & Caninæ; vici item & prædia prope Tirolios in Vennonum, Athesisque va[illegible]: successit sacrarum ædium instauratio, quas bellorum injuriæ labefactarunt. Ex

(*a*) Gerhardus Pataviensis Episcopus hic vocatur, quia nondum Pallium, quo Laureacensis Archi-Episcopus, acceperat, quod eidem Papa Leo VII. contulit, qui sedit ab anno 936. ad 939, intra quod triennium Pallium accepit. Literas Leonis VII. refert Hansizius Tomo I. *German. sacræ pag.* 191.

(*b*) Arnulphus, quem nonnulli *malum* vocant, videtur in hac Synodo meliora sapuisse, & repetundarum semetipsum damnasse, opera comprimis Bertholti fratris.

Ex actis, decretisque Synodi videre est, Arnulphum, si quam ante notam ex vetita sacri patrimonii contrectatione, apud Clerum contraxerat, eandem abunde expunxisse.

Adlzreiter Annal. Bojorum Part. I. Lib. XIII.

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Tomo I. Part. I. pag. 164.

BErchtoldus, Divina favente Clementia Dux, Rudperto & Merolto nostris fidelibus. Cognoscere vos volumus, quod dilectissimus frater noster Arnulphus una nobiscum, rogatu Wolframi venerabilis Episcopi, in Frisingen, prædicti Episcopi Parochiam, ubi S. Corbinianus requiescit, cum nostris fidelibus convenimus. Ibique invictissimus frater noster pro remedio animæ suæ, quasdam res ejusdem Ecclesiæ, quondam injuste abstractas, cum consilio suorum fidelium relaxavit. Nos vero vitæ nostræ felicitatem, omniumque nostrorum prosperitatem prospicientes, & consultu jam dicti fratris nostri, cæterorumque fidelium nostrorum precibus, præfati Episcopi, omnisque ejus familiæ petitionibus annuentes, (c) proprietatem beatissimi Christi Confessoris Corbiniani ad *Mayes*, & *Chortzes*, quam liber ejus illius esse testatur, & priscis temporibus injuste ab Ecclesia ejusdem Sancti ablatam esse constat, in requiem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, & antedicti Confessoris Christi Corbiniani, in manus præscripti Episcopi potestative remisimus.

Brunnerus ex vetustis membranis Ecclesiæ Frisingensis allegat hanc donationem, factam ex ordinatione Synodi præcedentis Dingolvinganæ.

Annal. Bojorum Part. II. Lib. II.

(c) Mayes, ubi *olim S. Corbinianus quievit*, urbs est ad Athesim sita in Tirolensi comitatu.

EPISTOLA CANONICA LEONIS PAPÆ VII. (a) AD GALLOS ET GERMANOS.

Multa, quæ ad disciplnam spectant, emendari jubet.

LEO Episcopus, Servus Servorum Dei, Regibus, Ducibus, Episcopis, Abbatibus, Comitibus: pari etiam modo Egilolpho Juvavensis, Isingrino Ratisponensis, Lantberto Frisingensis, Wisundo Sebonensis Ecclesiæ venerabilibus Episcopis, & cæteris per Galliam, Germaniam, Bawariam, Alemanniam commorantibus.

SI instituta Ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum: inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur. Hac de re fit scandalum populis, dum multa in vestra provincia contra canones Ecclesiasticos, decretaque majorum usurpare videntur: quæ quidem possent facile resecari, si Episcopi in his non viderentur auctores: qui sæcularibus intenti, humanum favorem captantes, religionem violant, ordinesque corrumpunt. Nos siquidem Divinis præceptis, & Apostolicis incitamur monitis, ut pro omnium Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu. Idcirco fraternitati vestræ cognitum facimus, quod Gerardus, sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, causa orationis ad limina veniens Apostolorum, nostram Apostolicam præsentiam visitare,

(a) Leo VII. PP. sedit in Cathedra Romana ab anno 936. ad annum 939. ergo eo tempore intermedio hæc Epistola dictata fuit, & missa Episcopis Germaniæ.

re, & benedictionis gratiam a nobis percipere ſolicite ſtuduit: multa, quæ reprehenſione digna ſunt, noſtris auribus, lacrymoſis vocibus intimavit: tota cordis intentione, a noſtra Apoſtolica auctoritate, de his, quæ contra canonum regulam, & decreta majorum in veſtris geruntur provinciis; quærens conſilium. Scitis enim, quod ab ipſo Domino beato Petro Principi Apoſtolorum, ejusque vicariis, omnium Eccleſiarum cura commiſſa eſt, veritatis voce dicente: *Tu es* (b) *Petrus*, & *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: cui etiam proprias oves commendavit, dicens; *Si diligis me* (c) *paſce oves meas.* Et idcirco pro univerſis Eccleſiis ſolicitudinem gerimus: & veluti in ſpecula poſiti, quid per totius orbis provincias geratur, vigilanti cura inſiſtimus. De quibus ergo Apoſtolicam Sedem conſuluit, & qualia nos ei reſponſa dedimus, per hos noſtros apices vobis intimare curamus. Ejus namque interrogatio ſeriatim talis erat.

De auguratoribus & incantatricibus, & maleficis vario modo mortificatis a populo, ſi aliqua pœnitentia debeat exigi. De talibus namque perſonis, quid veteris ac novi teſtamenti pagina cenſeat, manifeſtum eſt. In lege namque Moſaica ſcriptum eſt: *Maleficos* (d) *non patiaris vivere.* Similiter in Samuelis libro legitur, quia exterminavit Saul omnes Pythoniſſas de terra, & alia, quæ enumerare longum eſt. Sed nos etiam tales noſtris exhortationibus ad pœnitentiam trahere debemus: ut magis Eccleſiaſtico judicio pœnitendo vivant, quam gladio vindice puniantur: dicente beato Paulo Apoſtolo: *Non enim* (e) *poſuit nos Deus ad iram, ſed in acquiſitione ſalutis.* Quod ſi Eccleſiaſtica judicia ſpreverint, humanis ſubjaceant legibus. Meminiſſe enim debent, à Deo poteſtates fuiſſe conceſſas, & ad vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei miniſtrum fuiſſe datum in hujuſmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur auctoritas, dicente beato Innocentio, erit dictator immunis.

Conſultum eſt etiam, utrum Epiſcopi: Pax vobis, an Dominus vobiscum, pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem veſtram provinciam tenendum eſt, quam in ſancta Romana Eccleſia. In Dominicis enim diebus, & in præcipuis feſtivitatibus, atque ſanctorum natalitiis: *Gloria in excelſis Deo*, &: *Pax vobis*, pronuntiamus. In diebus vero Quadrageſimæ, & quatuor temporibus, ſive in vigiliis ſanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus, *Dominus vobiſcum*, tantummodo dicimus.

Poſt hæc conſuluit: ſi Dominica oratio in benedictione ciborum debeat uſitari. Quod fieri non oportet, quia in ſanctificatione Corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, hanc ſolummodo orationem Sancti Apoſtoli decantabant: & in Evangelio legitur, quia poſt cœnam a Domino factam, hymno dicto exierunt in montem Olivarum.

Poſt hæc interrogavit de eo, qui matrem & filiam ſpirituales in conjugio ducit: quod ne fiat, ſacri canones per omnia vetant. In canonibus Zachariæ ita habetur: ut Presbytera, Diacona, monacha, vel etiam ſpirituali commatre, aut ſpirituali filia nullus utatur. Nam qui hujusmodi opus perpetravit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & Dei judicio condemnatum, atque a ſacro corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienum: & quicunque Sacerdotum eis communicare præſumpſerit, eorum judicio condemnatus, Sacerdotii ſui honore privetur.

Dehinc intulit lamentabile & nimis lugendum, ut Domini Sacerdotes publice ducant uxores: & ſi filii eorum valeant promoveri. Quod ſcelus, quia omnis ſacra Scriptura contradicit, quia ſanctum & venerandum Nicænum Concilium vetat, ne ſacerdotes cum fœminis habitare præſumant; multo magis, ne copulari, vel ſociari mulieribus debeant, juxta ſacros canones modis omnibus prohibemus. In Neocæſarienſi (f) namque Concilio ita habetur: Presbyter, ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Et qui in tali ſcelere fuerint reperti, noſtra Apoſtolica auctoritate

(b) Matth. 16. (c) Joan. 21. (d) Exodi 22.
(e) 1. Theſſ. 5. (f) Neocæſar. can. 1.

tate ab omni priventur honore. Filii vero eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente Propheta : *Filius* (*g*) *non portabit iniquitatem patris* : & in sacro baptismate omnia dimittuntur peccata.

Dehinc perquisivit, si a Chor-Episcopo Ecclesiæ debeant consecrari, aut Presbyteri ordinari, vel consignatio chrismatis, & manus impositio fieri. Quæ omnia a Chor-Episcopis ne fiant, interdicimus juxta canonum decreta. In Concilio Antiocheno capite decimo sic habetur : Qui in vicis (*h*) & possessionibus Chor-Episcopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint; tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, ordinent etiam lectores, & Subdiaconos, atque exorcistas : quibus promotiones istæ sufficiant, nec Presbyterum, nec Diaconum audeant ordinare. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur honore, privetur. Perquisivit etiam, si vir & mulier tertio, vel quarto gradu consanguinitatis conjuncti, & inscii, conjugio copulantur, postea Dei respectu compuncti, ostendunt se Sacerdoti, secrete confitentes peccata sua, utrum valeant eleemosynarum largitione, ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim personis in veteri & novo testamento multa repeiriuntur exempla, maxime in Conciliis Gregorii, & Zachariæ : in quibus hæc continentur : ut consobrinam, novercam, neptem, fratris uxorem, nurum, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus conjugio præsumat sibi copulare. Si quis vero hoc nefario conjugio convenerit, & in eo permanserit, sciat se auctoritate Apostolica anathematis vinculo innodatum, & nullus Sacerdos ei tribuat communionem : & si inclinatus, divisusque fuerit ab illicita copula; pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

De vastatoribus autem Ecclesiarum unde inquisivit, nihil aliud scribimus, nisi quod Paulus Apostolus ad Timotheum scribens ait : Argue, increpa, obsecra cum omni imperio.

His vero omnibus prælibatis, fraternitatem vestram monemus, per hanc nostram Apostolicam jussionem, ut huic Gerardo Archi-Episcopo, cui vicem nostram in cunctis finibus vestris commisimus, in omnibus, quæ ad Ecclesiasticum ordinem pertinent, obedientes & adjutores sitis : quatenus in una concordia persistentes, ut Ecclesiastica jura, & Christianitatis religio in vestris partibus, quæ paganorum incursione & malorum Christianorum persecutione, corrupta & depravata esse videntur, Domino largiente, & beato Petro Apostolorum Principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari; & vos in futuro examine securi possitis audire vocem Domini, dicentis : *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.*

Præter hæc Eberardo Duci Bavariorum nostra auctoritate injungimus, ut præfato Gerardo Archi-Episcopo in omnibus auxilium præstet, ut suæ Ecclesiæ status, & rectitudo, ac proprius vigor ad integrum culmen & priscum decorem suo juvamine valeat pervenire; si Dei indulgentia & Sancti Petri etiam, suorum dilectorum a nobis vult accipere remissionem.

Hardouin. Tom. VI. Concilior. Part. I.

(*g*) Ezech. 18. (*h*) Antioch. can. 10.

LEO-

LEONIS VII. PONT. MAX.
EPISTOLA AD GERHARDUM.

Leo VII concedit Gerhardo, Laureacensi Archi-Episcopo, Pallium certis diebus gerendum, speciatim in celebratione Synodi.

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO CONFRATRI NOSTRO GERHARDO, SANCTÆ LAUREACENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO, OMNIBUS DIEBUS VITÆ TANTUM TUÆ EX HINC AMODO.

SI Pastores ovium solem, geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque cura debeamus esse pervigiles nos, qui Pastores animarum dicimur, attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die Divini examinis pro nostra desidia ante summum Pastorem negligentiæ reatus nos excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. *Pallium autem* Fraternitati tuæ ad Missarum solemnia celebranda concedimus, quo tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ Privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solum in die consecrationis Chrismatis, ac sanctæ & venerandæ Resurrectionis Domini nostri JEsu Christi, seu in Natalitiis Sanctorum Apostolorum, atque beati Joannis Baptistæ, nec non in Festivitatibus Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, simulque in Dominicæ Domini nostri Nativitatis die, pariterque in solempnitatis Ecclesiæ tuæ die, & Natalicio tuo die, verum etiam in consecratione Episcoporum, & Presbyterorum, & quando a *te Synodus celebratur*, si forte conventiculum illic fuerit Neoffitorum, qui ad fidem tua exhortatione sunt producendi: nec non in festivitate Sancti Stephani Proto-martyris, Sancti Laurentii, & illorum Sanctorum, qui corporaliter in tua requiescunt Parrochia, uti concedimus die, sicuti a Prædecessore nostro Domno Gregorio, hujus almæ Sedis Præsule, sancitum est. In Secretario vero tua fraternitas Pallium induere debet, & ita ad Missarum solemnia proficisci: & nihil tibi ausu temeritate præsumptionis arrogare, ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam, quæ licere poterant, amittantur. Cujus quidem indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est. Hortamur igitur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula: in ea, quod imitentur aspiciant, in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Dominum videatur esse beneficium, quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quicquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniant: benignum te sentiant boni, districtum mali cognoscant: insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset: remissum te delinquentibus non ostendas, ne, quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te & boni Pastoris dulcedo, sit & judicis severa districtio, unum scilicet, quod innocenter viventes foveat, aliud, quod inquietos feriendo a pravitate compescat. Sed quomodo nonnunquam Præpositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correctio, iram judicio refræna, & censura disciplinæ sic utere, ut & culpas ferias, & a dilectione personarum, quas corriges, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta correctio contradicat: nullius faciem contra justi-

justitiam accipias, nullum quærentem justitiam despicias: custodia in te æquitatis excellat; ut nec divitem potentia sua aliquid extra viam suadeat rationis audere, nec pauperes de se sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit, dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram caritatem habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce frater kariſſime: inter multa alia, ista sunt Sacerdotii, ista Pallii; quæ si studiose servaveris, quod foris accepisti, intus habes. Fidem autem, quam in tuis Epistolis breviter assignasti, licet latius explanare debueras; Redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam in ipsa brevitate ratam esse cognovimus. Sancta Trinitas firmitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque in timoris sui via nos dirigat; ut post hujus vitæ amaritudines ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Amen.

Ex codice MS. Ingolstadiensi descripsit Schannatus.

Gerhardus, Pataviensis Episcopus, & Laureacensis Archiepiscopus, sedit ab anno 932. ad 946. Non fuit hic primus Pallio donatus: nam jam anno 502. Symmachus Papa Theodoro, Laureacensi Episcopo, Pallium miserat.

Hinc Papa in hac Epistola addit: *Ut secundum morem Ecclesiæ suæ eo Pallio utatur, & quando Synodum celebrabit.*

Inter Metropoles, Laureaco confines, hic ordo videtur servandus P. Callesio S. J. in *Annal. Ecclesiasticis Germaniæ L. VI.* ad annum 502. Sirmium erat Metropolis Illyrici. Aquileja Metropolis Norici Mediterranei, Rhætiæ secundæ, Istriæ, & Pannoniæ primæ. Laureaco Metropoli suberant hæ Suffraganeæ Ecclesiæ: Tiburnia, Sabio, Celeia, Patavium, Ratisbona, Faviana. Sed quando harum sedium origo, vel hierarchia cœpta, quo anno desierit: quando Salisburgensi, vel Aquilejensi subjectæ fuerint, difficile est definire.

SYNODUS IN CASTELLO BUNNA.

Anno Christi CMXLII. Martini III. Papæ I. Ottonis I. Regis VI.

POstquam Rex Otto Natalem Domini Franckfurdiæ celebrasset, præclara Synodus Episcoporum XXII. apud Bunnam castellam habita fuit. *Acta perierunt.*

Continuator Reginonis ad hunc annum.

Chronicon Hildenesheimense apud Duchesne Tomo III. Scriptorum Franciæ; & Annalista Saxo Eckhart. Tomo I. Scriptorum medii ævi ad annum sequentem 943. eam celebratam volunt, quibus consentit Lambertus Schaffnaburgensis.

Ex his Labbe Conciliorum Tomi IX. pag. 1237.
Harduinus Tomo VI. Concilior. Part. I.

CONVENTUS DUISBURGENSIS.

Anno Christi CMXLIV. Martini III. Papæ III. Ottonis I. Regis VIII.

IN diebus Rogationum anni DCCCCXLIV. Otto Rex apud Duisburgum in confinio Lotharingiæ, & Saxoniæ publicum conventum cum Primoribus utriusque gentis celebrat, in quo Conradus, Lotharingiæ Dux, Ottonis gener, accusabat Ruotbertum Archi-Episcopum Treverensem, & Richardum Episcopum Tungrensem, quod Ottoni Germaniæ Regi fidem debitam non servassent: sed hi

hi duo Episcopi suam innocentiam, & fidelitatem adeo claris argumentis Regi & conventui demonstrarunt, ut Rex iisdem amicitiam perennem concesserit. Illuc Duisburgum etiam a Trajectensibus Clericis corpus Sancti Servatii asportatum est, ob multimodas sibi ab Immone comite illatas injurias.

Continuator Regiminis ad hanc annum.
Browerus Annal. Treverens. Tom. I. pag. 455.
Calmetus Historiæ Lotharingicæ Tomo I. L. 18. *pag.* 906.

CONCILIUM VIRDUNENSE.

Anno Christi CMXLVII. Agapeti II. Papæ I. Ottonis I. Regis XI.

In quo Sedes Remensis Artaldo adjudicata est, mense Novembri celebratum.

ANNO DCCCCXLVII. Conventus placiti Regum LUDOVICI, & OTTONIS super Charam fluvium, intrante mense Augusto, celebratur, Hugone Principe circa Mosomum, & Duodeciacum, castra metato: ubi res litis inter Artaldum, & Hugonem, Remensis Ecclesiæ præsules, ab Episcopis auditur. Et quia Synodus tunc convocata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda denuntiatur. Interim vero sedes Remensis Artaldo conceditur: Hugo autem Præsul in Mosomo commorari permittitur. *Et post alia*: Synodus prædicta Virduni habita est, præsidente Rotherto Treverensi præsule, cum Artaldo Remensi, Odalrico Aquensi, Adelberone Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi, seu Mimegardewordensi (*a*), Iraële Brittone, presente Brunone (*b*) Abbate, fratre Regis Ottonis, Agenoldo quoque (*c*) & Odilone, cum aliis quibusdam venerandis Abbatibus. Ad quam Hugo Episcopus evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum Episcopis, Adalberone & Goslino, venire noluit. Universa vero Synodus Domno Artaldo Remensi tenendum adjudicavit Episcopium. Indicitur iterum Synodus Idibus Januarii habenda. (*d*)

Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi.
Flodoardus in Chronico, & in Historiæ Remensis Lib. IV. Cap. XXXIII.
Ex quo Harduinus Tomo VI. Conciliorum Parte I. pag. 603.

(*a*) Mimegardowordensi, seu Monasteriensi.
(*b*) Post Archi-Episcopo Coloniensi, & Administratore Lotharingiæ.
(*c*) Agenoldus Gorziensis, Odilo Stabulacensis Abbas fuit.
(*d*) In Ecclesia S. Petri ante conspectum castri Mosomi, celebrata ab eodem Rotberto Archi-Episcopo Treverensi, ejusque Suffraganeis, & quibusdam Episcopis Diœcesios Remensis. Hæc additamenta sunt ex *Mabillonii Annal. Benedict. Tom. III. L. XLIV.*

Præcesserant Synodum Virdunensem hæc facta anno 841. Hugo magnus, Dux Francorum, Suessione coegit Concilium, in quo Hugo, Filius Hereberti Comitis Veromanduorum, declaratus fuit Archi-Episcopus Remensis, & consecratus anno ætatis suæ 21. Artaldus, quia olim jurare debuit Hugoni magno, se cessurum Archi-Episcopatu Remensi, declaratus fuit excidisse jure Archi-Episcopatus anno 942. Hugo accepit Roma Pallium, teste *Flodoardo ad h. annum*, a Papa Stephano IX.

Heriberto, Comite Veromanduorum, anno 843. defuncto, Artaldus adiit Regem Ludovicum Transmarinum, & petiit restitui suæ Cathedræ Remensi: promisit id quidem Rex: sed arbitris intercedentibus relicta fuit Cathedra Remensis Hugoni, & Artaldo datæ duæ Abbatiæ S. Basoli, & Avennacensis.

Artaldus non contentus hoc arbitrio, provocavit ad Pontificem Agapitum. Hic Marinum Episcopum, & Vicarium suum, ad Ottonem Regem mittit cum literis, & Synodus generalis Ingelheimii cogitur. *Hugo Flaviniacensis ex Flodoardo.*

CONCILIUM MOSOMENSE.

Anno Christi CMXLVIII. Agapeti II. Papæ II. Ottonis I. Regis XII.

In quo Sedes Remensis Artaldo iterum adjudicata, Hugoni communio usque ad generalem Synodum interdicta est: Mense Januario celebratum.

ANNO, inquit Flodoardus, DCCCCXLVIII. Synodus prædicta celebratur in Ecclesia Sancti Petri, ante prospectum Castri Mosomi a Domno Rotberto, cæterisque Treverensis Diœceseos Episcopis, & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc Hugo præsul, & locutus cum Rotberto, Synodum noluit ingredi: litteras vero quasdam ex nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remensi redderetur Episcopium. Quibus lectis, ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus, & cæteris sapientibus, qui aderant, responderunt non esse dignum, vel congruum, ut mandatum Legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Friderico Præsule Moguntiacensi, coram Regibus, Episcopis tam Galliæ, quam Germaniæ susceperat, & partem jam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator Artaldi præsulis exhibebat: immo, quod regulariter cœptum fuerat, canonice pertractaretur. Sicque præceptum est, ut recitaretur capitulum XIX. Carthaginensis (*a*) Concilii de accusato & accusatore. Quo recitato, judicatum est secundum definitionem ipsius capituli, ut Artaldo præsule retinente communionem & parochiam Remensem, Hugo, qui ad duas Synodos evocatus venire contempserat, a communione & regimine Remensis Episcopii abstineret; donec ad universalem Synodum, quæ indicebatur Kalendis Augusti, se purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eandem chartam Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum judicio nequaquam obediturus esset.

Flodoardus in Chronico.

Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi.

Inde Hardouinus & Synodographi.

[*a*] Tomo I. nostro pag. 202.

CONCILIUM ENGILENHEIMENSE,

In quo Artaldo Sedes Remensis restituta, Hugo Comes Ludovico Regi perduellis excommunicatus est, Præsidente Marino Sedis Apostolicæ Legato: celebratum Indictione VI. septimo Idus Junias, Anno Christi CMXLVIII.

TITULI CANONUM.

I. Hugo Comes, qui Ludovici regnum infestabat, excommunicatus.

II. Artaldo Sedes Remensis restituta: Hugoni, qui eam usurpat, anathema dictum.

III.

Post Synodum Mosomensem, ineunte anno hujus Sæculi 48. habitam, altera generalis, VII. Idus Junii insequentis, Ingelheimii prope Moguntiam habita est. Convocandæ hujus Synodi eædem causæ, quæ superiorum duarum, nempe discidia inter Regem Ludovicum, & Hugonem Principem: inter Artaldum quoque, & Hugonem Heriberti filium, de Remensi Episcopatu decertantes. *Mabillon. Annal. Bened. Sæcul. III. p. 488.*

III. Hugo idem Comes, ob Episcopum Laudunensem sede sua ejectum excommunicatus.
IV. Ut laici sine licentia Episcopi Ecclesias non dent, nec auferant.
V. Ut laici Presbyteros non vexent.
VI. Quot diebus feriandum sit in Pascha & Pentecoste.
VII. Ut in Litania majore jejunetur.
VIII. Ut oblationes Altaris a laicis non attingantur.
IX. Ut decimarum causæ non apud seculares, sed in Synodo discutiantur.
X. De incestis nuptiis.

PRÆFATIO.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXLVIII. Indictione VI. septimo Idus Junias, anno Serenissimi Regis Ottonis XIII. Ipso quoque cum Illustrissimo Rege Ludovico in præsentia manente, sancta ac generalis Synodus apud Engilenheim, in Ecclesia Sancti Remigii Confessoris Christi, in pago Nagawi dicto, collecta est, præsidente videlicet Domni Agapiti Papæ apocrisiario, venerabili Polymartiensis Ecclesiæ Episcopo Marino; & considentibus Archi-Episcopis, Wicfredo Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Friderico Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Episcopo, Rotberto Sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Artaldo (*a*) Sanctæ Remensis Ecclesiæ Episcopo, Adalgago Sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Richavone Vangionensis Ecclesiæ Episcopo, Geroldo Juvavensis (*b*) Ecclesiæ Episcopo, Udalrico Augustensis Ecclesiæ Episcopo, Bernardo Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopo, Theodardo Hildinesheimensis Ecclesiæ Episcopo, Dudone Padeburnensis Ecclesiæ Episcopo, Conrado Constantiensis Ecclesiæ Episcopo, Starcando (*c*) Eistetensis Ecclesiæ Episcopo, Reginbaldo Nemetensis Ecclesiæ Episcopo, Poppone Wirciburgensis Ecclesiæ Episcopo, Adalberone Metensis Ecclesiæ Episcopo, Goslino Tullensis Ecclesiæ Episcopo, Berengero Virdunensis Ecclesiæ Episcopo, Balderico Trajectensis Ecclesiæ Episcopo, Wichardo (*d*) Basileensis Ecclesiæ Episcopo, Dodone Osnaburgensis Ecclesiæ Episcopo, Eboriso Mimidonensis Ecclesiæ Episcopo, Hildiboldo Mimigardewordensis Ecclesiæ Episcopo, Faraberto Tungrensis Ecclesiæ Episcopo, Fulberto Cameracensis Ecclesiæ Episcopo, Rudolfo Lugdunensis Ecclesiæ Episcopo, Michaele Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopo, Adalberto Laureacensis Ecclesiæ Episcopo, Liopdago Ripuensis Ecclesiæ Episcopo, Oredo (*e*) Suewicensis Ecclesiæ Episcopo, Reginbrando Arusvensis Ecclesiæ Episcopo: cum cœtu Abbatum, Canonicorum, nec non & Monachorum, unius spiritus amore ferventium, quatenus cœlitus adminiculati, zizania Divini cultus agro ab inimica manu superposita, canonicarum sarculis sententiarum radicitus exstirparentur.

Igitur recitato primitus Evangelio, oramineque finito, & Sanctorum Canonum quamplurimis institutionibus linguarum clavibus coram reclusis; Missus Apostolicæ Sedis chartam suæ Legationis honorifice protulit: in qua pro debitæ reverentiæ dono, Romano Pontifici exhibendo, commoniti sunt, ut universalis Ecclesiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui secura succedat, seque procelloso

Hhhh 2

Hansizius Tomo I. Germaniæ Sacræ pag. 200. has variantes habet *ex codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ*:

(*a*) Artolfus Remensis, pro *Artaldo Archi-Ep. Remensi.*
(*b*) Heroldus Saltzburgensis Archi-Episcopus, pro *Juvaviensis Episcopus.*
(*c*) Starcandus Rubilocensis, pro *Eistetensis*, idem enim locus est Eichstet & Rubilocus.
[*d*] Richardus Basiliensis
(*e*) Slesvicensis legendum puto. *Saxo Grammaticus*, & *Adamus Bremensis Historiæ Ecclesiasticæ C. II.* Adaldagus Archi-Episcopus, primus in Daniam ordinavit Episcopos: Haroldum ad Sliaswic, Liafdagum ad Ripam, Reinbrandum ad Arhusam: igitur loco Arusvensis, lege: *Arhusensis.* Non mirum est, hos Daniæ Episcopos comparuisse ex Conciliis Germaniæ; cum Haroldus, Daniæ Rex, Ottoni, & Imperio se subjecisset, & Baptismum suscepisset, Ottone Patrino filii Regis Daniæ.

loſo tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum eſt autem in ejusdem recitaminis ſententia, prædictum præſulem Marinum ab ipſo univerſali Papa tali tenore ad noſtros fines directum fuiſſe, quo in omni Eccleſiaſticarum legum diſcuſſione ipſius exſiſtens vicarius, quæcunque liganda eſſent, Apoſtolica auctoritate ligaret; & quæ ſolvenda viderentur, parili ſolveret poteſtate. Hujuſmodi procul dubio affaminis tam ſalubri miſſatico Glorioſiſſimi Reges præfati, cum Pontificibus, omnique Clero, congratulantes, ut dignum fuit, ſe in omnibus conſentire, & obedire profeſſi ſunt. A quibus, auctorante & confirmante Legato Apoſtolico, capitula ſubſequentia ſtatuta ſunt. Dehinc ex ſeſſionis ſuæ loco ſeſubrigens Inclytus Rex Ludovicus, ad præſentiam Sereniſſimi Regis Ottonis, totiusque Sanctiſſimi Concilii unanimitatem, ſatis lacrymoſi conqueſtus protulit querimoniam: videlicet quod regia privaretur poteſtate a quodam Principe, Hugone nominato, quondamque ſibi ſubjecto. Cujus anxietati & multimodæ reclamationi condolentes, in unitate ſpiritus coadunati Sanctiſſimi Patres, ejusmodi ſuper hac re ſententiam protulere.

CANONES.

I.

NUllus deinceps Regiam poteſtatem præſumat populari, ſeu aliquam perfidiæ maculam ſibi fallaciter exhibere. Decrevimus enim, Toletani Concilii (*) judicium exequendo, Hugonem Regis Ludovici regni invaſorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum: niſi forte tempore ſtatuto ad Synodale Concilium veniat, & a tam nefaria protervitate ſatisfaciendo reſipiſcat.

II.

Artaldus, Remenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, propria de ſede expulſus, ex canonica auctoritate in priſtinum honorem inthronizatus; Hugo autem, qui ejus ſedem contra fas ſibi uſurpat, anathematis eſt mucrone mulctatus: ejusque ordinatores, & qui ab eo ſunt ordinati, niſi VI. Idus Septembris Treviris veniant, & ibi pro erratibus dignam ſatisfaciendo pœnitentiam ſubeant, ſimilem excommunicationis ſententiam ſuſtineant.

III.

De antedicto Hugone Comite, qui Rudolfum, Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopum, propria de ſede, non cauſa alicujus criminis, ſed pro fidelitate Ludovici Regis, proprii ſenioris, expulit, decrevimus eum in ſancta Synodo pro hac re, ſicut de præſcripta, excommunicandum, niſi veniendo ſatisfecerit.

IV.

Ut laici ſine Epiſcopali licentia Presbyteris Eccleſias dare, vel eos dimittere non præſumant.

V.

Ut nullus laicorum Presbyterum flagitare, ſeu fatigare, vel aliquam ſibi injuriam inferre audeat.

VI.

Ut Paſchalis hebdomada feſtive tota celebretur, & in Pentecoſten ſecunda, tertia, quarta feria, non minus, quam dies Dominicus, ſolemniter honorentur.

VII.

In litania majore jejunium, ſicut in Rogationibus ante Aſcenſionem Domini, exerceatur.

VIII.

Ut oblationes fidelium, quatenus altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant poteſtatem, dicente Scriptura: *Qui altario deſerviunt, de altario participentur.*

IX.

Ut decimæ, quas Dominus præcipit in horreum ſuum deferri, ſi Eccleſiis Dei non fuerint redditæ, ſed nefaria cupiditate, quæ ſævior Ætnæ ignibus ardet, a ſæcularibus fuerint retentæ, ſæcularia ſuper hoc non exerceantur judicia, nec in forenſibus diſcutiantur cauſis: ſed in ſancta Synodo ab ipſis Sacerdotibus, quorum deputatæ ſunt uſibus, quid exinde debeat actitari, certis diffiniatur promulgationibus.

X.

Ut Evangelica auctoritate, & ſacrorum Canonum inſtitutione, pœnasque proponere, Divini judicii, ut noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe ratio-

(*) Concil. Tolet. V. can. 75.

rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe, quod de earum moribus, actibusque beatus Paulus testatur Apostolus. Quod plenius exponere poterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quam admoneri videatur.

SYNODI EJUSDEM

Apud Engilenheim habitæ actorum narratio altera.

DOmnus igitur Agapitus Papa vicarium suum Marinum Episcopum mittit ad Ottonem, propter evocandam & congregandam Synodum: litteræque ipsius Papæ mittuntur ab urbe Romana speciatim quibusdam Episcopis Galliæ Germaniæque, vocantes eos ad Synodum. Quæ Synodus congregata est in Engelenheim palatio regali, in Ecclesia, beati Remigii honori dicata, VII. Idus Junii, causa videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter Regem Ludovicum, & Hugonem Principem: inter Artaldum quoque Remensem Episcopum, & Hugonem illicite substitutum ejusdem urbis præsulem: quæ dissensiones omne perturbarunt regnum Francorum. Ad quam Synodum celebrandam, adveniente prædicto Marino Sedis Apostolicæ vicario, convenerunt etiam Germaniæ præsules, cum quibusdam Galliarum Episcopis. Rotbertus videlicet Trevirensis Archi-Episcopus, Artaldus Remensis, Fridericus Moguntinensis, Wicfridus Coloniensis, Hildebaldus Mimigardowrdensis, Goslenus Tullensis, Adalbero Metensis, Berengarius Virdunensis, Fulbertus Cameracensis, Rodulfus Laudunensis, Richoo Warmatiensis, Raimbaldus Spirensis, Poppo Wirtzeburgensis, Conradus Constantiensis, Odelricus Augustensis, Tethardus Hildesheimensis, Bernardus Halberstatensis, Dudo Paderbornensis, Fridericus Moguntinensis, Adalgagus Hammaburgensis, Goslenus Tullensis, Michaël Ratisponensis, Farabertus Tungrensis, Lioptacus Ribunensis, Dodo Osnaburgensis, Everis Mindensis, Baldricus Trajectensis, Heroldus Salzburgensis, Adalbertus Bazsoënsis, Starcandus Eistadiensis, Horat Neovicensis, Wicardus Basileensis, Lidac Ribuensis. Residentibus his præsulibus in Ecclesia dicti loci, post præmissas preces secundum ordinem celebrandi Concilii, & post lectiones sacræ auctoritatis, ingressis gloriosis Regibus Ottone ac Ludovico, & simul residentibus: post allocutionem præfati Marini, Sedis Apostolicæ Legati, exsurgens Ludovicus Rex e latere, & consensu Domni Regis Ottonis, proclamationis suæ querimoniam propalavit coram præmisso Romanæ sedis vicario, cæterisque considentibus Episcopis: referens, qualiter accersitus fuerit a transmarinis Regionibus per Legatos Hugonis, cæterorumque Franciæ principum, ad suscipiendum suæ paternæ hæreditaris regnum; cunctorumque votis & acclamationibus procerum, militiæque Francorum, sublimatus & consecratus sit ad apicem regalis moderaminis obtinendum: postea vero ejectus sit a præfato Hugone, & dolis appetitus, ac comprehensus per annum integrum sub custodia fuerit ab eo detentus: nec aliter ejus absolutio potuerit obtineri, nisi Laudunum castrum, quod solum tunc regina Gelberga cum fidelibus suis Regiis sedibus retinebat, Hugone id occupante dimitteret. De his omnibus malis, quæ post regni susceptionem passus fuerat, si quis objiceret, quod sui facinoris causa eidem fuissent illata, inde se juxta Synodale judicium, & Regis Ottonis præceptionem purgaret, vel certamine singulari defenderet. Deinde surgens Artaldus Archi-Episcopus protulit secundum jussionem Papæ Romani, quam ei delegaverat, initium atque tenorem litis, quæ versabatur inter ipsum, & Hugonem subrogatum sibi Ecclesiæ Remensis antistitem. Et recitatæ sunt litteræ, quæ sequuntur:

Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis Vicario, Domno Marino, universæque sanctæ Synodo, apud Engelenheim congregatæ, Artaldus Divina propitiante clementia Remorum Archi-Episcopus.

DOmnus Agapitus Papa litteras nobis & cæteris Coepiscopis nostræ diœceseos dixerit, in quibus præcepit, ut ad hoc sanctitatis vestræ Concilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus, ut rei veritas de miseriis nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium ceperit litis hujus, quæ adhuc inter me, & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo Archi-Episcopo, Seulfum, qui Archidiaconatus urbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum ejusdem sedis elegimus. Qui Pontifex ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis, consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti Comitis, quam dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit; eo tenore, ut post obitum ipsius ad electionem Pontificis milites Ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero comes fratrem Herivei præsulis, & nepotes ipsius, a participatione rerum Remensis Episcopii separaret. Quibus patratis, insimulati sunt iidem propinqui Herivei præsulis, a consiliariis Seulfi Episcopi de infidelitate ipsius senioris sui: accersitoque Heriberto Comite cum pluribus suis jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos, a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus, quas ex Episcopio possidebant, comprehensi sunt, atque deducti per Heribertum Comitem ad Robertum Regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui Episcopatus anno Seulfus Episcopus, ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque Comes Heribertus urbem Remensem adiit, & Ecclesiæ milites, Clericorum quoque quosdam, de rectoris electione ad suum consilium, ceu juratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum Regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, ut sibi committeretur idem Episcopium, eo tenore, ut tam Clericis, quam Laicis debitum honorem concederet & conservaret, nec injustitiam alicui faceret: sed ipsum Episcopium æquo jure gubernaret, donec talem Clericum eidem Regi præsentaret, qui ad Episcopale ministerium exsequendum rite ordinari valeret. Qui Comes ad eandem urbem regressus, res Episcopii, prout sibi placuit, fautoribus suis divisit, cæteris abstulit: & absque ullo judicio, vel lege, quos voluit, rebus exspoliavit, vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem Episcopum in eadem urbe suscipiens, Episcopale inibi ministerium celebrare præcepit. Sicque annos sex, & eo amplius, idem Episcopium suo dominio vindicavit, pro libitu proprio illud tractans, & in sede præsulis residens tam ipse, quam conjux sua: donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum, & Regem Rodulfum, atque Hugonem Comitem, quibusdam simultatibus, Rodulphus Rex cum Hugone, & Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam Episcopis, quam Comitibus, Remorum obsidet urbem: succensentibus sibi Episcopis, & conquerentibus adversus eum, quod tam diuturno tempore contra Divinæ legis auctoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis promotus Rex, admonet Clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis, quam laicis, qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum, qui clausi tenebantur, in idipsum faventibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere, quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus, quam civibus portas urbis Regi Rodulpho, & Episcopalem benedictionem mihi tradentibus Episcopis, qui erant decem & octo; & suscipientibus nostram humilitatem tam Clero universo, quam reliquis civibus, inthro-

thronizatus ab Episcopis nostræ diœceseos; impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi; ordinans per diœcesim Episcopos octo, & in Episcopio multos, prout competens videbatur, clericos: quousque nono postmodum anno, postquam Ludovicum Regem, favente Hugone, cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo Comes iracundia, quod ei consentire, vel conjugi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto Comite, & Wilelmo Nortmannorum Principe, remensem obsidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ; sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire. A quibus coarctatus, cogor memet Episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes in cœnobio Sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Antisiodori Diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt, & civitate potiuntur. Ludovicus autem Rex, a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit: & assumens secum simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus Comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingredimur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim Clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam Clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem late perpetrantur. Interea convocantur Episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto, satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegardum Episcopum, cum aliis quibusdam legatis: mandantes, ut ad eos venirem, ad consentiendum scilicet hujus ordinationis perversitati. Quibus remandavi, quod non esset mihi competens, ad eos illo proficisci, ubi adversarii, & inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus advenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos: veniensque prosternor coram ipsis, obsecrans, ut propter amorem & honorem Dei tam mihi, quam sibi, competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare ceperunt, & hoc omnimodis suadere, ut eis in hac ordinatione consensum præberem, promittentes, res nonnullas Episcopii mihi se impetraturos. At ego, postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito, quod ceperunt, perseverantes, surgens interdixi palam, cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, Filii, & Spiritus Sancti, ut nullus eorum ad eandem ordinationem accederet, nec alicui, in Episcopali honore me vivente, manus imponeret; sed nec ullus eandem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem Apostolicam eos provocabam. Illis inde furentibus, ut possem exire de medio eorum, & Laudunum reverti, temperavi responsum: dicens, ut mitterent mecum, qui eis renuntiaret, quid consilii reperire valerem super hac re in Domina mea Regina, & fidelibus ejus, quia Rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum Episcopum, putantes, me esse mutaturum consilium. Quo veniente, & coram Domina Regina, & fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exsurgens præfatæ modum excommunicationis in eosdem Episcopos jaculatus sum: vocationem quoque ad Sedem Apostolicam iterare curavi, excommunicans ipsum hunc Deroldum, ut id eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, parvi pendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt: & quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt, quidam vero se subduxisse sciuntur. Ego vero cum Rege manens, quas ille scitur angustias pertulisse, & secum pertuli: & quando eum bello aggressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipso eram, & vix evasi mortis periculum. Prolapsus itaque, auxilio & protectione Dei, de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca invia quæque, sylvasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo & Heribertus, affati quosdam

dam amicos noſtros ſibi ſubditos, ſuadent, ut me requirentes ad ipſos deducant, pollicentes ſe mihi benefacturos, & rebus, quas ipſi petiſſent, ditaturos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diverſa vagantem, & ita perducor a fratribus meis & amicis ad præfatos Comites. Qui poſtquam me in poteſtate ſua conſpiciunt, quærere cœperunt, ut eis pallium, a ſede Romana mihi collatum, traderem, & ſacerdotali miniſterio penitus abjurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore vitæ hujus præſentis atteſtor. Diſtrictus igitur, & coanguſtiatus ab eis, Epiſcopii tandem rebus abrenuntiare compellor: ſicque rurſus ad Sanctum Baſolum, quaſi vacans, habitaturus deducor. Manſi denique paucis diebus in ipſo cænobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti Comitis nuntios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis hujusmodi pavefactus & impulſus, locum deſerui, & abdita luſtra ſilvarum vagabundus repetii; horiſque ſilentibus, & itinere devio, Laudunum revertor, ibique ſuſceptus a Rege ſecum manere conſtituor. Manſi vero ibidem cum ipſo vel fidelibus ejus, exſpectans & deprecans miſericordiam Dei, donec ipſe eſt dignatus in cor Domini Regis Ottonis mittere, ut ad ſubventionem ſenioris mei Regis, & noſtram, properaret in Franciam. Denique, poſtquam Domina noſtra Regina Laudunum propter abſolutionem Domini Regis reliquerat, egreſſus inde, ad Dominum Regem Ottonem cum ſeniore meo deveni Rege, ſimulque Remos acceſſimus. Cingitur itaque urbs exercitibus, & Epiſcopi, qui aderant, me ſedi noſtræ reſtitui cenſent. Mandatur ergo Hugoni a Domino Rege Ottone, ut egrediatur, & pervaſam deſerat urbem. At ille nutans aliquamdiu, & pro poſſe, ubi vidit, ad conſiſtendum penitus ſufficere ſe nequaquam valere, nec amicorum ſibi præſidia ſubvenire; decernit exeundum, quærens, ut liber cum ſuis dimitteretur abſcedere. Permittitur itaque ſanus exire cum omnibus, qui ſecum voluere comitari: & quæcunque ſecum voluit ferre, nullo contradicente aſportavit. Sicque cum Regibus introgreſſus urbem, præcipior loco noſtro & honori reſtitui. Suſceptus igitur a Dominis Archi-Epiſcopis, Rotberto Treverenſi, & Frederico Moguntiacenſi, comitantibus cæteris, & congratulantibus, tam Clericis Eccleſiæ noſtræ, quam reliquis civibus, ab ipſis reſtituor cathedræ Epiſcopali: Hugo vero Remis egreſſus Moſomum caſtrum cum ſuis occupat, & muniens contra fideles Regis ſenioris noſtri detinet. Habito denique colloquii placito inter Reges, ſeniorem meum videlicet, ac Dominum Ottonem, ſuper Charam fluvium, convenimus ad illum tam ego, quam ipſe Hugo cum ordinatoribus ſuis. Ibique res litis hujus ab Epiſcopis auditur: protulitque litteras ad ſedem Romanam, quaſi ex perſona noſtra datas excuſationis meæ, ac ſi vacationem petentes adminiſtrationis Epiſcopii noſtri; quas me unquam dictaſſe, neque ſubſcribendo aliquatenus corroboraſſe, proteſtatus ſum, atque proteſtor. Et quia tunc Synodus convocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipſius Hugonis, altercatio noſtra determinari non potuit. Synodus autem circa medium menſis Novembris habenda Virduni, utriusque partis Epiſcopis annuentibus, denuntiatur. Interim vero ſedes Remenſis mihi regenda decernitur; idem vero Hugo Moſomi commorari permittitur. Nec longum, inſtante ſcilicet vindemiæ tempore, hic noſter æmulus Hugo, aſſumens ſecum Theobaldum Regis inimicum, & regni noſtri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remenſis Epiſcopii contiguas urbi devenit, & omne pene vinum ex his colligens in diverſos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & Eccleſiæ noſtræ homines captivi abducti, & ad redemptionem variis ſunt adacti tormentis. Synodus autem denunciata Virduni celebratur, præſidente Rotberto præſule Treverenſi, præcepto Domni Papæ Romani, præſente quoque Domino Brunone, cum Epiſcopis & Abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo evocatus, Miſſis etiam duobus ad eum deducendum Epiſcopis, Adalberone & Gozlino, venire contempſit. Univerſa vero Synodus mihi Remenſe regendum decernit Epiſcopium. Indiciturque iterum Synodus habenda die Iduum menſis Januarii, quæ & aggregatur, ut denuntiatum fuerat, in Eccleſia Sancti Petri

tri, ante profpectum caftri Mofomi, a Domino Rotberto, convenientibus cæteris quoque Treverenfis Diœcefeos Epifcopis, & aliquibus Remenfis. Veniens autem illuc æmulus nofter Hugo, & locutus cum Domino Rotberto, Synodum noluit ingredi: litteras vero quafi ex nomine Domini Papæ direxit ad Epifcopos per Clericum fuum, qui eas Roma detuliffe ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes: fed hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remenfi redderetur Epifcopium. Quibus recitatis ineuntes Epifcopi confilium cum Abbatibus, & cæteris, qui aderant fapientibus, refponderunt non effe dignum vel congruum, ut mandatum legationis Apoftolicæ, quam dudum Rotbertus Archi-Epifcopus, deferente Friderico Præfule Moguntiacenfi, coram Regibus, & Epifcopis tam Galliæ, quam Germaniæ fufceperat, & partem jam præceptionis ipfius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas infidiator nofter exhibebat: imo quod regulariter cœptum fuerat, ut canonice pertractaretur, unanimiter cenfent. Præcipiturque recitari capitulum Carthaginenfis Concilii XIX. de accufato & accufatore. Quo recitato, judicatum eft juxta definitionem ipfius capituli, ut communionem & parochiam Remenfem me retinente, Hugo, qui ad duas jam Synodos evocatus intereffe contempferat, a communione & regimine Remenfis Epifcopii abftineret, donec ad univerfalem Synodum, quæ indicebatur ad Kalendas Augufti, fefe purgaturus, vel rationem redditurus, præfentaret. Ipfumque capitulum mox in charta Epifcopi coram fe defcribi fecerunt, fubnectentes hanc etiam definitionem fuam. Qui poft alteram diem chartam eandem Rotberto præfuli remifit, hoc verbis remandans, quod ipforum judicio nequaquam obediturus exfifteret. Sicque abfoluto Concilio ipfe Mofomum contra mandata Regum, & Epifcoporum retinet: & ego Remos regreffus, reclamationis mox querelas ad fedem Romanam per legatos Domini Regis Ottonis deftinavi, præftolans mandata ipfius fedis, ejus decretis, & univerfalis hujus Sancti Concilii veftri judiciis parere paratus.

Poft quam litterarum recitationem, & earum propter Reges juxta Theotifcam linguam interpretationem, ingreffus Synodum quidam Sigeboldus, præmiffi Hugonis Clericus, attulit litteras, quas Roma detulerat, quasque jam in alia Synodo Mofomi propalaverat, afferens, eafdem litteras fibi Romæ ab ipfo, qui aderat, Marino vicario datas. Qui Marinus proferens litteras, quas idem Sigeboldus Romam tulerat, præcepit eas coram Synodo recitari. In quarum recitatione repertum eft, prout ipfæ litteræ fatebantur, quod Wido Epifcopus Sueffionicus, Hildegarius quoque Bellovacenfis, Rodulfus Laudunenfis, cæterique cuncti Remenfis diœcefeos Epifcopi, easdem litteras ad fedem delegaverant Apoftolicam pro reftauratione Hugonis in fede Remenfi, & expulfione Artaldi. Poft quorum lectionem exfurgentes Artaldus, & præfatus Rodulfus, qui in iisdem litteris nominabantur, Fulbertus quoque Cameracenfis Antiftes, easdem litteras refutarunt: adftruentes, quod eas antea nunquam viderint, vel audierint, neque in earum delegatione confenfum præbuerint. Quibus cum idem Clericus contraire non poffet, licet in eos calumniis obftrepens, præcepit Dominus Marinus, fuggerens univerfæ Synodo, ut fibi confilium & rectum judicium proferrent fuper hujusmodi calumniatore, & calumniarum in Epifcopos delatore. At illi, poftquam delator publice confutatus eft falfa detuliffe, lectis capitulis de hujusmodi calumniatoribus, judicant & unanimiter cenfent, eum, qui fruebatur honore, privari debere, ac fecundum capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur, quo fungebatur, minifterio multatus, a confpectu Synodi reprobatus abfceffit: Artaldo vero Præfuli, qui omnibus fe Synodis præfentabilem fecerat, non refugiens Synodale judicium, Epifcopium Remenfe juxta Canonum conftituta, & Sanctorum Patrum decreta, omnino retinendum, atque difponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda confeffionis die, poft recitatas Divinæ auctoritatis lectiones, & Marini Vicarii allocutionem, fuggeffit Dominus Rotbertus Trevirenfis Archi-Epifcopus, ut quoniam juxta facræ legis inftituta reftauratum atque reftitutum fuerat Remenfe Artaldo Præfuli Epifcopium, in ejufdem fedis invaforem Synodale per-

ageretur judicium. Præcepit itaque Marinus Vicarius, ut canonicam super hac præsumptione Synodus proferret sententiam. Jubentur ergo sanctæ legis Catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum Canonum, & sanctorum Decreta Patrum Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis, Symmachi, cæterorumque Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, excommunicaverunt, atque ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remensis Ecclesiæ pervasorem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Cæteris quoque diebus tractata sunt quædam necessaria de incestis conjugiis, & Ecclesiis, quæ Presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imo venumdabantur indebite, & auferebantur a laicis illicite. Prohibitum igitur, atque statutum est, ne id omnino præsumeretur ab aliquo. Sed & de aliis Ecclesiæ Dei utilitatibus tractata sunt & definita nonnulla.

Nota P. Sirmondi S.J. Narrationis hujus prior pars, quæ Artaldi Epistolam ad Synodum antecedit, ex Flodoardi Chronico petita est, Epistola ex historia Remensi ejusdem. Quæ vero Epistolæ subjiciuntur, eadem ad verbum leguntur in Chronico, & in historia. Cæterum in Elencho Episcoporum Synodi quædam interpolata paulo aliter, quam apud Flodoardum. *Binius Conciliorum Tom. III. pag.* 11. *Hardouin. Concilior. Tom. VI. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.*

Idem Trithemius Marinum vocat Episcopum *Ostiensem*, Arnoldum Remensem, pro Artaldo. Abbates tres nominat hujus Synodi, Hademarum Abbatem Fuldensem, Diethmarum Hirsaugiensem, Adalberonem S. Ferrucii in Blidenstat, & alios Abbates Ordinis S. Benedicti incerto numero. Demum expansa acta contra Hugonem Ducem, & Hugonem Remensem Archi-Episcopum, Synodalem etiam Epistolam refert in Chronico Hirsaugiensi, sed ad annum 949. & diem primam mensis Augusti.

CONCILIUM TREVIRENSE.

In quo excommunicatur iterum Hugo Comes, Ludovici Regis perduellis, cum Episcopis aliquot ab Hugone Remensi ordinatis, a Marino Legato celebratum eodem anno CMXLVIII.

ACTORUM SYNODALIUM BREVIARIUM EX CHRONICO FLODOARDI.

POsthæc Artaldus Treviros proficiscitur ad Synodum, cum Episcopis Widone Suessonico, Rodulfo Laudunensi, & Wicfrido Morinensi. Quo pervenientes, Marinum sese præstolantem repererunt cum Rotberto Archi-Episcopo Trevirensi: cæterorum vero Lotharienfium, atque Germanorum Præsulum illic invenere neminem. Considentibus igitur illis, sciscitari cœpit Marinus Vicarius, quid egisset post præmissam Synodum Hugo Princeps erga ipsos, & Regem Ludovicum. At alii referunt supra memorata, quæ ipsis & Ecclesiis eorum intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipsius Principis Marinus, utrum perlatæ fuissent litteræ vocationis, quas ei perferendas delegaverat. Cui respondetur ab Artaldo Archi-Episcopo, quod quædam earum perlatæ sunt, quædam vero perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipsis grassatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam litteris, quam internuntiis. Requiritur itaque, si adsit aliquis ex parte ipsius Legatus: ubi cum nullus fuisset inventus, decernitur exspectandum, si forte adventurus esset in crastinum.

Quod cum minime contigisset, & omnes, qui aderant tam Clerici, quam illustres laici, excommunicandum esse acclamarent; definitur ab Episcopis, hanc excommunicationem differendam usque ad diem tertiam. Tractatur autem de Episcopis, qui vocati fuerant, & venire distulerant, vel his, qui ordinationis Hugonis participes exstiterant. Et Wido quidem Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino Vicario, & Artaldo Archi-Episcopo, profitetur. Intercedentes

cedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto, & Artaldo Archi-Epiſcopis, abſolvi ab hac noxa meretur. Wicfredus Morinenſis immunis ab hac ordinatione reperitur. Adeſt Transmari Noviomenſis Epiſcopi Legatus quidam Presbyter, adſtruens eundem Præſulem ita gravi languore detentum, ut ad eandem Synodum venire non valuerit: idque noſtrates, qui aderant, teſtabantur Epiſcopi.

Tertia tandem die, inſiſtente præcipue Liudulfo Legato, & Capellano Regis Ottonis, quoniam idem Rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo Comes, inimicus Ludovici Regis, pro ſupra memoratis malis ab ipſo perpetratis: eo tamen modo, donec reſipiſcat, & ad ſatisfactionem coram Marino Vicario, vel Epiſcopis, quibus injuriam fecit, deveniat. Quod ſi facere contempſerit, Romam pro abſolutione ſui proficiſcatur. Excommunicantur & duo Pſeudo-Epiſcopi, ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus & Ivo: prior poſt expulſionem ipſius in Ambianenſi urbe, alter poſt damnationem ejusdem Hugonis in Sylvanectenſi, ab eo conſtituti. Excommunicatur etiam Clericus Laudunenſis, nomine Adelomus, quem accuſavit Rodulfus Epiſcopus ſuus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in Eccleſiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Bellovacenſis Epiſcopus litteris præfati Marini, ut veniat coram eo, vel eat Romam, rationem redditurus coram Domino Papa pro illicita ordinatione prædictorum Pſeudo-Epiſcoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus, Heriberti Comitis filius, ad ſatisfactionem venire pro malis, quæ contra Epiſcopos agebat. His geſtis, Epiſcopi revertuntur ad ſua.

Hardouin. Concilior. Tom. VI. Part. I.

AGAPITI II. PAPÆ
EPISTOLA
AD ADALGARIUM HAMBURGENSEM ARCHI-EPISCOPUM.

Junctionem Bremenſis Eccleſiæ cum Hamburgenſi, & cætera Hamburgenſis jura confirmat.

AGAPITUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENDISSIMO ET SANCTISSIMO ADALGARIO, S. HAMBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO, TUISQUE SUCCESSORIBUS IN PERPETUUM.

Convenit Apoſtolicæ moderationi, pia religione pollentibus benevola compaſſione ſuccurrere, & paſcentium animos alacri devotione impertire. Ex hoc enim lucri potiſſimum præmium apud conditorem omnium Deum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ad meliorem fuerint ſtatum ſine dubio producta. Igitur, quia poſtulaſtis a nobis, quatenus Archi-Epiſcopatum Hammaburgenſis Eccleſiæ totum integrum vobis confirmaremus, ſicut a Prædeceſſore D. noſtro Nicolao hujus Apoſtolicæ Sedis decretum eſt; inclinati precibus Hadumari, Fuldenſis Abbatis, Apoſtolica authoritate concedimus cum omnibus generaliter, atque ſpecialiter, locis ad eumdem veſtrum Archi-Epiſcopatum pertinentibus, ſcilicet omnia, quæ veſtri anteceſſores ſuis laboribus acquiſiverunt, vel etiam amore æternæ patriæ ibi a Chriſticolarum fidelibus largita ſunt, vel largiuntur; cum illis etiam, qui nunc ſuo tempore Divina protegentia ad Chriſti converſi ſunt fidem, videlicet Epiſcopis Danorum, Norvenorum, Suevonum, nec non omnium Septentrionalium partium. Pallium quoque, & ejus uſum in prænominatis a prædicto Papa factis habendum tibi,

tibi, & omnibus ſucceſſoribus tuis perpetuo decernimus. Deinceps vero nullum Archi-Epiſcoporum, vel Colonienſem, vel alium quemlibet, in veſtra Diœceſi ullam ſibi vendicare decernimus poteſtatem: quinimo & ipſis, & omnibus omnino ſuademus cultoribus religionis, ut adjutorium & ſolatia vobis in omnibus adminiſtrent; quatenus pro gratia hujus beneficii plenam recipere mercedem a Domino mereantur: cum omnia, quæ proficua Eccleſiæ probantur exhibere, & Divinis impugnantur præceptionibus efficienda, & præbenda, omnipotentis Dei auctoritate, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli eſſe non dubitamus, & hoc noſtro decreto decernimus, ſecundum prænominatæ bonæ memoriæ Nicolai Papæ ſanctionem, & Reverendiſſimi Regis Ludovici votum, ipſas prædictas Diœceſes Hamburgenſem ſcilicet, & Bremenſem non deinceps duas, ſed unam eſſe & vocari; omnem quoque adverſantem, vel contradicentem, atque piis noſtris ſtudiis quolibet modo inſidiantem, anathematis ſermone percutimus, perpetuæque ultionis reum diadolica ſorte damnamus, ut culmen Apoſtolorum, more Prædeceſſorum noſtrorum, cauſamque Dei pro affectu zelantes, ab adverſis hinc inde partibus muniamus. Apoſtolica itaque auctoritate, & Bernhardo Epiſcopo Alverſtadenſi, Thidardo Hisdenenſis Eccleſiæ, & cæteris conterminalibus Epiſcopis inſuper jubemus, & eos monemus, ut te in omnibus adjuvent, quatenus ſacerdotale miniſterium explere, & animarum lucra Domino Jeſu Chriſto facilius acquirere valeas. Auctoritate ergo Apoſtolica, & cenſura, ſub Divini judicii obteſtatione, & anathematis interdicto ſtatuimus, ut nulla perſona magna, vel parva, cujuscunque ordinis aut dignitatis ſit, omnia, quæ a nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris Eccleſiæ tuæ, & tibi conceſſa ſunt, violet; quicumque autem mutaverit, vel in aliquo violare præſumpſerit, niſi reſipuerit, auctoritate Dei, & B. Petri, & noſtra, qui ejus fungimur vicariatione, perpetui anathematis vinculo ſit innodatus. Qui vero cuſtos & obſervator ejus extiterit, benedictionis gratiam, & cœleſtis retributionis, a juſto judice Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Arronis, Notarii Regionarii, atque Scriniarii S. R. E. in menſe Januario, Indictione VI. Data IV. Nonas Januarii per manum Andreæ, Arcarii S. Sedis Apoſtolicæ, in ſacratiſſima ſede B. Petri Apoſtoli, Indict. VI. (*b*)

Manſi Supplementi Concilior. Tom. I.

Agitatam hanc controverſiam in multis Germaniæ Conciliis, leges in hoc Tomo II. a pag. 161. in Concilio Moguntino actione IV. anni Chriſti 847. Rurſum in Concilio Moguntino anni proximi 848. In Concilio Wormatienſi, accedente conſenſu Guntharii Archi-Epiſcopi Colonienſis, & confirmatione Papæ, conjungitur Bremenſis Hammaburgenſi Archi-Epiſcopatui. Papa Nicolaus I. anno 858. ratificat conjunctionem factam in Concilio Wormatienſi pag. 170. hujus Tomi. Anno 890. Stephanus Papa V. Adalgarium Bremenſem, & Hermannum Colonienſem Archi-Epiſcopum ad Concilium Wormatienſe venire jubet pag. 385. huj. Tomi. Eadem pagina legis Concilium Francofordienſe provinciale, qua Bremenſis Adalgarius Hermanno Colonienſi declaratur ſubjectus, judicio Formoſi Papæ: non vero in Concilio poſteriore Triburienſi anni 895, ut vulgo credebatur. Hac demum Epiſtola Hammaburgenſis Archi-Epiſcopi privilegia confirmantur, & confinibus Epiſcopis executio Apoſtolici decreti committitur.

(*b*) Indictio ſexta concurrit cum Papæ Agapiti II. anno V. Sedit ab anno Chriſti 946. ad 956. 20. Auguſti, poſt quem diem obiit. *Pagi in Critica ad annum* 955.

SYNO-

SYNODUS COLONIENSIS.

Anno Chriſti CMXLVIII. Agapeti II. Papæ II. Ottonis Regis XII.

Wicfridus, Archi-Epiſcopus Colonienſis, confirmat & ampliat privilegia Eccleſiæ S. Severini.

CONſiderans curam atque pondus meæ diſpenſationis, ac curam commiſſi ovilis, non auſus fui petita præterire: ſed juſſi in Synodali Conventu, quem tunc proxime in cœna Domini collectam habui, ſeptem ſapientes Clericos, & totidem idoneos circum manentes laicos, ſuper capſam S. Petri jurare, qui publice recitarent, ut veracius ſcirent, & poſthæc ſic circumducerent, ut in æternum absque lite ſtaret omnis ille terminus, pertinens ad præfatum S. Severini Monaſterium. Unde factum eſt, ut condixerant: Primum omnem ſalatitiam terram pertinentem ad curtem juxta Monaſterium, ubicunque jacerent locorum: & ſic terminum ducebant ab *urbis porta*, quam vulgus nominat *altam*, per illam plateam uſque ad S. Joannis Eccleſiam, & per ſeptem & decem jurnales in alia parte plateæ jacentes: ab Eccleſia autem per viam, quæ eſt dicta Burchſtrazza, uſque ad villam, quæ eſt dicta Thiedenhoven, cum omnibus, quæ pertinent ad illam: hinc uſque iterum ad villam, quæ nominatur Holuiehen, ac quicquid pertinet ad illam: inde vero ad ſilvam, quæ vocatur Dierlo, & hinc ad Gungenforſt: inde per viam, quæ dicitur Vorſtweg uſque ad Rhenum, & ſic per littus iterum uſque ad civitatis foſſam; ut nemo quid juris, vel poteſtatis, aut termini, ac ſaltem ſenatus inter habeat, nec aliquis Decanus, aut Advocatus illorum juramento meo, & communi conſenſu tam Clericorum, quam laicorum tunc aſtantium, niſi præfati Monaſterii Præpoſitus, exceptis XX. domibus, quæ pertinent ad Eccleſiam ſecus Rhenum, ſub honore S. Dei Genitricis fundatam.

Gelen. de Colon. Agrippin. Magnitud. L. III. Syntag. III. pag. 271.

FRANCOFURDENSIS CONVENTUS

REGIS OTTONIS I, EPISCOPORUM, COMITUM, ET FIDELIUM COMPLURIUM.

Anno Chriſti CMLII. Agapeti II. Papæ VI. Ottonis I. Regis XV.

ANno Incarnationis Domini CMLII. Indict. X. conſtitutum eſt in *Francofurt*, a RegeGlorioſiſſimo *Ottone*, Anno illius XV. conſentientibus Epiſcopis, Comitibus, aliiſque fidelibus compluribus, canonum, Sanctorumque Patrum auctoritate, nec non Capitularium præcedentium Regum inſtitutis, coram poſitis:

I. Ne oppreſſio virginum, aut viduarum, vel raptus, ab ullis hominibus fiat, & ut qui rapiunt eos, ſub nomine ſimul habitandi, cooperantes, & convenientes raptoribus, ſiquidem Clerici ſunt, decidant a gradu proprio; ſi vero laici, anathematizentur, & raptores ſine ſpe conjugii perpetuo maneant: quod ſi poſthæc jungere ſe præſumpſerint, utrique anathematizentur.

II. Inventum eſt etiam a præfato Rege, ut nulla Abbatia, quæ per ſe Electionem habet, ad Monaſterium, nec

nec alicui in proprium dari possit; illæ vero, quæ electione carent, Regis donatione, & privilegio, ad illud Monasterium, quod sub ejus Mundiburnio consistit, subrogari posse.

Ex veteri codice MS. membranaceo Bibliothecæ Palatinæ in Vaticano Romæ asservato N.583. descripsit Cl. Schannatus B. M.

SYNODUS AUGUSTANA

Anno Christi CMLII. Agapeti II. Papæ VII. Ottonis I. Regis XVI.

In causa disciplinæ Ecclesiasticæ celebrata.

PRÆFATIO.

CUm Excellentissimus, piissimusque Otto Rex, superna attractus Clementia, non minus de negotio spirituali, quam de statu Christiani Imperii tractaret, in primis Pontificum, aliorumque Primatum suorum communi consilio fretus, anno Incarnationis CMLII. Indictione X. Anno vero Regni ejus XVI. sub die VII. Idus Augusti, Placitum, Conventumque Synodalem Augustæ fieri decrevit; quatenus concordi diligentia, tam sancti Cleri, quam populi Ecclesiæ stabilitatis profectus, & totius Christianitatis utilitates tractarentur. Cujus Divinæ rei dispositionem per Reverendissimi, atque Prudentissimi Frithurici, Moguntinæ sedis Archi-Episcopi, industriam maxime gubernari deliberavit. Geroldo etiam Juvavensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Manasse quoque Mediolanensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Petro Ravennate Archiepiscopo, cæterisque Italiæ, Galliæ, Germaniæ subnotatis Pontificibus, huic discussioni operam exigentibus, Udalrico Augustensis Ecclesiæ Episcopo, Annone Wangionensis Ecclesiæ Episcopo, Starcando Eistetensis Ecclesiæ Episcopo, Conrado Constantiensis Ecclesiæ Episcopo, Poppone Wirceburgensis Ecclesiæ Episcopo, Godefrido Nemetensis Ecclesiæ Episcopo, Hartberto Curiensis Ecclesiæ Episcopo, Votone Argentinensis Ecclesiæ Episcopo, Lantberto Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, Hugone Aritiensis Ecclesiæ Episcopo, Michaële Ratisponensis Ecclesiæ Episcopo, Adalberto Patavensis Ecclesiæ Episcopo, Ludfrido Picinensis Ecclesiæ Episcopo, Gisibrando Tordonensis Ecclesiæ Episcopo, Antonio Brixiensis Ecclesiæ Episcopo, Witone Cumano Episcopo, Deodato Parmensis, Adelardo Regiensis Ecclesiæ Episcopo, Sigolpho Placentinæ Ecclesiæ Episcopo, Adalgiso Aquensis Ecclesiæ Episcopo. Cum eorum unanimis diligentia huic Ecclesiastico negotio vigilanter instaret, omnibus ratum putabatur, principem regni, beatæ matris Ecclesiæ devotum filium postulare, quatenus ibidem Divina discutientibus interesse dignaretur. Tum die præfinito eo veniens dulcisona modulationum jucunditate, honorifice, uti Regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, Missa celebrata finita, satisfaciendo Pontificum petitioni, cum insigni privatim turba Synodum intravit. Interim Reverendus Moguntinæ sedis Archiepiscopus Frithuricus se e solio erigens, humiliter, strenueque sermonem, regulari studio congruentem protulerat: deinde cuncta, quæ de jure Ecclesiastico juxta canonicam auctoritatem, & imitanda sanctorum Patrum decreta erant ventilata, pronuntians in omnibus huic rei necessariis se in immune ejus præsidium sentire postulabat. Quibus Rex superni amoris igne succensus, & zelo Divini amoris animatus, mentis corporisque nisu, Ecclesiasticarum rerum auxiliatorem, defensorem promptissimum se esse promittendo certificavit. Hac videlicet promissione audita regali, prælibatus Archiepiscopus residens, communi ceterorum assensu, capitula subsequentia titulari præcepit.

CA-

CAPITULA.

I.

SI quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque, uxorem accepit, a sibi injuncto officio deponendus est, sicut in Concilio Carthaginensi tenetur cap. XXV.

II.

Episcopos, Presbyteros, vel aliquem de Clero, canes venandi amore vel accipitres habere non licet, sicut in Concilio legitur Toletano, cap. X. Quisquis autem personarum hujusmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni Ecclesiastico officio cesset.

III.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aleæ vacans, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in canone Apostolorum habetur cap. XLII. deponendus erit.

IV.

Nullus in clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. Si vero aliqua suspicionum maculis aspersa, contra hæc agere tentaverit, ab Episcopo, vel ejus Misso virgis cæsa detondeatur. Si autem sæcularis potestas fieri prohibuerit, Regia potestate fœmina coacta prælatæ sententiæ subjaceat.

V.

Diversa sæcularis vitæ negotia fugientes, monasticæ institutionis normam aggredientes, extra claustrum sine licentia proprii Abbatis ire non licet; sed tantummodo jejunio & orationis vacare, in locis, quibus renuntiaverunt sæculo, permanentes, sicut in Concilio Chalcedonensi præcipitur.

VI.

Oportet etiam Episcopum, in cujus Diœcesi cœnobium situm est, monachorum providentiam gerere: & si aliquid correctione dignum reperit, corrigere festinet.

VII.

Clericis monachicum habitum sequi cupientibus, & pro remuneratione Divina, sæcularibus spretis, arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab Episcopo denegetur; sed potius eum in tali conversatione præstare exhortari conetur, sicut in Concilio Toletano habetur capitulo I.

VIII.

Sanctimonialis, quæ spontanea voluntate strictiori vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum, ab Episcopo impediatur.

IX.

Ut laici Presbyteros, sine conscientia & consensu proprii Episcopi, ab Ecclesiis, eis canonice commendatis, non ejicere præsumant, nec alios locum eorum subire faciant; quia ut ab Episcopis ordinantur, ita necesse est ab ipsis Ecclesias procurandas accipiant, sicut in Concilio habetur Arelatensi cap. IV.

V.

Ut omnis decimatio in potestate Episcopi sit: & si neglecta fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram Episcopo, ejusve Misso corrigatur.

XI.

Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia Divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

Hardouinus Tomo VI. Concilior. Part. I.

Continuator Reginonis XXXIV. Episcopos cum Marino Legato interfuisse huic Synodo scripsit.

Eodem anno, mediante Augusto mense, Conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum, & Longobardorum publicus apud Augustanam urbem Rhetiæ Provinciæ agitur: ubi præscriptus Berengarius cum filio suo Adelberto Regiæ se per omnia in vasallitium dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono Regis accepit regendam. Marca tantum Veronensis & Aquilejensis excipitur, quæ Henrico fratri Regis Ottonis I. committitur.

Continuator Chronicorum Reginonis hæc politica acta hujus Conventus Augustani adnotavit: nos Ecclesiastica supra retulimus.

ARN-

ARNSTAD. CONVENTUS

Circa annum Chriſti CMLIV. Agapeti II. Papæ VIII. Ottonis I. Regis XVIII.

PRævenit (*a*) imminentem hanc preſſuram Eccleſiæ Pax *in Placito Regali, quod in Arnſtad habitum* fuit, ex integro condicta, ex magna jam parte per Imperatoris noſtri, fratrumque ejus ſapientiam confirmata.

Prævenit (*b*) hanc preſſuram imminentem Eccleſiæ, (*c*) pax in Palatio (*melius lege:* placito) Regali, quod in Arneſtad habitum fuit, ex integro condicta, & ex magna jam parte per Imperatoris noſtri, ſtratrumqne ejus ſapientiam confirmata. E revera tribubus & linguis innotuit, quia Deus diſſentionis non eſt, ſed pacis.

(*a*) *In vita S. Vrſmari* 18. Aprilis apud Bollandianos, ſcripta a Fulcuino Abbate: cum de Hungarorum incurſione Lobbienſe cœnobium præſervatum Sancti interceſſione fuiſſet.

(*b*) Et *in vita Brunonis* Archiep. Colonienſ. authore Rotgero ejus familiari. *Apud Leibnitz rerum Brunſw. Script. Tom. I.* Hungarorum cædes pleniſſima Ottone I. Victore accidit X. Auguſti 954.

(*c*) Pax illa inita eſt XVI. Kal. Januarii inter Ottonem Regem, & filium ejusdem Luitolfum in loco Arneſtad, item inter Cunonem, ſeu Conradum, Ottonis Regis generum nunc Franconiæ, antea Lotharingiæ Ducem, inſtigatorem Luitolfi. *Hæc ex Mariano Scoto ad annum* 954. *Pagi in Critica ad* 954.

In eodem loco Arneſtade Wilhelmus, Ottonis I. Regis Filius, defuncto Friderico, Moguntiacenſi Archi-Epiſcopo, electus fuit Archiep. Moguntiæ, ſubin IX. Kal. Januarii 954. conſecratus: erat nempe dies XXIV. Decembris Dominica.

Continuator etiam Reginonis ad hunc annum Electionem Wilhelmi, filii Regis Ottonis, a Clero & populo concordem in Arneſtad in locum Friderici Archi-Epiſcopi Moguntini nuper defuncti refert. *Ex editione Struvii Tomo I. Scriptorum Germaniæ.*

SYNODUS FRISINGENSIS.

FRISINGÆ IN PRESBYTERIO CORAM SYNODO, IN DIE SANCTO COENA DOMINI.

Anno Chriſti CMLVI. Joannis XII. Papæ I. Ottonis I. Regis XIX.

Concambium Lantperti Epiſcopi Friſingenſis, & Engilſcaletri nobilis viri, ad uſum Eccleſiæ S. Mariæ, & S. Corbiniani.

IN Dei nomine. Placuit, atque convenit &c. &c. Tradidit igitur prædictus nobilis vir, qualem proprietatem habuit in loco, qui dicitur Seiſtinhuſa, Curtiferum I. & arabilis terræ jugera CVIV. & de pratis jugera XXV. cum paſcuis, exitibus, & reditibus, aquis, aquarumque decurſibus, viis, & inviis, quæſitis, & inquirendis, fontibus, in manus prænominati Epiſcopi, & Advocati ſui Ratoldi ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ, ſanctique Corbiniani, Confeſſoris Chriſti, & Canonicis in alimoniam perpetualiter exiſtendum. Contra vero in recompenſatione ejuſdem Concambii idem Epiſcopus una cum manu Advocati ſui præſcripti, de rebus prætitulatæ Eccleſiæ, & Canonicorum in loco, Haderihhesdorf nominato, Curtiferum I. & arabilis terræ jugera CVIII. & de pratis jugera X. eidem ante dicto nobili viro ævis temporibus in proprietatem

tatem tradidit habendum, & exinde quicquid libuerit faciendum. Unde & duas commutationes &c. Isti sunt testes, sicut mos est Bajoariorum, per aures tracti: Eparhart Comes, Wolftregil, Huch, Erimperht, Ruodperht, Sigimuot, Papo, Reginloch, Adalfrid, Salahho, Peranger, Kerhoh. Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCCLVI. Actum Frisingam in Presbiterio coram Synodo in die Sancto Cænæ Domini.

Meichelbeck Histor. Frisingens. Tomo I. Part. II. Instrumento MXXXIII. pag. 445.

CONVENTUS REGIS OTTONIS EPISCOPORUM ET ABBATUM IN QUINTILINGABURG.

Anno Christi CMLIX. Joannis XII. Papæ IV. Ottonis I. Regis XXIV.

ACTA. Monasterium Alanesburg in Alsatia transfertur Lutram, cui novus Abbas Baltramnus præficitur, libera electio Abbatis, & varia prædia a Rege Ottone conceduntur.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Otto Divina favente Clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque tam præsentibus, quam & futuris: qualiter Legati *Abbatis Baltramni*, ejusque congregationis, qui manebant *Alanesberg*, locum monachorum utilitati valde incommodum, nostram adierunt Clementiam proclamationis causa, & consilii; ut pro Dei amore, animæque nostræ remedio, qualiter ipsum locum alias mutare possent, & consilium eis, & locum, monachis convenientem concederemus. Nos vero legatione de tali congaudentes, pro statu Sanctæ Dei Ecclesiæ, & memores retributionis æternæ, accepto consilio ab *Episcopis*, & *Abbatibus*, & omnibus nostris fidelibus, qui in Pascha Domini nostri nobiscum *Quintilingaburg* manebant, locum, quem accepimus a filiis Hugonis, & Heberhardo, & Hugone, Luterhaa vocatum, monachis aptissimum, eis concessimus, *Baltranno* videlicet, & ejus subditis, modo sub Regimine, & regula Sancti Benedicti degentibus, & omnibus per sæcula, qui pro Dei amore prospera hujus mundi cum mundo abrenunciant; & inibi Regulæ sequentes præcepta, Deo juncti, sæculo incogniti, sub Abbatis eligunt habitare militia. Aliud quoque donum Regalitatis nostræ eidem loco contulimus, prædium scilicet, quod a Bosone in loco, qui dicitur *Walvesheim*, & *Nirodesheim*, concambiavimus, cum omnibus appendiciis suis. Volumus etiam, sicuti & per plurima loca auctoritas firmat, ut omnia ex priori loco, ubi habitaverunt, tam in prædiis, quam in aliis rebus, Luthra translato, in honore B. Petri Apostolorum Principis & Ecclesia fiat constructa, & maneat congregatio eo modo, ut sub mundibundio deinceps maneat Regum Francorum, & jus proprietatis permaneat Romæ B. Petro Principi Apostolorum. Insuper annuatim ex ipso jam dicto loco Luterha Romæ censualiter persolvantur x. Sicli argenti...

Ad Abbatem inter se eligendum sine ullius contradictione liberam obtineant potestatem. Et nullus Archiepiscopus, vel Episcopus, eorum Dominetur, præter Romanum Apostolicum, & Mundibundio Regum Francorum. Ut hæc tamen verius credantur, hoc præsens præceptum manus nostræ signo, & annuli nostri impressione roborari jussimus. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Lintulfus Cancellarius, ad vicem Bremensis Archicapellani, recognovit. Data VIII. Id. Aprilis anno Dominicæ Incarnatio-

nationis DCCCCLIX. Indict. II. anno vero Regni Ottonis Sereniſſimi Regis XXIV. Actum Quintilingaburg in Dei nomine feliciter.

Ex Chartario Lutrenſi deſcripſit *Mabillon* ad calcem vitæ Baltramni Abbatis. *Sæculo V. Benedictino.*

Ex quo *P. Calles Annalium Eccleſiaſticorum Germaniæ Parte IV. Lib. VI. Num. XLV.* Difficultates quaſdam circa hoc diploma natas *ex actis S. Deicoli*, concilians cum vita Baltramni Abbatis.

CONCILIUM INGELENHEIMENSE, XLI. EPISCOPORUM.

Anno Chriſti CMLVIII. Joannis XII. Papæ III. Ottonis I. Regis XXII.

Ad ſubſtituendum in Saltzburgenſi Archi-Epiſcopatu Fridericum pro Heroldo luminibus orbato.

Heroldus, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopus, ejus conjurationis, quam Liudolfus, Ottonis tunc Regis, mox Imperatoris, filius molitus fuit, conſortem ſe præbuerat; cujus delicti pœnam Henricus Dux, Ottonis frater, exacturus captum illum luminibus orbavit. Ea de cauſa cum minus aptus muneribus Epiſcopatus Heroldus factus eſſet, Epiſcopi in octavis Paſchæ anni 958. in Synodum in Ingelenheim convocati, Fridericum, aſſentiente Heroldo, ſubſtituerunt. En verba *Annaliſtæ Saxonis Eckarti*, quæ pariter & apud *Continuatorem Reginonis* recurrunt: In octavis Paſchæ conſenſu Heroldi Archi-Epiſcopi cæcati, apud Ingelenheim in præſentia Regis habita XLI. Epiſcoporum Synodo, Fridericus Saltzburgenſi Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.

Heroldus e Comitibus Schirenſibus adivit Archi-Epiſcopatum decimus Salisburgenſem anno CMXX, exauctoratur anno CMLIV. Excæcatur ab Henrico Saxone, Duce Bajoariæ, fratre Ottonis I. Regis: Achi-Epiſcopatu cedit CMLIX.: moritur CMLXVII. *Hanſiz. Germaniæ Sacræ Tom. II.*

Fridericus I. e Comitibus de Chiemgau ſubſtituitur Heroldo Archi-Epiſcopus XI. anno CMLIV, conſecratur CMLVIII, quo anno & Pallium accepit, moritur CMXCI. Hanſitz. in Hiſtoria Salisburgenſi *Tomo II. Germaniæ Sacræ* accuratius, quam Beyerlinck in *Theatro vitæ humanæ*, verbo: *Epiſcopus.*

CONVENTUS EPISCOPORUM RATISBONÆ.

Anno Chriſti CMLXI. Joannis XII. Papæ V. Ottonis I. Regis XXV.

Translatio Reliquiarum Sancti Mauritii, & quorundam Sociorum ejus.

Regnante piiſſimo Rege Ottone, anno ejus Regni XXV. præſentibus Legatis Domini Apoſtolici, & univerſalis Papæ Johannis XII., Johanne ſcilicet S. Rom. Eccleſiæ Archidiacono, & Azone Protoſcriniario: Archi-Epiſcopis vero Walthero Mediolanenſi, Wilhelmo Moguntienſi, Friderico Saltzburgenſi.

burgensi: Episcopis quoque Othelrico Augustensi, Poppone Wirceburgensi, Michaele Ratisponensi, Hartberto Curiensi, Adalberto Laureacensi, Abrahamo Frisingensi, Lanwardo Mindunensi, Petro Novariensi, Ricberto Sabinensi, Landelao Basiliensi, in Vigilia Nativitatis Domini, Corpus S. Mauritii, & quorundam Sociorum ejus defertur: quod maximo, ut decuit, honore Parthenopolim (Magdeburgum) transmissum, unanimi indigenarum & comprovincialium conventu ibidem susceptum est, & ad salutem Patriæ hactenus veneratum est. Insuper plurimorum Reliquiæ Sanctorum, Apostolorum, scilicet, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum, eodem die Gloriosissimo Regi Ratisponæ allatæ sunt.

Ditmar. L. 2.

Annal. Saxo ad ann. 961.

BULLA JOANNIS XII.

Anno Christi CMLXII. Joannis XII. Papæ VII. Ottonis I. Regis XXVI. imperii I.

Pro erectione Archi-Episcopatus Magdeburgensis, & Merseburgensis Episcopatus.

JOHANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENTISSIMIS CONFRATRIBUS ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, MONACHIS, PRIMATIBUS, OMNI CLERO ET POPULO IN GALLIA, GERMANIA, BAUVARIA CONSTITUTIS.

QUociens ad profectum novæ Christianitatis concessionis, firmitatisque privilegium a sancta Romana Ecclesia, cui, Deo autore, deservimus, exposcitur, tociens omni diligentia omnique amore impertiri operæ precium duximus, ne, quod erga pia desideria propensius impendi convenit, callidi hostis invidia ob desidiam indeficienter subripiat. Totis ergo viribus, carissimi fratres, certandum est, ut Christianitatem, quam Deus omnipotens per servos suos cœlesti tropheo quotidie extendit, & provehit, nostro quoque per eum adjutorio in eodem solidetur & maneat. Nunc vero, Dei operante Clementia, carissimus & Christianissimus filius noster Rex Otto, devictis barbaris gentibus, Avaribus scilicet, aliisque quamplurimis, ut ad defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ, triumphalem victoriæ, imperii culmen, per nos a beato Petro Apostolorum Principe susciperet coronam; summam, & universalem, cui Deo præsidemus autore, adiit sedem: quem paterno affectu suscipientes ob defensionem S. Dei Ecclesiæ in Imperatorem cum beati Petri benedictione unximus; cumque in Ecclesia beati Petri Apostoli de statu & regimine totius Christianitatis tractantes, quæ utilia sunt, utiliter secundum Deum tractarentur; præfatus piissimus Imperator Otto, qualiter Sclavos, quos ipse devicit, in Catholica fide noviter fundaverat; nostræ innotuit paternitati, deprecans & obnixe postulans, ne oves, quas ipse in Christo acquisierat, ob pastoris defectionem antiqui serpentis versutia damnarentur. Ad hanc itaque petitionem assensum, fratres carissimi, merito præbuimus. Totis ergo medullis cordis, prout dignum est, ut novella hæc plantatio super verticem montis in petra, quæ Christus est, fundetur, intendamus. Dabit vires, qui neminem vult perire, cujus annuente clementia volumus, & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Magdaburgense Monasterium, in regno Saxonum juxta Albim constructum, quod prælibatus Sanctissimus Imperator ob novam Chri-

Christianitatem construxit, quia vicinius id locorum gentibus est, in Archi-Episcopalem transferatur sedem, quæ per subditos suffraganeos totum Dei gregem regere, & gubernare valeat. Volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Mersburgense Monasterium, quod ipse piissimus Imperator, quia Ungaros prostravit, futurum Deo devovit, in Episcopalem debeatur (*a*) sedem, quæ Magedaburgensi sit subdita sedi; & quia tot gentes sub uno pastore regi minime possunt, volumus, & per nostræ auctoritatis privilegium censemus, ut censum & decimationem omnium gentium, quas idem piissimus Imperator baptizavit, vel per eum, suumque filium æquivocum Regem, successoresque eorum baptizandæ sunt, ipsi successoresque eorum, Deo annuente, potestatem habeant, distribuendi, subdendi Magedaburgensi, Mersburgensi vel cuique velint, futuræ sedi. Volumus etiam, carissimi confratres, & ex B. Petri Apostoli jussione præcipimus, ut Mogontiensis, Trevirensis, Coloniensis, Saltzburgensis, Hammaburgensis, Archipræsules, Magedaburgensis Monasterii in Archiepiscopalem, & Mersburgensis translationem in Episcopalem sedem, totis cordis corporisque viribus consentanei fautores persistant. Cum vero Deus omnipotens per prætaxatum servum suum invictissimum Imperatorem, suumque filium Regem, successoresque eorum vicinam Slavorum gentem ad cultum Christianæ fidei perduxerint, per eos in convenientibus locis secundum opportunitatem Episcopatus constitui, & in eisdem per consensum prædictorum quinque Archi-Præsulum, successorumque eorum ab Archiepiscopo Magdaburgensi Episcopos consecrari volumus suffraganeos; sed tamen si præfati filii nostri piissimi Imperatoris, suique filii æquivoci Regis successores eorum statuta frangere tentaverint, aut prædictarum Ecclesiarum, cæterique Præsules, successoresque eorum Magedaburgensi Archiepiscopo, suisque successoribus, eorumque suffraganeis, & eorum successoribus adjutores, consentaneique non fuerint, anathematis mucrone feriantur, a summoque retributore damnationem sine fine recipiant. Omnipotens itaque Deus Serenissimo Imperatori Ottoni, suoque nato æquivoco Regi, Spirtualibus filiis nostris, longævam tribuat vitam, quatenus in hoc sæculo tranquille viventes, in futuro immarcescibili gloriæ percipiant palmam. Scriptum per manum Leonis Scriniarii S. Sedis Apostolicæ in mense Febr. Indict. v. Data II. idus Febr. per manum Georgii secundicerii S. Sedis Apostolicæ: anno Deo propitio Pontificatus D. D. Joannis summi Pontificis & universalis Papæ VII. Imperii D. D. Piissimi Augusti Ottonis a Deo coronati magni Imperatoris anno primo (*) in mense & indict. v. factum.

CANONES.

I.

Quod antiquæ Ecclesiæ a novis nec decimis, nec ulla possessione sunt spoliandæ.

II. Quod dotes Ecclesiæ non auferantur.

III. Quod Ecclesiastica statuta, & privilegia ab Apostolis, & reliquis Magistris Ecclesiæ tradita, integra serventur, & prævaricatores eorum excommunicentur.

IV. Quod consuetudines Ecclesiasticæ pro lege sunt tenendæ.

V. Quod tricennalis possessio firma sit.

VI. Sicut Dœcesim tricennalis (*b*) possessio tollit; ita territorii conventum non admittit: ideoque basilicæ, quæ novæ conditæ fuerint, ad eum procul-dubio Episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

Leuckfeld. in antiquitat. Halberstadiensium Diplomat. Num. 26.

(*a*) *forte*: erigatur.

(*) Hoc anno, mense Februario, a Joanne XII, non anno 961. a Leone, ut Albertus Stadensis errat, Ottonem coronatum fuisse, statuunt Ditmarus L. IX. Sigebertus. Conrad. Urspergensis, Sigonius L. VI. Rubeus L. V. Luitprandus L. VI. *Baronius ad hunc annum. Ex his Samuel Lentzen in historia Archiep. Magdeburgensis. V. Leuckfeld. in antiquitatibus Halberstadiensibus.*

(*b*) *Martene legit*: triennalis. Idem Canones addidit, a Leuckfeldio omissos.

CON-

CONCILIUM COLONIÆ.

Anno Christi CMLXIV. Benedicti V. Papæ I. Ottonis I. Regni XXIX. imp. III.

AD annum CMLXIV. Bruno Dux, & Archi-Episcopus Coloniensis, vir Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimus, Synodum Coloniæ Provincialem celebrans, omnes Episcopos & Abbates de toto Archiepiscopio suo convocavit, & multa in eodem Concilio ad utilitatem communem constituit.

Trithemius Annal. Hirsaugiens. novæ editionis.

Synodicam suam Epistolam per Hadamarum, venerabilem Monasterii Fuldensis Abbatem, Romam ad Agapitum miræ Sanctitatis Papam direxit, in qua, cujus spiritus esset, & quia Pastor a Domino missus esset, innotuit. *Ruotgerus in vita Brunonis apud Leibnitz Tomo I. Scriptor. Brunswicens. pag.* 281.

Sed Agapitus II. PP. sedit ab A.C. 946. ad 956. igitur in *alia* Synodo, quam ea, ab Trithemio insinuata, oportet hanc Synodicam Epistolam scriptam fuisse, adeoque tres Synodi Colonienses hinc innotescunt sub Brunone I. Archiep. celebratæ.

CONVENTUS EPISCOPORUM APUD COLONIAM.

Anno Christi CMLXV. Benedicti V. Papæ I. Ottonis I. regni XXX.

In quo præsente Ottone Imperatore, Ottone Rege, ejus filio, ac Lothario Francorum Rege, Fundatio Collegiatæ S. Martini Leodiensis Ecclesiæ confirmatur.

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI SALVATORIS, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, EVERACCUS, SERVORUM CHRISTI SERVUS, UNIVERSIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ, ET APOSTOLICÆ FILIIS.

QUam sit arduum & antiquum proclive, se ipsum regere, virtutibus indulgere, vitiis temperare, cum prudens quisque sui, suorumque curam gerens considerat, nescio, an quicquam sublimius hanc vitam degens agere queat, si tamen ab animi sui deliberatione exeat homo ad opus suum, & operationem suam extendat usque ad vesperam. Inde mihi (*a*) aliud solicite meditanti postquam voluntate Domini mei dictum est: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia, quanta tibi fecerit Dominus.* Inde inquam, angustiæ mihi factæ sunt undique, & quidquid deligerem, ignoravi. Subdita est mihi cogitatio frequenti impulsu summi & incomparabilis viri, Domini Brunonis Archi-Episcopi, ut si quos possem, ad Apostolicam colligerem disciplinam, ubi multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Hoc est enim, nisi fallor, quod bonum & jucundum monstrat Psalmista, habitare fratres in unum, monacho quidem omni, sed non soli aptum. Et ut antiquus nostræ sedis locus ipse quoque in perpetuum honorabilis habeatur, nec ob nostri rudimenta laboris detrimentum aliquod patiatur, delegi locum satis amœnum in edita montis specula, cui publicum nomen

(*a*) *fors:* illud.

men eſt, quo & ſedem noſtram, & eam, quæ domus Epiſcopi dicetur, auctoritate Brunonis Archi-Epiſcopi, cui omnia debeo, juſſu etiam magni Imperatoris, & Cæſaris Auguſti Ottonis, Cleri quoque noſtri & plebis, quiſque vir melior eſſet, aſſenſu, transferrem: ubi in Eccleſia, cujus ego fundamenta jeci in honore beatiſſimæ Dei Genetricis & Virginis Mariæ, Sanctique Lamberti Pontificis, & Martyris, de prædiis, quæ vel precariis, vel ingenio quolibet contraxi, quæve de antiquioribus Eccleſiæ rebus rationabiliter his addere potui, ſecundum ſtatuta canonum, & decreta, vel conſilio Confratrum meorum, quorum id intererat, cum præceptis Regiis oves Dominicas, quæ ſummi Paſtoris vocem audiant, pro captu meo facere deſtinavi. Quorum vitam conſtituimus, ut (*b*) unum cibum capiant, propter dormiant, prælatis obediant, nihil citra præfixam ſibi legem faciant, ad ſummam: domitores exiſtant ſuæ voluntatis, ut pax illis ſit in terra hominibus bonæ voluntatis. Quod ut notum eſſe poſſit, non his tantum, qui modo ſunt, ſed etiam poſteris noſtris hoc monimentum confirmationis conſcribi fecimus, quod & Imperatoria dignitate, & Principum aſſenſu, bonorumque omnium notitia, & pro favore roborari volumus: in quo & prædia, quæ in ſupra memorato loco ad ſervientibus Deo victum, & veſtitum miniſtrare ſufficiant, & teſtes, quibus hæc probentur, adſcribi ſanximus. Eccleſiam in Berlheim, Butſeheim, Oreſeheim, Witteresfucka: Eccleſiam in villa Beinchovum, Flaredesheim cum Eccleſia, villam Benoite cum Eccleſia Woltenſi, villam Camus cum Eccleſia: in villa Helſi tres manſos, in villa Althuoſe I. in villa Hakeſi II. in villa Frera V. Utheri Geroldingum, Woromia cum Eccleſia, Welez cum Eccleſia, Ruvanſeis, Sluzin, in villa Liedes manſum I. Scozes Malgreis Eccleſiam in Olſejo, ſumma Fummenſusmont, Marchinus, Slies, Aſſeza cum Eccleſia.

Signum Ottonis invictiſſimi Cæſaris.
Signum Ottonis invictiſſimi Regis.
Signum Lotharii Regis.
Signum Brunonis Colonienſis Archi-Epiſcopi.
Signum Thiederici Trevirenſis Archi-Epiſcopi.
Vodalrici Remenſis Archi-Epiſcopi.
Everacri Leodienſis.
Baldrici Trajectenſis.
Hideboldi Mimigadefurenſis.
Lantewardi Mindenſis.
Drogonis Osneburgenſis.
Thiederici Metenſis.
Wicfridi Virdunenſis.
Gerardi Tullenſis.
Ingranni Cameracenſis.
Ingranni Abbatis.
Alberti Abbatis.

Ego Bruno, Gratia Dei Archi-Epiſcopus & Primiſcrinius recognovi. Data IV. Nonas Junii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXV. Indict. VIII. Anno Imperatoris Auguſti XXX. Item anno Ottonis Regni V. Actum Coloniæ Palatio feliciter.

Martene veterum Monumentorum collect. ampliſſima. Tomo VII. col. 54. *Ex quo Manſi Tomo I. Supplementorum pag.* 1143.

(*b*) *forte:* una.

CONVENTUS EPISCOPORUM IN QUEDLINBURG.

Anno Chriſti CMLXVI. Joannis XIII. Papæ I. Ottonis I. Regis XXX.

Antequam Rex iret in Italiam, Machtild unica filia ejus, decus Sanctimonialium, communi conſenſu Cleri & populi, Religioſiſſimæ Congregationis S. Servatii (in Quedlinburg) in Abbatiſſam electa eſt, ac præſentibus Ottone Imperatore, & matre Imperatrice Athelheide, aviaque ſua Machtilde Regina, nec non Rege Ottone fratre ſuo, cunctisque Optimatibus Regionis illius utriusque ſexus, non uno, uti moris eſt, benedicente Epiſcopo, ſed cunctis Regni Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis in hoc opus collectis, benedicta eſt.

Anonym. in vita S. Mathild. Reg. C. 6. *n.* 31.

SYNO-

SYNODUS VIRDUNENSIS.

Sub Wicfredo Episcopo.

Anno Chrifti CMLXVII. Joannis XIII. Papæ II. Ottonis I. regis XXXI. imp. VI.

NOverit omnium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Virdunenfis Ecclefiæ fidelium Clericorum, & Laicorum tam præfentium, quam futurorum, induftria, quod ego Wigfridus, præfatæ Ecclefiæ, quamvis indignus Epifcopus, anno noftræ ordinationis VIII. in fancta refidens Synodo: Relatum eft ad aures noftras, Capellam in noftro Epifcopio juxta Ecclefiam Sancti Michaëlis in honore fancti Martini fitam, caufa neceffitatis noviter factam effe; de qua cunctis temporibus ad fancti Syrii Ecclefiam fubjecta fuit decima: fed tamen ille, cui beneficium erat, Bertaldus, fidelis nofter, inquit: faciam eam ftare per fe. Tunc vero abbas, nomine Oddo, cui prædictæ Ecclefiæ providentia erat commiffa, venit Virdunum ad Generalem Synodum, & talia nobis retulit. Facta autem inquifitione in ipfa fancta Synodo, reperimus eam conftructam effe temporibus Halevinci, prælibatæ Ecclefiæ abbatis, & Harcheri, cui beneficium tunc temporis erat. Nos denique plura exempla a fanctis Patribus fequentes, hanc nefariam confuetudinem, communi noftrorum Clericorum & Laicorum confenfu irritam duximus, & ne in poftmodum fieret, auctoritate noftri minifterii omnimodis prohibuimus. Judicio denique noftrorum fidelium, & confenfu in plena Synodo feptem fideles Presbyteri fecundum legem probaverunt, potius fubjectam effe ad præfatam Ecclefiam, quam ad aliud beneficium prænotatum, quorum hæc funt nomina: Ermenardus, Item Ermenardus, Winierus, Savilis, Wigineus, Gonbertus. Poft illud videlicet Sacramentum, bannum noftrum, ne aliquis deinceps mutire aliquod præfumeret, indiximus, & omnes circumfedentes pari voto affenfum præbebere juffimus. Et ut hoc remiffionis fcriptum per fuccedentia tempora permaneret ftabile, & inconvulfum; manu propria illud firmavimus, manibufque noftrorum fidelium, Clericorum fcilicet, & Laicorum roborandum effe decrevimus ftipulatione fubnixa. Actum fub die V. Kal. martii anno VI. Regnante Ottone Rege Filio Domini Ottonis Imperatoris Augufti.

Signum Goldefridi Comitis & Vicedomini.

Sig. Givardi. Sig. Gotberti, & Milonis geminorum. Sig. Ramberti. Sig. Erlebodi. Sig. Bertoldi. Sig. Rotberti. Sig. Folchardi. Sig. Eremboldi. Sig. Richarii. Sig. Sertonis. Sig. Rotmari. Riculfi.

Sig. Oddonis abbatis.
Sig. adelardi abbatis.
Sig. Halevinci Præpofiti.
Sig. David Decani.
Sig. Dudonis Presbyteri.
Sig. Milonis abbatis.
Sig. Berneri Primicerii.
Sig. Hadeboldi archidiaconi.
Sig. Richeri archidiaconi.
Sig. Ermunberti Presbyteri.

Ex Lib. IV. Mifcellaneorum Baluzii.
Mabillon. Tomo III. Annal. Benedict. pag. 558.

Wigfridus in Cathedra Verdunenfi fucceffit Berengerio Epifcopo anno 959. pridie Idus Augufti, & fedit ad annum 983. quo obiit.
Calmet Tomo I. Hiftoriæ Lotharingiæ pag. XLV. Differtationis præviæ.

Otto II. Filius Ottonis I. Augufti, coronatur Aquisgrani Rex Germaniæ anno 961. 26. Maji, ergo annus VI. Ottonis II. concurrit Anno Chrifti 967.

CONCI-

CONCILIUM RAVENNATENSE I.

IN CAUSA SALTZBURGENSIS ARCHI-EPISCOPI HEROLDI.

Anno Chrifti CMLXVII. Joannis XIII. Papæ III. Ottonis imp. VI. Regni XXXI.

Ex quo hæc Synodica Epiftola de Heroldo Archi-Epifcopo excommunicato.

JOannes Sanctæ Romanæ, & Apoftolicæ Ecclefiæ Præful, omnibus Archiepifcopis & Epifcopis, noftris dilectis in Chrifto Fratribus, apud fanctam Synodum Ravennæ, nobifcum aggregatis, æterna beatitudinis gaudia.

Sanctitati & dilectioni veftræ, notum effe volumus: quod *Heroldus*, dudum Salzpurgenfis Ecclefiæ Archiepifcopus, contra Canonicam & Apoftolicam auctoritatem, nefaria præfumptione poft fuorum oculorum amiffionem videatur facrum celebrare myfterium, & quod ridiculum eft, pallium geftare follempniter. Hoc namque non ad modicam herefeos vefaniam attinet, & nobis, omniumque fratrum orthodoxorum prudentiæ debet videri execrabile: præfertim cum ipfe pro fua culpa, & perfidiæ temeritate exoculatus fit; eo quod Ecclefias Dei exfpoliaverit, thefaurum paganis erogaverit, fefeque eis junxerit in Chriftianorum necem & deprædationem, contra Dominum & piiffimum Imperatorem, fuum feniorem, rebellis & infidelis exftiterit: & proinde a decefforibus noftris, fanctæ memoriæ Pontificibus omne facerdotale officium fæpe fit ei interdictum: atque electione & poftulatione omnium pene nobilium Bajoariorum, fcilicet Clericorum, & laicorum, fancta Romana mater Ecclefia fuæ auctoritatis privilegio, Fridericum, virum venerabilem, & cunctis laudabilem, loco ejusdem Heroldi, fieri, effeque Archi-Epifcopum omnimodo decreverit. Quapropter itaque noftrorum decefforum auctoritatem fequentes, veftræque omnium Fraternitatis affenfione roborati, ipfius Heroldi hæreticam & temerariam pravitatem ammodo ac deinceps dampnamus, & penitus confutamus ex vice beati Petri, Principis Apoftolorum, nec non omnes fequentes cœcitatem corporis, & mentis ejus, in tali præfumptione, eique communicantes excommunicamus, immo & anathematifamus ufque ad pleniffimam emendationem. Infuper jam dicto Friderico, per auctoritatem Sedis Apoftolicæ, digniffimo Archi-Epifcopo, honorem & dignitatem Salzpurgenfis Archi-Epifcopatus confirmamus & corroboramus, & univerfos humilitati ejus allubefcentes benedicimus, & Catholicos approbamus; unde rogantes hortamur Sanctitatem Fraternitatis veftræ, ut in hoc nobifcum pariter affentiatis, & huic noftræ Apoftolicæ Sanctioni veftram confirmationem præbeatis.

Johannes, fanctæ Catholicæ, & Apoftolicæ Romanæ Ecclefiæ Epifcopus, huic Sanctioni editæ a me in Synodo apud Ravennam, fubfcripfi.

Signum Domni Ottonis Sereniffimi Imperatoris.

Rodaldus, Patriarcha Aquilegienfis Ecclefiæ, interfui & fubfcripfi.

Petrus, fanctæ Ravennatenfis Ecclefiæ fubfcripfi.

Vuido, fanctæ filvæ candidæ Epifcopus, & Bibliothecarius S. Sedis, fubfcripfi.

Benedictus, fanctæ Portuenfis Ecclefiæ Epifcopus.

Waper-

Heroldus Archiep. Salisburgenfis anno 954. ob rebellionem excæcatus fuerat, & nihilominus contra Canonicam & Apoftolicam auctoritatem facrum myfterium celebrare, & Pallium geftare folemniter præfumebat: quare a Papa excommunicatus fuit, & ut talis denuntiatur hac *Synodica* Epiftola.

Wapertus, ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſubſcripſi.
Gauzelinus, Patavienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
Otkerus, ſanctæ Spirenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Lanwardus, ſanctæ Mindenſis Eccleſiæ epiſcopus.
Arnaldus, Tridentinæ eccleſiæ epiſcopus.
Martinus, ſanctæ Sutrienſis eccleſiæ epiſcopus.
Joannes, ſanctæ Ariminenſis eccleſiæ epiſcopus.
Erſemarius, ſanctæ Anconitanæ eccleſiæ epiſcopus.
Gregorius, Comoclenſis epiſcopus.
Gerardus, Faventinæ eccleſiæ epiſcopus.
Zenobius, Feſulanæ eccleſiæ epiſc.
Ratherius, Veronenſis epiſc.
Udalricus, Pergamenſis epiſc.
Petrus, ſanctæ Camerinæ eccleſiæ epiſcopus.
Rudolfus, Vicentinæ eccleſiæ epiſc.
Luitzo, Cremonenſis epiſc.
Richardus, Fanenſis eccleſiæ epiſc.
Lupus, Spoletanæ eccleſiæ epiſc.

Actum Ravennæ, VII. Kal. Maji, per manum Stephani, Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Aprili, & Indict. X. in præſentia omnium ſanctorum epiſcoporum.

Baronius & Synodographi tantum de unica hac Synodo Ravennatenſi loquuntur, quaſi in hac inſtitutio Magdeburgenſis Metropoleos, de qua ſequente in Epiſtola agitur, inchoata, & perfecta fuiſſet. Sed Pagius ad annum 967. recte monet, duas Synodos diſtinguendas: alteram hoc anno 967, alteram ſequenti 968, qua perfecta fuit inſtitutio novæ Metropoleos inter Slavos, accedente conſenſu Archiepiſcopi Moguntini Hattonis, & Hildewardi Halberſtadenſis Epiſcopi, de cujus ditione decerptæ ſunt civitates & oppida pro Archi-Diœceſi nova Magdeburgenſi, & Diœceſi nova Merſeburgenſi.

EPISTOLA SYNODICA JOANNIS XIII. PAPÆ.

Magdeburgenſis Archi-Epiſcopatus, & Suffraganeorum cœpta inſtitutio ad mentem Ottonis I. Imp.

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, EPISCOPIS URBIS ROMÆ, ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, ET CUNCTIS TIMENTIBUS DEUM, OMNIQUE CŒTUI CHRISTIANORUM:

NOtum eſſe volumus, qualiter inſpirante Sancto Spiritu, meritiſque Apoſtolorum Principis Petri, & vaſis electionis Sanctiſſimi Pauli, ac millium Martyrum Chriſti, Roma, caput totius mundi, & Eccleſiæ univerſalis, ab iniquis pene peſſundata, a Domino Ottone Auguſto Imperatore, a Deo coronato Cæſare, & magno, & ter benedicto, anno Apoſtolatus noſtri ſecundo, ipſiuſque prænominati noſtri Spiritualis Filii Sanctiſſimi Imperii ſexto, erecta eſt, & in priſtinum honorem omni reverentia radacta. Ipſo namque anno una nobiſcum, favente & conſentiente invictiſſimo prædicto Imperatore, acta eſt magna Synodus *Ravennæ* XII. Kal. Maji, convenientibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis circumquaque ex omni Italia, reſidentibus nobis in Eccleſia *B. Severi* Confeſſoris Chriſti, & ibi ſtatutis omnibus rebus Eccleſiaſticis, ſecundum ſtatuta canonum, & decreta anteceſſorum noſtrorum, idem Sanctiſſimus Imperator ardentiſſimo cœpit amore perquirere, quomodo noſtra Apoſtolica auctoritate a primordio nomen Chriſtianitatis in Aquilonaribus partibus dilataretur. Nos vero ejus animum in Dei ſervitio ita mirifice detentum mirantes, connivere ei dignum duximus, ſtatuentes, præſente, & conſentiente Sancta Synodo, & ipſo Imperatore, ut *Magdeburg* ſita juxta Albiam fluvium, ubi ipſe a Deo Benedictus Imperator corpus *S. Mauritii* cum multis martyribus collocaverat, & miræ magnitudinis Eccleſiam conſtruxerat, deinceps metropolis ſit, & nominetur autoritate B. Petri Apoſtolorum Principis, & ea, qua prædeceſſores noſtri Conſtantinopolim ſtatuerunt. Ideo, quia filius noſter, ſæpe

ſæpe jam nominatus *Otto*, omnium Augustorum Auguſtiſſimus, tertius poſt Conſtantinum, maxime Romanam Eccleſiam exaltavit; conceſſimus, ut non poſterior ſit cæteris urbibus Metropolitanis, ſed cum primis prima, & cum antiquis antiqua inconvulſa permaneat. Suffraganeos vero eidem Metropoli unanimiter præordinavimus; *Brandeburgenſem* Epiſcopum & *Havelbergenſem*: iis cunctis, quibuscunque Imperator voluit, in urbe *Magdeburg* Archiepiſcopus conſecretur. Poſtea vero Archiepiſcopus, & ſucceſſores ejus habeant poteſtatem, per congrua loca, ubi per illorum prædicationem Chriſtianitas creverit, Epiſcopos ordinare, nominatim nunc & præſentialiter *Merſeburg*, *Cici*, & *Miſni*, a præſenti decima Indictione perpetualiter confirmamus permanendum. Statuentes Apoſtolica cenſura ſub Divini Judicii obteſtatione, & anathematis interdictionibus, nulli licere noſtrorum ſucceſſorum atque Pontificum, vel alii cuilibet perſonæ, hæc, quæ a nobis pia intentione ſtatuta ſunt in quoscumque convellere, ſed potius firma ſtabilitate inconvulſa manere definimus. Si quis autem, quod non credimus, temerario auſu contra hoc noſtrum Apoſtolicum agere præſumpſerit decretum, ſciat ſe anathematis vinculis innodatum, & a regno Dei alienum, & cum impiis æterno ſupplicio deputatum. At vero, qui pio amore obſervator hujus noſtri Privilegii extiterit, Benedictionem a miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur, & vitæ æternæ particeps, atque cum ſanctis omnibus ſine fine lætetur. Scriptum per manum Stephani notarii, Regionarii, & Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in *menſe Aprili*, & *Indict. X. JOANNES* ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ præſul, huic decreto a nobis facto pro confirmatione ſubſcripſi. Signum Domini Ottonis piiſſimi Imperatoris. Ego Rudoaldus Patriarcha ſanctæ Aquilegienſis Eccleſiæ interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Ex Lunigii Spicilegio Eccleſiaſtico.
Manſi Tomo I. Supplementi Conciliorum.

SYNODUS ROMANA,

Anno Chriſti CMLXVIII. Joannis XIII. Papæ III. Ottonis I. Imperii VI. Ottonis II. I.

BULLA JOANNIS XIII.

Qua Burchardus, Miſnenſis Epiſcopus, & Monaſterium ejus in civitate Miſnia, Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjiciuntur.
II. Termini Misnenſis Diœceſis deſcribuntur.
III. Donata Epiſcopatui Misnenſi ab Auguſtis, a Papa, & Synodo confirmantur.

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

SI ſemper ſunt concedenda, quæ piis deſideriis congruunt; quanto potiſſimum, quæ Divini cultus prærogativa noſcuntur, non ſunt omnino abroganda; quæ ſunt a largitoribus non ſolum poſcenda, ſed vi caritatis procul dubio exigenda? Habita igitur *Synodo*, & multorum venerabilium Patrum, Coepiſcoporumque noſtrorum conventu, Romæ in Eccleſia Beati Petri Principis Apoſtolorum, aſſidentibus Auguſtiſſimis Imperat. Ottonibus utriſque: anno ſcilicet Imperii, majoris ſexto, minoris primo, iidem Glorioſiſſimi Imperat. poſtularunt a nobis, quatenus Monaſterium, quod pro remedio animarum ſuarum primitus conſtrui, & in honore beati Johannis Evangeliſtæ conſecrari ſe-

ri fecerunt, super ripam fluminis, cui nomen est *Albia*, in civitate *Misina*, sita videlicet in Provincia, quæ dicitur *Talemence*, cui etiam Monasterio virum venerabilem, nomine *BURCHARDUM* (*a*) honorifice præfecerunt, privilegiis Apostolicæ Sedis decoraretur; ut sub jurisdictione Sanctæ Ecclesiæ nostræ, cui Deo autore præsidemus, constitutum, nullius alterius Ecclesiæ (*b*) ditionibus summittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id, quod exposcitur, effectui mancipamus: interponentes tamen ea, quæ & ipsi Principes nostri innumeris privilegiis cupiunt exponi, & cunctis in Christo fidelibus manifesta fieri. More antiquorum Impp. hi duo Imperatores pater & filius nobis assidentes Misnensi Episcopatui terminum imposuerunt, nominando fines & determinationes locorum, sicut infra tenetur. Ubi caput & fons est aquæ, quæ dicitur *Odera*; inde quasi recta via usque ad caput *Albiæ*; inde deorsum in occidentalem partem, ubi divisio duarum Regionum est *Behem & Nisinen*. Ibidem ultra Albiam, per silvam in occidentalem partem usque ad caput *Mildæ*, & sic deorsum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque ad dum Milda intrat in Albiam: nec non ob hoc diximus in occidentali plaga, quia multæ villæ pertinent ad orientales urbes infra eumdem terminum: & sic sursum & ultra Provinciam *Nizizi*, ad ipsum terminum sine dubio: nec non in altera parte *Luzici*, & *Selpoli*, & sic usque ad civitatem *Sulpice*, illam videlicet infra eumdem terminum, & inde in aquam, quæ dicitur Odera, & sic Odera sursum, usque ad caput ejus. Omnes vero, quemadmodum hi præsentes Imperatores statuisse fatentur, qui infra istum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum: in argento & vestimento, nec non, quod Teutonici dicunt Ubercota, & Telunga, familiarium insuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur, in diversis modis decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Misinensem Ecclesiam primo Deo, deinde Sancto Johanni Evangelistæ, universa dubietate procul remota persolvant, referant, & reddant. Testantur etiam iidem præsentes nobilissimi Imperatores, quasdam res sui juris, ac proprietatis, eidem sanctæ Misinensi Ecclesiæ, cui venerabilis Episcopus Burchardus præesse dinoscitur, pro remedio animarum suarum in proprium dedisse: hoc est, tributorum suorum in quinque Regionibus partes decimas, in Talemence, in Nisa, in Milezasane, in Luzice, in Diedesa: ut antea, quam Comes earumdem Regionum partem sibi ad ipsis concessam auferat atque distribuat, decimas per totum ac per integrum jam dictæ sanctæ Dei Ecclesiæ persolvat, id est, in melle, crusina, solutione argenti, mancipiis, vestimentis, porcis, frumento, & in omnibus rebus, quæ ad fiscum prædictorum Imperatorum pertinere videntur, sanctæ Misinensi Ecclesiæ, nec non S. Johanni Evangelistæ sui juris theloneum, a civitate, quæ dicitur Belegora, usque ad ejusdem Misinensis Ecclesiæ portum, sursum, indeque denuo per ambas plagas præfati fluminis Albiæ deorsum, sicque infra præfinitum terminum ubicumque manus negotiatorum ultra Albiam huc illucque se se diverterit, ex integro, & absque ulla contradictione prænominatæ sedi Misinensi,

(*a*) Burchardum fuisse primum Misnensis Ecclesiæ Doctorem, institutum ab Henrico aucupe, *ait Crantzius, Metropol. L. III. C. XI.* circa annum 935. Deinde ab Ottone I. Henrici Filio, circa annum 938. fundata est nova Ecclesia, & suis limitibus conclusa, ut docet *Diploma apud Lunigium Specilegii Ecclesiastici Parte II. Appendicis pag.* 96. Subinde anno 967. & 968. in Synodo Romana Fundatio hujus Misnensis Ecclesiæ a Papa Joanne XIII. ratificata, approbataque fuit. Ut hoc præsens Diploma ostendit. V. *P. Calles S. J. in serie Episcoporum Misnensium pag.* 38.

(*b*) Misnensium Ecclesiam non fuisse ab initio exemptam, sed in sui exordio Magdeburgensi Ecclesiæ subjectam Suffraganeam, & primum ejus Episcopum Burchardum anno 969. (qui Ditmaro 970. numeratur) in die Natali Domini a Magdeburgensi Metropolita suo consecratum fuisse, certa est sententia *P. Callesii in serie Epp. Misnensium pag.* 38. & probatur prolixe in *Dissertatione prævia*, ex veteri Chronico Magdeburgensi MS., Saxone Chronographo Leibnitii, ex Dithmaro, Helmoldo, Gobelino, Niemio, & Biographo S. Godehardi.

nensi, persolvi & tradi perenniter constituisse. Et ideo in Christo sanximus, firmiterque concessimus, ut nullus Metropolitanus, nullus Episcopus, nulla etiam magna vel parva alterius ordinis, & gradus persona, præter Sedis Apostolicæ antistitem, infra terminos Misinensis Ecclesiæ, cui venerabilis Episcopus Burchardus præesse dinoscitur, quemquam ordinare, dijudicare, excommunicare, vel aliquid temere exercere, ullo modo præsumat. Statuentes etiam Apostolica censura, sub Divini judicii obtestatione, & validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus Imperator post hac, aut Rex nullus, sive quispiam alius, cujuscumque sit dignitatis potestate præditus, ejusdem Ecclesiæ causis præsumat incumbere, vel minimum quiddam ex his, quæ ad illud Monasterium sancti Johannis pertinere videntur, cui Burchardus Episcopus præsidet, aut sibi temere vindicare, aut alicui magnæ, parvæque personæ, pro beneficio dare, aut quoquolibet modo inde auferre vel alienare audeat. Promulgamus etiam, & hoc authoritate beati Petri Apostolorum Principis, coram Deo & terribili ejus futuro examini per hujus nostri privilegii atque constituti vim interminamus, ne quis mortalium sibi licere existimet, aliquid ex possessionibus Misinensis Ecclesiæ, tam ex his, quæ ante hac a Gloriosissimis Imperatoribus Ottone, & ejus æquivoco filio, vel a cæteris Christianis, eidem sancto loco oblata atque collata sunt, quæque postmodum sunt conferenda: ut profecto juxta id, quod subjectum est, idem venerabilis locus Apostolico hoc privilegio inconcusse donatus permaneat. Si quis autem, quod minime optamus, nefaria auctoritate hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate sæpe dicti Monasterii statuta sunt, refragare præsumpserit, nostrique præcepti transgressor extiterit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo, atque Juda, traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu hujus Apostolici constituti observator extiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Stephani Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembri, indictione undecima. Signum Domini Ottonis minoris Imperat. Augusti. Petrus Ravennensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi. Rodaldus Patriarcha Aquilejensis subscripsit. Sigolfus Episcopus S. Placentinæ Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Adalricus Episcopus S. Pergamensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Siggo Pledensis (c) Ecclesiæ Episcopus consensi, & subscripsi. Benedictus, Episcopus S. Fulinensis (d) Ecclesiæ consensi, & Ss. Johannes Episcopus S. Normiensis (e) Ecclesiæ subscripsit. Johannes Episcopus S. Galliensis Ecclesiæ, subscripsit. Johannes Episcopus S. Arinensis (f) Ecclesiæ interfuit, & subscripsit. Humbertus Episcopus S. Laviensis (g) Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Gerhardus Episcopus Faventinæ Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Aufredus (h) Episcopus Verdecensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Zenobius Episcopus Fesolanæ Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Gaidolfus Episcopus Firminæ (i) Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Ego Petrus Episcopus Kamerinæ Ecclesiæ ibi fui, & subscripsi. Eberhardus Episcopus Aretinæ Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Stephanus Episcopus Narniensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Alberinus Episcopus Ausculanus subscripsi. Antonius Brixiensis (k) Ecclesiæ Episcopus, subscripsi. Diothericus Metensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi. Lanwardus Mindensis Episcopus, sub-

(c) Blerensis, *legit Mansi.*
(d) Fulginensis.
(e) *forte* Narniensis, *sed* Narniensis *infra occurrit.*
(f) *Lege:* Ariminensis.
(g) *Lege:* Lunensis.
(h) *Lege:* Wicfridus Virdunensis.
(i) Firmanæ.
(k) *Male apud Labbeum:* Brixunensis, *ait Mansi.*
[l] Luitpraudus erat hoc anno 968. Cremonensis Episcopus, sed quia is aberat, Legatus Constantinopolim, Luzo eum Episcopatum administrabat, *Nota est Mansi:* Nisi malis Luzonem esse nomen contractum & diminutum ex *Luitprando.*

ſubſcripſi. Huibertus Epiſcopus, ſubſcripſi. Luzo [*l*] Epiſcopus Cremonenſis, ſubſcripſi. Johannes Epiſcopus Furdonenſis [*m*] ſubſcripſi. Adelbertus Epiſcopus, ſubſcripſi. Otger Epiſcopus, ſubſcripſi. Sichelinus Epiſcopus Florentinus, ſubſcripſi. Albericus Epiſcopus, ſubſcripſi. Artingo Auſinianæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi. Inſinno Laucanenſis (*n*) Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi. Ertemarius Ancias Epiſcopus, ſubſcripſi. Julianus Epiſcopus Nucerinus, ſubſcripſi. Stephanus Cerviæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi. Atto Senegaliæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi. Lyndo Cluſianæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi. Dat. III. Non. Januarii per manus Widonis Epiſcopi S. Silvæ candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini Johannis ſummi Pontificis, & univerſalis tertii decimi Papæ, in ſacratiſſima ſede B. Petri Apoſtoli tertio, imperantibus Dominis piiſſimis Auguſtis Ottone, & ejus æquivoco Filio, a Deo coronatis magnis Imperatoribus, anno majoris Imperii ſexto, & minoris primo, in menſe Januario. Indictione ſupra dicta undecima.

(L.S.)

Ex Fabritii Chronico Miſnenſi, & Lunigii Spicilegio Eccleſiaſtico Continuato pag. 833.

Manſi Supplement. Conciliorum Tomo I. pag. 1152.

[*m*] *Lege*: Ferdonenſis.

[*n*] Lavicanenſis *legit Manſi*, *forte*: Lauſannenſis: ſed huic ſedi circa annum 968. Eginolphus Antiſtes præſidebat.

Burchardum annos circiter XX. imo XXX. laboraſſe in excolendo agro Talemincio, vel Miſnenſi, convertendis ad Chriſtum Transalbinis populis, conſtituendis Sacerdotiis, Canonicis ad æquabilem vitæ normam exemplo ſuo, & legibus Eccleſiaſticis informandis, uſque ad annum Chriſti 972. *P. Calles* oſtendit loco citato: quo anno ex equi lapſu vitam clauſit, *teſtibus Fabritio & Albino.*

BULLA
JOANNIS PAPÆ XIII.
EX EADEM SYNODO.

Qua Gerbergam Abbatiſſam Gandersheimenſem, ejusque Cœnobium Apoſtolicæ Sedis protectioni ſubjicit.

II. Liberam Abbatiſſæ electionem concedit.

III. Bona omnia confirmat.

JOannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, meritis & ſanguinis claritate rutilanti, dilectiſſimæ nobis in Chriſto filiæ, Gerbergæ, venerabili Abbatiſſæ Monaſterii Sanctorum Confeſſorum Innocentii & Anaſtaſii, quod Gandersheim nuncupatur, atque poſteris ſuis in perpetuam ſalutem, benedictionemque Apoſtolicam. Si piis votis ac petitioni aſſenſum præbemus, omnipotenti Deo nos placere credimus. Quapropter univerſis ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ filiis præſentibus, & futuris notum eſſe volumus, quod in Synodo, quæ apud corpus beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis acta eſt in menſe Decembris, & Indictione undecima, amabiles Deo ac Spirituales filii noſtri, Otto major & minor, Sereniſſimi Imperatores Auguſti, Apoſtolicam paternitatem noſtram humiliter obſecrare dignati ſunt coram Archiepiſcopis, & Epiſcopis, videlicet Italicis, & ultra Montanis numero triginta & ſex; quatenus præfatum Monaſterium Ganderſeim, quod conſtat eſſe ſub tuæ filiationis regimine ſitum

ſitum in regno citerioris Saxoniæ, ad honorem prædictorum Confeſſorum Chriſti Innocentii, & Anaſtaſii, auctoritatis noſtræ præſidio muniremus, & ſub tuitione, jureque Sanctæ Sedis Apoſtolicæ perpetim ſuſciperemus. Quorum piis congaudentes petitionibus alacri mente id fieri decrevimus: præcipientes ex ea, qua vice clavigeri cœleſtis regni fulcimur, auctoritate, ut prænominatum venerabile Cœnobium nemo unquam ſæcularium poſſideat, neque ex decimis & poſſeſſionibus ejuſdem quicquam ſibi aliquis uſurpet, non Rex, non Marchio, non Comes, non Epiſcopus, nec quilibet Princeps, quacumque poteſtate præditus, niſi forte tuendi ac defendendi cauſa: & hoc non niſi tua & ejus, quæ pro tempore regularis fuerit, Abbatiſſa, ſobria fiat permiſſione. Eſto igitur ad laudem omnipotentis Regis Abbatiſſa ejuſdem Monaſterii, & ſubditas tibi ſorores ad cœleſtis patriæ gaudia expetenda inſtigare prudenti magiſterio non ceſſes. Sit ſemper eiſdem ſororibus facultas, ſive licentia, ex ipſa ſua congregatione poſt obitum Abbatiſſæ aliam ſibi matrem, ſecundum regulam ſuam, ſubſtituere, & quam digniorem viderint, pari animo, & conſenſu habeant poteſtatem eligere. Confirmavimus vero & corroboramus ipſi ſancto Monaſterio omnes res & poſſeſſiones, mobiles, & immobiles, quas nunc habet, & in antea, Deo opitulante, habere debet quolibet jure acquiſitionis, ita ut amodo, & uſque in finem ſæcula (a) licenter eas teneat & poſſideat, omnium hominum contradictione remota. Si quis autem contra hujus noſtri Apoſtolici privilegii tutelam agere temptaverit, & ex his quæ a nobis decreta ſunt, aliqua pervertere molitus fuerit; hunc cum auxilio Sanctæ & individuæ Trinitatis, & interventu Beatæ Mariæ ſemper Virginis, omniumque Sanctorum, auctoritate Beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis, cum aſſenſu Comprovincialium Pontificum, & omnium hujus noſtræ ſanctæ Sedis ſuffraganeorum Epiſcoporum, excommunicamus, & a liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, omniumque Chriſtianorum ſocietate ſeparantes perpetualiter anathematizamus. Scriptum per manus Stephani ſcriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe & Indictione ſupra dicta undecima. Bene valete. Dat. Kal. Januarii per manus Widonis Epiſcopi ſanctæ Sylvæ candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Anno Deo propitio Pontificatus Domini Johannis ſummi Pontificis, & univerſalis tertii decimi Papæ in Sacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli tertio, Imperatoribus Sereniſſimis Dominis Ottone majore & minore, anno Imperii majoris ſexto, minoris vero primo. In menſe, & indictione undecima.

(a) *forte:* ſæuulorum.

BULLA JOANNIS XIII.

DATA IN EADEM SYNODO.

Qua Theotfridum, Abbatem S. Maximini Trevirenſis, ejusque Cœnobium donat libertate eligendi Abbatis ex gremio.

II. Ab omni aliena vi, & jurisdictione eximit eorum bona, ut ſicut Prumienſis, ſub Regali, vel Imperiali mundiburdio immediate ſit.

III. Ut nihil a quovis alienetur vel cambietur ex bonis Monaſterii.

JOannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili Abbati, amabili nobis in Chriſto Filio Theitfrido Apoſtolicam benedictionem, & ſalutem. Congruit Apoſtolico moderamini, pia religione pollentibus benevola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri devotione impertire aſſenſum, ex hoc enim lucri potiſſimum a conditore omnium Deo procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint ſtatum reducta. Igitur quia religioſitas tua petit, ut Monaſterio tuo, quod in ſuburbio Trevirenſi in honorem beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Maximini conſtructum eſſe

esse dignoscitur, ob conservandam tibi, atque fratribus, vel successoribus tuis, monasticæ tranquillitatis normam, sanctæ Apostolicæ nostræ (cui auctore Deo præsidemus) Ecclesiæ privilegium concedamus; piæ tuæ petitioni benevola intentione assensum accommodare curavimus, decernentes Apostolicæ authoritatis præcepto: ut congregatio Deo, sanctoque Maximino religiose deserviens, sicuti a carissimo filio nostro Ottone, cæterisque Regibus vel Imperatoribus Francorum, concessum est, liberam deinceps habeant potestatem, creandi inter se, quem secundum Deum sibi Abbatem elegerint, nec aliqua cujuslibet dignitatis persona infra Monasterium, nisi a te, aliove Abbate successore tuo vocatus, quicquid pro suo libitu ordinare, vel temere exercere præsumat. Præterea Apostolica nostra auctoritate omnimodis interdicimus, ne cui unquam Ecclesiæ, vel sedi, concambio, vel alio aliquo negotio subdatur, sed tali libertate & immunitate, sicut Prumiense Monasterium, cæteraque loca regalia inoffense, & perpetualiter semper fruatur. Ipse autem locus Monasterii perenniter sub Mundiburdio Regum vel Imperatorum, filiorum scilicet Romanæ Ecclesiæ, præcepto Apostolico jubemus, ut permaneat nulli unquam personæ beneficiarius, aut invadendus pateat, sed ad usus & tranquillitatem monachorum, ibi sub regula sancti Benedicti Deo militantium, absque ullius contradictione libenter permaneat. Ad cumulum quoque, vel augmentum monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne qua cujuslibet dignitatis persona quicquam, vel minimum alienare, vel minuere de rebus Ecclesiæ præsumat, tam ex his, quæ modo Monasterio tuo collata sunt, quam ex his, quæ cæteri fideles in dies collaturi sunt. Si quis autem, quod absit, nefario ausu præsumere hæc, quæ a nobis ad laudem Dei omnipotentis, pro stabilitate jam dicti venerabilis cœnobii statuta sunt, infringere, aut in quocumque violare studuerit; ex auctoritate Dei omnipotentis, per interventum beati Petri Apostolorum Principis (cujus vice fungimur) & nostræ humanitatis Apostolicæ constitutionem, & assensum omnium comprovincialium, sive suffraganeorum Episcoporum, anathematis vinculo inextricabiliter innodamus. Scriptum per manus Stephani Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, lectum *in Synodo Romæ* habita, assidentibus divis Imperatoribus, Ottone magno, filioque ejus æquivoco, anno Imperii majoris sexto, junioris primo. Datum IV. nonas Januarii.

Zyllesius in defensione Abbatiæ Imperialis S. Maximini. Part. III. Diplom. XIV.

CONCILIUM RAVENNATENSE II.

Anno Christi CMLXVIII. Joannis XIII. Papæ IV. Ottonis I. regni XXXII. imperii VII.

I. In quo absolvitur institutio Archi-Diœceseos Magdeburgensis Indict. XI.

II. Literæ duæ Pontificiæ Synodicæ ad Adelbertum, primum Magdeburgensem Archi-Episcopum scriptæ, post I. Septembris anni hujus, & ideo Indict. XII.

DUm in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis habita esset Synodus Ravennæ, in Ecclesia scilicet B. Severi Episcopi & Confessoris: residentibus D. Joanne, summo & universali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ & Galliæ Præsulibus, de statu quidem Ecclesiæ tractantibus: adstante etiam innumerabili Clero & populo, Sanctissimus Imperator Cæsar Augustus, qui eandem sanctam Synodum ob communem Imperii sui salutem congregaverat, plurimas Slavorum nationes ultra fluvium Albiæ in confinio Saxoniæ multo se labore, & maximis sæpe periculis, ad

ad Christum convertisse coram omnibus retulit. Et quia rudes, & necdum stabiles erant, qui tuitione, & custodia, & cotidiana solicitatione in fide corroborari deberent, sanctam Synodum consuluit rogans, ut quos ipse summo studio Deo mancipaverat, pastoris negligentia ad vomitum redire non sineret. Hujus dignam relationem sancta Synodus benigna aure suscipiens, Deo in omnibus gratias agens, tot Sclavorum populos ad Deum noviter adductos, non nisi per Episcopos, in convenientibus locis in unaquaque Provincia eorum, secundum populi quantitatem, & rationabilem terræ divisionem constituendos, ad hoc animari & erudiri posse censuit, & ratum æstimavit. Ad quod agendum, ut major firmitas, & tutior in Episcopis ordinandis sit opportunitas, Archiepiscopum, ad quem negotium suum, & controversiam, si quæ orta fuerit, quasi ad caput referre, & discutere valeant, eis constitui atque proponi communi deliberatione statuit. Et hoc ejus judicio & discretioni, in quo maxima reparandæ, & confirmandæ religionis post Deum fiducia erat, fieri debere omnino judicavit. Est præterea locus in parochia Alberstadiensis Episcopi, quem Magdeburg dicunt, in confinio Saxonum, & Sclavorum, in ripa prædicti fluminis Albiæ: ubi idem Serenissimus Cæsar civitatem mirifice fundavit: populi multitudinem adunavit: Ecclesias construxit: plurimorumque Martyrum, beatorum scilicet Mauritii & Innocentii, aliorumque corpora transtulit: Canonicos quoque ibi Deo famulantes constituit, ad quorum victum, & Ecclesiæ utilitatem castra, villas, prædia, decimas, cum universis adjacentiis affluenter ex proprio concessit. Cujus, quia is locus quasi ad Sclavos respiciens erat, ob loci congruentiam, & vicinitatem Saxonum, ut novæ Christianitatis, & Catholicæ fidei, quam multo sudore paraverat, caput, fundamentum, & reparatio esset, sancta intentio erat. Quæ res, quia omnibus cognita erat, sancta Synodus eundem piissimum Imperatorem summa devotione petiit, ut ejus auctoritate, quia canonicum & acceptabile erat, illic Archi-Episcopalem sedem statui canonica auctoritate annueret, in qua Archi-Episcopus ordinatus, ultra flumen Albiæ Episcopos, qui ordinati sunt, & ordinandi futuris post temporibus erant, subjectos habeat. Ipse quoque ab eis, qui pro tempore fuerint, post primum, qui a Romana Sede Archi-Episcopalem benedictionem & Pallium suscepturus est, consecretur. Ad hæc Imperator precibus & voluntate commotus sanctæ Congregationis voluntati paruit, & hoc privilegio Apostolicæ Sedis corroborari dignum duxit, quod & actum est a Summo Pontifice, omnibus Præsulibus, Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Igitur quia civitas, ubi Magdeburgensis Archi Episcopatus sedes est, sita est infra *Parochiam Alberstadensis Episcopi*, sine consensu Episcopi sedis illius, *Archi-Episcopi Magonciensis*, cui subjectionem exhibet, commutationem Parochiæ fieri non posse, sancta Synodus decrevit. Eo ergo revoluto anno, & altero dimidio transacto, cum Hattonem Archi-Episcopum Magonciensem, & Hildiwardum Alberstadensem Ravennam convenire contingeret, sanctissimus Imperator, si bona voluntate commutationem *parochiæ Alberstadensis Ecclesiæ* ad Magdeburgensem fieri vellent, coram Archiepiscopo Ravennate, vel Episcopis comprovincialibus eos omni dilectione convenit. Tunc venerabilis *Hildiwardus Episcopus* in præsentia omnium, & prædicti Præsulis Hattonis, hoc se pro Deo nullo modo negare, & contradicere posse, quia utriusque Ecclesiæ, & suæ maxime augmentum erat, clara voce respondit, & quod ad innumeri populi salutem pertinet, ob alicujus decimæ cupiditatem cassari, absurdum esse, professus est. Supradictis ergo auditoribus placuit, ut utraque parte ab eis, quibus res cognita erat, commutatio sub exterminatione fieret. Placuit ergo communis voluntatis consensu inter Dn. Ottonem piissimum Cæsarem Augustum, & *Hildiwardum Alberstadiensis* Ecclesiæ Episcopum, ut in Dei nomine daret, sicut in præsenti dedit ipse Hildiwardus Magdeburgensi Ecclesiæ hujus scripti nexu, suo jure habendum, id est, Parochiam omnem, quæ rejacet inter fluvios Albeam scilicet, Salam, Horam, & Bodam, usque ad ea loca, ubi castra Unnesburg, Wantzleva, Hœldesleva, cum omnibus pertinentiis, & villis, quas Burgwart vocant, Occidentem versus longius finem protendunt & terminan-

minantur, cum omni decimatione, & obedientiis, omnique Ecclesiastico ordine, sicut Ecclesia *Alberstadensis* hactenus possidere visa est, & de Dominio & jure suæ Ecclesiæ in ejus jus & Dominium transfudit atque delegavit. Unde ad vicem recepit pro decimatione ipse Hildewardus Episcopus ad partem suæ Ecclesiæ omnem decimationem in Hosgove, sicut terminatur in fluviis Sala, Willerbeck, & Wippera, & ut eam Abbatia in honore beati Wipperti in territorio Herolvesfeld instructa in integrum possedit: quam prædictus Dn. Otto Serenissimus Cæsar ab eadem Abbatia ex proprio legali concambio commutavit, & Ecclesiæ Magdeburgensi proprietario jure concessit. Et quia jam dictus Dn. Cæsar ejus fundator, & constructor erat, ut omnem imposterum occasionem, quod in precio & metu fieret, removeret, secundum Deum timentium hominum æstimationem, & ipsius Alberstadensis Episcopi liberam arbitrii voluntatem hanc commutationem colligari voluit, & eo modo finita est causa. Unde præsentem notitiam pro securitate, ne unquam in tempore legalis commutatio hæc posset solvi, jussione Domini Cæsaris, & petitione Dn. *Hildewardi Episcopi Alberstadensis*, ego Ambrosius Palatinus Cancellarius subscripsi, complevi, & dedi. Petrus Archiepiscopus sanctæ Ravennatis Ecclesiæ interfui, & subscripsi. Hatto Moguntinus Archiepiscopus interfui, & subscripsi. Ego Hildiwardus Alberstadensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Ungfridus sanctæ Virdinensis Ecclesiæ Episcopus, & Pastor libens subscripsi. Ego Reginoldus Rubilocensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Ego Ewerardus sanctæ Leodicensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Ego Adelbertus Lunensis Episcopus interfui, & subscripsi. Ego Rubertus sanctæ Feltrensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Ego Albertus sanctæ Tarvisianensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Ego Ganslinus sanctæ Pataviensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Abraham sanctæ Frisingensis Ecclesiæ Episcopus interfui. Martinus Episcopus sanctæ. Fr. Episcopus interfui, & subscripsi. Vinth Episcopus sanctæ Mutinensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Rudolfus Episcopus consensi, & subscripsi. Elberich consensi, & subscripsi. Joannes Episcopus Eugubiensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Ego Lirgiso Episcopus sanctæ ordinatæ Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Joannes Episcopus Calliensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Luto Episcopus sanctæ Clusensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Albertus Episcopus sanctæ Pisensis Ecclesiæ consensi, & subscripsi. Ludini Episcopus consensit, & subscripsit. Hubertus Episcopus subscripsit. Sichelm sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Adalbertus sanctæ Bononiensis Ecclesiæ Episcopus consensi. Arnolfus Episcopus subscripsi. Joannes Imolensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Liutprandus sanctæ Cremonensis Episcopus Ecclesiæ interfui, & subscripsi, his juste peractis Constantinopolim rediens. Odelricus Pergamensis Episcopus interfui, & subscripsi. Grimoaldus sanctæ Rhegiensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscripsi. Antonius Prisciensis Ecclesiæ Episcopus consensi, & subscripsi. Sigulfus Episcopus consensi, & subscripsi. Sigulfus S. Placentinæ Ecclesiæ Episcopus consensi, & subscripsi. Petrus Episcopus subscripsit.

Leuckfeld. in antiquitatibus Halberstadiensibus Diplomate Num. 29. p. 649.

JOANNES XIII. PP.

Confert Adelberto, primo Magdeburgensium Archi-Episcopo, Primatum in Germania, parem Primatui Galliæ, & parem Primatui Moguntiacensi in Germania prima, Treverensi in Belgica, Coloniensi in Germania secunda. 2do, confert ei potestatem habendi more Ecclesiæ Romanæ XII. Presbyteros: VI. Diaconos: XXIV. Subdiaconos cardinales, qui soli ad altare S. Mauritii Missas celebrent.

JOhannes Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto nobis in Christo confratri *Adelberto*, S. Magdeburg. Ecclesiæ Archiepiscopo in Domino æternam salu-

salutem. Si ea loca, quæ ad salutem maxime populi, & gentis ad Deum conversionis fundata sunt, privilegio nostræ auctoritatis munimus, & decoramus; hoc ad profectum, & Divinæ religionis cultum pertinere nullo modo dubitamus. Igitur quia sedem Magdeb. cui Deo auctore præsides, nostra, tuorumque comprovincialium auctoritate Archi-Episcopalem esse decrevimus, quem inter cæteras Ecclesias ordinem, vigorem, primatum, & æquitatem habere inposterum debeat, Apostolicæ Sedis privilegio muniri sanximus. Dei igitur omnipotentis auctoritate, & beati Petri Apostolorum Principis, & nostra, te, tuosque successores in perpetuum, & Ecclesiam tuam omnium Ecclesiarum Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui in Germania sunt ordinati, in sedendo, in judicando, in confirmando, in subscribendo, in sententiis dandis, omnique Ecclesiastico ordine primatum habere volumus. Eorum vero, qui sunt in Gallia, item Moguncienf. Trevirenf. & Colonienf. Ecclesiæ, in omnibus parem honorem, & similem vigorem præsenti privilegio confirmamus. Cæterum more Romanæ Ecclesiæ Ecclesiam tuam duodecim Presbyteros, & septem Diaconos, & viginti quatuor Subdiaconos Cardinales, qui sandaliis, & lisinis utantur, habere volumus. Super hoc vero eisdem Presbyteris, & Abbatibus Ecclesiæ S. Johannis Baptistæ, in suburbio ejusdem civitatis constructæ, tunicis uti concedimus. Quibus exceptis, & Episcopis, super altare in honorem beati Mauritii dedicatum, Missam celebrare aliquis nullo modo præsumat: quod non ad superbiam, sed ad loci sanctitatem speciali reverentia præsenti privilegio munimus, & decoramus. Quapropter frater fraterrime, Dominicorum salubriter reminiscens mandatorum, ita in commissæ plebis regimine, lucrandisque animabus invigila; ut Redemptori nostro fructum bonæ operationis, in quo lætari possis, exhibeas. Scriptum per manum Stephani Scriniarii sanctæ Sedis Apostolicæ in mense Octobri, Indict. XII.

Leuckfeld. Antiquitat. Halberstadiensium Loco citato. Diplom. 30.

JOANNIS XIII. PP. EPISTOLA,

Qua Adelberto Archiepisc. Magdebug. Pallium mittit, certis diebus, & certis in actibus gerendum.

JOhannes Episcopus, servus servorum Dei, Reverendissimo confratri nostro *ADELBERTO*, sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, æternam in Domino salutem. Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sint, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaque cura debemus semper pervigilare nos, qui pastores animarum dicimur? Attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis propterea desideria nostra ante summum Pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Igitur quia Gloriosissimus Spiritualis (*a*) *OTTO* Imperator Augustus civitatem, quam Magdeburg dicunt, in confinio Saxonum & Sclavorum, in ripa fluminis Albiæ, in parochia scilicet Halberstadensis Episcopi fundavit, & Ecclesiam inibi construxit, Canonicosque constituit, ad quorum subsidium satis contulit, & innumeram multitudinem sclavorum ad divinæ Religionis cultum conduxit; confratres: *Hatto sanctæ Moguncienfis Ecclesiæ Archi-Episcopus, & Hildiwardus Halberstadensis Ecclesiæ Episcopus*, & Comprovinciales Episcopi, sicut per consentaneas & petitorias litteras, ab ipsis propriis manibus roboratas, quæ in præsentia nostra ante corpus beati Petri Apostoli relectæ sunt, didicimus, in prædicta Magdeb. civitate Archiepiscopalem sedem privilegio Apostolicæ sedis statui ordinaverunt: quæ ultra Albiam, & Salam in congruentibus locis subjectos Episcopos, qui non ordinati sunt, & ordinandi futuris post temporibus erunt, habeat,

(*a*) *Filius*, supple, librarii culpa omissum.

habeat : noſtro poſt Deum judicio , qualiter eadem Archiepiſcopalis ſedes ordinari debeat, deliberandum precantes , ne per invidiam fidei tanta ſclavorum plebs Deo noviter acquiſita, callidi hoſtis , quod abſit , rapiatur inſidiis. Unde quia confrater , & Coepiſcope noſter, Clerus & populus ſanct. Magdeb. Eccleſiæ te , olim ad gentes miſſum, ad Archiepiſcopalem ſedem promoveri, & eidem ſedi inthronizari quærit , ſicut bonæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum, Zachariam Papam, (*b*) beatum Bonifacium, ad gentes deſtinatum, Eccleſiæ Moguncienſi inthronizaſſe ſciunt, religioſis deſideriis nihil tarditatis impendo; ſed privilegio noſtræ authoriritatis dignum tê eis eſſe Archiepiſcopum judico. Unde quia ad hoc agendum ad Apoſtolicam Sedem ipſe veniſti, pro amore beatorum Mauritii, & Innocentii martyrum , & aliorum Sanctorum, qui Magd. requieſcunt , & prædicti Spiritualis filii noſtri Ottonis Imperatoris Auguſti petitione , qui ejusdem Eccleſiæ auctor , & fundator eſt , & quia ad perfectum Chriſtianæ religionis, & innumeri populi ſalutem valere ſcimus ; ipſi Pallium tibi ad Miſſarum ſolemnia celebranda damus, ipſi nimia dilectione commoti circa te ponimus , & eo te, ſicut Archiepiſcopum Moguncienſem, & Trevirenſem, uti concedimus. Præterea ſtatutis his diebus: Natalis Domini , Epiphaniæ, Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis , Pentecoſtes, Natalitiis Apoſtolorum, S. Laurentii, Feſtivitate S. Virginis Mariæ , & eorum Sanctorum, qui Magdeb. requieſcunt: & in conſecratione ſuffraganeorum tuorum Epiſcoporum, & dedicationibus Eccleſiarum , in die natalitii tui , & ita tuis impoſterum ſucceſſoribus ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis præſenti privilegio concedimus, & confirmamus , ita tamen; ut unusquisque, qui pro tempore fuerit , ab Apoſtolica Sede , ſecundum morem illud recipiat. Itaque vita tua filiis tuis ſit regula, in ipſe ſi qua tortitudo illis injecta eſt , dirigantur, in ea: quod imitentur , aſpiciant : in ipſa ſe ſemper conſiderando perficiant , ut tuum præter Deum judicatur eſſe bene , quod vixerint. Cor ergo neque proſpera , quæ temporaliter blandiuntur , extollant , neque adverſa dejiciant : ſed quicquid illud fuerit , virtute patientiæ devincatur : nullum favor indiſcretus inveniat (*) diſtrictum mali cognoſcant: inſontem apud te culpabilem ſuggeſtio mala non faciat : nocentem gratia non excuſet. Sancta Trinitas fraternitatem noſtram gratiæ ſuæ protectione circumdet, atque ita in timoris ſui via nos dirigat , ut poſt vitæ hujus amaritudinem ad æternam ſimul pervenire mereamur dulcedinem. Scriptum per manum Stephani Regionarii , & Scriniarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, in menſe Octobri, & Indict. XII. Bene vale. Dat. XV. Kal. Nov. per manum Widonis Epiſcopi ſanctæ Sylvæ Candidæ Eccleſiæ, & bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ , anno , Deo propitio, Pontificatus noſtri Domini ſummi Pontificis , & univerſalis XIII. Papæ in Sanctiſſima Sede B. Petri quarto, Domino noſtro Auguſto Ottone a Deo coronato magno Imperatore, anno VII. filioque ejus anno primo, Indict. XII. Dominicæ incarnat. DCCCCLXVIII. anno.

Leuckfeld. in Antiquitat. Halberſtadenſ. Diplom. 31. *pag.* 653.

(*b*) Vide Tomi I. pag. 86. & 87. numerum VII. Epiſtolæ Zachariæ Papæ, ad Bonifacium Moguntiæ ſedentem.

(*) Quædam omiſſa. Suppleri poſſunt ex Epiſtola Leonis VII. ad Gebhardum Laureacenſem pag. 606. hujus Tomi, cujus Epiſtolæ idem initium eſt, par clauſula finalis.

CONVENTUS EPISCOPORUM ET ABBATUM,

AD COENOBIUM S. GALLI, ORD. S. BENEDICTI.

ANNO INCERTO.

Sub Henrico, Treverensi Archi-Episcopo Visitatore, Episcopis: Poppone Herbipolensi, Palzone Spirensi, Erptione Wormatiensi, Dietrico Metensi, Conrato Constantiensi. Abbatibus: Kebone de Lorishan, Milone Elwangensi, Kerhone Wirceburgensi, Convisitatoribus cœnobii S. Galli, ab Ottone Patre & Filio delegatis, pro instauranda disciplina cœnobii S. Galli. Ekkehartus Palatinus Doctor Decanus cœnobii S. Galli, Notkerus Medicus ejusdem cœnobii, pro Abbate S. Galli respondent Visitatoribus.

OTtones nihilominus consilio *inito inter Episcopos & Abbates ad hoc electos*, sedecim in locum *GALLI* dirigunt: & Otto filius in consessum eorum a patre missus, ite, inquit, vos nominati Episcopi cum Abbatibus, cœnobii S. Galli monachos, qui iufamantur, correcturi: & quia repentina rerum mutatio semper novissimum errorem priori facit pejorem; ideo tot magni consilii Angelos dirigimus, ut prudentia omnium vestrum collata, si qua nimis ibi conrra Deum senserit esse, manere non sinat; si qua autem portabilia viderit, ipsis quidem cum ratione monentibus, stare patiamur.

Indicta tandem die, quæ erat *feria tertia Dominicæ tertiæ post Pascha*, Desiderio tunc, propter quod *GALLUS* ejus reliquias loco ipse intulerit, apud nos celeberrima, adveniunt omnes. Festive receptus civis Apostolorum responsorium canitur. Abbas in auditorio debilis residens, inrroductus quidem eis assurgit, legitur consedentibus lectio de caritate, & de pedissequa ejus discretione, qua finita, assurgunt omnes in Abbatis, & fratrum oscula. Deinde Abbas: *Benedicti vos a Domino.* & fratres: *Qui fecit cœlum & terram.* At *HENRICUS Treverensis*, cui fumma rerum commissa erat, circumspecto claustro, enimvero, ait, talis nidus bonas aves decet. Et Kebo Lauressensis Abbas, vir nominis reverendi præ multis... Si placet, ait, ipsarum avium hunc nidum qualis per omnia sit, primitus ab Abbate audiamus, ut de cæteris, quid agamus, integrum scire valeamus, Et Kerho Wirtzinburgensis Abbas magni nominis & ipse.... Episcopum nostrum interea, & Abbatem cum fratribus in Capituli domum comitatus, quæ congrua nosset, præmonuit. At illi pervagatis Ekkehardo (erat is Palatinus) Duce officinis, adhuc post arsuram, vix quidem quibusdam vel tectis, penu fratrum, pœne vino vacuum mirantur. Aperiri autem sibi etiam privatorum repositoria cum Ekkehardus ductor ejus jurejurando nihil celaturum jubere moneret, cuncta perspiciendo sollicite peragrant: Quærentibus autem etiam de Abbatis proprio penu, hæc, ait, quæ monstravi, fratrum privata, ejus semper sunt ad nutum parata. Neque enim ipse, quia sic homo est, alio Cellario assolet, nam omne debitum in fratrum quotannis congerit cellarium; & *POPPO* Herbipolensis Episcopus, conversus ad cæteros, enimvero, ait, si ita se res inter monachos, & Abbatem habet; non nos hodie meliorem regulam, neque vitam plus communem, etiamsi in loco pleno sit copia cornu, statuere poterimus. Abbas, ut audivimus, congerit fratribus, fratres ad hoc idonei congerunt Abbati, & nihil sine ejus permisso sibi: Omnis autem ab utrisque congestio, neutris sufficere

ficere posse videre est. *Et PALZO* Spirensis Episcopus, in loco nutritus, quo nemo, fama ferente, tunc eruditior, si sciretis, inquit, mores & vim disciplinæ illorum districtam, experti credite, ultra omnes, qui in regno sunt regulares sub copia, eos laudaretis sub inopia. Dein Henricus Trevirensis Archiepiscopus, cui summa rei hujus commissa est, ut diximus, assumptis consortibus, prælium se initurum dicens, confessum collegii nostri signifer aggressus est, &... cunctis tandem residentibus... ita inchoavit. Benedictus Domino iste Sancti Galli cœtus, ait, Pater cum filiis! & Abbati, nostis, ait, Tu, fratresque tui, Carissimi nostri, quare rerum Domini, pro vobis solliciti, tot dilectos suos ad vos viros, direxerint: nisi enim vos diligerent, tot electos ad consulendum vobis numquam dirigerent. Et ille: scimus enim, quod ad consulendum nobis peccatoribus directi estis, ideoque S. Spiritui summo hodie consultori, utrimque nostro acceptissimi sitis: sed tamen unum me maxime movet inter alia miraculum, quod unus ex vobis non est missus, vel Episcopus, vel Abbas, cui non minus, quam vobis omnibus, ad omnia, quæ ratio possibilia posceret, obediremus. Et Erpho Wormatiensis. Tot sancti Spiritus, ut hic, Abba sancte, videmus, Athletis concertare, uni nimium fuerit. Sed jam aliquam viam, id efficiendi, pro quo missi sumus, mihi placet, aggrediamur.

Monuit tandem *HENRICUS Trevirensis*, *Cæteris* id suadentibus, Abbatem, ut aliquem fratrum viam vitæ nostræ, quam tunc degeremus, juberet edicere. Jubet ille *EKKEHARDUM Decanum*, *nec non NOTKERUM medicum*, plerisque illis notissimos, surgere, & a prima usque ad primam, viam vitæ nostræ edicere: quam cum Decanus, fratre juvante, verissime absolveret; *Kebo de Lorishan*, & Abbates, Episcopis: enimvero, ajunt, hæc omnia, quæ audivimus, Benedicti sunt Regulæ, præter hoc solum, quod secundum illam laborant, secundum illam autem non vegetantur: sed & hoc ipsum ejus causa est, ut undecumque quærant, quo vitam sustentent: quæ quia Abbatis permisso quæsita, ubi jusserit, reponunt, & ad ejus nutum, & arbitrium his, quæcunque sunt, utuntur, contra regulam non esse, veraciter affirmare valebimus. Et Milo Elewangensis Abbas, si de carnium esu, inquit, hæsitatis, ego, quod sentio, audentissime dico: quoniam quamvis equus in cibo non sit licitus, ambulatorem meum prius vellem monachus meus ederet obediendo; quam cætera quædam, quæ regulæ sunt, declinaret: ideoque Benedicti ego vice, judicio decerno, quæ Abbatis arbitrium jubeat, monachus manducet, & bibat, Abbas videat, quod arbitrio suo, quid jubeat.

Cum autem ad verba ejus quidam riderent, *HENRICUS Trevirensis* intulit: mirum, ait, tam latum lacum hic patere, & hic piscium copiam non esse. Neque totus noster est, Ekkehardus ait, neque piscium adeo largus, & ut interdum Domino nostro Abbati, quod parce dat, vel soli sufficiat. Si autem emere aliquando invenimus, pretio, quod pro edulio uni nostrum apponendo distrahitur, probum aliquem totam hebdomadam cibare poteramus. Enimvero, Dietricus Metensis ait; dum ego aliquando hic studui, plures dies aliquando abierunt, quod piscem de pelago illo non vidisse me memini; sed & major pars fratrum tunc carnibus non utebatur, quorum quidem parsimonia nimia: erant autem alii, qui solis volatilibus, quod unius cum piscibus creaturæ sint, licite uterentur: pauci autem in locis intra domesticos parietes, ab Abbate permissis, quadrupedum quoque usi sunt carnibus. Meliorem autem ego, ut opinor, nunquam monachum videbo, quam eorum aliquis erat, qui interdum carnes edebat.

Inclinantur tandem Abbates ad Episcopos, ut secretis pro legatione sua uterentur consiliis: quibus morose collatis, *HENRICUS Treverensis surgens*, Abbati nostro ait, & fratribus: Tantæ prudentiæ, Domini nostri, vos novimus; ut legationis nostræ jam effectum in manu arbitrii vestri ponere velimus. Nos enim, ut diximus, ad horam vobis locum dabimus: consulite in in medium, petimus, ut qualicumque arte adhuc quidem poteritis, bona, quæ facitis, Regulæ sancti Benedicti conformetis: & quia ejus rei Legati venimus, ut regularis vitæ vobis monitores simus; quidnam

nam hic boni statuerimus, Dominis referre habeamus: & quamvis omnes, qui venimus, bonum vobis testimonium coram eis dare vere habeamus, etiamsi meliora quidem, quæ a patribus accepistis, vobis propter consuetudinem sunt visa, si ad regulæ viliora (ut ita dicam) mutaveritis, infamiam tamen evadetis.

Tandem illis pari condicto domo egressis, conferunt consilia Abbas, fratresque. Placuit omnibus, quicquid quisque privati haberet, in communes officinas in fide deferret, carnibus omnes, præter quibus regula indulget, abstinendo: mensas etiamsi paupertatis sint, simul habeant: reliqua vero ordinis, quem audierant, mutare, in quibus Lauressensis Abbas, & cæteri Abbates suadeant, paratissimi, usque dum reposita hæc, si defecerint, literis Abbas intimaverint.

Vocantur in Consistorium Abbates, auditisque unanimitatibus, Deo gratias agunt: in consuetudine vero, qua denegamus, pauca mutantes, tempus se, quoniam dies mali essent, redimere ajebant. Properant illi foras alacri animo ad exspectantes; enim vero *KEBO* ait a longe viris: Spiritus Sanctus tardare nescit, viros virtutum in sancto hoc cœnobio esse, prius audivimus; nunc reipsa experiri habemus. Venite jam ipsi, & qui sint, pariter videte. Iterum considentibus, Abbas, ait: Quod de meis ego fratribus, Domini mei, promittere veraciter audeo, unum hoc vobis dico, quia quod regulæ summam scio, dicto paratiores nescio: ideoque per me peccari non ignoro, si ea, quæ perficere nequeunt, eis injungo. Quapropter a Dominis Regibus, nisi vestro interventu nobis subveniatur, sumptus ad turrim Evangelicam ædificandam, suppetere non poterunt. Agite ergo, quicquid meo jussu, & vestro monitu facturi sint, in brevi audite; & minori *EKKEHARDO illi Palatino*, surge fili, ait, & sicut Dominis nostris Regibus, in præsentia Legatorum tantorum, & Tu quoque dicturus sis, consensum nostrum hic in facie eorum eloquere.

Dictoque ut erat semper paratissimus surrexit *EKKEHARDUS*, & ita exorsus est. In medium, Patres, & Electi Dei, ut monuistis, consulimus, & ecce, qua die, vel hora Dominus noster & Pater dixerit, memores nos S. Patris Benedicti, privata nostra, quæ in ejus Abbativo permisso habuimus, in medium & ad pedes ejus ponemus, & cætera, quæ sancti Abbates a nobis consulti, in via & modo conversationis nostræ, mutanda censebant, quia in nostro arbitrio rem posuistis, eos in participium consilii assumentes, mutavimus: sed quoniam in bono assuetis benefactum aliquod in æque bonum, aut in parum melius mutare onerosum est, semper nos quidem humiliari assoliti, ut jumenta fieri apud Deum non recusamus, & onere bis gravari.

His & aliis utrumque profligatis, gratulantur Legati, surgentesque Deum laudando, Conventum dirimunt. Postea vero in auditorio convenientes, fratribus se admissos (*forte*: ad Missas,) pro die festo parantibus, Henricus Treverensis ait consortibus: Fideles nos Nuncios jam nunc, socii exhibemus, si quisque nostrum pro copia, tantis viris, in hac mala terra inopibus, ne in promissis deficiant, consulimus. Alacres omnes, prout ipse dictaverit, symbolum fatentur facturi: & ille, non meum est, inquit, de vestris cujusque sumptibus dicticare: pro copia, quam singuli habemus, in carta hic sub nomine quisque suo conferre scribamus. Factum est, & usque ad XLV. libras symbolus venerat. Interea *Sequentia* summis conatibus, quam Ekkehardus Palatinus dictaverat, ipso coram illis stante inchoatur, & joconde cantatur. . . . . *Et Conradus Constantiensis Episcopus*: Insaniat, inquit, Ruodmannus (Abbas Augiensis) cum hypocrisi sua in locum hunc, quantum velit; monachos tamen hodie *Sanctus GALLUS* habet, quorum similes ipse inter suos nunquam similabit. . . . Interea accitus Abbas affuit & consedit, & Henricus parva solatia se collaturos & die condicta daturos, fratribus pollicetur; dein Regibus se pro inopia eorum suasuros omnes concordant, & cum se orationi eorum committerent, Abbas intulit: Immo, ut fratres conscripti, ait, sitis volo, quia alia vobis dona, dare non habemus. Lætis ob hoc omnibus itur in Ecclesiam, recepti manibus Abbatis, singuli *in libro vitæ* scribuntur. . . .

Invitat tandem omnes Abbas pariter ad Nonales fratrum, quibus conscripti essent,

eſſent, biberes. Ibi tanta hilaritate uſque ad veſperum jam pene ſonatum commanent; ut ſenum, qui adhuc hodie talia memorant, recordationem voluptas ſit audire. Ibant pariter ad laudes veſpertinas quiſque ſuas, Abbate cum fratribus omni dulcedine valefactis, condicto quidem, ut cras matutini conveniant, & miſſionis ſuæ reſponſa Regibus reddenda communi diſponerent conſilio, & relatu roborarent concordi & caritativo. Veniunt diluculo in fratrum conſeſſum, & Henrico dictante, Legationis ſuæ brevem & uniformem ordinant redditionem, ut quoniam non ſimul ad aulam ſunt redituri, Henricus, cui caput cauſæ a Regibus datum eſt, Kebone comite, unum os omnium & lingua foret: neque ego, Henricus ait, ſi quid de meo adjicere potero, confratribus noſtris derogare habebo. Aſſurgunt omnes acclini in gratias: pergunt tandem in Eccleſiam ad dandas abeuntibus proſperæ viæ preces, Abbas cum fratribus, & recipiendas a tot Epiſcopis benedictiones, data prius confeſſione, & a ſtolatis remiſſione..... Sicque per oſcula mutua, valedictione data, utrumque ſibi fauſta precati ad prandia diſcedunt, noctem proximam Conſtantiæ ſimul acturi.

Hepidannus in Chronico.

Ekkehartus junior de caſibus Cœnobii S. Galli cap. XI.

Apud Goldaſtum Tomo I. Part. I. Scriptor. rerum Alemannic.

Annum 968. huic Conventui tribuit Hepidannus, ſed mendoſe: nam Henricus Trevirenſis Archi-Epiſcopus pridem in Italia modo obierat, ut Browerus docet. *Annal. Trevirenſ. Tom. I.*

SYNODUS LEODIENSIS.

Anno Chriſti CMLXVIII. Joannis XIII. Papæ IV. Ottonis I. imperii VII.

OCCASIO SYNODI. Sub Abbate Gerbodone Otto I. Imp. non minus, quam conjux ejus Adelheidis in Monaſterium Laureshеimenſe benefici extitêre: hæc ſiquidem inter alia plura beneficia, Eccleſiam in villa Empele in pago Dehſendron, in comitatu Ansfridi, alluvione aquarum collapſam inſtauravit. Qua occaſione habita eſt Synodus illa, cujus auctor chronici Laurishamenſis meminit in hæc verba.

EBerkarus, Leodienſis Eccleſiæ Epiſcopus, facta Synodali inquiſitione quo loco fundata, (ſcilicet Eccleſia illa in Emple ſuæ diœceſis) qualiter dotata, quando diruta fuiſſet: Si veſtitura ejus Laureshamenſi Monaſterio cum decimis ſuis juſte ac legitime attineret; Canonico judicio, ac ſeptem Illuſtrium ex eodem comitatu virorum juramento diligenter inveſtigavit, eamque reædificatam in honore ſancti Nazarii, & ſancti Lamberti, nimirum *Kalend. Octob.* conſecrans dedicavit, & decimas Epiſcopali juſtitiæ tum adjudicatas, ſub teſtimonio totius Synodalis conventus, Laureshamenſis cœnobii juri, & Dominio ad ejuſdem Eccleſiæ titulum perpetuo impendendas reſignavit. Teſtes Adelbertus Coepiſcopus, Bubo Leodienſis Præpoſitus, Irimbolt, Wodibalt Laureshamenſis Præpoſitus, & alii multi.

Actum Leodii, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCLXVIII. Indict. XII. Anno vero Regni Ottonis Sereniſſimi Regis XXXIV. Imperii autem ejus VIII.

Papius VII. annum Imperii computat. Leuckfeldius annos Regni XXXII. numerat in antiquit. Halberſtad.

Ex Chronico Laureshamenſi apud Freberum.

CON-

CONCILIUM ROMANUM.
SUB JOANNE XIII. PP.
Anno Chrifti CMLXIX. Joannis XIII. Papæ V. Ottonis I. imp. VIII. Ottonis II. imp. II.

In quo Theodorici, Archi-Epifcopi Treverenfis, confirmantur Primatus poft Legatum Apoftolicum in Synodis Germaniæ, & Galliæ, Vicariatus perpetuus Apoftolicæ Sedis, jus fententiæ dicendæ, & promulgandæ in Synodis.

QUia licet indigni, tamen dignationis gratia difponente, Beati Petri Apoftolorum Principis Sacratiffimam fedem, univerfaleque, in toto orbe magifterium (*a*) fufcepimus, neceffe omnium Ecclefiarum, ut diligentiffimam follicitudinem ita continenter habeamus, ne earum jura, auctoritate ejufdem Apoftolorum Principis, cæterorumque fucceflorum ejus, venerabilium patrum, inviolabiliter ftatuta, & confirmata, noftro minuantur, ac pereant tempore; fed potius corroborata decenter augeantur, atque proficiant. Ideo (*b*) veftram noffe volumus fanctitatem, (*c*) quod Theodorico dilectiffimo fratre noftro, Trevirenfis Ecclefiæ Archiepifcopo, Romam dirigente (*d*) legatarium, (*e*) ad Sanctorum Apoftolorum limina, audivimus, ficut etiam pridem audiendo, imo & legendo compertum habuimus, eamdem ipfam præ cæteris Galliarum Ecclefiis, (*f*) Catholicæ religionis exordium, & Chriftianæ religionis, Catholicæque fidei rudimenta prima percepiffe, per fanctorum virorum Eucharii, Valerii, Materni, & cæterorum Evangelicam doctrinam, quos tempore fuo prædictus Beatiffimus Petrus Apoftolus ordinavit, & inftruxit, nec non illuc ad prædicandum direxit. *Unde totius ordinis noftræ fedis Apoftolicæ confultu*, gratuitoque affenfu, jura privilegiorum, quæ a fancta Romana matre Ecclefia præfatis fanctis, eorumque reliquis fuccefforibus, id eft, Agritio, Maximino, Paulino, Severo, Almificis, & Apoftolicis viris, a primordio (*g*) ufque nunc authentice conceffa funt, quæque etiam ipfius civitatis excidio, incendio, (*h*) aliquove cafu confumpta approbantur; eidem Treverenfi Ecclefiæ, prædictoque fratri noftro Theodorico, & per eum cunctis fuccefforibus fuis confirmare, recorroborare, & omni modo reftituere, dignum duximus: decernentes per hujus noftri Apoftolici privilegii validiffimam conftitutionem, ut, quandocunque a noftra principali, & Apoftolica Sede Epifcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, five quilibet ordinarius Legatus rei Ecclefiafticæ, feu cogendæ Synodi caufa, in Galliam, Germaniamve deftinatus fuerit; Treverenfis Præful poft quemlibet ordinarium Legatum Apoftolicæ Sedis in Galliam, Germaniamve deftinatum, primum inter alios Pontifices locum obtineat. Et fi miffus Romanæ Ecclefiæ defuerit, fimiliter poft Imperatorem, five Regem fedendi, fententiam edicendi, & Synodale judicium canonice promulgandi Primatum habeat, utpote in illis partibus Vicarius noftræ Sedis Apoftolicæ merito conftitutus. Neque enim dignum eft, ut illius Ecclefiæ Præful aliquo tempore cæteris non habeatur Prælatus, cujus honor in illis partibus fub ipfo Apoftolorum Principe extitit primitivus. Pari (*i*) namque modo fancimus, omnes in parochiis ejus degentes, five ordinationem

Variantes lectiones Broweri ab exemplari Marteniano.

(*a*) Minifterium.
(*b*) Ideoque omnium veftrum.
(*c*) & induftriam.
(*d*) veniente, *pro* dirigente.
(*e*) oratum ad Sanctorum.
(*f*) Chriftianæ, *pro* Catholicæ.
(*g*) hucusque
(*h*) aliove
(*i*) quoque, *pro* namque.

tionem & promotionem cujuslibet Ecclesiastici gradus a Pontifice ipsius percipientes, eidem ipsi matrici Ecclesiæ, Episcopoque illius debere canonice placere, obsequi, & jure obedire. Siquidem decreto beati Clementis Papæ super hoc ita cautum videtur: *Si vobis,* (k) *Episcopi, non* (l) *obedirent omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ac reliqui Clerici cuncti: omnesque Principes tam majoris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, tribus & linguæ non obtemperaverint; a* (m) *limitibus sanctæ Ecclesiæ Dei alieni erunt, dicente Domino:* (n) *Qui vos spernit, me spernit.* Inter hæc quoque omnia, quæ ad supradictam Treverensem Ecclesiam intra & extra civitatem pertinere videntur, id est, Ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu Monasteria tam Monachorum, quam Virginum, ex præceptis, sive scriptis Regum, seu Imperatorum, sive eorundem fundatorum auctoritate, ad se pertinent, & pertinere debent, & quidquid omnino illa ipsa Ecclesia ubique, & quoquo merito possidet, & possidere debet, generaliter & specialiter concedimus, reformamusque præfato Theoderico fratri, & Coepiscopo nostro, suisque successoribus ad perpetuam sanctæ Treverensis Ecclesiæ Dominationem, atque ditionem, per hujus nostræ Apostolicæ Sedis præceptionis seriem, a præsenti XII. Indictione, & usque in finem seculi valituram. Contra quam si (p) quis agere præsumpserit, & quod juste, & canonice a nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit; sciat se ex Dei omnipotentis, & prædicti beatissimi Apostolorum Principis, omniumque Sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum, ac anathematizandum, cum omnibus impiis æternis suppliciis deputandum. Qui vero hoc privilegium nostrum observare (q) fideliter statuerit, benedictionis gratiam, & misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo consequi mereatur.

Scriptum per manus Stephani Notarii, & Regionarii, & Scriniarii S. Sedis Apostolicæ in mense Januario, & Indict. XII. Data XI. Kal. Februarii per manum Siceonis Episcopi ad vicem Guidonis Episcopi & Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ, anno, Deo propitio, Pontificatus Domini Joannis Pontificis, & universalis XIII. Papæ, in sacratissima Sede D. Petri Apostoli IV. Imperii autem D. Ottonis Majoris VII. Minoris vero II.

(*k*) Episcopis
(*l*) obedierint
[*m*] liminibus
[*n*] Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit &c.
[*o*] Si quis quid quolibet modo.
(*p*) custodire, adimplere

CONVENTUS EPISCOPORUM, ET OTTONIS AUGUSTI.

In quo Hatto, Moguntinus Archi-Episcopus, concedit, ut Magdeburg fiat Sedes Archi-Episcopalis, & Brandenburgensis, & Havelbergensis Ecclesiæ, hactenus Moguntiæ subjectæ, subjiciantur Magdeburgo.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Hatto, Divina auxiliante Clementia sanctæ Mogonciacensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Quia sollicitudo Pastorum in augmento gregis probatur; nec tantum Ecclesiis nostris præesse, quantum

tum prodeſſe jubemur; idcirco nos onus nobis impoſitum in plura dividendum cenſuimus, ut dum in plures participatur, ab unoquoque noſtrum, jugum Chriſti, quod ſuave, & onus ejus, quod leve eſt, æquius & portabilius portetur. Ad dilatandos quippe fidei Chriſtianæ terminos, & Sclavorum indomitas gentes ultra Albiam, & Salam jugo Chriſti ſubdendos, in Magdeburg ſedem Archiepiſcopalem fieri, & in Merſeburg Epiſcopum, Magdeburgenſi Eccleſiæ ſubjiciendum, & ab ejus Archiepiſcopo ordinandum, Archiepiſcopali noſtra auctoritate cenſemus, & inſtituimus. Epiſcopos vero ultra Albiam, Brandenburgenſem ſcilicet, & Havelbergenſem, noſtræ hactenus Eccleſiæ ſubjectos, a debita nobis obedientia abſolvimus, & præſcriptæ Magdeburgenſi Eccleſiæ, ejusque Archiepiſcopo obedituros æque permittimus, & conſentimus. Ne quam vero ſancta Magdeburgenſis Eccleſia futuris, quod abſit, temporibus, a noſtris ſucceſſoribus inde moleſtiam patiatur, cartam hanc conſentaneam conſcripſi (*a*) juſſimus. Et in præſentia Sereniſſimi Domini Auguſti Imperatoris, vel venerabilium Epiſcoporum, quorum nomina inferius inſerentur, legi vel recitari, & ſubſcriptionibus corroborari, & confirmari rogamus. Ego *Hatto* ſanctæ Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, manu propria confirmavi, & ſubſcripſi. Ego Everhardus Sanctæ Leodienſis Eccleſiæ Epiſcopus conſenſi, & ſubſcripſi. Ego Reginoldus ſanctæ Rubilocenſis Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Odelricus Pergami Epiſcopus interfui, & ſubſcripſi. Hubertus Epiſcopus ſubſcripſi. Milo Epiſcopus ſubſcripſi.

Leuckfeld. in antiquitatibus Halverſtadenſibus, in appendice, diplomate 32. *p.*656.

Anno ergo integro, & demidio jam evoluto, cum Hatto Archiepiſcopus Magoncienſis, cum Hildewardo Halverſtadenſi, ſuo videlicet ſuffraganeo, in Italiam veniſſet, & Imperator illos in cauſa (condendæ Metropolis) blanda petitione conveniſſet; Hildewardus Epiſcopus, tam ex Archiepiſcopi conſenſu, quam omnium, qui aderant, conſultu, prompta, & hilari mente, piæ ejus petitioni annuit; ac facto in præſentiarum pari æſtimatione concambio, *Synodali decreto* S. Mauritio Magdeburg, ſanctoque Laurentio Merſeburch, quæque petita tradidit, id eſt, omnem parochiam, ſitam inter fluvios *Albiam*, *Salam*, *Horam & Bodam* uſque ad ea loco, ubi caſtra *Unesburg*, *Wantzleva*, Hortesleva cum omnibus pertinentiis, & villis, quæ *Burchwart* appellantur, verſus occidentem longius protenſo fine terminantur, cum omni decimatione, banno, ſubjectione, obſedientiis, & omni Eccleſiaſtico ordine, prout Halverſtadenſis Eccleſia viſa eſt eatenus poſſediſſe. Recepit autem ad vicem ab Imperatore in partem, & utilitatem ſuæ Eccleſiæ, omnem decimationem in *Hosgouve*, ut terminatur in fluviis *Sala*, *Willerbeke*, & *Wippera*, cum omni poſſeſſione, quam de Abbatia in honore Beati Wicberti in territorio *Herolvesfeldt* conſtructa, idem Imperator æqua commutatione acquiſierat; cujus & Abbatiæ ipſe fundator erat. Huic autem concambio confirmando, juſſione Domini *Joannis* ſummi & univerſalis Pontificis, & Cæſaris Auguſti Ottonis, petitione quoque Hildewardi Halverſtadenſis antiſtitis, Ambroſius Palatinus Cancellarius, & Petrus S. Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, alii quoque quamplurimi Epiſcoporum Italiæ, & Germaniæ ſubſcripſere, quorum etiam nomina in præſenti paginula ſtuduimus annotare.

Hatto Moguntinus Archiepiſcopus interfuit & ſubſcripſit.

Hildewardus Halverſtadenſis Epiſc. I. & S.

Reginoldus Robilocenſis Epiſcopus I. & S.

Adelbertus Rugorum Epiſc. I. & S.

Alberiſus Tarviſianenſis Epiſc. I. & S.

Lantwardus Mindenſis Epiſc. I. & S.

Everaerus (*b*) Leodicenſis Eccleſiæ Epiſc. I. & S.

Teupertus Feltrenſis Eccleſiæ Epiſc. I. & S.

Gauſelinus Patavianenſis Eccl. Epiſc.

Sichelmus Florentini Epiſc. I. & S.

Adel-

(*a*) *pro:* conſcribi, *errore Librarii.*

(*b*) Everardus.

Adelbertus Bononienſis Eccl. Epiſc. I. & S.
Arnadus Foropopuli Epiſc. I. & S.
Joannes Imolenſis Epiſc. I. & S.
Ingizo Caſtellanæ Eccleſiæ Epiſcopus I. & S.
Martinus Epiſcopus ; & fratres Eccl. I. & S.

Browerus in Annalibus Trevirenſibus ad h. annum ex Chronographo antiquo, Ditmaro, & cæteris coævis, vel ſupparibus.

SYNODUS METENSIS.

SUB THEODORICO PRIMO EPISCOPO.

Anno Chriſti CMLXX. Joannis XIII. Papæ VI. Ottonis I. Imp. IX.

De nonis & decimis, Eccleſiæ S. Vincentii Levitæ & Martyris Synodali Sanctione reſtitutis.

HIc ergo Theodoricus, (*a*) cui erat in votis, ut funes interminabilis hæreditatis caderent in præclaris; in nullo volebat defraudari partes Dominicæ hæreditatis. Quocirca decimas Eccleſiarum ſuæ Diœceſeos, a Prædeceſſoribus ſuis ſtipendii vel beneficii loco deputatas perſonis laicalibus, *Synodali auctoritate*, & Epiſcopali cenſura ſubtraxit illis quamvis invitis & reclamantibus : & ſecundum, quod ſcriptum eſt : (*Qui altario ſerviunt , de altario vivant*) Eccleſiarum res Eccleſiarum delegavit Officialibus, quæ Dei Deo , & quæ Cæſaris erant, Cæſari reddere catus.

Sigebertus Levita S. Vincentii Metenſis, Biographus Theodorici I. Metenſis Epiſcopi, apud Leibnitium Tomo I. Scriptor. rer. Brunſwicenſ. pag. 302.

(*a*) Theodericus, natus ex pago Saxoniæ Hamalant'dicto, Comite Everardo Patre, Brunonis Colonienſis Archi-Epiſcopi conſobrinus, & diſcipulus in ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Gymnaſio : qui & eundem Metenſis Eccleſiæ ad Cathedram promovit poſt mortem Adelberonis anno 962. defuncti, ſedit in Cathedra Metenſi ab anno 964. ad 984. quo obiit. *Calmet. in Tomo I. Hiſtor. Lotharingiæ.*

SYNODUS I. MAGDEBURGENSIS

SUB ADELBERTO ARCHI-EPISCOPO.

Anno Chriſti CMLXX. Joannis XIII. Papæ VI. Ottonis I. Imp. IX.

Inthronizatio Primi Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis, & Suffraganeorum ejuſdem Hierarchia ordinata.

ARchi-Epiſcopatus Magdeburgenſis erectio , poſtquam in Concilio Ravennatenſi coram Pontifice, & Ottone Imp. decreta fuiſſet anno 967. *ADELBERTUS* electione Imperatoris in ea primus deſignatus Præſul, a Joanne XIII. P. M. confirmatus, & multis privilegiis ornatus cum Legatis Romanæ Eccleſiæ, *Widone* ſcilicet Epiſcopo Bibliothecario, & *Benedicto* Cardinali , qui illum cum *Hildevardo* Halverſtadenſi Epiſcopo Sedi ſuæ inthroniſarent , dimiſſus, ad Imperatorem remeavit lætus, quem Imperator nihilo minus gaudens , utpote

beati desiderii compos, cum litteris commendatitiis Magdeburg destinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris, *Episcopi*, Marchiones, & reliqui Saxoniæ Principes convenientes, ipsum honorifice susceperunt, & vocum acclamatione, manuumque elevatione electum, cum præfatis Apostolicæ Sedis Legatis celebri ritu inthronisaverunt.

Affuit omnis sexus & ætas gaudentium, fuit prorsus generale tripudium, ubi ad confirmationem sui, idem Archi-Episcopus in præsentia eorundem, Nativitatem Domini secum celebrantium, *Bosonem* Monachum Merseburgensi, *Burchardum* Misnensi, *Hugonem* Cizensi Ecclesiis primos Episcopos ordinavit, & *Adelgagum* primum Ecclesiæ Magdeburgensi Præpositum instituit. *Dudo* quoque Havelbergensis, & *Dudelinus* Brandeburgensis Episcopi, prius quidem Moguntino Archi-Episcopo subjecti, sed tunc agente Imperatore a debita sibi obedientia absoluti, Magdeburgensi Ecclesiæ, ejusque Archi-Episcopo cum præfatis Confratribus fidem & subjectionem promisere.

Ditmarus Episcopus coævus Lib. II.

Chronographus Saxo.

Albert. Stadensis Chronicon Magdeburg.

Leuckfeld in antiquitatibus Halberstadensibus ad annum 969. *& Pagi ad annum* 968. *hanc Synodum refert.* *Calvisius ad annum* 972.

SYNODUS TULLENSIS

SUB GERARDO EP.

Anno Christi CMLXXI. Joannis XIII. Papæ VII. Ottonis I. Imp. X.

S. Gerardus Episc. donat Ecclesiæ S. Michaelis bona quædam, Tullo vicina, in monte sita.

In nomine Dei æterni Creatoris, ac Redemptoris generis humani, Gerardus dono Divinæ dignationis humilis sanctæ Leuchorum sedis Episcopus. Justæ rationis ordo, & Christianæ fidei religio cunctos Catholico nomine gloriantes commonendo postulat, ne vitam præsentem, sæcularium cupiditate bonorum ducti, voluptuose transigant, veluti pecora, quæ natura finxit prona, atque ventri obedientia: neque in bene agendis torpescant, neve errent pariter cum his, qui aliam vitam præter hanc minime sperant. Si igitur hujus considerationis cautela competit omnibus crucis Christi vexillo armatis; quanto magis Episcopis, quos pietas Divina præsidere voluit in tractandis sanctæ Ecclesiæ negotiis, & corrigere pro viribus, quidquid in Divinis negligitur cultibus. Proponentes denique ante oculos æternorum magnitudinem bonorum, ne præsenti negligentia officii in culpam trahamur, actus nostros impigro studio in melius revocantes more pastorali, timore perterriti cœpimus meditari de construendis, & renovandis Sanctorum oratoriis, quatenus eorum suffragiis consequeremur præmium æternæ remunerationis, & pro terra cœlum hæreditare possemus. Accrescente vero per dies aliquot hujus voluntatis desiderio, lacrymis stratum rigando, per revelationem Divinam commonemur, honori Sancti Michaelis construere domum orationis in supercilio Barri-montis. Hac visione plurimum exhilarati, de misericordia uberi certiores effecti, grates egimus Omnipotenti, qui infert se medium de se loquentibus, præsertim vineam sponsæ suæ fideliter excolentibus. Post expleti nostri operis solemnia constituitur Dedicationis dies, illis ipsis Calendis, quibus recolitur memoria ejusdem Archangeli a fidelibus populis. Terminavimus ergo hujus Ecclesiæ ambitum, habentem ex uno quoque latere longitudinem XII. perticarum, quæ pertica continuit numerum pedum XX. & unum, ubi & sacravimus sepulturam defunctorum.

rum. Ad hoc oratorium dedicandum multi convenere fidelium, quorum consultu, auctoritatis vero sacræ decreto, nostræque Ecclesiæ judicio, sacris usibus illius Ecclesiæ concessimus dotis nomine, omnem decimationem proximæ villæ Barri nomine, ex omnibus, unde decima datur; quin etiam statuimus, ut ipsi parrochiani ibi habeant baptisterium, sepulturam, omneque corporis & animæ refugium: ac ne ad aliam Ecclesiam convenire cogantur, auctoritate Divina interdicendo excommunicamus, & ab introitu sanctæ Ecclesiæ segregamus, consortioque illorum, qui dixerunt Domino: *Domine, recede a nobis*, innodamus. Ad hanc etiam donationem adjecimus decimationem vinearum, quæ sunt plantatæ retro XXX. annos, ac postmodum plantandæ ab ipsa radice utriusque montis, Barri videlicet & Barrisni. His itaque peractis, providentes, ne servitus Divina inibi negligeretur, apud sacratissimum atque antiquum suburbii nostri locum, Corpore gloriosi Christi Confessoris, ac primi nostræ Ecclesiæ Doctoris Mansueti, decoratum, ubi Abbas Faribertus præesse videtur, locum illum cum omnibus, quæ nobiscum ibi contulit pia fidelium devotio, servituti ejusdem sacrati loci, & Abbatis Fariberti, ejusque successorum providentiæ, per testamentum hoc legali concessione & confirmatione subjicimus, ac perpetim habendum decernimus, eo rationis tenore: ut unus de monachis suis ibi semper moretur, atque de præbenda monasterii alatur, ac vestiatur. Enimvero precamur, obtestamur, & monemus per tremendam Divinæ potestatis justitiam omnes, qui hanc sanctam post nos estis recturi sedem, ut incertæ vitæ memores, hoc nostræ parvitatis decretum, quod juste a nobis videtur factum, & Divinæ auctoritatis sententia roboratum, nostra etiam manu, nostræque Ecclesiæ consensu adjudicatum, sive subscriptum, nullo modo faciatis irritum, sed vestræ semper pietatis censura subnixum, inviolabile maneat in ævum. Cæterum si quispiam mente perculsus, ad tam illicita fuerit prorumpere ausus, nostra pastorali auctoritate, ut dignum est, coerceatur; & nisi digne pœnitendo, vel Ecclesiæ, cujus pervasor extiterit, satisfaciendo, suam correxerit pravitatem, perpetuæ maledictionis incurrat damnationem, nec habeat cum Sanctis aliquam partem, quorum non timuit invadere possessionem. Et ut in posterum verius credatur, ac firmius observetur, manu propria subterfirmavimus, & manibus fidelium nostrorum roborari fecimus. Ego Gerardus huic testamento faveo, & signo crucis roborando subscribo, annuloque nostræ Ecclesiæ consigno. Signum Grimaldi Primicerii. Sign. Sindebaldi Comitis Tull. Sign. Bernizonis Advocati. Sign. Amælardi Decani. Sign. Odelrici de Mirunvalt. Sign. Harneti majoris. Sign. Heriberti Archi-Diaconi. Sign. Richardi de Castiniaco. Sign. Archimenni Scabinii. Sign. Rodrodi Presbyteri. Sign. Ludovici de Commercio. Sign. Harvini de Scropulis Scabinii. Sig. Nanteri Presbyteri. Sign. Beraldi de Vindopera. Sign. Warneri Scabinii de Viddiaco. Sign. Girardi Presbyteri. Sign. Folchemni de Asmanna. Sign. Walheri Scabinii de Tullo. Sign. Warneri Diaconi. Sign. Almarici laici. Sign. Seivaldi Scabinii. Sign. Heinrici Diaconi. Sign. Norberti laici. Sign. Vixonis Scabinii. Sign. Adzonis Diaconi. Sign. Immonis laici. Sign. Leutberti Scabinii. Sign. Jonæ Cantoris. Sign. Hugonis laici. Sign. Hayducii. Sign. Hildebandi Archidiaconi. Sign. Letucii de Rigneio. Sign. Magni. Sign. Waldulfi Presbyteri. Sign. Seivardi laici. Sign. Arnaldi. Actum Tulli publice in plenaria Synodo, VII. Idus Octobris. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXI. Indictione XIV. Ordinationis vero nostræ VIII. Regnante Magno Ottone Serenissimo Imperatore, XXXV. Imperii sui anno. Duce Lothariensium Friderico. Summo & Pontifice Johanne XIII. Ego Heribertus indignus Sacerdos, atque Ecclesiæ B. Stephani Cancellarius scripsi.

Calmet. Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingiæ pag. 383. 384. 385.

CONCILIUM INGELHEIMENSE.

Anno Chriſti CMLXXII. Benedicti VI. Papæ I. Ottonis I. Imperii XI. Regni XXXVI.

Ventilata cauſa Adalberonis, nepotis S. Udalrici, vivente Udalrico Epiſcopo Auguſtano, deſignati Epiſcopi Auguſtani : Statutum, Udalricum manſurum Epiſcopum : Adalberoni vero commendandam ab Ottone ſolam procurationem cum ſpe ſucceſſionis in Epiſcopatum poſt mortem Udalrici.

REvertentibus de Italia Imperatoribus, Patre ſcilicet, & ipſius prole ad Franciam, facta eſt Synodus in loco, qui dicitur *Ingilenheim*, ad quam Archiepiſcopi cum cæteris ſuis ſuffraganeis ſanctum Udalricum cum ſuis *Legatis honorifice invitaverunt*, Adalberonemque ejus nepotem cum eo venire decreverunt. Illuc vero cum pervenirent, & antiſtites ibidem congregati, Adalberonem baculum Epiſcopalem publice portare cognoviſſent (*deſignatus enim ſolummodo fuerat ab Ottone M. avunculi ſui in Epiſcopatu Auguſtano ſucceſſor*) irati ſunt contra eum, & dicebant, ut contra canonicæ rectitudinis regulam in hæreſim lapſus fuiſſet, & quod Pontificalis honorem ſublimitatis vivente Epiſcopo ſibi plus juſto vindicaret, & ideo ultra eum Epiſopum ordinari non deceret. Quibus ille auditis, prima die Synodale colloquium intrare devitavit, & in alia domo cum cæteris Clericis Epiſcopi remanebat, antiſtes autem cum paucis ſuis capellanis Synodum intravit.

Cumque cauſa ſancti Udalrici fuiſſet ventilanda (*Nam nigrum cucullum indutus, Epiſcopalibus curis penitus ſe exuerat*) & ille pro infirmitate, tam ſonora voce, ut tota Synodus audire potuiſſet, rationem proferre non poſſet; advocabatur unus ſuus Clericus, nomine Gerhardus, qui extra Synodum cum Adalberone remanebat, ut pro eo deſiderii ſui rationem per latinitatis locutionem manifeſtaret, cumque vix pro denſitate multitudinis, in præſentia Imperatorum, & Epiſcoporum præſens ſtetiſſet, interrogabatur, quid deſideraret Dominus ſuus, quibus interrogationibus multiplicatis dixit : Non debeo interrogationibus veſtris reſpondere pro Domino meo, niſi illo præcipiente. Cui dixit Epiſcopus : Frater, bene tibi notum eſt deſiderium meum, enarra hoc, & obſecra, ut eorum conſiliis, & permiſſionibus, Deo juvante, expletum fiat. Tunc præfatus Clericus Gerhardus in præſentia omnium dixit : Excellentiſſimi Imperatores, & Religioſiſſimi Antiſtites, deſiderium Domini mei eſt, relinquere ſæculum, & ſecundum regulam ſancti Benedicti ſanctam inire vitam, & in contemplativa vita diem exſpectare obitus ſui. In indumento pro certo habitus exterioris, poteſtis cognoſcere voluntatem animi interioris. Iſtis & aliis rationibus in voluntate Domini ſui in finem deductus, terra tenus cecidit ante pedes Imperatorum, & Antiſtitum, obſecrans, ut petitionem Domini ſui ſecundum Dei voluntatem implere non dedignarentur. Qui ſimul reſpondendi inducias uſque in craſtinum diem poſtulaverunt, & poſtea inter ſe æſtimaverunt, qualiter cauſa Adelberonis terminaretur.

Quidam vero Epiſcoporum adjutores Adalberonis fuerunt, ne prorſus a ſpe Epiſcopalis ordinationis poſt vitam avunculi ſui excluderetur. Hæc cum inter ſe prolixe ſermocinarentur; ultima in unum ratione coadunati, omnes ſimul firmaverunt, niſi Adalbero ſe Sacramento excuſaret, quod non ſciret hæreſim manere, quia Epiſcopalem potentiam cum baculo arripuit, nullo modo ulterius legaliter Epiſcopus fieri potuiſſet. Altera vero die cum Epiſcopo etiam Adalbero Synodali interfuit colloquio, & cum ei prædictum crimen imputaretur multis objectionibus diverſorum

ſorum colloquiorum cum ſuis adjutoribus, a prædicto crimine ſe defendere ſtatuit. Hoc cum ei adunatio omnium Epiſcoporum non conſentiret, ſecundum prædictam deſtinationem Eiſcoporum Sacramentum perfecit, per nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſuper quatuor Evangelia.

Tunc iterum Epiſcopus Udalricus petitionis ſuæ reſponſa, quæ pridie procraſtinata fuerunt, per prædictum ſuum Clericum expetivit: quia deſideravit, ut prædictus ſuus nepos Epiſcopus ordinaretur, & ille ſecundum regulam S. Benedicti, in Monaſterio cum eorum conſenſu deſervire mereretur. Epiſcopi autem, quamvis eis ex toto non placeret, aperte ei in Synodo contradicere noluere petitionem ſuam: ſed ſapientiſſimi ex ipſis, cum conſilio aliorum, extra Synodum eum ambulare cum illis poſtulaverunt, ibique cum eo & cum ſuis Clericis ſapientiſſimis ſecretam locutionem habuere, dicentes: Reverende Pater, cui nota eſt omnium Eccleſiaſticorum librorum normula, qui ſemper callem rectitudinis ambulaſti, non deviando: non decet nunc, iſtam viam, quam ſemper tenuiſti, omittens, ſeminarium ex te ſumat talis error, ut alius in loco tuo, te vivente, ordinetur: quia ſi ex te talis conſuetudo incipit perpetrari; inpoſterum multis reverendis, & bonis Epiſcopis, ab eorum nepotibus, & Clericis, talia deſiderantibus, multa concreſcunt adverſa. Melius tibi eſt, ut in eo miniſterio, in quo cœpiſti Deo ſervire, permaneas, quam tuam voluntatem ſequens, aliis plurimis ſcandalum facias: quia ex te Canonici, & monachi & ſanctimoniales, & cæteri Chriſtiani ad rectitudinis ſtatum debent conſtringi, qui ex ſemetipſis per climata cadere feſtinant: qui autem incaute ambulando ceciderunt, ex te, Deo juvante, erigi poſſe ſperandi ſunt. De nepote autem tuo Adalberone tuæ voluntati ſatisfaciendo in commune firmamus, ut nullus alius a nobis poſt tuum diſceſſum ad illum locum, in quo tu paſtor exiſtis, eo vivente ordinetur, niſi ipſe.

His conſiliis conſentiens ſanctus Epiſcopus Udalricus, cum eis in Synodum regrediebatur, & tunc cum conſenſu aliorum Antiſtitum, fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum præſentia, procurationem ſui habere, & ſub ipſo totius Epiſcopatus cautam diſpoſitionem in omnibus adimplere. Taliter vero iſtis terminatis, finita Synodo, Epiſcopus (a) & Adalbero cum ſuis ad Auguſtam revertebantur.

Hermannus Contractus in Chronico ad hunc annum.

[a] S. Udalricus obiit anno 973. ætatis 83. Ordinationis autem 50. 4. Nonas Julii. *Gerardus in ejus vita.* Sed Baronius ad hunc annum 972. refert, quia hoc anno quarta dies Julii & feria VI. concurrunt, non anno ſequente. Cæterum annotat *PAGIUS in Critica ad hunc annum*, Necrologia & Martyrologia non eſſe ſemper accurata in diebus mortualibus aſſignandis.

Ejuſdem Concilii Ingelheimenſis DECRETUM,

Quo Corbeienſis Abbas, & Herfordenſis Abbatiſſa coguntur reſtituere Decimas Epiſcopo Oſnabrugenſi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, Divina favente Clementia, Imperator Auguſtus. Noverit omnium induſtria Fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum, qualiter vir venerabils Luidolfus Oſnebruggenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Noſterque Fidelis ac conſanguineus, neceſſitate compulſus, de Saxonica terra Ravennam uſque Serenitatis noſtræ Clementiam adiit, querimoniam faciens, Eccleſiam ſuam decimis, unde jam a XII. annis tranſactis Apoſtolica auctoritate, & multorum noſtri Regni Principum conſultu, & judicio definivimus, & Drogoni, ejuſdem ſedis præſuli, noſtræ libertatis, & immunitatis præceptum ſuper hac eadem re fieri præcepimus, & dedimus, iterum a Corbejenſe Abbate, & Herifordenſe Abbatiſſa, ſuiſque fautoribus

bus temeraria præſumptione deprædatam eſſe, & multos acceptis inde beneficiis, (nam nos de hac vita deceſſiſſe, apud illos diffamatum eſt) in eorum adjutorium conjuraſſe. Hoc vero non æquo animo ferentes, quoniam iter noſtrum Romam direximus, prædictum Epiſcopum nobiſcum illuc uſque venire fecimus. Ibi vero hoc negotio, cæteriſque, pro quibus venimus, apud Patrem noſtrum Joannem Apoſtolicum tractatis, *ejus juſſu & conſilio*, *mox litteris directis, Synodum Inglinheim congregandam proximo autumnali tempore*, *pro Eccleſiaſtico honore ſtabiliendo in hac re*, cæterisque quam plurimis condiximus. Illuc præfatum Epiſcopum, ſuosque adverſarios, ante nos convocare præcepimus: huic vero Synodo interfuerunt Ruodbertus Mogontienſis Archiepiſcopus, & ſui Suffraganei Othalricus Auguſtenſis, Poppo Werciburgenſis, Anno Wormatienſis, Erkanbaldus Argentinenſis, Otuwinus Hildinesheimenſis, Rehinoldus Rabulocenſis, vel Rubilocenſis: Gero Colonienſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Notkero Luoduenſe, Liudolfo Osnabruggenſe, Buodone Mimigardefordenſe: Thidricus Treverenſis Archiepiſcopus, & ſui ſuffraganei: Theodricus Metenſis, Virigfrithus Viurdunenſis, Gerhardus Tolenſis: Freduricus Juvanenſis Archi-Epiſcopus, Athaldagus Hammaburgenſis Archiepiſcopus, Athalbertus Magdaburgenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, Fokkone Miſnenſe, Giſilhario Merſeburgenſe, multique alii noſtri Principes Duces, Comites, Clerici, & Laici quorum nomina, & numerus comprehendi non poſſunt. His vero nobiſcum *in Synodo* conſidentibus, Epiſcopus, & ſui adverſarii in medio conſtabant, ibi utrumque ſententiis auditis, & ſubtiliter dijudicatis, Decimas Epiſcopo Canonica auctoritate reddi debere omnes affirmabant, ſicque Abbas, & Abbatiſſa, ſuique fautores *Synodali ſententia* convicti decimas Epiſcopo reddiderunt, & XXX. libras auri pro injuſtitia illata, & un bann---- certis indutiis perſolvendas promiſerunt. Quapropter ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & monitum dilecti Filii noſtri Ottonis --- Oper--- Archiepiſcorum, Epiſcoporum & cæterorum plurimorum.

Schatenus L. IV. Annalium Paderborn. pag. 314.
Voburg. in Hiſtoria Ottonum pag. 92.
Baronius Tomo X. ad hunc annum n. 3.4.

SYNODUS ROMANA.

Anno Chriſti CMLXXV. Benedicti VII. Papæ I. Ottonis II. Imperii III.

In qua Benedictus VII. PP. Theodorico Archiep. Treverenſi, Primati Eccleſiarum Galliæ & Germaniæ, limina Apoſtolorum viſitanti, donat cellam quatuor Coronatorum in urbe Romana, gratuito Sacerdotum, Clericorum, & plebis Romanæ aſſenſu.

BEnedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Cariſſimis nobis in Chriſto fratribus, univerſis Epiſcopis, ac totius dignitatis & ordinis Catholicis viris, præſentibus ſcilicet & futuris, perpetuam ſalutem. Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia diſponente Beati Petri Apoſtolorum Principis Sacratiſſimam Sedem, Paſtoraleque in curam Dominici gregis miniſterium ſuſcepimus, juxta Apoſtolicam doctrinam, ſicut malis terrori, ne deſideria pravitatis ſuæ perficiant, nos oportet exiſtere; ita ſanctæ Dei univerſalis Eccleſiæ Filios, in religionis piæque devotionis profectu paternæ gratiæ benedictione fovere, maximeque eos, qui in ſanctam Romanam Eccleſiam, beatumque Petrum Apoſtolorum Principem cæteris devotiores probantur; quatenus eis, pia ſui devotio, & in præſenti benignitatis conferat conſolationem, & in futuro æternam ipſo intercedente remunerationem. Unde omnium tam præſentium

tium quam futurorum ſanctitatem, & induſtriam noſſe volumus, de ſancta fratris noſtri Theodorici, ſanctæ Treverenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Primatisque, noſtra, prædeceſſorumque noſtrorum, ab exordio Chriſtianitatis per Beatum Petrum conſtitutione, totius Galliæ, ac Germaniæ in eumdem Apoſtolorum Principem devotione, qui in ſua ſede Eccleſiam Chriſti glorioſius gubernando, multa Monaſteriorum, quæ uſque in ſua tempora manſerunt deſerta, reſtaurando, beatorum Apoſtolorum limina, cæteris ſæpius, nullo longioris viæ periculo, ſeu labore territus, liberaliſſime viſitando, nobis uſque eo complacuit; ut eidem Theodorico, & ipſius Eccleſiæ poſſidenda in perpetuum aliqua conferre juſtum duceremus; quatenus, ut præfati ſumus, pro tanta ſui devotione a nobis gratiam, & benedictionem in præſenti, & in futuro a Deo, beatisque apoſtolis centuplicatam in cœleſtibus reciperet gloriam. Quapropter omnium tam præſentium, quam futurorum notum fieri volumus induſtriæ, nos cum auctoritate beati Petri Apoſtolorum Principis, gratuitoque Sacerdotum, Clericorum, totiuſque Romanæ plebis aſſenſu, eidem ſanctæ Trevirenſi Eccleſiæ, Cellam quatuor Coronatorum condonaſſe in perpetuum poſſidendam, cum omnibus appendiciis ſuis, aquis ſcilicet, aquarumque decurſibus, pratis, paſcuis, vineis, ſilvis, cultis & incultis, curtilibus, & manſis. Quæ omnia eidem fratri noſtro Theodorico ſanctæ Trevirenſiis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Vicarioque noſtro cariſſimo, in partibus totius Galliæ, & Germaniæ, ac per eum, cunctis ſucceſſoribus in perpetuum poſſidenda, tenenda, ac ordinanda, per hujus noſtræ apoſtolicæ præceptionis ſeriem tribuimus, quæcunque eadem cella ex diverſis fidelium donationibus autentice ſecundum legem Romanam poſſidet, vel jure poſſidere debet, data videlicet, & uſque in finem ſæculi quoquo pacto danda, ſeu per violentiam inimicorum eidem cellæ ablata, ſeu per incuriam commorantium in cella perdita, ex integro, & ad integrum eidem fratri noſtro Theodorico, ſanctæ Trevirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, digniſſimoque noſtro Vicario in partibus totius Galliæ & Germaniæ, univerſisque ſucceſſoribus ſuis, per eum a præſenti die, Indictioneque tertia, Beati Petri Apoſtolorum Principis, noſtraque permittimus auctoritate. Contra quam, ſi quis hominum quolibet modo agere præſumpſerit, & quod juſte ac canonice a nobis decretum eſt, in aliquo infringere tentaverit, ſciat ſe ex Dei omnipotentis, & prædicti beatiſſimi Apoſtolorum Principis, omniumque ſanctorum, ac deinde noſtra auctoritate damnandum, anathematizandum, & cum omnibus impiis æterno ſupplicio deputandum. Qui vero hoc ipſum noſtrum privilegium obſervare, cuſtodire, adimplere, fideliter ſtuduerit, benedictionis gratiam, & miſericordiæ plenitudinem in cœleſtibus caſtris, inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo conſequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii, & Scriniarii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, menſe Januario, Indict. III. data XV. Kal. Febr. per manum Widonis Epiſcopi & bibliothecarii ſanct. ſedis apoſtolicæ. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini noſtri Benedicti Sanctiſſimi VII. Papæ I. Imperante Domino piiſſimo Imperatore Auguſto Ottone, a Deo coronato magno, anno VIII. Indictione tertia.

Browerus Annal. Treverenſ. Tom. I. Lib. IX. ad hunc annum.

Geſta Treverenſium Archiepp. edita a Martene Tomo IV. Collectionis ampliſſimæ columna 154.



SYNODUS LAUREACENSIS.

(PATAVIENSIS)

Anno Chriſti CMLXXVI. Benedicti VII. Papæ II. Ottonis II. Imp. IV.

Piligrimo Epiſcopo præſidente, de decimis Eccleſiæ Laureacenſi debitis inter Aneſum fluvium (Ens) *& Comagenum montem.*

NOtum ſit omnibus Chriſti fidelibus, præſentibus, ſcilicet, & futuris, qualiter tempore *Piligrimi* Epiſcopi, *Synodo* congregata, ſemel in *Laureacenſi Eccleſia*, Oratorio ſancti Laurentii Martyris Chriſti, ſecundo autem in Baſilica ſancti Agapiti Martyris, *Mutarn*, orientales Diœceſanos ſuos, præſtito jusjurationis Sacramento, quid ſuæ ſanctæ Eccleſiæ juris in decimatione contingeret interjacentis Provinciæ, inter Aneſum fluvium, & Comagenum montem, Synodice percontans; concordi reſponſione in unam hanc conivere ſententiam: penitus videlicet, ac continuatim omnem decimationem infra præſcriptos limites, Aneſi fluvii ſcilicet, & Comageni montis, ante proximam barbaricam ſuæ Diœceſis devaſtationem, in ditione, & poteſtate prædictæ ſanctæ Pataviensis Eccleſiæ, ſibique præſidentium Epiſcoporum, & fuiſſe, & adhuc jure eſſe debere; hac tantum excepta decimatione, quam ab aliis Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, ex Dominica pertinentia ad partem uſus ubique cenſuit dari, & eam tantum, quam ex antiqua Regum munificentia conſtat eſſe traditam.

Hæc ſunt nomina Sacramentalium.

Meginhart Comes, *Pabo* Comes, Wernherus, Engeldie, Eigil, Utich, Mimilo, Waſigrim, Gerolt, Adelfrit, Gerhoch, Hertinc, Hacco, Ediram, Ernuſt, Azili, Allo, Mazil, Wolffker, Gumpo, Ellipert, Ozi, Zakko, Sinzo, Leutzmann, Walto, Ello, Razo, Udalge, Reginger, Altman.

CONVENTUS IN OPPIDO TRUTMANNA.

Anno Chriſti CMLXXVII. Benedicti VII. Papæ III. Ottonis II. Imperii V.

Henricus Auguſtanus Epiſcopus ab Exilio liberatur.

CUm (*OTTO*) Imperator ad Saxoniam reverteretur, poſtea ſtatuto tempore Heinricus filius Heinrici (*a*) & æquivocus ejus filius Pertolfi ad colloquium Imperatoris vocati ſunt: cum quibus etiam Heinricus Epiſcopus (*AUGUSTANUS*) ad Imperatorem ſe ad excuſandum de prædicto reatu venit, ut reſtitutus gratiæ ejus ad propria redire mereretur. Peracto itaque colloquio Heinricus, & æquivocus ejus in exſilium miſſi ſunt. Heinricus autem Epiſcopus ad Vurdinam, ubi ſanctus requieſcit Liutgerus, Abbati ad cuſtodiendum commendatus eſt. Cumque ibi de Paſcha uſque ad nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ cum magna cautela cuſtodiretur; factum eſt *imperiale colloquium* in oppido, quod dicitur *Trutmanna*. Illuc venerunt duo Presbyteri Gerhardus, & Ana-

Anamotus de *Augusta*, & cum interventu Ottonis Ducis, & *Episcoporum ibi inventorum*, supplicaverunt non solum de semetipsis, sed de omnibus Clericis, & Laicis in eodem Episcopatu habitantibus; ne diu Episcopali custodia privarentur. Imperator autem petitioni Ottonis Ducis, aliorum suorum fidelium, præfatorumque Clericorum satisfaciens, Episcopum de exsilio reduci præcipit, & in præsentia sua, iterato fidelitatis suæ Sacramento, cum gratia sua ad Episcopatum suum redire concessit.

Mabillon. Sæculo V. in vita S. Udalrici.

Idem *Mabillonius in Annal. Benedictinis Tomo III. pag.* 618. ad annum 973. post narratam mortem S. Udalrici, scribit, Henricum, S. Udalrici in Cathedra Augustana successorem, filium Burchardi Alamanniæ Comitis, non multo post suam Ordinationem, ob seditionem Henrici Bojariorum Ducis, cui adhæserat, in exilium ab Imperatore missum fuisse ad Werthinense Monasterium, ejusque Abbati Folemaro commendatum fuisse.

" *Ad annum* 941. *Mabillonius citato Tomo III. pag.* 453. *similem conspirationem ab Ottone I. castigatam, his verbis refert:* Henricus, Ottonis Regis frater natu-major, se regno privatum esse graviter ferens, cum quibusdam Saxonibus in fratrem conspirat. At Rex victor rebellium primores comprehensos capite plecti jubet; fratrem vero Henricum Ingelheimium retrudit. Fridericus Moguntinus Antistes, ejusdem conspirationis particeps creditus, perceptione corporis & sanguinis Domini se purgavit, & tamen Fuldam relegatus est. Rothatdus, Strazburgensis Episcopus, ob eandem causam in Corbeiæ novæ Monasterium deportatur. Henrico Ottonis fratri, Lothariensis Ducatus, qui ei post mortem Gisleberti a fratre commissus fuerat, eripitur, atque Ottoni, Richuini Ducis filio, commendatur, ut & Ducatum procuraret, & Heinricum puerulum, Gisleberti filium nutriret. *Hactenus Mabillon. loco citato.*

SYNODUS INGELHEIMENSIS.

Anno Christi CMLXXIX. Benedicti VII. Papæ V. Ottonis II. Imp. VII.

§. I. Elevatio S. Celsi Episcopi, Episcoporum consensu decreta.

§. II. Definitio conjunctionis Monasteriorum Stabulensis, & Malmundariensis sub unico Abbate.

Egbertus, Theodorici II. Hollandiæ Comitis Filius, creatus Archi-Episcopus Trevirensis, anno 979. dum novam Basilicæ S. Eucharii (hodie S. Matthiæ) structuram molitur, in fundamentis corpus S. CELSI *Episcopi Trevirensis detegitur, 836. post obitum annis, quod ubi illi nuntiatum fuit; illuc venit, sed*

BEati pignoris taphum de loco depositionis movere nequaquam præsumpsit, sed tantum auctoritatis suæ sigillo, sub vigilum excubiis signare curavit: psalmicines interim monachos ibidem constituens, qui ob merita tanti justi inintermissibiles persolverent laudes Divinitati; quoad ipse Coepiscoporum suorum consultu plenius perdisceret, quid de re tanta fieri oporteret, sicque transcripto tituli tomo, Episcopii delegavit claviculario. Non multo post corrogata est Imperiali edicto solennis Synodus quamplurium Episcoporum, atque Abbatum, Patrum videlicet Belgigicæ, nec non Germaniæ, apud regale palatium, quod barbarico vocabulo Engilenheim vocitatur: in qua nonnulla Ecclesiasticæ utilitati necessaria, sanctorum Canonum præviante auctoritate, dulciter sunt pro-

promulgata, atque succeſſuræ poſteritati inviolabiliter obſervanda, indicta. Cui neceſſario interfuit Trevericæ Eccleſiæ Metropolitanus bene meritus *Egbertus*, cujus memoria quamdiu hodie dicitur, ſemper eſt in Benedictione habenda: quia piis ejus ſtudiis aſſcribitur, quod ſuæ Eccleſiæ Clerus ſcientia ac religione nobilitatur. Diſcuſſis ſane inibi multis, quæ Synodica poſtulat rubrica, poſtquam tantus Archipræſul, qui inter omnes illos primatum tenuit, vacuum ſibi fore ad loquendum pervidit, arrepto Pitaciolo, cui erat inſcriptus B. Celſi titulus, ordine, quo oportuit, qualia apud urbem ſuam Divina dignatio præ manibus revelaverit, Tulliana facundia coram peroravit, titulumque ipſe recitavit:

Sollicitus quicunque cupis cognoscere tumbam:
Præclarus jacet hic nomine, vel meritis,
CELSUS, quem Dominus vero inſignivit honore,
Non ſegnis patriæ ſemper ubique vigens.
Qui genus, atque ortum claro de ſtemmate traxit,
Affectuque pio conditur hoc tumulo.

Quibus auditis Imperator immenſo perfuſus gaudimonio, ſacrum, & Deo decibilem, his verbis affatus eſt conventum, " Gaudete, Fratres, & Patres in Domino, & laudate ex intimis viſceribus Dominum Deum noſtrum, qui mira, æternæ ſuæ bonitatis gratia reſpicere dignatus eſt ad tempora noſtra, dando Eccleſiæ ſuæ apud Trevericam Metropolim novum Patronum, beatum Celſum, quem virtutibus perplumem, plenumque dierum, a tempore exitus ſui de Ægypto, hactenus in ſupernis ſedis concivilitavit frequentiis Angelorum: iterum rogo, gaudete, quia ut verum fatear, non ſolum exinde nobis ſalus aucta eſt, verum etiam pii paſtoris probitas ejuſdem verbis, quem in præſentiarum cernitis, enucleatim patefacta eſt. " Quod cum audiſſent utriusque ordinis Sacerdotes Domini, qui eidem ſacræ interfuerunt *Synodo*; expanſis ad cœlum manibus, pias præ gaudio fuderunt lacrymas, immenſas Conditori referentes grates, qui tam glorioſum pignus, non paſſus eſt ſubterrari diutius, ſed cujus apud ipſum eſſet meriti, miraculis corruſcantibus cenſuit patificari. Neque enim fas fuit, ut illi deeſſet in terris obſequium Eccleſiaſticæ militiæ, cui jam in cœlis a Domino reddita erat corona juſtitiæ. Poſt hæc ſacro placuit Concilio, quatenus Auguſti Proſtagmate præſente, atque Epiſcoporum indisgregabili conſenſu comitante, Trevericus vates naviter ſedem ſuam reviſere debuiſſet, & glebam B. Celſi, una cum ſubice Clero, de tumulo proprio levare atque ſublimiter in arcella, quaſi in quodam, divinarum opum Gazophylacio collocare, ſicque totius ſanctitatis cultu, ac ſi ſummi Regis, non qualecunque membrum, ſacro Altari imponere.

Acta Sanctor. Antwerpiæ ad diem XXIII. Februarii, & Hiſtoria inventionis S. Celſi, a Theodorico Monacho coævo deſcripta anno MVI.

§. II. *Conjungenda Monaſteria Stabulenſe, & Malmundarienſe ſub unico Abbate, libere eligendo per Monachos utriuſque cœnobii.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Divina favente gratia Imperator Auguſtus. Si Regalis aut Imperialis Majeſtas Abbatum, ac Monachorum, Deo ſervientium utilitatibus, vel neceſſitatibus pie conſulere ſtuduerit, id omnimodis ad emolumentum animæ ſuæ proficere non ambigat. Idcirco comperiat omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorum præſentium ſcilicet, ac futurorum induſtria, qualiter quidam Abbas, nomine RAVINGERUS, ex Monaſteriis, Stabulaus videlicet, & Malmundaria, quæ ſunt conſtructa in honore Sancti Petri Apoſtolorum Principis, in quo ſuperiore ſanctus requieſcit Remaclus, Confeſſor & Epiſcopus, adiens Celſitudinem manſuetudinis noſtræ, poſtulavit a nobis, quate-

quatenus Prædecessorum nostrorum more, id est, Sigeberti, Hildrici, Lhodovei, & Dagoberti Regum, qui & eorundem Monasteriorum fuere constructores, nec non & Imperatorum Karoli, Hludovici, sed & Serenissimi beatæ memoriæ Ottonis, Genitoris nostri, Augusti Imperatoris, concederemus Monachis, ibidem Deo militantibus, electionem regularem, quod & fecimus.

Et quia Monachis alterius Cœnobii, id est, Malmundarii, antiquorum sancita Regum non suffecerunt, sed eadem Monasteria rescindere, & sub duobus Abbatibus, quod nunquam antea a tempore S. Remacli acciderat, esse laboraverit, in tantum, ut nisi generaliter Episcoporum ex diversis Provinciis confluentium Synodo in Ingilenheim Palatio nostro, prolatis supradictorum Antecessorum nostrorum præceptis, diffiniri potuerit; propter hæc, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controversia fiat, statuimus secundum mansuetudinis nostræ edictum, & omnium in eadem Synodo Episcoporum consultum, maxime Willigisi Moguntini Archi-Episcopi, & Deoderici Metensis Episcopi, & Notgeri Leodiensis Episcopi, ut defuncto per successionem Abbate, ex utrisque in unum Cœnobiis confluentibus Monachis habeant sine simulatione, sine exceptione personæ, sine respectu pecuniæ, secundum sancti Benedicti regulam, Abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, ut, quia B. Remaclus utriusque Monasterii Constructor, & Tungrensium antea Episcopus, & Pastor, maluit in altero eorum, id est, Stabulensium, locum sepulturæ sibi eligere, ipsi primam electionis obtineant vicem. Sin autem non illic, sed Malmundarii melior reperiatur, utrique loco præficiendus, potius quam ab externis assumptus intromittatur. Et ut hæc nostræ concessionis ac confirmationis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, hoc præceptum inde conscriptum, manu propria subter firmavimus, annulique nostri impressione insigniri fecimus.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti. Hildebaldus Episcopus & Cancellarius, ad vicem Willigisi Archi-Capellani recognovi. Data II. Nonas Junii, anno Dominicæ Incarnationis CMLXXX. Indict. VII. Anno vero Regni Secundi Ottonis XIX. Imperii autem XIII. (*) Actum Aquisgrani in Dei nomine feliciter. Amen.

[*] Nimirum a tempore Coronationis.

Cl. Ignatius Roderique anno 1728. in Disceptatione de Abbatibus, & origine Abbatiarum Malmundarii, & Stabuleti, opposita observationibus *Martenii, & Durandi Parte III. Cap. II. pag.* 115. 116. contendit, hoc Diploma esse spurium, seu suppostitium multis adinventis argutiis. *Mansi* autem idem refert *Tomo I. Supplementi Conciliorum*; ex eoque recte probat existentiam Synodi Ingelheimensis.

Cl. Roderiquio nil oppono, quam sententiam Curiæ Romanæ, anno 1744. latam a R. P. D. Molina Rotæ Auditore, post trecentorum annorum litem, in qua decretum Friderici Archi-Episcopi Coloniensis anno 1128. hujus Synodi Ingelheimensis decreto innixum, omnimodis probatur, & firmissimum, omnique humana fide in quovis judicio dignissimum, canonizatur: nam & hoc Diploma Friderici Roderiquius allatrare & arrodere voluit. Vide *Secundum S. Remacli Triumphum de Monasterio Malmundariensi, anno* 1748. *impressum, pag.* 53. *editum a Dionysio Malherbe, Monacho & Bibliothecario Stabulensi.*

Stabulense Monasterium, simulque Malmundariense tunc administrabat Ravengerus Abbas, qui gregis sui commodo & tranquillitati prospiciens, Ottonem Imperatorem rogavit, ut more Antecessorum suorum Monachis ibidem consistentibus *Electionem Regularem concederet*, quod annuit Imperator. Quia vero nonnulli Malmundariense monasterium a Stabulensi separare moliti erant, *ne qua deinceps hac de re controversia oriatur*, (ait) a se statutum fuisse in *Synodo Ingelheimensi*, consultu Episcoporum, maxime Willigisi Moguntini Archi-Episcopi, & Deoderici Episcopi Metensis, ut defuncto Abbate concurrentes in unum utriusque Cœnobii Monachi, eligendi secundum S. Benedicti regulam Abbatis, habeant liberrimam optionem, ita tamen, ut ex Stabulensium gremio præponatur, qui dignior fuerit; sin minus, ex Malmundariensibus, si melior inter eos habeatur. *Mabillon. Annalium Benedictinorum Lib. XLVIII. pag.* 664.

SYNODUS LEODIENSIS

Sub Notgero Episcopo.

Anno Christi CMLXXX. Benedicti VII. Papæ VI. Ottonis II. Imp. VIII.

Petente Womero, Abbate Monasterii Gandensis, miracula S. Landoaldi (a) *Archi-Presbyteri, coacta publica Synodo collecta, per Harigerum diserte descripta, auctoritate Episcopali roborata, eidem Abbati, & Fratribus Gandensibus transmittuntur.*

Dominus Abbas tantis beneficiis visis (*ad tumbam S. Landoaldi, &* (b) *Sociorum patratis*) gratias omnipotenti Deo rependit, nec multo post inspirante Domino, pro cautela futurorum, & quod verius est, pro majori gloria Sanctorum, priores nostros, supra designatos, ad venerabilem Episcopum Leodiensis Ecclesiæ mittere curavit, supplici precatu efflagitans, quatenus de translatorum Sanctorum reliquiis quæque digna per Clericos suos inquireret, & illis veritatem de illis omnibus renuntiaret in scriptis, quod Domino donante extemplo completum est.

Nam requisiti in *Synodo plena* Sacerdotes & Clerici, undique confluentes, quanta audierant, & facta viderant de Sanctis nostris miracula, ore consono coram Episcopo suo proferebant. Jubente itaque eodem eximio Pontifice, ibidem miracula, quæ divulgaverant, sunt collecta, & per Dominum Herigerum (c) didascalum, ac musicæ artis peritum, breviter quidem, sed satis diserte, ac luculento sermone descripta, nec non & ipsius Episcopi sunt auctoritate roborata: insuper sigilli sui impressione munita, atque Domino Abbati, ac omnibus fratribus Gandensibus (d) fideliter missa.

Ex Auctoris Monachi coævi Gandensis MS. codice excerpta. ad diem XIX. Martii. Tomo III. pag. 45. in Actis Sanctorum.

SYNO-

(a) S. Landoaldus cum sociis Roma in Belgium venit, benedicente Papa Martino I. circa annum DCL. Creditur, S. Lambertum, post Tungrensem Episcopum, in pueritia instruxisse, Evangelium prædicasse, pie obiisse & sepultus fuisse in Ecclesia Wintershoff a se dedicata: inde ob miracula translatus Gandavum circa 735. Miraculis auctis Gandavenses petunt a suo Episcopo Notckero examen veritatis horum miraculorum. Fit inquisitio in Synodo Leodiensi anno 980., authentica declarantur, decernitur Canonizatio, seu Elevatio tumuli, quæ anno 982. 13. Junii facta fuit, ut certo constat ex actis translation. ab Hagiographis relatis.

(b) Socii S. Landoaldi fuere Amantius Diaconus, Adrianus Martyr, Julianus, Venciana, Adeltrudis, Wintershovii primum, dein usque nunc Gandavi sepulti. *Vide diem XIX. Martii in actis Sanctorum.*

(c) Herigerus Abbas Lobiensis, Diœcesis Leodiensis, Synodo interfuit. Verosimiliter editis variis libris celebris, & inter alia scripta, vita S. Landoaldi, ejusque translatione, libris duobus inscripta Notgero Episcopo Leodiensi: obiit Herigerus ineunte Sæculo XI. anno MVII.

(d) Gandavum urbs nunc est Episcopalis ab anno 1559. ante eum annum sub Leodiensi Episcopo erat.

SYNODUS TREVERENSIS
SUB EGBERTO Archi-Epiſcopo.
Anno Chriſti CMLXXXI. Benedicti VII. Papæ VII. Ottonis II. Imp. IX.

S. Paulini Eccleſia & Monaſterium, Clericis habitatum, dotatur, & fundis augetur.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Noverit omnium Chriſti fidelium tam præſentium, quam futurorum induſtria, quod ego Egbertus, Divina favente clementia, Trevericæ ſedis Archiepiſcopus, videns Monaſteria, & Eccleſias noſtræ Diœceſeos, omnibus Eccleſiaſticis uſibus a diebus anteceſſorum noſtrorum uſque ad tempora noſtra miſerabiliter deſolatas, atque in id redactas; ut vix ſpes eſſet eas reparandi: deliberavi, ut ſi non omnibus poſſem, ſaltem aliquibus pro virili parte mea ſuccurrerem, ſatius ducens quaſdam ex illis, meis diebus reſtaurare, quam omnes neglectas relinquere. Quod nunquam convenientius aut ſtabilius fore credidi, quam ſi unicuique loco propriam terram, ut antiquitus ſtatutum, & conceſſum eſt, determinarem atque ſolidarem. Cumque in hoc minime prævalerem, nec deſiderii mei compos in hac re effici poſſem, præſertim cum ipſius Epiſcopii maxima pars militibus in beneficium diſtributa, ita ut nulli locorum propria hæreditate prodeſſe poſſem; illud incidit conſilii, quatenus ex aliorum terra locorum ſumerem, unde ad manum meam aliquid tenui, quo alia reædificarem, unde nihil habui. Quod factum ſtabile, & firmum eſſe volui, ea conditione, ut nihil ex his, quæ taliter contuleram, vel a me, vel a quovis ſucceſſorum meorum divelleretur: niſi aut melius, aut æque bonum, vice ejus reſtituatur. Hoc etiam pacto, quidquid *Lutbuinus* Dux in monachum converſus, & poſtea hujus ſedis ſacer Archiepiſcopus, in *Brambach* & *in Byrckenfeldt*, in Eccleſiis, aut in omnibus appendiciis aliis, ad habendum fratribus, Deo & S. Paulino ſervientibus contulit, & quidquid *Dagobertus*, orthodoxus Rex Francorum, ſcilicet *Billike* cum *Sulmana*, *Rula*, & *Nieufela*, cum Eccleſiis, ac cum omnibus rite ad eadem loca pertinentibus, de ſuo hæreditario jure, eidem beatiſſimo confeſſori contradidit: & quæcunque *Ludovicus Pius* Imperator, videlicet *Maſſolter* cum Eccleſia ibidem ſita, & cum appendiciis de ſua proprietate, præfato ſancto, firma donatione conceſſit. Et quicquid *Hetti* Archipræſul, prædeceſſor noſter, in loco *Waderola* dicto, & Reinonis campo, de ſuo indominicato ſubtrahendo, ſupradictis fratribus dedit. Et quæcunque loca, S. Paulino injuſte prius ablata, Sereniſſimus Rex Henricus juſte reddidit: *Viden* ſcilicet cum Eccleſia, *Waltrach* cum Eccleſia, *Roſcheidt* cum Eccleſia, & cum appendiciis ſuis. *In Caſtenich* quoque picturas (*) quatuor. In *Bubraco* picturas tres cum omnibus ad eaſdem rite pertinentibus. Quicquid etiam *Ratbodus* Archiepiſcopus anteceſſor noſter, capellam ſcilicet in loco *Vilre* dicto cum ipſa villa, & additamentis: & omnem indominicam (**) quoque decimationem in villa *Noviant*; ſimiliter in *Gaurici* campo Eccleſiam, & Manſos, cum omni integritate de ſua proprietate S. Paulino conſcripſit. Quia omnia ſupra dicta prædia, partim in beneficium militibus diſtributa, partim ad uſus noſtros, ad menſas, & ad ſervitium conſtituta, Monaſterio, unde ablata fuerant, reſtituere non potui; alias poſſeſſiones ad uſus, & ad ſervitium noſtrum pertinentes, eidem loco pro reſtauratione conceſſi. Itaque de beneficio *Luthardi* Comitis, qui mihi ipſo mortuo ſine hærede aliquo, ad proprios uſus contigit, quicquid in villa *Kerne*, & in *Syrtzenich*, *Lorich*, *Hedcriſchrode*, atque *Cer-*

[*] pedaturas *al.*

(**) indominicatam

Cervia, & *Grimelrode* habui, fratribus, Deo & S. Paulino famulantibus donavi; talique conditione tradidi, ut neque Advocatus aliquis, neque laicalis aliqua vel mundana poteſtas, & ſuper his, quæ in valle Treverica, vel ubicumque ſint, iſta ad uſus fratrum pertinentia, habeat poteſtatem aliquam regendi, defendendi, judicandi; niſi ipſius loci Præpoſitus, dum debita fratribus adminiſtrat ſtipendia; & ego, & poſteri mei Archiepiſcopi, cum ſtola ſua, ſi opus fuerit, adverſus potentes, & rebelles perſonas. Et quia earundem poſſeſſionum ſumma, a nobis reſtituta, vix ad decimam partem pervenit bonorum, quæ fuerant ablata; ne propter rei familiaris inopiam Monaſteriale dilaberetur ædificium, communi conſilio fidelium noſtrorum Clericorum, & laicorum, mihi, atque ſucceſſoribus meis, id deinceps conſtitui, atque banno meo confirmavi agendum; ut eadem cura, eademque diligentia, & ſollicitudine, qua domum B. Petri ædificant; & huic Monaſterio trabes, laquearia, feneſtras ponant: Caſulis, Dalmaticis, Cappis vetuſtate conſumptis, meliores ſufficiant, Præpoſito ipſius Monaſterii cætera in ædificiis procurante, Cuſtode vero lineas veſtes in Eccleſia utendas reparante. Hanc traditionem feci, & ſcripto confirmavi, ipſo feſto die S. Paulini, ad Altare ipſius ſancti. In celebratione vero Miſſarum ejuſdem ſolennitatis, poſt conſecrationem Euchariſtiæ, coram multis aſtantibus, corpus Dominicum accepi in manum, denuncians anathema omnibus iis, qui aut ſua voluntate, aut aliorum inſtinctu, ex eodem Monaſterio, quicquid illi ante, vel tunc, vel poſtea datum, aut conſtitutum eſſet, auferre fuiſſent auſi, precatus adhæc, ut Dominici Corporis Sacramentum in perniciem iis, damnationemque cederet, ni aut melioribus, vel paribus certe beneficiis, ablata compenſaſſent. Hanc chartam ego Egbertus Archiepiſcopus ipſa die ſollennitatis conſcriptam, adſtante clero & populo, recitari juſſi, & ſigni noſtri impreſſione, atque propriæ manus ſubſcriptione firmavi. Acta feliciter ſunt hæc Treviris, anno Dom. Incarnationis DCCCCXXXI. indictione VIII. Regnante Ottone II. Roman. Imp. Auguſto. Signum Beniginiſſimi Egberti Trevirorum Archiepiſcopi, Primatis, & Cancellarii.

(L.S.)

Signum Luzonis, Præpoſiti ejuſdem loci. Sign. Ansgeri Præpoſiti. S. Adalmari Præpoſiti. S. Erenberti Decani. S. Roberti Archi-Diaconi. S. Hermanni Chorepiſcopi. S. Gerardi Chorepiſcopi. S. Alſadi Presbyteri. S. Udalrici Presbyteri. S. Martini Diaconi. S. Roberti Subdiaconi.

Signum Theodorici Comitis. S. Chriſtiani Comitis cognomento Veſani. S. Regeneri, rerum S. Mariæ Advocati. S. Siffridi Comitis, & rerum S. Maximini Advocati. S. Udonis. S. Dietfridi. S. Luzonis. S. Epponis. S. Eberwini. S. Burgizonis. S. Alaframmi. S. Adelberti. S. Megingaudi.

Browerus in Annalibus Treverenſibus L. X. ad hunc annum.

Ex MS. Commentario Friderici Præpoſiti de religione Eccleſiar. S. Paulini, cap. 21.



SYNO-

SYNODUS TULLENSIS,
Anno Christi CMLXXXII. Benedicti VII. Papæ VIII. Ottonis II. Imp. X.
In qua S. Gerardus Episc. Tullensis confirmat Testamentum Goderanni Primicerii, & omnia bona Abbatiæ S. Mansueti.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, omnium quæ subsistunt æternaliter creatricis atque moderatricis. Universis Sanctæ Dei Ecclesiæ gubernatoribus, nec non & veræ Religionis, & Catholicæ fidei cultoribus præsentibus, atque futuris, Gerardus, Divinæ dispositionis ordinante clementia, sanctæ Tullensis Ecclesiæ humilis Præsul. Credimus absque ulla ambiguitate, & certo jure tenemus, quod pro cunctis bonæ actionis studiis, & spiritualibus animarum curis, corona nobis & recompensatio cœlestis a Domino Conditore præparetur. Quapropter ad omnium, tam præsentium, quam subsequentium Ecclesiæ Dei fidelium volumus pervenire notitiam, quod postquam Divina dignatione, Domini quoque *Ottonis* victoriosissimi Imperatoris, & semper Augusti, nec non & Domni *Brunonis* gloriosi Archi-Episcopi, & Regia germanitate præcellentis jussione dictante, custodiam animarum, & regimen suscepimus Ecclesiæ Tullensium; studii nobis quam plurimum fuit, commisso gregi diligentiam adhibere, diruta pro viribus restaurare, quæ secus justo disponi videbantur, melius ordinare. Inter cætera igitur, quæ ad cultum Dei, nec non & servorum ejus pertinentia manu sublevantis egere perspeximus, quemdam nostræ sedis locum fundatum ex antiquo repperimus, in honore quidem beati Petri Apostolorum Principis consecratum, sancti autem Mansueti primi Pastoris nostri corporali præsentia insignitum, ab Antecessore nostro gratia religionis cœptum, sed imperfectum relictum. Cujus videlicet nos restaurationis ardore succensi, pro studio æternæ recompensationis perquirere cœpimus, qualiter eundem locum convenientius reformare valeremus. Unde cum totius nostræ sedis Clero, Abbatibus quoque, Monachis, ac fidelibus laicis habito consilio, invenimus hoc nullo modo jure permanenti fieri posse, nisi præfato loco specialem præficere pastorem, & concessis rebus, quibus fratres sub Abbatis imperio militantes regulariter alerentur, eidem cœnobio deberemus clementer providere: cujus piæ scilicet investigationis tandem discussione peracta, quendam nostri desiderii negotio congruentem invenimus, proprio nomine Adam vocatum, nostræ Ecclesiæ filium, disciplinis regularibus educatum, quem communi consensu tam spiritualium, quam & cunctorum fidelium nostrorum, pari electione designavimus, constituimus, atque in eo loco præfecimus. Pro qua re statuimus atque decrevimus, ut & Monachi in eodem loco sub regulari sancti Benedicti disciplina viventes, absque ulla nostrorum succedentium Antistitum inquietudine, & perturbatione Deo serviant, aliarumque personarum pervasione securi & liberi vivant, & res, quas eis inspirante Domino concessimus, vel ab aliis datum esse cognovimus, vel nostris temporibus adquisitum constat, illud etiam, quod a Prædecessore nostro sanctæ memoriæ *Gauzelino* Episcopo olim noveramus, ibidem fuisse concessum, vel tempore priore delegatum, nostræ auctoritatis decreto volumus permanere stabile & ratum. Id est, mansum integrum, a nobis vero ampliatum, in quo idem situm est monasterium, propria immunitate potitum, his autem finibus circumquaque determinatum. In lato quidem, a puteo superiore antiquo usque ad puteum vicinum inferiorem. In longum vero, a via, quæ subjacet vineis, usque ad aliam viam publicam, quæ per medium inferiorem mansionilem itinerantibus pervia est; prato quoque cum croada monasterio subjacente, terminante Lisentiaco fonte. Parrochiam quoque ejusdem monasterii certis confiniis determinavimus. In lato quidem, a via publica, quæ per medium mansionilem in partibus Orientis usque ad urbem protenditur, & in parte Septentrionali usque ad vallem Brixeii recto itinere dirigitur. In longo vero, a ripa fluminis Angruxiæ usque ad aliam partem

tem ejuſdem Monaſterii, ad locum, qui Liebidos dicitur, ſicut & bannum noſtrum certis confiniis in longo, & in lato ex omni parte determinatur. Ut autem fratres inibi ſervientes Domino liberius vacent, cum conſenſu omnium fidelium noſtrorum, tam Clericorum, quam & laicorum, & unanimi voluntate conceſſimus eis per omne tempus ex integro hanc libertatem, ut quidquid nunc infra parrochiam poſſident, ſive in futurum poſſederint conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, tam mobilia, quam & immobilia, omnem etiam decimationem unde decimæ dantur, vel quidquid canonice poterit adipiſci, confirmatum eis ex toto illibatumque permaneat, ab omni banno ſæculari liberum & quietum, ab omni exactione immune; omnem quoque decimationem ex omni noſtra ſubſtantia per omne tempus inibi habendam conceſſimus. At ne ab aliquo deinceps deſtruatur, auctoritate Divina interdicendo excommunicamus, & ab introitu ſanctæ Eccleſiæ ſegregamus, conſortioque illorum, qui *dixerunt Domino Deo:* (a) *Recede a nobis*, innodamus. Cellam etiam de monte Barro, & dimidiam decimationem omnium lignorum, quæ per Moſellam vehuntur navibus, quam in eodem loco conceſſimus: Eccleſiam vero de Medio-vico, Eccleſiam de Boncido, Eccleſiam de Neiva, Eccleſiam de Hodelincurt, Eccleſiam de Tulliaco, Capellam ſancti Florentini apud Chelmes, Capellam de Siſſeiaco, Capellam de Ormlzum, Capellam de Beverone, cum omnibus appendiciis ipſarum: Angeliacum vero, & Moleſiacum cum capella, & quidquid adquiſitum eſt per precariam, quam fecit Hugo de rebus ſancti Stephani, ex loco, qui Babani-villa dicitur, cum terris cultis & incultis, ſylvis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus, cum integra piſcaria in omni uſu, molendinis, ſervis & ancillis, exitibus & reditibus, cum omni banno. Similiter Tulliacum, & quidquid ad ipſam villam pertinet, cum hominibus cujuscumque poteſtatis, cum banno integro. In Blandiniaco precariam, quam fecit Blitdrada nobilis fœmina de rebus ſancti Stephani, cum omni integritate ſua, quidquid videlicet ad eandem precariam pertinet, vel per eandem precariam jure hæreditario adquiſitum conſtat, cum Eccleſiis, terris cultis & incultis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, ſervis & ancillis, & univerſis jure hæreditario ad ſe pertinentibus; ut ea Eccleſia beati Manſueti ea libertate, qua nos poſſidebamus, liberaliter, quiete & abſolute in æternum poſſideat: nec ab Epiſcopo, Comite, vel Advocato, villico, vel decano, vel aliquo miniſtrorum, vexationem vel exactionem ſuſtineat, nec in aliqua poteſtate ad noſtram ſedem pertinentibus pro hominibus a nobis collatis vel deinceps conferendis, eam aliquis cellam reveſtire compellat. In Orientis etiam partibus ejusdem Monaſterii dedimus eis terram arabilem ſuper Moſellæ fluvium ſitam, in longo & in lato ſicut idem fluvius ex omni parte fines determinaverit. Molendinum quoque ſuper aquam Angruxiam. Apud Domini-Germani villam, manſum unum, cum tribus hominibus in eo commanentibus. In Gisboni Manſo manſum unum. In Beverone naudam, quæ dicitur ſancti Manſueti. Campum unum in vercilliaco. Naudam quoque Widonis. Hæc omnia in uſus monachorum in eodem loco Deo deſervientium delegamus, atque in perpetuum concedimus. Obſecramus autem humilime, & ſub invocatione Divini nominis conteſtamur unumquemque Antiſtitum ſucceſſorum noſtrorum, nunquam de hac præſcripta facultate fratrum, quam illis conceſſimus, vel adhuc, ſi Deus nobis vitam dederit, conceſſuri, & largituri ſumus, aut ab aliis Chriſti fidelibus fideliter tradita vel tradenda fuerint, ſubtrahere vel diminuere præſumat, neque ipſam aliquando congregationem exordinare, vel injuſte perturbare audeat. Si quis tamen eorumdem Epiſcoporum ſucceſſorum noſtrorum iniqua cupiditate perſuaſus, hanc ordinationem noſtram pro amore Dei, & retributione cœleſtis regni a nobis conſtitutam, infringere aut violare præſumpſerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & pœnam ſempiternæ damnationis irremediabiliter percipiat, nec ſit illi pars cum Deo in retributione juſtorum, ſed habeat partem cum Principe tenebrarum, ſuſtineatque judicium ultionis æternæ, condemnatus omnium Sanctorum

(a) Job. XXII, 17.

rum maledictione, & excommunicatione, donec resipiscat a sua intentione, & corrigat pravitatem cupiditatis suæ. Ut autem hujus constitutionis nostræ series firmior habeatur, potioremque in Dei nomine vigorem firmitatis perhenniter obtinere mereatur; manu propria eam subter firmavimus, omniumque nostrorum fidelium, monachorum videlicet, Canonicorum Laicorum authoritate corroborari præsentialiter decrevimus.

Ego Gerardus huic testamento faveo, signo crucis roborando subscribo, annuloque nostræ Ecclesiæ consigno.

Signum Goderanni Primicerii. Sign. Arinfridi Decani. Sign. Volfardi Thesaurarii. Sign. Grimbaldi Bibliothecarii. Sign. Bovonis Cantoris. Sign. Lamberti Archi-Diaconi. Sign. Wagonis. Sign. Anstei. Sign. Dominici. Sign. Albrici. Sign. Fridieri. Sign. alterius Anstei. Sign. Amelardi. Sign. Azelini Comitis Tullensis, fratris Domni Pontificis. Sign. Grimbaldi advocati. Sign. Harieri villici. Sign. Hayducii. Sign. Johannis. Sign. Fulchrardi. Sign. Waltheri. Sign. Cuerici. Sign. Berardi. Sign. Widonis. Actum Tulli publice sub die iduum Octobrium in plenaria Synodo, omni Clero, qui aderat, acclamante: fiat, fiat. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXII. Indictione X. Anno ordinationis nostræ XIX. regnante secundo Ottone Serenissimo Imperatore, V. Imperii sui Anno.

Ego Ruo Zechinus Cancellarius scripsi, & publice relegi.

Calmet. Tomo II. Probation. Histor. Lotharingiæ pag. 389. 390. 391.

CONVENTUS APUD TULNAM OPPIDUM.

Anno Christi CMLXXXV. Joannis XV. Papæ I. Ottonis III. Reg. II.

Piligrimus, Episcopus Pataviensis, obtinet immunitatem pro colonis Ecclesiastici Patrimonii, deductis in Austriam.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Divina favente Clementia Rex. Notum sit cunctis tam præsentibus, quam & futuris Christi fidelibus, qualiter Piligrimus, sanctæ Pataviensis Ecclesiæ venerabilis Præsul, Episcopatus sui pertinentiam in Orientali plaga, Barbarorum limiti adjacentem, creberrima eorum devastatione infestari, nostræ conquestus est pietati. A quibus etiam Barbaris moderno quoque nostri Regni tempore miserabili lamentatione adjecit, tam irrecuperabili se damno læsum in interfectione, & diremptione familiæ suæ, præter innumerabilia prædationum, & incendiorum dispendia; ut absque habitatore terra Episcopi solitudine silvescat. Cujus perniciosissimam jacturam munificentia nostræ liberalitatis hujusmodi solari juvamine pro nostræ æterno precatus est animæ remedio: quatenus videlicet ingenui, qui ex inopia servorum in locis Ecclesiastici Patrimonii constituantur coloni, quidquid nostræ publicæ exactioni justitiaria potestate deberent, ad pristinæ reparationem culturæ suis largiremur usibus. His igitur moti querelis, militumque interventionibus allubescentes, suspiciendæ reverentiæ *Theophaniæ*, Dominæ Matris nostræ semper Augustæ, amborumque nepotum nostrorum *Henricorum*, Ducum scilicet Bavariæ, ac Carinthiæ Regionum postulata, eo tenore concessimus, ut liberi, cujuscunque conditionis sint, qui destinantur coloni in locis pertinentibus ad S. Pataviensis Ecclesiæ Præsulatum, in honore B. Stephani Proto-Martyris Christi constructum & dedicatum, ubi S. Valentinus, & Maximilianus, Confessores Christi, corpore requiescunt, sitis in Marka hactenus Luitwaldi Comitis, a nostrorum Ministerialium deinceps sint districtione absoluti: & quidquid noster publicus Fiscus ab illis exigere, vel percipere poterit, hoc totum in cunctis Advocaro præfatæ Ecclesiæ Pataviensis exigendum, & percipiendum ad jam dictam Pontificis Piligrimi, Successorumque suorum utilitatem perpetim condonamus: nec pro ulla alia occa-

occasione aut vadium solvere, aut ad comitatum ire, a Marchione, vel aliqua judiciariæ potestatis persona cogentur, nisi ea lege, vel jure, quo Ecclesiastici servi ab extraneorum pulsati reclamationibus, pro satisfacienda justitia ad placitum ire compellantur.

Et ut hæc auctoritas nostra præsentibus, futurisque temporibus, Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subtersignavimus, annulique nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini OTTONIS gloriosissimi Regis.

Hildewaldus Episcopus ad vicem Willigisi Archi-Capellani recognovi.

Dat. pridie Kal. Octobris anno Dominic. Incarnat. DCCCCLXXXV. Indict. XIV. Anno autem III. Ottonis regnantis II. Actum Babenbergæ in Dei nomine feliciter. Amen.

Hansiz. Tomo I. Germaniæ Sacræ pag. 225. 226. ait: hoc Diploma fructum esse Conventus Tulnensis omnium Episcoporum, & Procerum Bavariæ.

SYNODUS LAUREACI UNA, IN MAUTOREN ALTERA, (*a*) IN MISTELPACH TERTIA.

Sub PILIGRIMO Episcopo Pataviensi.

Anno Christi CMLXXXV. Joannis XV. Papæ I. Ottonis III. Regis II.

De Decimationibus Ecclesiæ Laureacensi competentibus.

NOtum sit cunctis, qualiter ad Mistilpach habito Ecclesiastico Placito, præfatus Episcopus *Piligrimus* populo Sacramento obligato, ex quibus locis decimatio ad baptismales Ecclesias jure pertinere deberet, interrogans, sub jurisjuratione promulgatum est. Inprimis ad Sirnich hanc ex his locis respicere decimationem: Garstina, Sabanich, Strepurch, Rutte, Suamar, Rauveseswanck, Tunzendorff, dehinc ad Schonhering. Ad Nardin autem decimam de Agest, & de Buchnawe, & decimam Ecclesiæ Witzmanni ad baptismalem Ecclesiam Chengelbach pertinere debere.

Insuper vero Piritaschiricha cum una dotali huba, nec non & prædium ad Newarn ad jam dictam Pataviensem Cathedram jure pertinere debere affirmabant.

Hujus Sacramentalium nomina hæc sunt: Wernher, Rupo, Eigil, Macil, Hacco, Dietrich, Marquart, Ernist, Gumpo, Wolfger, Izo.

Hansiz. Germaniæ Sacræ Tom. I. pag. 227.

(*a*) *Utraque jam supra descripta est.*

CONVENTUS ANDERNACENSIS.

Anno Christi CMLXXXVII. Joannis XV. Papæ III. Ottonis III. Regni V.

Otto III. Privilegia cœnobii Vilicensis auget.

OTTO III. eam libertatem impertiit cœnobio Wilicensi, qualem Monasteria Quidlinburgense, & Assindiense obtinent, exempta ab omni jurisdictione Episcoporum, Comitum, & Judicum. Præsentibus Theophania Imperatrice, Willigiso Moguntino Archi-Episcopo, Gislario Magdeburgensi Archiep. Hildebaldo Wormatiensi, Notkero Leodiensi, Alberone Virdunensi Episcopis.

Datum Andernaci XV. Kal. Februar.

Ex Bibliotheca Geistania P. Mauritii de Buren. Schatenus ad hunc annum in Annal. Paderborn. Lib. IV.

SYNO-

SYNODUS TULLENSIS

Anno Chrifti CMLXXXVIII. Joannis XV. Papæ IV. Ottonis III. Regni VI.

In qua S. Gerardus cellam, in Ingolini curte fitam, tradit S. Michaeli, manu fua, & Cleri teftimonio, & adjectis anathematis.

IN nomine Sanctæ, & individuæ, perpetuæque Trinitatis. Gerardus gratia Dei Tullenfium Pontifex. Notum omnibus Sanctæ Dei Ecclefiæ fidelibus præfentibus atque futuris, qualiter pro remedio animæ noftræ, quandam Ecclefiam cum integritate cenfus & decimationis, ficuti eam in manu noftra tenebamus, fitam in villa, quæ vocatur Ingolini curtis, dicatam in honore fanctorum Lupi & Remigii Epifcoporum; in Comitatu Barrenfi, Ecclefiæ fanct. Michaëlis, in monte Barro noviter conftructæ tradidimus, ubi adeffe & præeffe Berengerus videtur monachus: eo fcilicet rationis tenore, quatenus Winicho Presbyter, & Duramnus Clericus, dum advixerint, ipfam decimationem integre teneant, remoto uno parrochiano, propter veftituram loci prædicti. Poft difceffum vero illorum Deo ibidem fervientibus, atque famulitio Dei infudantibus, perpetuo ftabilis, & firma donatio perfeveret. Idcirco hanc notitiam fcripti fieri juffimus, & manu propria, fideliumque noftrorum roboravimus, in publica Synodo: ut fi quis eam infringere, aut a loco præfcripto alienare temptaverit; inprimis iram Dei incurrat, & anathematis vinculo perpetuo innodetur, & ejus pravus conatus ad nihilum redigatur, & beati Michaëlis Archangeli auxilio privetur, donec duplo fatisfaciat.

Actum Tulli publice in Synodo. VII. Idus Junii, anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXXVIII. Indictione I. Regnante Ottone juniore Lotharienfium Rege anno VI. Regni ejus.

Signum Domni Gerardi Pontificis, qui ea fieri juffit, anno Epifcopatus ordinationis ejufdem XXV. Signum Rotberti Primicerii & Archidiaconi. Signum Arcufridi Decani, & Archidiaconi. Signum Lamberti Archidiaconi. Signum alterius Lamberti Archidiaconi. Signum Anftei Archid. Signum Harberti Archid.

Ego Bernierus Notarius ad vicem Wilcheri Cancellarii recognovi.

Calmet. Tomo IV. Probationum Hiftor. Lotharingiæ pag. 393.

SYNODUS HALBERSTADIENSIS

Anno Chrifti CMXCI. Joannis XV. Papæ VII. Ottonis III. Regni IX.

Confecratio Ecclefiæ Cathedralis Halberftadienfis, & altarium fingulorum per diverfos Epifcopos.

HIldewardus, qui femper animæ fuæ, quam corporis meditabatur utilia: Monafterium *S. Stephani* Proto-Martyris, quod ipfe a fundamentis ædificaverat, confumaverat jam ad unguem. Anno igitur Domini CMXCI. Indict. VI. Anno vero Ordinationis fuæ XXII. XVII. (*a*) Kalend. Nov. templum jam dictum in honorem S. & Individuæ Trinitatis, Sanctique fui Proto-Martyris Stephani, confaventibus, & conbenedicentibus XII. Epifcopis, fub duodenario videlicet & Apo-

(*a*) *Ditmarus habet*: XII. Kalend.

Apoſtolicæ dignitatis typo honorifice dedicavit. Aderant autem Archi-Epiſcopi *Willegiſus* Moguntinæ ſedis, *Geſſelarius* Magdeburgenſis, *Livezo* Hammaburgenſis Archi-Epiſcopi, cum (*aliquot*) Suffraganeis illorum Epiſcopis: (nam) aderant etiam *Ludolphus* Auguſtæ civitatis, *Wildebaldus* Wormatienſis, *Retarius* Paderbornenſis, *Hildericus* Havelbergenſis, *Erpo* Fardunenſis [*b*], *Urſo* Paduanæ ſedis, *Hugo* Zitienſis, *Rembertus* Nielemburgenſis (*c*) Epiſcopi. Hi XI. conbenedictores Domini noſtri Halberſtadenſis Epiſcopi extiterunt. Aderant præterea *Agro* Capuanus Archiep. & *Joannes* Placentinus Archiepiſc. & *Renwardus* Tridentinus Epiſcopus. Abbates vero Munſocaſini (*montis Caſini*) Monaſterii Pater, *Titmarus* Abbas novæ Corbejæ, *Libezo* Luneburgenſis Abbas, *Olradus* Mersburgenſis Abbas, *Lambertus* Longenſis monaſterii Inſtitutor, cum aliis plurimis Monachis, & Clericis dedicationi illi cooperati ſunt. Interfuit etiam dedicationi huic Sereniſſimus Rex *Otto III. corona, cæteriſque regalibus ſolenniter inſignitus*, qui ſumma devotione & humilitate baculum ſuum aureum obtulit ad altare beati Stephani, qui uſque hodie in Eccleſia Halberſtadenſi eſt ſervatus. Adſuit quoque clariſſima *Adelheidis* Auguſta (*d*) cum ſua filia, Regiæ ſtirpis gemma prælucida, *Mathilda* videlicet Quedelinburgenſis Eccleſiæ Abbatiſſa, & nepte ſua *Hedewiga* Gerenrodenſis Cœnobii Abbatiſſa, quæ bonarum actionum fama illuſtres, S. altare precibus almis, & munere Regio decorabant: omnes Saxoniæ Principes, Dux quoque *Bernhardus*, & *Ludolphus* Comes - - - plurimique illic convenientes proceres, & Presbyteri cum innumera vulgi multitudine in laudem Dei exultantibus animis, & vocibus acclamant. Nunquam fuit antea, nec poſtea, ut veraces affirmant, in Divinis laudibus, & in negotiis ſæcularibus plenius cunctiſque acceptius ſolennitas celebrata. Feſtivitas autem erat eadem in die Natalis Confeſſoris Chriſti *Galli*, in cujus Monaſterio prædictus Præſul erat educatus; & ideo ſemper votivum habuit deſiderium, in ipſius feſto compos effici ſui voti. Adjuvit autem ipſum in omnibus his quidam cappellanus ſuus *Hido* nomine, prudentiſſime omnia ordinans, & diſponens. Conſecravit autem Dominus *Hildewardus* majus altare Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, primoque ſuo militi Stephano, adornans illud quaſi caput ſponſæ per 12. lapidum compoſitionem, propter 12. Epiſcoporum unctionem: ſub quo recondidit particulam S. Crucis, & de præſepio, & ſepulchro Domini: barbam beati Petri, de corpore ejus, & de veſte Johannis Evangeliſtæ, Philippi, & Bartholomæi, omnium Apoſtolorum, reliquias ſanguinis S. Stephani protomartyris cum ſacris ſui corporis articulis omnibus, Martyrum quoque reliquias Laurentii, Felicis, Agapiti, Januarii, Marcellini & Petri Pancratii, Georgii, Nicaſii, Urbani, Bonifacii, Anaſtaſii, Dionyſii, Eleuterii, Cyri, Hippolyti, Blaſii Confeſſoris, Martini, Luderi, Servatii; Virginum, Linderudis, Vincentiæ, Euphemiæ. Ad meridianam plagam hujus Altaris venerandi, Giſelarius Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus dedicavit altare in honorem beatorum Martyrum *Mauritii*, *Exuperii*, *Candidi*, *Innocentii*, & *Vitalis*, & totius eorum exercitus reverendi; quod & dotavit veſte ſancti Mauritii: reliquiis vero Exuperii, Candidi, Innocentii, & Vitalis. Ad aquilonem præcipui Altaris, Lievezo Hammaburgenſis Archiepiſcopus conſecravit Altare in honorem beatorum Martyrum *Viti*, *Juſtini*, *Cyriaci*, in quo condidit ejuſdem reliquias *Cyriaci*, Euſtachii, Longini militis, & Willihadi Epiſcopi, in cujus & memoriam idem Altare dedicatum eſt. Ad januam Monaſterialis clauſtri verſus Auſtrum, *Erpo* Fardunenſis Epiſcopus conſecravit Altare in honorem *S. Clementis Papæ*, & *martyris*, & *ſanctæ Cæciliæ*, quo poſuit reliquias Clementis, & martyrum Georgii, Marcelli, & Martini. In ſeptentrione ad januam Epiſcopalis cubiculi, *Reithariu*s Padebornenſis Epiſcopus conſecravit Altare in honorem S. Dionyſii, & ſociorum ejus, ſanctique *Liborii* Confeſſoris, in quo poſuit reliquias Dionyſii, Par-

(*b*) *pro:* Ferdenſis. (*c*) Naumburgenſis.
(*d*) Ottonis I. uxor, avia Ottonis III.

Parthi, (e) & Hyacinthi, & Mathalberiæ Virginis. In Altari S. Crucis positum est de ligno Domini, & reliquiæ Georgii, & aliorum Sanctorum. Ad occidentem Ecclesiæ in altioris chori medio, consecravit Altare Hugo Zitiensis Episcopus in honorem martyrum *Sixti & Felicissimi*, & *Agapiti*, & *Januarii*. Ad hujus Altaris meridiem, *Hildeboldus* Wormatiensis Episcopus consecravit altare in honorem sanctorum martyrum Laurentii, Hippolyti (*) IV. & veste sanguinolenta Venceslai martyris. Ad Aquilonem vero Ludolphus Augustensis Episcopus dedicavit Altare in honorem Ss. Martyrum *Sebastiani*, *Bonifacii*, *Linderi*, *Magni*, *Odalrici*, & sanctæ Afræ, cui inclusit reliquias Sebastiani, Pantaleonis, Juliani, & Basilissæ. Supremum Altare dedicavit Willegisus Moguntinæ sedis Archiepiscopus in honorem Ss. Angelorum *Michaelis*, *Gabrielis*, & *Raphaelis*, & omnium civium supernorum, & insuper in memoriam beati *Martini* Episcopi, & sancti *Galli* Confessoris, in quo etiam condidit reliquias Georgii, Blasii, Castodii: nomina Sanctorum, quorum reliquias *Hildebardus* Episcopus reperit sub Altare sancti Stephani antiquitus reclusas.

Chronicon Halberstadense, edente Leibnitio Tomo II. Scriptorum Brunsvicensium.

Dithmarus brevius Lib. IV. editus a Leibnitio Tomo I. Scriptorum Brunsvicensium.

(e) *forte* Proti & Hyacinthi.

(*) Desunt hic aliqua.

Non edidi hanc Synodum ob Dedicationem Ecclesiæ: quarum nobis silentibus plurimæ fient, & factæ fuerunt; sed ob Hierarchiam Episcoporum, hic ex numero tot Episcoporum Saxoniæ, & Sueviæ, & Italiæ coruscantem: secundo ob ritum Altarium singulorum a singulis Episcopis consecratorum.

SYNODUS AQUISGRANENSIS.

Anno Christi CMXCII. Joannis XV. Papæ VIII. Ottonis III. Regni X.

De ea hoc unicum fragmentum superest.

ANNO DCCCCXCII. Aquisgrani in generali Synodo coram Legatis Joannis Papæ sancitum est, ut IV. hebdomadis ante Nativitatem Domini, & a Septuagesima ante Pascha, & XIV. diebus ante festum S. Joannis Bapt. nullus sæcularia Placita agere, aut conjugium contrahere præsumat.

Hermannus Contractus in Chronico ad hunc annum ex Struvii editione.

SYNODUS ROMANA.

Anno Christi CMXCIII. Joannis XV. Papæ IX. Ottonis III. Regni XI.

Canonizatio (a) *S. Udalrici Episcopi Augustani per literas Encyclicas missa ad omnes Episcopos & Abbates Galliæ & Germaniæ.*

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, OMNIBUS ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET ABBATIBUS IN GALLIA ET GERMANIA COMMORANTIBUS, SALUTEM IN DOMINO ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ita Inscriptio Actis imposita, quæ sequuntur:

CUm conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Joanne Sanctissimo Papa cum Episcopis; & Presbyteribus,

teribus, aſtantibus Diaconibus, & cuncto Clero: ſurgens Reverendiſſimus Luidolphus, Auguſtæ Epiſcopus, inquit: Domine, Sanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis, & Presbyteris hic reſidentibus, libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de vita, & miraculis venerabilis Udalrici, ſanctæ Auguſtanæ Eccleſiæ dudum Epiſcopi, & quid libitum vobis fuerit, decernatur. Quia Spiritus Sancti teſtatur præſentia, & congregatio Sacerdotum, certum eſſe, quod legigimus: quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cum in Evangelio iſta eſt ſententia: (b) *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum.* Quod cum ita ſit, nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deeſt: quanto magis eum nunc intereſſe credamus; quando in unum convenit turba Sanctorum: Sanctum namque eſt pro debita veneratione collegium.

§. III. Cumque perlecta eſſet vita prædicti Sanctiſſimi Epiſcopi: ventum eſt ad miracula, quæ ſive in corpore, ſive extra corpus geſta ſunt, videlicet cæcos illuminaſſe, dœmones ab obſeſſis corporibus effugaſſe, paraliticos curaſſe, & quamplurima alia ſigna geſſiſſe, quæ nequaquam calamo, & atramento illuſtrata ſunt.

§. IV. Quæ omnia lepida ſatis urbanitate expolita recepimus, & communi conſilio decrevimus, memoriam illius, id eſt, ſancti *Udalrici* Epiſcopi, affectu piiſſimo, devotione fideliſſima venerandam: quoniam ſic adoramus, & colimus reliquias Martyrum, & Confeſſorum; ut eum, cujus martyres & confeſſores ſunt, adoremus: honoramus ſervos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit: *Qui* (c) *vos recipit, me recipit.* Ac proinde nos, qui fiduciam noſtræ juſtitiæ non habemus, illorum precibus ac meritis apud clementiſſimum Deum jugiter adjuvemur: quia Divina ſaluberrima præcepta, & ſanctorum Canonum ac venerabilium Patrum inſtabant efficaciter documentis omnium Eccleſiarum pro conſiderationis intuitu, immo Apoſtolici moderaminis anniſu, utilitatum commoditatem atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria *Udalrici* jam præfati venerabilis Epiſcopi, Divino cultui dicata exiſtat, & in laudibus Dei devotiſſime perſolvendis ſemper valeat proficere. Si quis interea (quod non credimus) temerario auſu contra ea, quæ hac noſtra auctoritate pie ac firmiter per hoc privilegium conſtituta ſunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ a nobis in laudem Dei, & pro reverentia jam dicti Epiſcopi ſtatuta ſunt, refragari, aut in quoquam transgredi; ſciat ſe auctoritate Beati Petri Principis Apoſtolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero, qui pio intuitu obſervator extiterit, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino Deo noſtro multipliciter conſequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum eſt per manum Stephani Notarii, Regionarii, & Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Februario, Indict. VI. anno nonageſimo tertio.

Ego Joannes ſanctæ Romanæ, Catholicæ, Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus huic decreto a nobis promulgato conſenſi, & ſubſcripſi.

Joannes Epiſcopus S. Anagninæ Eccleſiæ conſenſi.

Benedictus Epiſcopus ſanctæ Pipernenſis Eccleſiæ conſenſi.

Dominicus Epiſc. S. Ferentinæ Eccleſiæ conſenſi.

Creſcentius Epiſcopus S. Silvæ candidæ Eccleſiæ conſenſi.

Anniſo Epiſcopus S. Cerenſis Eccleſiæ conſenſi.

Bonizo Archi-Presbyter, & Cardinalis ſanctæ Luciæ conſenſi.

Benedictus Presbyter, & Cardinalis S. Stephani conſenſi.

Leo Presbyter, & Cardinalis S. Nerei conſenſi.

Joannes Presbyter, & Cardinalis S. Damaſi conſenſi.

Leo Presbyter, Cardinalis S. Sixti conſenſi.

Joan-

(a) Cum hæc Canonizatio inter ſolemnes, a Pontifice Romano factas Canonizationes certa & prima hactenus ſit detecta, *judice Mabillonio in Sæculi V. Benedictini Præfatione numero XLIX.*, & ad Eccleſiam Germaniæ pertineat; hinc judicavi, locum ei dandum inter Synodos noſtras.

(b) Matth. XVIII. (c) Matth. X.

Joannes Presbyter, & Cardinalis Sanctorum Apostolorum, consensi.

Joannes Presbyter, & Cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum, consensi.

Joannes Presbyter, & Cardinalis S. Clementis, consensi.

Crescentius Presbyter, & Cardinalis S. Callisti, consensi.

Joannes Diaconus, & Oblationarius.

Benedictus Diaconus.

Joannes Diaconus. Hi omnes consenserunt, & subscripserunt.

Data tertio (d) Kalend. Februar. per manum Joannis Episcopi Nepesinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ, anno Pontificatus Domini nostri Joannis Sanctissimi XV. Papæ octavo, mense dicto, & Indict. VI.

Baronius Annal. Ecclesiastic. Tomo X. ad A. C. 993.

Carolus Stengelius Historiæ civitatis Augustæ.

(d) Nonas, *corrigit Baronius.*

Baron. eodem anno refert Epistolam Gregorii VII. PP. concedentis Patriarchæ Aquilejensi, ut in die natali S. Udalrici, & S. Apræ, ejusdem Augustensis Ecclesiæ Patronæ, Pallio uti possit, ut innotescat, quam celebris sit cultus ejusdem Sancti.

CONVENTUS TREMONIENSIS

Anno Christi CMXCIII. Joannis XV. Papæ IX. Ottonis III. Reg. XI.

Deciditur causa inter Dudonem, Mimigardevordensem Episcopum, & Monasterium Metelense.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Otto Divina favente Clementia Rex. Notum sit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet, & futurorum industriæ, quomodo sanctimoniales de loco, *Matellia* nominato, ad nos venerunt, nostris obtutibus præmonstrantes præceptum prædecessoris nostri *Arnulfi* Regis, in quo continebatur, qualiter ipse rogatu *Friduwi*, primæ ejusdem Monasterii Abbatissæ, quæ hoc in honorem Ss. Martyrum Cornelii, & Cypriani, cum sua licentia a fundamento construxit, suaque hæreditate ditavit, præfatum Monasterium cum omni prædio, ab ipsa, & aliis personis religiosis illuc tradito, sub suæ immunitatis Regiam tuitionem accepit, & sanctimonialibus Domino illic servientibus, quando opus & usus exegerit, inter se eligendi Abbatissam sua præceptione concessit, & advocatum super homines, & loca ejusdem Monasterii, quem ipsæ comprobaverint, a Regibus, vel Imperatoribus constituendum simul condonavit. Sed quia contentio quædam inter eas, & Dudonem Miniernevurdensem Episcopum, qui hoc suæ potestati usurpavit, de electione Abbatissæ & advocati constitutione, oborta est; rogaverunt nostram celsitudinem, ut huic dissidio nostra auctoritate finem faceremus. Quarum petitionibus ob interventum *Evergeri*, Coloniensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi, aliorumque, Bernardi Ducis, & Egberti Comitis, cæterorumque fidelium perplurium consultu obtemperantes, secundum Electionem, & comprobationem earum, *communi consilio fidelium nostrorum Archiepiscoporum*, sapientumque Clericorum, Abbatissam, Godesdin nominatam, eis dedimus, & advocatum juxta votum illarum, Wigmannum nomine, super homines, & loca superius jam dicti Monasterii regendum constituimus. Hac nostra præceptione electionem, & omnia ab antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus, aut ab aliis religiosis illuc tradita confirmamus, præcipientes firmiter Regia potestate, ut nullus eas de hinc in aliquibus rebus inquietare præsumat. Et ut hoc verius credatur. Hoc præceptum inde conscriptum, manu no-

ſtra firmatum, ſigillo noſtro ſignari juſſimus.

Signum Domini OTTONIS gloriosiſſimi Regis (L.S.)

Hildibaldus Epiſcopus & Cancellarius, vice Willigiſi Archi-Epiſcopi, recognovi. Data VIII. Kalend. Febr. Anno Dominicæ Incarnat. DCCCCXCIII. Indict. VI. Anno autem III. Ottonis regnantis X. Actum Trottmanniæ, feliciter. Amen.

Schatenus Annal. Paderbornenſ. L. IV. ad h. a.

SYNODUS GANDERSHEIMENSIS.

SUB BERNWARDO Hildeſienſi Epiſc.

Anno Chriſti CMXCV. Joannis XV. Papæ XI. Ottonis III. regis XIII.

De Jurisdictione Hildeſini Epiſcopi in Gandersheimenſe Monaſterium, & componenda controverſia inter Bernwardum Epiſc. Hildeſienſem, & Willigiſum Archiep. Moguntinum.

ETiam aliquot annis duravit concordia, adeo, ut Eccleſias aliquas præſente Archi-Epiſcopo ibidem conſecravit, Synodum etiam magnam haberet præſente Domino Rege, tertio Ottone, aſſidente nihilominus præfato Archi-Epiſcopo, cum tamen nil ſua auctoritate decerneret, præter quod aſſenſum æque, ut alii fratres, Beato Bernwardo, qui Synodo præſidebat, præbuit. Interfuerunt Islarius Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus, Ludolphus Trevirenſis Archi-Epiſcopus, Milo Mindenſis Epiſcopus, Hildewaldus Wormatienſis Epiſcopus, Hugo Citienſis Epiſcopus.

Gandersheimenſe Sanctimonialium Cœnobium a Luidolfo Saxonum Duce, & conthorali ſua Oda fundatum fuit ad annum Domini 956. confirmatumque a *Sergio* Pont. Max. In eo idem Dux filiam ſuam Hathumodam Abbatiſſam inſtituit, aſſentiente Altfrido quarto, Hildeſienſis Eccleſiæ Epiſcopo, penes quem & Succeſſores ſuos illius Cœnobii regimen, utpote in Diœceſi ſua exſtructi, quiete remanſit; uſque dum SOPHIA OTTONIS II. Imperatoris Filia, illud ingreſſa, a ſuo Epiſcopo, Osdago ſacrum velamen accipere indignum æſtimans, non niſi a Willigiſo Archi-Epiſcopo Moguntino conſecrari voluit. Hic contra antiqua Canonum jura, & inolitam conſuetudinem, hoc ſibi munus arrogat, nec ab Osdago monitus propoſitum immutavit, donec ille ipſi in faciem reſtitit, nec niſi precibus Ottonis III., ejusque matris Theuphaniæ victus aſſenſit, ut hac ſolum vice, ſolemnitatem hanc ſimul peragerent, cætera ſolus deinceps jura ſibi competentia exerceret: nam Clero & populo nuntiatum eſt, Archi-Epiſcopum nil juris ſibi in illa Eccleſia vendicare præter conſenſum & permiſſum Hildeſienſis Epiſcopi. In hunc modum ſopita contentione ſtetit unanimitas ſub Osdago, & Gerdago ejus ſucceſſore, dum ſubſtitutus fuiſſet Bernwardus anno 993. menſe Februario.

De Synodo hujus anni 995. *hæc Schatenus L. IV. Annal. Paderborn.*

GAndershemii, inquit, Diœceſana Synodus congregata, præſente D. Bernwardo Hildeſienſi Epiſcopo, intra locum ſuæ Diœceſis. Interfuere una cum Rege Ottone Willegiſus Moguntinus, Giſelarius Magdeburgenſis, & Ludolphus Trevirenſis Archi-Epiſcopi; præterea Milo Mindenſis, Hildeboldus Wormatienſis, Hugo Citizenſis Epiſcopi. Habita cumprimis hæc Synodus ad aſſerendam Hildeſienſis Epiſcopi jurisdictionem in Gandersheimenſe oppidum & Cœnobium: tum ad controverſiam componendam, quæ inter Willigiſum Moguntinum Archi-

chi-Episcopum, & Hildesienses Episcopos hactenus intervenerat: cujus controversiæ cognitor, atque arbiter Rhetarius quoque, Episcopus Paderbornensis, imploratus: quanquam lis postea a Willigiso resuscitata sit. Quo in congressu Episcoporum, ac Procerum Dithmarus Corbeiensis Abbas ab Ottone Rege omnium suorum privilegiorum confirmationem Gandersheimii impetravit, ut ex subjecto Diplomate liquet.

Confirmatio Privilegiorum Corbejæ ab Ottone III. Rege facta.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Divina favente Clementia Rex. Si piis petitionibus Fidelium nostrorum, maxime, quas pro Ecclesiis sibi commissis auribus nostris infuderint, benignum præbuerimus auditum; hoc procul dubio, & ad præsentis nostri Regni statum, & ad æternæ beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Unde omnium Fidelium nostrorum, tam præsentium, quam & futurorum noverit solers industria, quia adiens excellentiam nostri culminis Dietmarus Abbas venerabilis novæ Corbejæ, rogavit, ut eidem Monasterio concederemus talem libertatem, qualem ab Avo, Genitoreque nostro, nec non & cæteris Coimperatoribus, & Regibus nos præcedentibus, accepisse dinoscitur: cujus petitioni assensum præbentes, interventu fidelium nostrorum *Willigisi Moguncíacensis Ecclesiæ* venerabilis Archi-Episcopi, ac *Hildibaldi Wormatiensis Ecclesiæ* Episcopi honorabilis, in supradicto Monasterio fratribus Deo servientibus, ejusque Martyribus Stephano, atque Vito, omnes concessiones, quas anteriorum Regum, vel Imperatorum temporibus habuerunt, concessimus, nostraque auctoritate renovavimus: præcipue, ut potestatem habeant, cum necessitas venerit, Abbatem eligendi, ac ut a nullo Episcopo de Dominicalibus mansis ejusdem Monasterii decimæ exigantur: neque a Comite, vel ex qualibet judiciaria potestate Coloni eorum, & liti, ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur; sed coram Advocato ejusdem Monasterii justitiam facere cogantur, sicut anteriorum Regum, vel Imperatorum temporibus, præfato loco concessum fuisse, cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut hæc nostræ renovationis, ac confirmationis auctoritas firmior, stabiliorque cunctis perpetim credatur, hanc cartam conscribi, manuque propria nostra subtus roboratam, annuli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini OTTONIS gloriosissimi Regis. (L.S.)

Hildibaldus Episcopus Cancellarius, vice Willigisi Archi-Episcopi recognovi.

Data III. Calend. Augusti. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. Indictione VIII. Anno vero tertii Ottonis regnantis XII. Actum in Gandersheim feliciter. Amen.

CONCILIUM ROMANUM.

Anno Christi CMXCVI. Gregorii V. Papæ I. Ottonis III. Regni XI.

De causa Cameracensis Ecclesiæ devastatæ, conquerente Herluino Cameracensi Episcopo.

EPISTOLA SYNODICA.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO FILIO HERLUINO, SANCTÆ CAMERACENSIS ECCLESIÆ EPISCOPO, SUISQUE SUCCESSORIBUS IN PERPETUUM.

CUræ paſtoralis officium, ſumma ſedis dignitas, qua nos licet indigni utimur, compellit nos, non ſolum nobiſcum manentia, verum etiam longe poſita ſanctæ Dei Eccleſiæ myſteria, Chriſto annuente vigilanti ſolicitudine cuſtodire, & gubernare. Quoniam vero, ſicut omnibus pæne notum eſt, interveniente hac re, quæ inter *Arnulfum* Remenſis Eccleſiæ Archi-Præſulem, & *Gerbertum* invaſorem ejus excrevit, idem prædictus *Herluinus* præſul, illorum odiis, Remis Canonico more conſecrari nequivit: ejus conſecratio ad Apoſtolicam ſedem uſque ad nos haud injuſte pervenit. Quem conſecrantes, lacrymabilem ab eo querimoniam audivimus, ſcilicet, quod tempore anteceſſorum ſuorum idem Epiſcopium multipliciter a malignis hominibus depredatum ſit. Unde & nos humillime imploravit, ut noſtra auctoritate aliquod ei ſubſidium contra inimicos ſanctæ Eccleſiæ daremus. Cujus precibus annuentes, per iſtud noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis privilegium ſancimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vice-Comes, ſeu aliqua magna vel parva perſona, de hinc prænominatæ Eccleſiæ loca invadere, ſeu deprædare præſumat. Quod ſi præſumpſerit, ſciat ſe a nobis, Chriſto auctore, ac beato Petro Apoſtolo, anathema illigatum, quouſque prædictæ ſedis antiſtiti ſatisfecerit: vel, Romam veniendo, ſe ibidem purificaverit. Hoc quoque nobis ſimiliter intimatum eſt, quod obeunte Epiſcopo, vel ceteris Sacerdotibus prædictæ ſanctæ Cameracenſis Eccleſiæ, aliqui diabolico repleti ſpiritu, ſoleant res Eccleſiaſticas, quas vel Epiſcopus, ſive etiam Sacerdotes reliquerint, diripere ac devaſtare. Quibus itidem Apoſtolica cenſura, ne hoc amplius agere præſumant, interdicimus. Quod ſi fecerint, cujuscunque ſunt ordinis vel dignitatis, ſciant ſe anathematis vinculo perculſos, quouſque hoc digna ſatisfactione correxerint. Illud quoque magnopere præoptamus, ut fratres in cœnobio ejuſdem Eccleſiæ commanentes, cunctæque congregationes, ad eam pertinentes, quidquid juſte ac legaliter poſſidere debent, ſine aliqua diminutione firmiter teneant atque poſſideant; ut temporalibus præſidiis ſufficienter adjuti, ſine murmuratione ſempiterna fiducialius appetere valeant. Inſuper eidem *Herluino* Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, in perpetuum, per hanc noſtri præcepti paginam concedimus, & confirmamus; ut nullus Dux, Marchio, vel Comes, ſeu alia quævis magna, vel parva perſona aliquem diſtrictum, ſive judicium, vel aliquod placitum in aliquo loco ſæpe nominati Epiſcopii tenere audeat, niſi ab ejuſdem ſedis Epiſcopo licentiam acceperit, vel invitatus fuerit: ſed licet ſibi de ſuis quemcunque voluerit, ad id officium peragendum ordinare. Si quis autem, quod non optamus, hujus noſtri Apoſtolici privilegii violator extiterit; ſciat ſe cum Juda traditore, & Apoſtaticis Angelis æterno igne concremandum. Qui vero curator, & obſervator fuerit, benedictionem, & gratiam, & indulgentiam peccatorum ſuorum, ac vitam æternam a Chriſto ſalvatore noſtro conſequi mereatur. Amen. Scriptum per manus Petrisgionis notarii, & ſcriptoris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Majo, & indictione nona. In Chriſto bene valete. Anno I. Pontificatus Domni Gregorii ſummi Pontificis, & univerſalis Eccleſiæ Papæ, imperii vero Domni Ottonis tertii Imperatoris anno undecimo.

Hardouin. Tomo VI. Concilior. pag. 743. 744.

Anno Chriſti DCCCCXCVI. Herluinus, Cameracenſis Epiſcopus, Romæ a Gregorio V. Pont. Max. ordinatus, cum in *Romana Synodo* de iis, qui Eccleſiæ ſuæ bona invaſerant, conqueſtus eſſet; Gregorius privilegiis Eccleſiam illam communiit, invaſoresque

ſoresque excommunicavit. Cujus rei mentionem, & Gregorii litteras, habet *Baldrici Epiſcopi Noviomenſis Chronicon* L. I. cap. III. " Exin, *inquit*; habita inibi " Synodo cum Imperatore, Papa reſidente cum Epiſcopis, Abbatibus, Presbyte- " ris: cum de neceſſariis Eccleſiæ negotiis ſatis tractaretur; *Herluinus* Epiſcopus " ſurgens, populatores ſuæ parochiæ cum gravitate querimoniæ indicavit. Sed & " quod nuper opes ſui anteceſſoris, ut præmiſimus, a *Walthero*, & ab aliis deva- " ſtatas repererit, in medio proclamationem extulit. Unde Papa confirmante, " immo Epiſcopis, Abbatibus, cunctis quoque, qui ibi reſidebant, aſſentientibus, " charaxaturam fieri obtinuit, ſupra recitatam. *Hardouin. loc. cit.*

CONCILIUM ROMANUM

Anno Chriſti CMXCVIII. Gregorii V. Papæ III. Ottonis III. Regni XV. Imperii III.

Ex hoc Concilio Canones III. & IV. tantum ſpectant ad Eccleſias Germaniæ.

CANON III.

Epiſcopatus Merſeburgenſis in priſtinum ſtatum reſtitutio.

UT Epiſcopatus Merſeburgenſis a Sede Apoſtolica, & bonæ memoriæ Ottone I. Imperatore per univerſale Concilium fundatus, & ab Imperatore Ottone II. ſine Concilio deſtructus, ut in proprium honorem redeat, a Sede Apoſtolica judicatum eſt per univerſale Concilium, Ottone III. Auguſto Cæſare, & Domino Gregorio Papa V.

CANON IV.

De Giſilario Epiſcopo, qui a minori ad majorem Sedem migravit.

Si Giſilarius, ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, potuerit canonice comprobare, quod per ambitionem de minore ſede Marſeburgenſi ad majorem Magdeburgenſem non migraverit; ut non deponatur, judicatum eſt: ſed ſi populi & cleri invitatione migravit, in eadem permaneat Metropoli. Quod ſi abſque eorum invitatione & electione migravit, non tamen per ambitionem, & avaritiam factum eſſe conſtiterit, ad priorem redeat ſedem. At ſi ambitionem & avaritiam negare non potuerit, definitum eſt, omittat utramque.

Inter XXVIII. Epiſcopos, qui cum Papa Gregorio V. ſubſcripſerunt, hi ex Germania interfuerunt Italis permixti:

Lambertus Conſtantienſis Epiſcopus.
Hugo Genavenſis Epiſcopus.
Hugo Sedunenſis Epiſcopus.

Hardouinus, qui *Tomo VI. Conciliorum hoc Concilium ad hunc annum* refert, adducit eodem Tomo ad annum 999. & ad annum 1001. Concilium Romanum, veluti tria diverſa de eadem Giſilarii cauſa Concilia: nunc verbis Ditmari in Chronico: nunc ex Chronico Hildensheimenſi, nunc ex Biographo S. Bernwardi Herbipolenſis: apud Mabillon. Act. Sanct. Ord. S. Benedicti, Sæculi VI. Part. I. Sed non judico ſine neceſſitate multiplicanda Concilia de eodem argumento ſine gravi cauſa. Sola variatio anni apud diverſos Scriptores ad hoc non ſufficit. Cæterum præter Romanum Concilium de cauſa Giſilarii, duas Diœceſes poſſidentis, Otto III. bis Concilium indixit in Germania: primum anno 1000. Quedlinburgi feria II. Paſchalis: ad quod invitatus Giſilarius invaletudinem excuſavit. Alterum Concilium de eadem cauſa eodem anno indixit Aquisgrani, ob poſtulationem Legati, & Archi-Diaconi Romanæ Sedis, a quo Giſilarius provocavit ad generale Concilium, & Epiſcopi præſentes tunc acquievere. *Teſte Schateno ad annum* 1000. *in Annal. Paderbornenſ.*
Demum obiit Giſilarius anno 1004. 25. Januar. retenta uſque ad mortem utraque Diœceſi, nempe Ottonis III. gratia fretus. Annum mortis dant *Annaliſta, & Chronographus Saxones*, & *Chronicon Magdeburg. Meibom.*

SYNODUS MAGDEBURGENSIS.

Anno Chrifti IM. Silveftri II. Papæ I. Ottonis III. Regni XVI. imperii IV.

§. I. *Luitgarda rapta a Werinhario ad tempus feparatur.*

Liutgardam, filiam Ekkehardi Marchionis in Thuringia nobiliffimi, quam Werinhario, filio Lutharii nobiliffimi item Thuringi, Pater ejus defponderat, vi rapere ex monafterio Quidlenburgenfi fub Mathildis Abbatiffæ cura cuftoditam & vindicare ftatuerat. Igitur Ekkehardo Romæ cum Ottone III. abfente, armata manu in monafterium irruptione facta, puellam reluctantem & reclamantem rapit, & Walbeckum fe recepit. Ea re comperta Mathildis fummopere mœfta, armato milite puellam recipere tentat; fed irrito conatu. Verum intellecta puellæ voluntate, quæ fponfum & ipfa retinere maluit, quam reverti; Mathildis utrumque Magdeburgi in publico Conventu fifti jubet. Illic nudis pedibus provolutus Werinharius fponfam reddit Abbatiffæ, quæ eam fecum in monafterium reduxit, non ut eam retineret, fed ut Werinhario timorem, & dolorem augeret.

Mabillon. Sæculo V. Annal. Benedictinorum pag. 131. 132. *ad annum* 999. *e Ditmaro L. IV. pag.* 42.

§. II. *Sigefridi apoftatæ ab ordine, purgatio.*

Sigefridus filius erat Odonis inclyti Marchionis Suevorum: qui in nova Corbeja, ubi Pater fuus fepultus eft, in habitu monaftico diu converfatus, poftmodum abjecta cuculla laicalem veftem refumpfit. Mox a Dietmaro Abbate fuo, & Gislero Magdeburgenfe Præfide, ad Synodum vocatus, denuo habitum quamvis invitus, induere cogitur; pollicitus fe in propofito deinceps perfeveraturum. Verum brevi poft Sacramentis fe exfolvit, exemplo alterius, qui Romæ fimili fententia in confpectu Cæfaris fe purgaverat.

Mabillon. Annal. Benedictinorum Tom. IV. pag. 132. *ad annum* 999. *refert Sigefridi apoftatæ purgationem de apoftafia. Ex Chronographo Saxone, & ad Synodum anni hujus.*

§. III. *Machtildis Sanctimonialis a peccato abfolutio.*

In eodem Concilio Machtild fanctimonialis, Filia Theodrici Marchionis, quæ fancto religionis propofito abjecto fubtraxerat, & conjugium admiferat, ex quo fœta puerum genuit, ad faniora tandem revocata tantæ miferiæ abfolutionem, & Abbatiam in Magdaburch indigna percipit. . . . *Id vero in Magdeburgenfi Concilio hoc præftitum, quamvis non dicit Hiftoricus, facile perfuadeor*, inquit *Manfi Supplementi Conciliorum Tom. I. pag.* 12. 13. *ex Annalifta Saxone Eckharti Tom. I. Scriptorum Medii ævi. Et ex Chronographo Saxone a Leibnitio in acceffionibus hiftoricis edito.*



SUPPLE-

Synodus in Metropoli Slavorum

Anno Christi M. Sylvestri II. PP. II. Ottonis III. Imp. V. Regni XVIII.

§. 1. *Dispositio VII. Episcopatuum per Slavos populos cum licentia Romani Pontificis.*

§. 2. *Gaudentii Archiepisc. I. Gnesnensis designatio facta ab Ottone III.*

IMperator OTTO III. causa orationis ad S. Adalbertum (a) Episcopum & Martyrem, quadragesimæ tempore Slaviam (b) intravit, ibique coadunata Synodo Episcopia VII. disposuit, (c) & Gaudentium, fratrem beati Adalberti, in principali urbe Slavorum Praga (d) ordinari fecit Archi-Episcopum licentia Romani Pontificis, causa petitionis Bolizlavonis Boemiorum Ducis, ob amorem potius, & honorem sui venerandi fratris, digni Pontificis & Martyris.

Biographus S. Meinwerci. apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunswic.
Chronicon Hildesiense apud eundem.
Dithmarus L. IV.
Chronographus Magdeburgensis.

(a) S. Adalbertus Episcopus Pragæ, anno 983. 29. Junii Veronæ ab Archiepiscopo Moguntino consecratus, jubetur a Papa in Synodo Romana anni 994. redire ad suum Episcopatum, quo in reditu in Prussiam Apostolus fidei futurus digressus fuit, & Martyrio coronatus anno 997. 23. Aprilis: cujus corpus multis miraculis coruscans, a Duce Poloniæ redemptum, Gnesnæ tumulatum fuit.

(b) Sub Slaviæ nomine Polonia & Bohemia venit.

(c) Non primus Otto hic tertius, nam jam anno CMLXV. septem Episcopales Sedes in Polonia institutæ erant.

(d) Gnesna legendum monuit Henschenius in actis S. Adalberti ad diem 23. Aprilis, & Gaudentius Gnesnensis primus Archiepiscopus, non Pragensis fuit. Henschenii lectiones & emendationes secutus est *Pagi in Critica ad annum* 999.

Errant Poloni, qui ante annum M. volunt Metropolitam Archiepiscopum in Polonia fuisse, qui hoc anno demum institutus est, uti nec Bohemia ante MCCCXLIV. Archiepiscopum Pragæ habuit.

Synodus Magdeburgensis

EODEM ANNO.

De causa Gisilarii duos Episcopatus simul possidentis.

INde (Gnesnâ) revertens Palmarum solemnitatem Parthenopoli festive peregit. . . . facta cum Episcopis in Magdeburg Synodo, Gisilharium ejusdem civitatis Episcopum convenit, ut dans gloriam Deo, uno, & legitimo contentus esset Episcopio, Feria secunda Paschatis (*ut Ditmarus annotavit*) qui data internuntiis Regiis magna pecunia, inducias usque in Quedlingeburg vix impetravit.

Dithmarus Lib. IV. Chronic. & Annalista-Saxo Eckharti Tom. I. p. 373.

Synodus in Quindelingeburg.

EODEM ANNO.

De eadem Causa.

FIt in Quindelingeburg magnus Senatorum concursus, & habita feria II. Synodo, iterum Gisilerus vocatur. Hic infirmitate (paralysi) oppressus, valide a prædicto excusatur Rothmanno (Canonico Magdeburgensis Ecclesiæ, & a Waltherdo tunc Præposito ejusdem Ecclesiæ, ablegatis suis ad Synodum) defenditur. Indicitur hinc Concilium Aquisgrani.

Dithmarus Lib. IV. Chronici.
Annalista Saxo Loc. cit.

Synodus Aquisgranensis

ANNO EODEM, DE EADEM CAUSA.

HUc (*Aquisgranum*) profectus Gisilarius, ab Apostolicæ Sedis Legato de prædicta causa, simul retentarum duarum Diœceseon, bis, terve convenitur. Nec minus Giselarius renitens abdicationi Diœcesis alterutrius, defensiones molitur. Sed tantum sententia omnium convictus, hæc usque ad generalem Romanæ Ecclesiæ Synodum differri callide precatur. Talibus machinamentorum artibus impedita res, nec terminata, intercipitur.

Ditmarus, & ex eo Annalista Saxo Eckharti Tomo I. Scriptor. Medii ævi.

Sepulcri Caroli M. detecti, relatio ex auctore Synchrono Biographo Ottonis III.

OTTO Imperator per somnium monitus est, ut levaret corpus Caroli Magni Imperatoris, qui Aquis humatus fuerat, sed vetustate obliterante ignorabatur locus certus, ubi quiescebat: & peracto triduano jejunio inventus est eo loco, quem per visum cognoverat Imperator, sedens in aurea cathedra intra arcuatam speluncam, infra Basilicam B. Mariæ, coronatus corona ex auro & gemmis, tenens sceptrum & ensem ex auro purissimo, & ipsius corpus incorruptum inventum est, quod levatum populis demonstratum est. Quidam vero Canonicorum ejusdem loci, Adalbertus, cum enormi & procero corpore esset, coronam Caroli, quasi pro mensura capiti suo circumponens, inventus est strictiori vertice, corona amplitudine sua vincente circulum capitis. Crus proprium vero ad cruris mensuram Regis dimetiens, inventus est brevior, & ipsum ejus crus protinus divina virtute confractum est: qui supervivens annis XI. semper debilis permansit. Corpus vero Caroli conditum in dextro membro Basilicæ ipsius, retro Altare Sancti Joannis Baptistæ, & crypta aurea super illud mirifica est fabricata, multisque signis & miraculis clarescere cœpit. Non tamen solennitas de ipso agitur, nisi communi more anniversarium defunctorum. Solum autem aureum Imp. direxit Botisclavo, (*id est, Boleslao Poloniæ Duci, ait Pagius*) pro reliquiis S. Adalberti Martyris.

Rex autem Botisclavus accepto dono, misit Imperatori brachium de ejusdem Sancti corpore, & Imperator gaudens illud excepit, & in honore sancti Adalberti Martyris Basilicam Aquisgrani construxit mirificam, & ancillarum Dei congregationem ibi disposuit. Aliud quoque Monasterium Romæ construxit in honore ipsius Martyris.

Ademarus Monachus in Chronico, qui ante MXL. scribebat.

Carolum M. divum fuisse habitum, templa ejus titulo dicata, & officii Ecclesiastici impensam ei celebritatem, ostendit Bollandus ad diem XXVIII. Januarii, in vita Caroli M. ab Eginhardo scripta: & addit, antea fortassis & saltem post Canonizationem a Guidone Cremensi Antipapa Paschale III. dicto factam conniventibus ad cultum Caroli M. in partibus nostris publicum continuum summis Pontificibus. *Hactenus Pagi in Critica ad h. annum.*

In Bibliothecæ Metropolitanæ Coloniensis codice MS. 136. extat Historia Caroli Magni per varias lectiones in officio Divino recitandas Antiphonas, & Missam pro ejusdem glorificatione D. O. M. oblatam. Sæculo X., ut videtur, scriptus est hic Codex.

Chronicon Hildenesheimense hoc idem factum referens, scribit, *contra Ecclesiasticam disciplinam* Ottonem voluisse Caroli M. sepulcrum rescire & aperire. Quis canon id vetet nescio: nisi fors LI. Concilii Moguntini anni DCCCXIII. quo statuitur: *Deinceps vero Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre, sine consilio Principis, vel Episcoporum, & Sanctæ Synodi licentia.* pag. 412. *Tomo primo nostro Conciliorum.* Sed Otto III. non venerationis ergo, sed *admirationis causa* inquisivit sepulcrum Caroli M.: & quidem *somnio* monitus, *ut Ademarus ait.*

Idem factum referunt *Dithmarus L. IV.*
Lambertus Schaffnaburgus ad h. annum.

SUP-

SUPPLEMENTUM CONCILIORUM
TOMO I. & II. PRÆTERMISSORUM.

CONCILIUM EPAONENSE (a)

Anno Christi DXVII. Hormisdæ PP. IV. Sigismundi
Regis Burgundiæ anno VII. Celebratum a XXV. Episcopis, XVII. Kalendas Octobris, Agapito V. C. Consule.

Aviti, Episcopi Viennensis Epistola tractoria generalis, ad Episcopos Provinciæ Viennensis, ut ad Synodum veniant Epaonensem.

AVITUS, VIENNENSIS EPISCOPUS, QUINTIANO EPISCOPO. (b)

DIu est, quod rem valde necessariam, & non sine Divina inspiratione a Patribus institutam, aut oblivione, aut occupatione deserimus. Sed rumpenda sunt interdum vincola necessitatum, ut aliquando impleri possint a præceptore conventus. Ergo quos bis per annum a Sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, si bene perpenditis, utinam vel singula post biennia faceremus. Nam & venerabilis Papæ urbis, nobis ob hanc negligentiam succensentis, mordacia mihi nonnunquam scripta perlata sunt. Unde supplicat per me, si dignamini; Ecclesia Viennensis, poscit iutermissæ consuetudinis rediviva salubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit, excitari. Justum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis præsentiæ opportunitate tractatis, nostris simul, nobisque prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel, si necesse, etiam nostra jungamus. Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut, Deo favente, octavo Iduum Septembrium in Parochia Epaonensi adesse dignemini. Qui locus, omnium fatigatione perpensa, conventui satis opportunus electus est: sicut & tempus in quantum potest, ab instantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum: quanquam Ecclesiæ potior causa intermitti quaslibet terrarum posceret actiones. Supplicamus ergo, & quæsumus, testamur, obtestamur, ne quem a dispositione tam sancta, obex ullius excusationis abducat: ne quem a tali caritatis vinculo nexus temporaneæ necessitatis impediat. Sed, si forte, quod Deus avertat, tanta cuicumque acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spiritale desiderium carnali vincatur incommodo, duos Presbyteros magnæ, & probabilis vitæ, mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos Episcoporum Concilio non minus scientia, quam reverentia jure faciat interesse: cum quibus delectet summos Pontifices conferre sermonem: quos ad definitiones pro Episcopo suo sanciendas, subscribendasque, cum fuerit solertia eligi, sit autoritas legi: sed istud non extorqueat, nisi summa necessitas. Cæterum dilectionis fraternæ, ac pastoralis dili-

(a) Epaona non longe distat ab Agauno & Cœnobio Ss. Mauritii, in regno Burgundiæ, & Vallisia. Hodiedum subest Episcopo Sedunensi inter Helvetos Principi, qui usque hodie scribit se sancti Romani Imperii Principem, qualis erat ante secessionem Helvetorum.

(b) Hunc solum titulum habent codices MSS. falsa inscriptione, *inquit Sirmondus:* siquidem Quintianus, Arvernorum Episcopus, ad Synodum Burgundiorum non potuit evocari.

diligentiæ magnitudo, nisi laboris magnitudine, non probatur. Conjicit enim sanctitas vestra, post hoc longum abusionis nostræ silentium, qualiter aut definiri debeant, quæ Deo præstante tractanda sunt: aut quæ definita fuerint, universi Ecclesiarum nostræ provinciæ nostræ ministri debeant imitari.

Tractoria Epistola Viventioli, Lugdunensis Episcopi, ad Episcopos Provinciæ Lugdunensis, ut ad Synodum veniant Epaonensem.

DOMINIS DEVOTISSIMIS FRATRIBUS, ET EPISCOPIS, UNIVERSIS CLERICIS, HONORATIS, AC POSSESSORIBUS TERRITORII NOSTRI, VIVENTIOLUS EPISCOPUS SALUTEM.

Disciplinam fratrum, filiorumque nostrorum, æque a cunctis sacerdotibus oportet optari: sed si quid ab honoratioribus Clericis tale committitur, quod dignum increpatione publica censeatur; rectius castigationis arguatur, quam silentio nutriatur. Sicut autem istud simplex atque rectum est, sic commentorum oblocutionibus, & voto trepidæ murmurationis offendimur. Itaque ne quis nos putet nostræ facilitati aut negligentiæ in aliquo præbere consensum, præsenti protestatione denuntio conventum Episcoporum omnium sortis nostræ circa Septembris Mensis initium, in Eponensi Parœcia mox futurum: ubi Clericos prout expedit, convenire compellimus, Laicos permittimus interesse: ut quæ a solis Pontificibus ordinanda sunt, & populus possit agnoscere. Et quia justum est, ut omnes Catholici Clericos bonæ vitæ habere desiderent, reprehendendi, quod quisque noverit, aditum omnibus aperimus. Pateat cunctis, contra quem voluerit, scientia proponendi: jurgandi potestate laxata; desinat in votorum nequitia murmur occultum. Studebit tamen probare, quod detulerit, accusator: nec putet quisquis forsitan recte viventes tuto inanibus mendaciis infamandos. Nemo, nisi quod docere possit, objiciat: verecundiam, quam virtus timere debebit; convictor (*forte* conviciator) excipiet: utrique status parti, & audiendi patientia, & judicandi æquitate præmissa. Dominus vos custodire dignetur, in Christo suscipiendi fratres, & filii, proposita sunt die IV. Idus mensis quarti, Agapeto consule. 517.

Notæ Hardouini.

Hoc Concilium Sirmondus edidit, ex MSS. Corb. Lugd. Tiliano, Pith. Fossat. & aliis. Nos contulimus cum MSS. codicibus [ut docti censent] annorum amplius 800. Collegii Parisiensis Societatis Jesu. Est & in Isidori collectione. In uno ex illis codicibus, cui præfigitur indiculus Synodorum, hæc sunt Isidori ipsius verba de Epaonensi, relata ex parte in Decreto Gratiani, XI. Dist. XVI.: Concilium Epaonense XXVII. episcoporum, in quo statuti sunt Canones XL, quorum auctor maxime Cæsarius, Arelatensis episcopus, exstitit: subscribentibus Avito Viennensi, Viventio Lugdunensi, Apollinare Valentino, Pragmatico Autisiodorensi, & cæteris. At in subscriptionibus Pragmatius Augustodunensis appellatur.

Est Epaona, vel Epona, nunc tenuis vicus in Sabaudia ad Rhodanum, *Jena*, in extremo Lugdunensis Diœcesis limite, ubi ingentes domorum ruinæ, quæ toto pæne agro occurrunt, ostendunt civitatem ibi olim haud mediocrem fuisse; & lapides inscripti DEÆ EPONÆ effodiuntur. Itaque & Viventioli Episcopi Lugdunensis nomine exstat Epistola tractoria ad Synodum Epaonensem, quam proxime edidimus.

TITU-

TITULI CANONUM.

I. *Ut Episcopi ad Concilium, vel Ordinationem veniant a Metropolitano evocati.*
II. *Ne digami Presbyteri, aut Diaconi ordinentur.*
III. *Ut pœnitentes Clerici non fiant.*
IV. *Ut Clericis canes ad venandum, vel accipitres habere non liceat.*
V. *Ne Presbyter inscio Episcopo suo in aliena Ecclesia constituatur.*
VI. *De Clericis, qui sine commendatitiis vagantur.*
VII. *Quod Parochiarum Presbyteris alienare nihil liceat.*
VIII. *De Presbyterorum emptionibus, & Abbatum venditionibus.*
IX. *Ut Abbas uni tantum Monasterio præsit.*
X. *Ut nova Monasteria sine Episcopi notitia non fiant.*
XI. *Quatenus Clericis ad sæculare judicium interpellare, aut respondere liceat.*
XII. *Episcopus res Ecclesiæ sine Metropolitano vendere non potest, commutare potest.*
XIII. *De Clericis falsi testimonii convictis.*
XIV. *Si Clericus in alia civitate Episcopus fuerit ordinatus, Ecclesia donum ipsi restitutum recipiet*
XV. *De Hæreticorum, & Judæorum conviviis.*
XVI. *Ut Presbyteris liceat hæreticos decumbentes, si converti velint, Chrismate consignare.*
XVII. *De Episcopi testamento.*
XVIII. *Ut Clerici Ecclesiæ præjudicium diuturnitate possessionis non faciant.*
XIX. *De Abbatis peccantis correptione.*
XX. *De fœminarum visitatione.*
XXI. *De viduis in Diaconas non consecrandis.*
XXII. *Si Presbyter, aut Diaconus crimen capitale commiserit.*
XXIII. *Qui susceptam pœnitentiam deserunt, excommunicantur.*
XXIV. *Laicus Clerico verum crimen objicere non vetatur.*
XXV. *Ut sanctorum Reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur.*
XXVI. *Altaria nisi lapidea non consecrentur.*
XXVII. *Ut officium Metropolitani comprovinciales observent.*
XXVIII. *Ab Episcopo damnatos successori licet absolvere.*
XXIX. *De lapsorum pœnitentia, & reconciliatione.*
XXX. *De incestis conjunctionibus.*
XXXI. *De pœnitentia homicidarum.*
XXXII. *Relictæ Presbyteri, aut Diaconi, nuptiæ interdictæ.*
XXXIII. *De Basilicis Hæreticorum.*
XXXIV. *Si quis sine judice proprium servum occiderit.*
XXXV. *Ut nobiliores cives die Paschæ, & Natalis Domini Episcopos Benedictionis causa expetant.*
XXXVI. *Quomodo recipiendi sint, qui in discrimine mortis versantur.*
XXXVII. *Laici nisi præmissa conversione non ordinandi.*
XXXVIII. *Monasteria puellarum quibus ingredi non liceat.*
XXXIX. *De servis, qui ad Ecclesiam confugiunt.*
XL. *De horum canonum observatione.*

PRÆFATIO.

Quod præcipientibus tantis Dominis meis, ministerium proferendi sermonis assumo, facio hoc non tam præsumptionis ausu, quam subjectionis obsequio: dum exequi, & implere contendit non audacia temeritatem, sed obedientia jussionem: simulque tanto major obtemperantis apparebit humilitas, quanto minor comprobatur facultas: majorque profecto præcipientium reverentia prodetur, quando obedientiæ nulla possibilitatis fiducia suffragatur. Sic Dominus meus mediocritatis meæ eo amplius honoravit imperitiam, quo minus potest ornare doctrinam. Caritas quoque vestra, si nequaquam facundo oblectabitur, aut instruetur eloquio, ædificetur saltem humilitatis exemplo. Quoniam ergo, sicut volumus, tacere non sinimur, aliquid, ut possumus, jam loquamur.

Deo propitio ad (*a*) Epaonensem Ecclesiam congregati, quid vel de antiquis regulis, vel de novis ambiguitatibus senserimus, expressis, sigillatimque discretis constitutionibus, præsentibus titulis credidimus adnotandum.

Notæ Hardouini. (*a*) In plerisque MS. scribitur *Epaunensem.*

CANONES.

I.

PRima, & immutabili conſtitutione decretum eſt, ut, cum Metropolitanus fratres, vel Comprovinciales ſuos, ad Concilium, aut ordinationem cujuſcumque conſacerdotis crediderit evocandos, niſi cauſa tædii evidentis exſtiterit; nullus excuſet. (Quod (b) ſi fecerit, ſex menſibus a communione privetur.)

II.

Ne (c) ſecundæ uxoris, aut renuptæ, maritus Presbyter, aut Diaconus ordinetur, abunde ſufficeret ab Apoſtolo conſtitutum. Sed quia præceptum hujuſmodi excedi quorumdam fratrum ſimplicitate cognovimus, ſpeciali obſervantia renovamus: ſciente eo, qui contra interdictum ordinaverit, reum fratribus ſe futurum: illo autem, qui contra fas honorem prohibitæ benedictionis ambierit, nihil ſe Clericalis miniſterii præſumpturum.

III.

Pœnitentiam profeſſi ad Clericatum penitus non vocentur.

IV.

Epiſcopis, Presbyteris, atque Diaconibus, canes ad venandum, & accipitres habere non liceat. Quod ſi quis talium perſonarum in hac fuerit voluntate detectus, ſi Epiſcopus eſt: tribus menſibus ſe a communione ſuſpendat; duobus Presbyter abſtineatur, uno Diaconus ab omni officio, & communione ceſſabit.

V.

Ne Presbyter territorii alieni, ſine conſcientia ſui Epiſcopi, in alterius civitatis territorio præſumat baſilicis, atque oratoriis inſervire; niſi forte Epiſcopus ſuus illum cedat Epiſcopo illi, in cujus territorio habitare diſpoſuit. In quo ſi exceſſum fuerit, Epiſcopus, cujus Presbyter fuerit, fratri ſuo noverit culpabilem ſe futurum; qui Clericum juris ſui illicita facientem ſciens, ab ſcandali admiſſione non revocat.

VI.

Presbytero, vel Diacono, ſine Antiſtitis ſui Epiſtolis ambulanti, communionem nullus impendat.

VII.

Quidquid (d) Parochiarum Presbyteri de Eccleſiaſtici juris poſſeſſione diſtraxerint, inane habeatur, & vacuum, in venditorem, comparantis actione vertenda.

VIII.

Presbyter, dum Diœceſim tenet, de his, quæ emerit, aut Eccleſiæ nomine ſcripturam faciat, aut ab ejus, quam tenuit, Eccleſiæ ordinatione diſcedat. Similis quoque de venditionibus, quas Abbates facere præſumpſerint, forma ſervabitur: ut quidquid ſine Epiſcoporum notitia venditum fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi revocetur. Mancipia vero monachis donata, ab Abbate non liceat manumitti. Injuſtum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, ſervi eorum libertatis otio potiantur.

IX.

Unum Abbatem duobus monaſteriis interdicimus præſidere.

X.

Cellas novas, (e) aut congregatiunculas monachorum, abſque Epiſcopi notitia prohibemus inſtitui.

XI.

Clerici ſine ordinatione Epiſcopi ſui adire, vel interpellare publicum non præſumant; ſed ſi pulſati fuerint, ſequi ad ſæculare judicium (f) non morentur.

XII.

Nullus Epiſcopus de rebus Eccleſiæ ſuæ, ſine conſcientia Metropolitani ſui, vendendi aliquid habeat poteſtatem: utili tamen omnibus commutatione permiſſa.

XIII.

Si quis Clericus in falſo teſtimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis cenſeatur.

XIV.

(b) Incluſa parentheſi, non ſunt in MS. uno Pariſ. (c) I. Tim. VIII.
(d) Hic quidem MSS. addunt, *vel hæredes ſuos*: in his unus eſt e MS. noſtris.
(e) Agathenſe can. 18.
(f) Ita Cod. Pariſ. unus: alter, *non permittantur*: Libri vulgati: *Si non præſumant*, male.

XIV.

Quisquis Clericus aliquid de munificentia Ecclesiæ, cui servierat, adeptus, ad summum sacerdotium alterius civitatis est, aut fuerit ordinatus, quod dono accepit, vel acceperit, reddat; quod usu, vel proprietate, secundum instrumenti seriem probabitur emisse, possideat.

XV.

Si superioris loci Clericus hæretici cujuscumque Clerici convivio interfuerit, anni spatio pacem Ecclesiæ non habebit. Quod Juniores Clerici si præsumpserint, vapulabunt. A Judæorum vero conviviis etiam Laicos institutio nostra prohibuit; nec cum ullo Clerico nostro panem comedat, quisquis Judæorum fuerit convivio inquinatus.

XVI.

Presbyteros (g) propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis, & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, Chrismate petimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.

XVII.

Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi vel tantum de juris proprii facultate suppleverit.

XVIII.

Clerici, quod etiam sine precatoriis, qualibet diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione possederint, cum authoritate Domini Gloriosissimi Principis nostri, in jus proprietarium præscriptione temporis non vocetur, dummodo pateat Ecclesiæ rem fuisse: ne videantur etiam Episcopi administrationis prolixæ, aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu tentas Ecclesiæ facultates proprietati suæ posse transcribere.

XIX.

Abbas, si in culpa reperiatur, aut fraude, & innocentem se asserens, ab Episcopo suo accipere noluerit successorem, ad Metropolitani judicium deducatur.

XX.

Episcopo, Presbytero, & Diacono, vel cæteris Clericis, horis præteritis, id est, meridianis, vel vespertinis, ad fœminas prohibemus accessum: quæ tamen, si causa fuerit, cum Presbyterorum, aut Clericorum testimonio videantur.

XXI.

Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni (h) Regione nostra penitus abrogamus: sola eis pœnitentiæ benedictione, si converti ambiunt, imponenda.

XXII.

Si Presbyter, aut Diaconus crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur; ibi tantummodo, quamdiu vixerit, communione sumenda.

XXIII.

Si quis accepta, professaque pœnitentia, boni immemor, ad sæcularia relabatur, prorsus communicare non poterit; nisi professioni, quam illicite prætermiserat, reformetur.

XXIV.

Laicis, contra cujuslibet gradus Clericum, si quid criminale parant objicere, dummodo vera suggerant, proponendi permittimus potestatem.

XXV.

Sanctorum (i) Reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan Clericos cujuscumque Parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. (k) Quod si illi defuerint, non ante proprii ordinentur, quam eis competens victus, & vestitus substantia deputetnr.

XXVI.

Altaria (l) nisi lapidea chrismatis (m) unguine non sacrentur.

XXVII.

Ad celebranda Divina officia ordinem,

(g) Arausic. can. 1.
(h) Til. & Fossart. & Paris. *religione.*
(i) Burchard. L. III. Cap. 88. Ivo Part. 3. Cap. 78.
(k) Ex manuscripto Lugdunensi, & Paris.
[l] 31. de Consecr. Distinct. 1. Altaria nisi.
[m] Paris. *unctione.*

nem, quem Metropolitani tenent, comprovinciales eorum obſervare debebunt.

XXVIII.

Si Epiſcopus (*n*) ante damnati abſolutionem obitu rapiatur, correctum, aut pœnitentem ſucceſſori licebit abſolvere.

XXIX.

Lapſis, (*o*) id eſt, qui in Catholica baptizati, prævaricatione damnabili poſt in hæreſim tranſierunt, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breviata, pœnitentiam biennii conditione infraſcriptæ obſervationis imponimus, ut præſcripto biennio tertia die ſine relaxatione jejunent, Eccleſiam ſtudeant frequentare, in pœnitentum loco ſtandi, & orandi humilitatem noverint obſervandam: ac etiam ipſi, cum catechumeni procedere commoneptur, abſcedant. Hoc ſi obſervare noluerint, conſtituto tempore admittendis ad Altarium obſervatio relaxetur. Quam ſi arduam vel duram forte putaverint, ſtatuta præteritorum canonum complere debebunt.

XXX.

Inceſtis (*p*) conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero, nec ullo conjugii nomine prævelandos, præter illos, quos vel nominare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus: ſi quis relictam fratris, quæ pœne prius ſoror exſtiterat, carnali conjunctione violaverit: ſi quis frater germanam uxoris accipiat: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ, ſobrinæve ſe ſociet: quod ut a præſenti tempore prohibemus, ita ea, quæ ſunt anterius inſtituta, non ſolvimus. Si quis relictæ avunculi miſceatur, aut patrui, vel privignæ concubitu polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

XXXI.

De pœnitentia homicidarum, qui ſæculi leges evaſerint, hoc ſumma reverentia de eis inter nos placuit obſervari, quod Ancyritani (*q*) canones decreverunt.

XXXII.

Relicta Presbyteri, ſive Diaconi, ſi cuicumque renupſerit, eatenus ab Eccleſia pellatur, donec a conjunctione illicita ſeparetur: marito quoque ejus ſimili uſque ad correctionem ſeveritate plectendo.

XXXIII.

Baſilicas hæreticorum, quas tanta exſecratione habemus exoſas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, ſanctis uſibus applicare deſpicimus. Sane quas per violentiam noſtris abſtulerant, poſſumus revocare.

XXXIV.

Si quis ſervum proprium ſine conſcientia judicis occiderit, excommunicationis biennii effuſionem ſanguinis expiabit.

XXXV.

Ut cives ſuperiorum natalium, nocte Paſchæ, ac Nativitatis Domini ſolennitate, Epiſcopos, nec intereſt, in quibus civitatibus poſitos, accipiendæ benedictionis deſiderio noverint expetendos.

XXXVI.

Ne ullus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur, neve ulli, ſi aut pœnituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi aditus obſtruatur. Sed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi ægrorum accepto viatico revaleſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſervare (*r*) conveniet.

XXXVII.

Ne Laicus, niſi religione præmiſſa, Clericus ordinetur.

XXXVIII.

Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, ad quaſcumque earum neceſſitates, vel miniſtrationes permittantur intrare. Ad faciendas vero Miſſas, qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt. Alias autem nec Clericus, nec mona-

[*n*] 40. XI. Quæſt. 3. Si Epiſcopus.
(*o*) Agath. 60.
(*p*) Agath. 618.
(*q*) Concil. Ancyr. cap. 21. & 22. Tomo I. noſtro pag. 148.
[*r*] al. *conveniat.*

monachus juvenis, ullum ad puellarum congregationem habebit accessum; nisi hoc, aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere.

XXXIX.

Servus, reatu atrociore culpabilis, si ad Ecclesiam confugerit; a corporalibus tantum suppliciis excusetur. De capillis vero, vel quocumque opere, placuit a Dominis juramenta non exigi.

XL.

Quocirca hæc, quæ superna inspiratione, communi consensu placuerunt, si quis sanctorum Antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, nec non & quos eorum Deus esse voluerit successores, relicta integritate observationis excesserit; reum se Divinitatis pariter, & fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Avitus Episcopus, Constitutiones nostras, id est, Sacerdotum Provinciæ Viennensis, relegi, & subscripsi die XVII. Kalendas Mensis octavi, Agapito Viro Clarissimo Consule, Epaone.

Viventiolus, Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, Provincialibus meis, constitutiones nostras relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Silvester, Episcopus Ecclesiæ Cabillonensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Gemellus, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ (*s*) Vasensis relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Apollinaris, (*t*) Episcopus civitatis Valentinæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Valerius, in Christi nomine civitatis Segestericæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Victurius, (*u*) in Christi nomine Episcopus Gratianopolitanæ civitatis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Claudius, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Vesontionensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Gregorius, in Christi nomine Episcopus civitatis Lingonicæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Pragmatius, (*w*) in Christi nomine Episcopus civitatis Augustodunensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Constantius, in Christi nomine Episcopus civitatis Octodorensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Catulinus, in Christi nomine Episcopus civitatis Ebredunensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Sanctus, in Christi nomine Episcopus civitatis (*x*) Darandasiensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Maximus, in Christi nomine Episcopus civitatis Genavensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Bubulcus, in Christi nomine Episcopus civitatis Vindonissæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Sæculasius, in Christi nomine Episcopus Deensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Julianus, in Christi nomine Episcopus civitatis Carpentoratensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Constantius, in Christi nomine Episcopus civitatis Vappincensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Florentius, in Christi nomine Episcopus civitatis Arausicæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Rrrr 3 Item

Burchardus L. XV. Decretorum cap. XXXIV. citat canonem 76. ex Concilio Epaonensi, nisi fors error typi sit: alias plures quam XL. canones legisse videtur *Burchardus.* Ecce eum:

Statutum est, ut si quis Clericus in falso testimonio convictus fuerit, reus capitali crimine censeatur, & officii ordine degradetur. *Concil. Epaonens. cap.* 76.

(*s*) al. *Vasionensis* ex cod. Vaticano. (*t*) Paris. *Apolinaris.*

(*u*) Paris. & Lugd. *Victorius.* Til. & Foss. *Victorinus.*

[*w*] At successor Pragmatii Agripinus Germanum [qui fuit Episcopus Parisiensis] Diaconum ordinasse dicitur anno 513.

(*x*) Hodie *Tarantasiensis* scribitur.

Item Florentius, in Christi nomine Episcopus civitatis Tricastinæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Philagrius, in Christi nomine Episcopus civitatis Cabellicæ, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Venantius, in Christi nomine Episcopus civitatis Albensium, sive Vivariensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Prætextatus, in Christi nomine Episcopus civitatis Aptensis, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Tauricianus, (y) in Christi nomine Episcopus civitatis Nivernensium, relegi, & subscripsi, die & Consule suprascripto.

Peladius Presbyter, jussu Domini (z) Salutaris civitatis [a] Avennicæ, huic definitioni interfui, & subscripsi.

Hardouinus Tomo II. Conciliorum pag. 1046. *& seqq. ex Sirmondo.*

(y) al. *Taurentianus.* (z) al. *mei.* (a) al. *Aventicæ.*

In Pithoeano codice Peladius non apparet: sed superius tum in illo, tum in Remensi, legitur post Catulinum: Salutaris Episcopus civitatis Avennicæ subscripsi. In Parisiensi MS. nec Peladius, nec Salutaris apparet. Agobardus in *Libro de Judaicis superstitionibus Cap. IV.* dicit, Episcopos tantum XXIV. interfuisse.

SYNODUS TREVERENSIS

Sub Numeriano Episcopo.

Anno Christi DCLXIV. Vitaliani Papæ VII. Childerici II. Austrasiæ Regis IV.

Numerianus in Conventu plurium Episcoporum & Clericorum, donata Monasterio Sancti Deodati in monte Vogaso confirmat, & Synodicam Comprovincialibus suis Episcopis hanc mittit.

DOminis sanctis, & summi culminis apici, Pontificalisque Cathedræ speculæ præsidentibus in Christo fratribus, Childolpho (a), Gissoaldo, (a) Eborino (a) Episcopis Comprovincialibus, Numerianus (b) Archi-Episcopus supplex & fidelis vester præsumit mittere salutem. Licet & nos antiquitus regulam constitutam salubri observatione custodire conveniat; tamen ut vestra provisione tractante fiat, constituimus, ut hoc, quod sacris deliberationibus non derogat, intrepida observatione observetur. Et quia venerabilis vir, DEODATUS (c) Episco-

(a) *Childulpho, Gissoaldo, Eborino.)* Childulphus, qui & Clodulphus, Flodulphus, Metensis Episcopus, S. Arnulphi Metensis filius, sanctitatis & paternæ virtutis hæres, sexto Idus Julii abiens e vita, apud parentem conditus est, memoriam anniversariam retinens VIII. die Junii. Quanquam in Martyrologio Metensi ad VIII. Idus Maji ponatur: *Metis Ss. Confessorum, pariterque Pontif. Godonis, atque Clodulphi.*
Gissoaldus, qui & Gisloandus, Episcopus Virdunensis, juxta Wasseburgium obiit anno 665. quare serius hoc privilegium datum esse non potuit.
Ebroinus, qui & Eborinus, nec non Ebornus, Tullensis.

(b) *Numerianus Archiepisc.* Qui sanctus Treviris colitur die 5ta Julii; ut talis in Martyrologiis celebratur. Vid. Acta Ss. Antwerpiæ *Mensis Julii Tom. II. pag.* 231. eum in sede Treverensi non excessisse annum 666., certum statuitur in iisdem Actis *Mensis Julii Tom. III. pag.* 218. Porro *Archi-Episcopum* se hic nominat Numerianus, quod scribarum vitio tribuendum suspicatur Mabillonius *de re diplom. L. II. cap.* 2. *num.* 13. eo quod paucissimi inveniantur, qui hoc vocabulum sibi tribuerint ante sæculum IX.

(c) Episcopus Nivernensis, & subinde fundator, & constructor Monasterii vallis Galilææ,

Episcopus, religiosa postulatione aurium nostrarum intima penetravit, visceralis pietatis affectu ita cor nostrum intrinsecus mollivit, ut petita duntaxat non cedere, sed libentissime non implesse, nostris animis inreligiosum fore putare. Sancti igitur desiderii ardore succensus supradictus (*d*) Deodatus Episcopus, cœnobii septa in honore sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, vel Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & sociorum eorum, & sancti Eucharii, Materni, & Maximini, & omnium sociorum eorum, & S. Mauritii, Exuperii, & Candidi, vel sociorum eorum, basilicas intra eremi secretum locum, nuncupante Galilæa, quod prius Juncturas vocabatur, supra flumen Murtæ & Rauboracco, in proprietate autem sua, quam ex fisci largitate promeruit, monasterium construxit; ubi monachos & peregrinos sub regula beati Benedicti, & sancti Columbani Abbatis collocavit, & nostræ vilitatis extremitatem supplici deprecatione poposcit, ut nos, fratresque nostri illi Ecclesiæ ibidem deberemus privilegium impertire. Et ne hoc nos improbæ deliberationis instinctu sacerdotalis posteritas æstimet decrevisse, cum etiam sub hujusmodi norma tam de inhabitationibus, quam a quibuscunque ibidem aliquid delegatum est, eatenus fuerit factum: inde ergo *nos, & fratres nostri, Abbates, & Presbyteri, & Clerici conspiratione una, & consensu*, jam dicti viri postulationi annuentes, hoc *ab omnibus nobis decretum est*; ut quidquid prædictis Monasteriis, & Monachis, sub Evangelica religione viventibus, ab ipso venerabili Patre Deodato Episcopo, & a reliquis Christianis viris, & fœminis, aut regio munere, seu a quibuslibet hominibus ibidem collatum fuerit ministerii, & de sacris voluminibus, & quod propriis laboribus poterint addere & multiplicare; aut quæcunque ad ornatum noscuntur ibidem pertinere, præsentibus vitæ nostræ temporibus, successorumque nostrorum, nullus exinde aliquid Pontificum, Abbatum, Presbyterorum, & Clericorum, seu Archi-Diaconorum, aut regalis sublimitas, suis usibus audeat usurpare, aut minuere.

Et cum sæpe dictus *DEODATUS* Episcopus, qui est Pater ipsius Monasterii, de hoc sæculo evocatus, illum quem unanimiter omnis congregatio illa ex semetipsis optimæ regulæ conceptu elegerit, Seniorem & Abbatem sibi instituat. Et si eis opportunum fuerit, Ecclesiam benedicendam, & sacros ordines percipiendos, a quocunque Pontifice decreverint, licentiam habeant (*e*) expetendi, nullusque de eodem monasterio, seu de parochiis, aut cæteris monasteriis absque ulla regula & privilegiis viventibus, muneris causa audeat sperare, & auferre: & nisi invitatus ab Abbate, & totius unanimitatis congregatione, liceat ei monasterii ipsius atterere septa. Si ergo ab eis Pontifex communiter postulatus, pro ipsorum utilitate accesserit, quod ipse Abbas, aut Congregatio sua sancta elegerit, ita fiat, & celebratis ac peractis Divinis mysteriis mox absque ullo requisito dono studeat abire. Quatenus monachi, qui solitarii nuncupantur, de percepta quiete valeant juvante Domino per tempora exultare, & sub ipsa sancta regula viventes, beatorumque vitam Patrum sectantes, pro statu Ecclesiæ Catholicæ, & pro desiderabili salute *CHILDERICI* [f] *gloriosi Principis*, plenius Dominum valeant exorare. Et si aliquid ipsi monachi quantulumcunque de religione indebite egerint, secundum supradictam regulam Domni Benedicti, &

lææ, sub Regula S. Columbani, qui a Numeriano Archi-Episcopo Treverensi hanc confirmationem suæ fundationis, & immunitatem amplam obtinuit. *Vide Hagiographos Antwerp. ad diem* 19. *Junii in vita S. Deodati.*

(*d*) *Deodatus Episcopus Cœnobii Septa* &c.] vitam S. Deodati scripsit Richerius, editam Tom. III. Spicileg. in qua & historia fundati hujus Cœnobii, cujus confirmatorium est præsens Diploma Numeriani Conf. Calmet. *Hist. de Lorraine Tom. I. L. IV. X. n.*43. Acta SS. Antwerpiens. *Mensis Julii Tom. III. citat. pag.* 218. Hodie Monasterium *Medianum*, Gallice, Moyen-moutier nuncupatur. *Hæ notæ sunt Illustrissimi Honthemii Tomo I. Historiæ Treverensis Diplomaticæ pag.* 82.

(*e*) Licentiam, & facultatem adeo amplam, Abbati monachorum ab Episcopo indultam, forte ante hanc diem nemo habuit.

(*f*) Childericum II. Austrasiæ Regem ab anno 660. ad 673. fuisse, docuimus *Tomo I. in Præfatione pag.* 60.

& sancti Columbani Abbatis, & a proprio objurgantur Abbate; & si, quod absit, talis inter Abbatem & monachos dissensio aliqua & murmur consurgere videatur, qualis minime ab eodem Abbate ibidem sedari possit; tunc missus Episcopus eorum, ad alios Abbates, qui ejusmodi regulam tenent, conveniant in ipso monasterio, scandalumque deprimant sententia regulari; quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei pro quietate tranquillitatis tribuitur. Quod si quis invenitur ausus, quæ superius sunt comprehensa, temerario spiritu violare, a Divina ultione prostratus, reatui anathematis subjiciatur, & insuper iram omnipotentis Dei incurrat, omniumque Sanctorum. Ut ergo privilegium hoc in nullo possit convelli, sed præsenti tempore, futuroque, Christo Domino protegente, incorruptum valeat perdurare, ac firmissimis subsistat vigoribus, manu nostra, & fratrum nostrorum Episcoporum, & Abbatum, & Presbyterorum, & Archi-Diaconorum subscriptionibus roboratur, & insuper fratribus nostris, venerabilibus viris, Blidoaldo Presbytero, Achino Diacono, quo perpetuo maneat inviolatum, destinavimus ad confirmandum. Signum Numeriani Archi-Episcopi, qui hoc fieri præceptum . . . . S. Dragobodi Episc. (g) S. Grotgrani. (h) S. Baldoni Episcopi. S. Dodoni Episc. S. Chroabaldi Episc. S. Gariberti Archi-Diaconi. S. Prodagii Episc. Ego Filbertus rogatus subscripsi.

Mabillon. Annal. Benedictinorum Tom. I. pag. 696.

(g) Sedes horum Episcoporum sunt ignotæ, nisi forte Chorepiscopi sint per Provinciam.
(h) alias *Grotharii*.

Dominicus Mansi *Tom. I. Supplementi Conciliorum pag.* 479. verosimiliter judicat ex contextu Epistolæ hujus Encyclicæ, & subscribentibus Episcopis, Concilium hoc celebratum fuisse Treveri, vel circa annum 664, vel ante, ut Hagiographi.

SYNODUS FRISINGENSIS
DIOECESANA SUB ARIBONE Episcopo.
Anno Christi DCCLXV. Pauli I. Papæ VIII. Pippini Regis XII.

Aribo, Episcopus Frisingensis, in publica Synodo acceptat hæreditatem Poaponis viri nobilis pro Domo S. Mariæ Cathedrali Ecclesiæ traditam & donatam.

DUm oportet unicuique, qui in hoc mundo vacare videtur, Sacramenta reminiscere, & ultimum diem pertimescere; ne nos inprovisa mors subito, sicut habet casus humane fragilitatis, inparatos inveniat, & tamquam fur comprehendat, vel æterne mortis laqueis tradat, de rebus transitoriis, quem Domini pietas, humanaque utilitas adquisierit patronum, adquirere debet, qui pro ejus vicibus, diemque magni judicii apud Dominum intercedat, ut mercedem plenissimam apud ipsum retributionis accipiat. Quamobrem ego in Dei nomine, Poapo, vir nobilis congregavi (a) multitudinem parentum meorum, nobilium virorum, per quandam dubitationem filiorum meorum consiliavi cum illis, sicut ipsi consilium eorum mihi per fidem dederunt, ut hereditatem meam domui sanctæ Mariæ tradidissem. Interea contigit, ut condictum est publicum Synodum, seu alium placitum, ad Frigisingun fieri, & ego Poapo veniens veniebam cum parentibus, & fidelibus meis ad jam dictum domum sanctæ Mariæ, & nuntiavi consilium nostrum Heredi Episcopo, & ipse Pastor, ac medicus animarum consolans nos, & hoc consilium gratanter

(a) Multitudinem Parentum meorum, nempe Cognatorum.

tanter accepit, & nostram promisit memoriam confirmare in ipso domo Dei perpetualiter. Proinde iterum retractavi, ut pro remedium animæ meæ, vel pro peccatis meis abluendis, ut mihi pius Dominus in aliquantulum veniam æternam præstare dignetur: hereditatem quoque meam in locis, nuncupatis Adwihse, & Adholze ad domum S. Mariæ, seu omnium Sanctorum, quorum reliquiæ ibidem venerari videbantur, coram omni Clero, seu parentibus meis confirmantibus, firmiter & indubitanter tradidi, & statui, ut ibidem ad illum sanctum locum firmiter, in perpetuum permansisset: hoc est, in locis jam dictis, quidquid ibidem de hereditate propria habere videbatur, totum exintegro tradidi, & cum testibus confirmavi ad supra dictum domum, ut ibidem perpetualiter permansisset; ea vero ratione, ut quamdiu advivimus, ego ipse, & filii mei ipsam causam cum integritate habere, vel usurpare debeamus. Eo modo, ut nullus propter quamdam disceptationem filiorum meorum, si contigisset, abstrahere ipsam hæreditatem meam non potuisset de domo S. Mariæ; sed traditio mea firma, & stabilis permaneat in perpetuum. Post obitum vero nostrum, cum omni rem addita, vel emeliorata, absque ulla consignatione, vel contradictione, ipse Rector, qui tunc tempore ipso (b) Monasterio Sanctæ Mariæ ad gubernandum præesse videtur, in suam faciat revocare dominationem. Et si quis vero, quod futurum minime credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, quicunque emissa persona, qui contra hanc Epistolam traditionis, quam ego ipse propria voluntate fieri, vel firmare rogavi, venire, aut aliquid resultare temptaverit; inprimis iram Dei omnipotentis exinde incurrat, & cui litem intulerit, solidos quingentos coactus exsolvat: & petitio sua vacua, & inanis permaneat, sed per Epistolam, omnique tempore firmiorum obteneat roborem. Manu mea propria subter firmavi, & bonis hominibus ad roborandum decrevi, quorum nomina hæc sunt: Inprimis Heres Episcopus cum omni familia sanctæ Mariæ in publico Synodo, id est, Arn Diaconus, Orilan Diaconus, Ratolt Diaconus, Luitfrid Clericus, Heimilo Clericus, Hununc Clericus, Selprat Com. Alprat Com. Mezzi Comes, Waldkeer, Aringrim, Alphart, Egilolf, Perhtolf, Chuno, Angilperht, Pern, Arbeo, Hartrih. Actum est hæc ad Frigisinga anno XVI. Pipini Regis, ab Incarnatione Domini anno DCCLXV. Indictione IV. die Consule, quod facit nonas Majas. Et ego Pern Clericus ex ore Heredis conscripsi.

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Tom. I. Parte II. Instrum. XIII. pag. 32.

(b) Monasterio S. Mariæ, puta Ecclesiæ, seu Conventui Cathedrali.

CONVENTUS EPISCOPORUM, ET PRESBYTERORUM

SUB TASSILONE, BAJOARIÆ DUCE, IN VILLA UFFHASIN.

Circa annum Christi DCCLXX. Stephani III. Papæ III. Caroli M. Regis III.

Traditio Tassilonis Ducis juxta flumen Filse.

In Christi Nomine. Opportunum est unicuique, dum terrena possidet, frequentius pro salute animæ suæ cogitet, vel de vita futura; & ut mereatur regnum præsens, vel Ethereum adipisci. Idcirco ego Tassilo, Dux Bawariorum, rogante me URSONE Presbytero in Willa publica, quæ dicitur UFHUSIN, coram *Episcopis, nec non & Presbyteris, vel Diaconibus*, seu vernaculis meis præsentibus, donavi ad Ecclesiam Beati Stephani, ubi ipse supra dictus URSUS Presbyter servire dignoscitur, juxta flumine nuncupante (a) FILSE, id est, ab Aquilone vel meridie. Si quis autem hanc donationem corrumpere voluerit, ipse vero possessor ad nos habeat licentiam veniendi; nos vero, sicut superius pollici-

ti sumus, ita conservare volumus, & nostris temporibus, & si successor nobis advenerit, similiter conservare debeat, ut & ista donatio firma, & stabilis permaneat. Ego Tassilo propria manu scripsi, & confirmavi. Signum testium. Luitprant Presbyter, Pippi Presbyter, Adilger, Choanrat, Reginolf, Rumolt.

Meichelbeck Histor. Frisingens. Lib. I. Parte II. Instrum. XCVI. pag. 78.

(a) *Filse.* Vils fluvius, qui in Frisingensi Diœcesi fontes habet, & emensis 13. milliaribus in Danubium prope Vilshovium mergitur.

Creditur, hoc instrumentum agere de Ecclesia Parochiali in Mosen, S. Stephano dedicata.



SYNODUS FRISINGENSIS,

SUB ARIBONE EPISCOPO, III. KAL. APRILIS, FERIA V. ANTE PASCHA, IN QUA CHRISMA CONFICITUR.

Anno Christi DCCLXXIII. Hadriani I. Papæ II. Caroli M. Regis V. Tassilonis Ducis anno XXV.

IN Christi nomine. Ego Onolfus divina vocatione dilectum, & quasi unicum Keparahun amisi filium, Latrociniis insidiæ interemptum. A quo orbatus remansi cum unico Hrodino filio vocabulo, quem in Deificum constitui documentum. Id me cogitante, vel tractante, patrimonium, quod jure possidere videbar; vel quod Toti, genitor meus, mihi reliquit, ut quod conjugi meæ Alpswindæ ab genitore Keparaho in hereditatem relictum esse videbatur, pariter manu commune ad oratorium, & ad locum, quæ dicitur (a) Roraga Mussea tradedimus, atque transfundavimus. Ipsam namque Ecclesiam, vel oratorium tradidimus ad Beatæ, & intemeratæ Dei Virginis Mariæ, & Domini Genitricis, Ecclesiam domui Episcopale, & in Castro Frigisingas mæniis sitæ, ut post obitum meum, atque care prænotatè conjuge, filiique prædicti Hrodini, Dei opitulatione, ad honorem si accesserit, communiter Episcopale judicio, atque Canonicæ normæ jure possedeat prædictum patrimonium intercessor Genitori, Matrique & Germani adsistat, tamen Episcopali subjiciat potestati. Illius post obitum ad prænotatum domum tene jure ditionis affectus; sin autem nostris impetire dedierit delictis, ut sublimare sacerdotales neglexerit gratibus, suamque ad obitum usque possedeat partem: cetera incommota, ut prædictum est, permaneant inlesa: & ipsius unici post obitum, eadem observentur ditionibus. Donavi namque, & transfundavi in eadem verba prædictum locum Roraga Mussea, & alium, quæ dicitur Clane, secus fluenta ipsius fluminis, & tertium, quæ appellatur locum Ahaloh: Donavi namque casas, curtes, ædificia, rura, (b) saltura, prada, pascua, aquarumque decursura; molendinarias; silvas, lucos, mancipias, pecodes, & quicquid possidere videbar, culta, & inculta, utensilia omnia, & quirendi jure debita, licentiam concessimus. Stipulatione stilo perarare deposcimus, ut si ego ipse, vel quislibet opposita persona, contra hanc dotationem in ire conaverit, inprimis insolubile vinculo anathematus substentetur, & cum Dei Genetrice, &

(a) *Roraga Mussea.* Rörmosen, in Præfectura Dachaviensi.

(b) *Saltura*, videtur derivari a Saltu vel nemore, ein Buschwerck. Hinc Saltuarii, qui præsunt custodiæ saltûs. In confinibus Tyrolis, sub vocabulo Saltaria intelliguntur tum sylvæ, tum agri, haud facile pervii, vel montosi, a saltando dicti, ut hos saltus explicat *Glos. Margin. in L. Si ita. ff. de usu & habit.* quamvis saltus etiam aliquando accipiatur, pro jure pascendi in loco aliquo communi, de quo *L. testatrix §. Plures. ff. Si servit. vindic.*

& intemeratæ Virginis communicet rem inlicite hujusmodi commissam, & cum beato Christi Confessore Corbiniano, cui hæc credita sunt, & eorum virtutum, quorum nominatim ibi in Deifico laude esse videntur. Hæc sunt testes per aures tracti: imprimis eorum perceptor in eadem verba Arbeo Episcopus cum cuncto Clero, quia *Synodalis* accesserat *dies*, quod erat V. feria ante Pascha, in qua Chrisma conficitur, tamen ex parte necessitate cogente, nominatim per aures tractos, ut opinor, perarare nomina debemus, Chronique prius, quod erat in anno XXV. Domni, & Inlustrissimi Tassilonis (*c*) Ducis, Waltrih, Ratolt, Reginperht, Mejoran, Hununc, Pern, Pald, Horskeo, Oto, Epo, Presbyteri testes: Arn, Reginolt, Luitfrid, Rihpald, Diaconi: Chuno, Popo, Sullo, Hato, Hitto, Hramperht, Laici testes. Ceteri sine numero, quorum nomina si stilo conprehendere voluissem, dies; ut opinor, priusquam defecisset vocabula. Actum in villa publica Castro Frigisingas, sub die Consule, quod erat III. Kal. Apriles, jam annorum prænotato numero. Ego Sundarheri jussus ex ore Heredis conscripsi, atque testes firmavi.

Meichelbeck Historiæ Frisingens. Libro I. Part. II. Instrum. XXIX. pag. 45.

(*c*) Annus primus Tassilonis Ducis est Christi DCCXLVIII. ita *Meichelbeck* & *Hansiz. Vide Tomi I. pag.* 130.

SYNODUS IN OPPIDO RISBACH,
DIOECESIS RATISBONENSIS, CELEBRATA
Anno Christi DCCXCIX. Leonis III. Papæ IV. Caroli M. Regis XXXII.

Indictio Synodi in Rispach per Encyclicam Arnonis, Salisburgensis Episcopi.

Sincerrimæ dilectionis venerabiliter præferendo, & cum omni charitatis amore amplectendo N. digno Dei Antistiti, supplex S. Juvavensis Ecclesiæ Archi-Episcopus N. bene cupiens prosperitatis vestræ hic præsenti, & in futuro sæculo.

SOlito etenim more Sanctitatis vestræ precibus nos enixe commendamus. Vestra namque memoria, ut optime condecet, jugiter apud nos retinetur, sicut optime noverit fraternitas vestra, & Canonica auctoritas probat, omniumque nostrum est utilitas maxima, qui sumus in loco regiminis constituti, Synodale colloquium, habere, & ibi pertractare nostrum ministerium, a Deo nobis commissum, ad profectum totius Christianæ plebis: quia id ipsum a confratribus nostris Episcopis hoc anno in regno Domni Senioris nostri in Francia est peractum. Quapropter Deo auspice nos coadunati sumus, Synodalem conlocutionem exercere ad Rispach die inchoante XIII. Kal. Sept. Quapropter bonum est, ut die statuto vos ipsi illuc veniatis, & præcipiatis vestro Chori-Episcopo, ut illuc veneat, & Archipresbyteris vestris, seu cæteris primoribus Ecclesiasticis: & de illa vestra Abbatia illos proceres monachos, quantos vobis videbitur. Et si illa capitula, quæ in illa Synodo in Francia gesta fuerunt, scripta habeatis, vobiscum deferte. De victualibus vero sagax prudentia vestra præcaveat, ad quantos dies ibi commorari in loco, tantos tunc nostra suppetiat convenientia. Quia, sicut superius præfati sumus, ut illa Synodalis loquela, Divina auxiliante gratia, nobis a Deo merces adcrescat, & apud homines bona laus. Et hoc scitote, quia ad confratres nostros Episcopos istam exemplariam scriptam directam habemus. Perlecta hac Epistola a vestra dilectione, nobis sospitatem vestram per missum, aut per indicolum

lum vestrum nobis innotescere non pigeatis.

Pez. codex Diplomaticus Parte I. columna 74.

CANONES EX REGINONE.

Ne Clerici laicalibus vestibus induantur.

Ex Concilio ad Risphach in Bajoaria Cap. XLI.

UT nullus Clericus vestimenta laicalia portet, nec arma, nisi tantum, quod ipsius religioni deceat, induere præsumat. *Regino L. I. Cap. CCCXXXVI.*

De festivitatibus anni.

Ex Concilio ad Rispbach.

Festos dies celebrare sancimus, id est, diem Paschæ, similiter feria secunda, tertia, & quarta, & quinta. Ante Missam licentia sit arandi & seminandi, hortum vel vineam excolendi, & sepem circumcludendi: ab alio vero opere cessare decrevimus: post missam autem ab opere vacare. Pentecosten similiter ut in Pascha. S. Laurentii, Kal. Novembr. Omnium Sanctorum, similiter Dedicationes Ecclesiarum. *Regino L. I. Cap. CCC LXXVIII.*

CANONES CONCILII RISBACHENSIS EX JORDANO ET DUKERO, QUORUM JUDICIUM PENES LECTOREM RELINQUIT *Hansitz. Tom. II. Germaniæ Sacræ pag.* 110.

I. In æde sacra ne strepunto: ne ambulanto: ante finem rei Divinæ ne excedunto.

II. Presbyter ante annum XXX. ætatis ne consecrentur, nec nisi vita, & moribus ante exploratis.

III. Clerici feria IV. & VI. carne, & vino abstineant, præterquam a Paschate ad Pentecosten, a Nativitate Dom. ad Epiphaniam, festisque diebus Ss. Apostolorum, B. V. Mariæ, S. Michaëlis, S. Joannis Baptist. S. Martini. Hac tamen lege, hospitibus, ægrotis, viatoribus, iisque, qui belli degunt, exemptis.

IV. Usus vestium sit e more communi.

V. Clerici ne sibi vendicent bona Nobilium.

VI. Decimæ dividantur in partes quatuor: in Episcopum, sacerdotes, egenos, Ecclesias.

VII. Viduarum, pupillorum, cæcutientium, inopum cura sit penes Episcopum. Mendicabula ne tolerentur: suos quique populares oppidani pagensesque alunto.

VIII. Memoriæ sanctorum, ac martyrum ignotorum, ne fiant.

IX. Venefici & Necromantæ candentis ferri examine probentur.

X. Cucullum nisi monachi, aut gelu cogente, ne gestent.

XI. Monachi ne sunto curiones.

XII. Episcopi ne sibi arrogent Abbatias; Prælati aut Clerici, ne bona sacra ad jus Regium pertinentia, in usumque nobilium deputata. *Sic Jordanus, quem Dukerus transcripsit.*

De Canone postremo, qui forte non nemini rugam provocet, documentum tamen invenio apud San-Gallensem *Lib.* 1. *de Gestis Caroli Magni.*

" Prudentissimus, *inquit*, Karolus " nulli Comitum, nisi his, qui in con" finio, vel termino barbarorum constitu" ti erant, plus quam unum Comita" tum aliquando concessit: nulli Epis" copo Abbatiam, vel Ecclesias ad jus Re" gium pertinentes, nisi excellentissimis " causis unquam permisit. Cumque a " Consiliariis, seu familiaribus suis inter" rogaretur, cur ita faceret? respon" dit: cum illo fisco vel curte, illa Ab" batiola vel Ecclesia, tam bonum vel " meliorem vasallum, quam ille Comes " est, vel Episcopus, fidelem mihi facio.

Ex Jordano Dukerus memoriæ prodidit, celebratam esse anno 799. die 20. Januarii Synodum in oppido Risbach, Diœceseos Ratisponensis. Codex traditionum Frisingensium ejusdem Synodi meminit, tempore non adnotato. Eorum, qui adfuerunt, nomina sequenti ordine recensentur: *Waltrich Episc.* [Pataviensis] *Arn Archiepisc. Adalwinus Episc.* (Ratisbonensis) *Urolf Abbas, Reginperth Abbas, Arno Archi-Presbyt. Ellanod Archi-Presbyt. Hildiperth Diaconus, Paldrich Archi-Presbyt.* Præterea *Atto* Frisingensis Episc. cui *Cundharius Abbas* in eadem Synodo quatuor Ecclesias parochiales reddidit. DUKERUS antea citatus adnumerat etiam *Alimum Sabio-*

Sabionensem, *Simpertbum Augustensem Episcopos*, sic enim legendum, erasa interpunctione, quae inter Simpertum, & Augustensem, obrepsit: praeterea Wolffipum Abbatem Inferioris Altahae, Leitfridum Abb. Chiemensem, Joannem Degernseensem, Wolfdretum Cremsmonstrensem, Annonem de Münich-münster. Presbyteros & Curiones Meginhartum, Cauzonem, Liutbrandum. Archi-Presbyteros Adelhartum, Emricum, Baltricum, Oswaldum, Amanum, Elimatum. Diaconos Hildibertum, Wolfdretum, Liutolfum. *Hansiz. Tomo II. Germaniae sacrae p.* 110.

SYNODUS AD URBEM REGINISBRUC, Anno Christi DCCCIII. Leonis III. Papae IX. Caroli M. Imper. III.

De Chor-Episcopis.

CArolus Imperator in Bajoariam profectus ex palatio, (*a*) Ratisbonae Synodum habuit de Chor-Episcopis, qui extra civitates discurrebant, & in villis & pagis morabantur, unde & Villani Episcopi dicebantur. De his Presbyteri, & Laici conquerebantur. Laici sigillatim: se talium ministrorum, vel sacerdotum, qui a Chor-Episcopis erant quasi ordinati, officia audire nolle, nec suos infantes majores, vel minores, aut familiam suam, per manus impositionem consignari, vel confirmari usquam velle, ne magis vulnus, quam benedictionem acciperent. " Carolus Catholico axio- " mate usus: si majores causae in me- " dio fuerint devolutae, ad sedem Apo- " stolicam, ut sancta Synodus statuit, " & beata consuetudo exigit, incun- " ctanter referatur.

L. VIII. Capitularium cap. 260. *verba sunt Caroli Imperatoris, ex Decreto Innocentii I.*

" Quapropter Arnonem Salisbur- " gensem Archiepiscopum misimus ad " Leonem Apostolicum, ut inter cae- " tera, quae ferebat, etiam eum, & " hoc interrogaret, ut quidquid super " his definiendum esset, Apostolica au- " ctoritate nostris Episcopis regulariter " sopiretur. *Videatur Morinus exercitatione IV. de sacris ordinationibus. cap. I. & II.*

Leonis III. PP. de Chorepiscopis consulti, responsa.

Retulit responsum Arno, & verbo & scripto. Haec dudum definita esse, omnia, quae Chor-Episcopi de Pontificalibus sibi arrogarent, nec rite, nec valide facere: eos omnes damnandos, & in exilium detrudendos esse.

Condicta Synodus anno 803. ad urbem Reginisbruc, quam pro eadem, vel aliis causis, Apostolica auctoritate praefato praetexto habuimus. *CAROLUS*, qui eodem anno solemni cum Saxonibus pacificatione in loco *Saltz* composita, legatisque Nicephori Imperatoris auditis, inde in Bajoariam profectus est, *Synodoque* interfuit, ubi Episcopi cum eodem Arnone censuerunt; quod quidem exilii poenam attinet, villanos illos Episcopos mitius tractandos; caeterum vetuerunt, ne a quoquam deinceps Chor-Episcopi crearentur; illi autem, qui essent, in Presbyterorum gradu se continerent, nec de ministerio Episcopali quidquam porro attingerent.

Hansiz. Germaniae Sacrae Tomo II. in Historia Archiepp. Salisburgensium pag. 116.

Defectu Actorum expansorum haec pauca excerpta damus ex Actis in Concilio Ratisbonensi.

(*a*) Tomo I. nostro pag. 383. Conventum in Saltz, vel Sala, cum Harduino retulimus ad annum 804. sed Annales Francorum a Pithoeo, & ea, quae hic referimus cum Hansizio, ostendunt anno 803. Conventum in Saltz, & Ratisbonensem ponendos esse.

SYNODUS FRISINGENSIS

Anno Christi DCCCIX. Leonis III. Papæ XIV. Caroli M. Imp. IX.

Traditio Engilperthi Clerici de Moresfurtiv.

IN Dei nomine. Ego Engilperht Clericus, tradidi ad domum S. Mariæ propriam hereditatem meam in duobus locis, hoc est, ad (*a*) Moresfurt, & ad (*b*) Mataclapsin: quicquid in his duobus locis habui, totum ex integro firmiter, & indubitanter condonavi, atque tradidi ad jam dictum domum Sanctæ Mariæ ad Frigisingas, excepto tres mancipias, quos jam antea tradidi Hovadiu: aliud enim, quicquid habui, nihil prætermisi; sed firmiter tradidi pro redemptionem animæ meæ. Ea enim ratione, ut mihi eadem res haberi liceat ad custodiendam, vel etiam ad meliorandum usque ad finem vitæ meæ. Post obitum vero meum conplacitavi cum Attone Episcopo, sive cum familia Sanctæ MARIÆ, in publica Synodo, ut Sliu Presbyter, nepus meus, eandem rem, quam tradidi, in beneficium de domo Sanctæ Mariæ ea ratione sub se Sliu Presbyter perseverasset in servitio Sanctæ Mariæ, seu ipsius Episcopi, qui hanc sedem habeat; si aliter fecerit, nihil exinde habeat, sed stabiliter permaneat, ubi ego Engilperht eandem rem tradidi, & cum veracis testibus confirmavi, quorum nomina sunt: Kaganhart, Einhart, Reginhelm, Nothart, Oadalrich, alius Kaganhart, Adalker, Adalperht, Adalunc, Sindperht, Pbidker, Arnolt. Actum est hæc in publico Synodo ad Frigisinga in præsentia Domni Attoni Episcopi, & Meginhart, & Reginperht, & Warmunt Abbates, & Cundheri Abbas. Presbyteri vero sine numero. Laici autem, Luitpald Comes, Ellanperht Judex, Pietto Judex. Sub die Consule, quod facit Kal. Maji, anno gloriosissimi Imperatoris Karoli Augusti, IX. Indictione. Ego quidem Tagabertus indignus Diaconus scripsi jussione Attonis Episcopi.

Meichelbeck Histor. Frisingens. Libri I. Parte II. Instrum. CLXX. pag. 114.

(*a*) *Moresfurtiv*, forte *Mossurt*, in territorio Landaviensi inferioris Bavariæ.

(*b*) Ad *Mataclapsin.* Nihil huic vocabulo simile reperimus in descriptione Bavariæ Geographica. Unde suspicamur, eo non denotari, nisi locum, ubi unum tantum, aut alterum prædium exstiterit, quod idem de aliis locis accipiet Lector, quorum explicationem non adjungimus.

Cæterum ex hoc instrumento certum est, Attonem Episcopum anno 809. convocasse Synodum. Meginhart Abbas, qui interfuisse convincitur, non erat alius, quam Tegernseensis, Reginperht Mospurgensis. Quorumnam Monasteriorum Abbates fuerint Warmunt, & Cundheri, hactenus ignoramus. Suspicamur, unum fuisse Altomonasteriensem, alterum Isanensem, aut Tegernbacensem. *Notæ Meichelbeckii.*

CONVENTUS EPISCOPORUM AD REGANASPURCH

Sub Arnone Archiep. Salisburgensi,

Anno Christi DCCCX. Leonis III. Papæ XV. Caroli M. Imp. X.

A Hrocholfo pœnitente domum, olim traditam Ecclesiæ Frisingensi, post repetitam, nunc denuo restitutam, testantur Patres Provinciæ Salisburgensis.

IN Dei nomine. Ego itaque Atto Episcopus notitiam facio, qualiter quendam homo, Hrocholf nomine, devestivit domum sanctæ Mariæ, seu etiam nos,

nos, hoc eſt de territorio, quam Ratpuruc tradidit ad domum Sanctæ Mariæ; nunc etiam invitus, & cum veraces teſtibus ſuperatus reddidit eadem territorium in loco Feohte, quam injuſte abſtraxit de domo ſanctæ Mariæ. Hoc autem factum eſt, ad Reganaſpuruc in publico conventu Epiſcoporum, ſeu etiam Presbyterorum, in quo erat *Arn. Archi-Epiſcopus*, *Atto Epiſcopus*, *Adalwinus Epiſcopus*, *Hato Epiſcopus*, *Einrich Epiſcopus*, *Agnus Epiſcopus*, Meginart Abbas, Luitfrid Presbyter, Ellanod Presbyter: in illorum præſentia hoc factum eſt, ſeu etiam Audulfi Comitis & Kyſalharti judicis, & Ellenberti judicis, Petto, Chuniperht, Reginhart, Sindeo, Kaganhart, Luitprant, Situli, Memmo, Reginperht, Anhart, Madalcoz, Crimuni, per fidejuſſores enim hoc fecerunt, quorum nomina Chuniperht, Situli, Engilhart.

Meichelbeck Hiſtoriæ Friſingenſis Libro I. Parte II. Inſtrum. CCLVI. pag. 144.

SYNODUS AD FRIGISINGA
DIOECESANA,
SUB HITTONE EPISCOPO FRISINGENSI.
Anno Chriſti DCCCXV. Leonis III. Papæ XIX. Hludovici Imp. II.

Cundharti Comitis donatio Eccleſiæ in Moſaha ad Eccleſiam Friſingenſem confirmata, & roborata ab uxore vidua, in plena Synodo Friſingenſi.

DUm & omnibus non habetur incognitum, ſed multis eſt in Epiſcopio ſanctæ Mariæ bene cognitum, qualiter Cundhart Comis in propria Alode Eccleſiam conſtruxit, & in Alode uxoris ſuæ, Adalfrit nomine, in loco, nuncupato Moſaha: atque venerabilem virum Attonem Epiſcopum illuc invitavit ad conſecrandam ipſam Eccleſiam: ipſeque Atto ibidem veniens, inquirens coram populo, quid jam dictus Cundhart Comes de eadem Eccleſia agere voluiſſet, ipſeque reſpondens: "Ego vere volo meam partem, nunc coram iſtis cunctis ad domum ſanctæ Mariæ pro remedium animæ meæ in manus veſtras tradere, & confirmare volo, eo modo, ut poſt obitum meum uxor mea, Adalfrit, ſi me ſupervixerit, habere liceat; tamen, ſi ipſa ſuam partem de jam dicta Ecleſia domui ſanctæ Mariæ vult tradere." In his verbis confirmatis conſecrata eſt ipſa Eccleſia. Jam evulto tempore, defuncto Cundharto Comite, jam dicta uxor ejus Adalfrit, adſumpſis parentibus, ſimul cum Hiltolfo fratre ejus, venit ad venerabilem *Hittonem Pontificem*, & *in publico Synodo* ad Frigiſinga congregato, acceſſit ad Altare ſanctæ Mariæ, & renovavit traditionem Cundharti viri ſui, adjunxit etiam & ſuam partem ipſius Eccleſiæ cum omni integritate, quidquid in ipſa Alode, vel in adquiſitione in ipſa Eccleſia proprium habere videbatur; eo modo, ut poſt obitum illius nullus inde licentiam habeat, nec frater, nec ullus propinquus ejus, habendi, vel in ullo minuendi: ſed ſicut eo die veſtita eſt, ſic permaneat ad domum ſanctæ Mariæ ſine ulla contradictione. Actum eſt hoc in præſentia Hittonis Epiſcopi, & Heriberti, & Johann Archi-Presbyteri, alii multi. Hæc autem ſunt teſtes: Heipo, Harolf, Arahad, Reginhoh, Adalker, Adalperht, Pernolf, Luitpald, Deopald, Adalhoh, Aaron. Die Conſule, quod facit VI. nonas Octobris, Anno Hludowici Imperatoris II. & Hlodharii Regis primo, Indictione VIII. Ego Tagibertus indignus Presbyter ſcripſi, juſſione Hittonis Epiſcopi.

Meichelbeck Hiſtoriæ Friſingenſis Lib. I. Part. II. Inſtrum. CCCXIX. p. 170.

SUPPL.

SUPPLEMENTUM TOMI II.
CONCILIORUM GERMANIÆ.

CONVENTUS PUBLICUS EPISCOPORUM AD REGANESPURCH,

CIRCA ANNUM CHRISTI DCCCXVII. (a) PASCHALIS PAPÆ I. LUDOVICI PII IMP. IV.

SUMMA. Restitutio bonorum, quæ Hroculfus abstulerat de domo S. Mariæ.

Interfuere Arn Archi-Episcopus, Atto Episcopus, Adalwinus Episc. Ratisbonensis, Hatto Ep. Pataviensis, Einrich Episcopus, Agnus Episcopus, Meginart Abbas.

Colligitur hæc Synodus ex *Historia Frisingensis Parte II. pag.* 144.

Acta expansa perierunt.

(a) Hatto, Pataviensis, ultra 817. non vixit: igitur ante hunc annum, vel hoc anno celebrata fuit hæc Synodus Episcoporum. *Hansiz Tomo I. Germ. Sacræ pag.* 153.

DECRETUM LUDOVICI
BOJARIÆ REGIS,

Anno Christi DCCCXXIX. Gregorii IV. Papæ III. Ludovici Pii XVII. Filii Ludovici in Bojaria V.

Quo definitur divisio finium Pataviensis, seu Laureacensis Diœceseos Reginarii Episcopi, ab finibus Diœceseos Adelrami Salisburgensis Metropolitæ.

LUdovicus Germanicus, Ludovici Pii Augusti filius, Bojorum Rex (ab anno 825.) anno 829. accersivit Reginoburgum Pontificem Salisburgensem Adelramum, & Pataviensem Reginarium: hic exemplo prædecessoris sui Urolphi, volebat esse Metropolita Laureacensis, [qualis Urolphus fuerat decreto Eugenii Papæ] sed Adalramus, Leonis III. & Caroli M. definitioni innixus, jus Metropolitanum Juvavensis Ecclesiæ in Moraviam & Pannoniam sibi vindicabat.

Ludovicus Germanicus, utroque audito, sententiam in hunc modum tulit: " Ut Regio, quæ ultra Comagenos montes est, inter utrumque Antistitem dividatur; ut Aquilonarem, Occidentalemque oram, qua Spiraza amnis exoritur, & cum altero Spiraza & Arabone confluit, Pataviensis Antistes haberet: reliqua Orientem, & Austrum spectantia, procurarentur a Salisburgensi. Actum Raganespurch, anno Christo propitio DCCCXXIX. ANNO XVII. Hludovico Imperatore, filio ejus Hludovico regnante in Bojaria anno V. XIV. kal. Decembris. Luna XVI. Indict. VIII. Angelramnus ad vicem Gozbaldi scripsi & subscripsi.

Hansiz. Tomo I. Germ. Sacræ pag. 155.

Isto Ludovici decreto, &, non dubito, quin summi Pontificis assensu, traditio illa Eugenii Papæ, nuper Urolpho, tanquam Metropolitano Laureacensi facta, ad veteres terminos, qui tempore Pippini & Caroli M. defixi fuerant, revocata est. *Nota Hansiz.*

Ludo-

ULMÆ CONVENTUS

Anno Christi DCCCXLIII. Gregorii IV. Papæ XVI. Lotharii imp. III.

Litigia continua inter Episc. Constantiens. & Monast. S. Galli, ob annuum censum illi præstandum, per amicabilem compositionem sopiuntur. Compromittentibus Episcopo & Abbate in arbitrium Regis.

INterea contigit Hludovicum piissimum Regem publice placitum suum habere in villa, quæ dicitur *Ulma*, præsentibus filiis suis (*a*), aliisque regni sui Principibus. Ad quod placitum istius conventionis causa perlata est: & cœpit exinde Rex solerter, & caute cum suis cogitare atque pertractare: cumque summates, qui aderant, in bonam partem causam declinare studerent; tandem piissimus Princeps ab *Episcopo* (b) & *Abbate* (c) monachisque, qui aderant, inquisivit, si utraque pars monachorum videlicet, & Clericorum in hac re consentiret? Responsum est ab Abbate & monachis, qui aderant, in hac voluntate se, cunctamque illorum congregationem persistere. Similiter & Episcopus interrogatus pro se, suisque similem reddidit istius consensus responsionem. Rex vero, ambarum partium cum conspiceret unitatem, se se huic pacto interposuit *medium*, atque in semel omne negotium assumens, cum manu sua potestative res prædictas ad Episcopatum contradidit, atque cum ipsa manu similiter potestative Episcopo monasterium abstulit, penitusque dirimit: ita ut deinceps nullam potestatem Episcopi in rebus ejusdem monasterii haberent, neque in censu, neque in nulla alia causa, præter spiritalem tantummodo Episcopalis officii dignitatem: sed pura mente ex hoc, & deinceps licentiam haberent monachi iidem servire, nullique sæculari potestati, nisi solis regibus subjacerent.

Hæc Confirmatio cum per Regiam auctoritatem circa utramque partem fuerit stabilita; oriebatur & alterius similis causæ necessitas in præsenti, quæ & protinus *in eodem consilio* penitus finiebatur. Nam cum ipsa loca ita unitate fuissent antea computata, ut velut uni semper viderentur cedere potestati; hujus causa communionis quidam hæreditatem suam, ad *Constantiam* census debito cedentem, Monasterio contradiderunt: econtra tributarii Monasterii eandem tributariam hæreditatem ad Episcopatum contradiderunt: & ut in hoc etiam penitus omnis dissensio auferretur, Idem Rex de parte Monasterii, consentientibus Abbate, & fratribus, quasdem res ad Constantiam condonavit, ea videlicet ratione, ut omnia, quæ tunc

Tttt

(*a*) Hi erant: Carolomannus, qui a Patre Rege, Bajoariam, Pannoniam, Bohemiam, Moraviam accepit regundas: anno 877. fit Rex Italiæ: Filium habuit Arnulphum nothum, ex concubina Luitswinda.

Ludowicus, cui post Patris mortem Orientalis Francia, Thuringia, Saxonia, Frisia, Lotharingia cessere.

Carolus Crassus Germaniam obtinuit ab anno 882, a Joanne Papa VIII. Idus Septemb. coronatus Rex anno 875. Uxor prima Ansgardis, ex hac Ludovicus & Carolomannus: uxor secunda Adilis, ex hac Carolus simplex.

(*b*) Salomon, Episcopus Constantiensis fuit ab anno 831. ad 873.

(*c*) Grimaldus, Abbas S. Galli, obiit anno 872.

tunc in potestate Monasterii erant, vel a præfatis tributariis illuc delegata, vel qualicumque modo ibidem confirmata, postea sine ullius contradictione personæ firmarentur, ibidem in perpetuum permansura. Istis vero ita a Clementi Rege omni cum consensu compositis, jussit idem Rex suæ auctoritatis præceptum, utrique parti ad perpetuam confirmationem istius pacti statim in præsenti conscribi. &c.

Ratpertus de Casibus Monaster. S. Galli. Cap. VIII.

AD SYNODUM MOGUNTINAM

PAG. 243. RELATAM

SUB CAROLO Archi-Episcopo.

Reflexio Clarissimi Domini Mansi.

VEnetus Labbei editor, Epistolam, Nicolai I. Papæ ad Carolum Moguntinum Archi-Episcopum, ejusque Suffraganeos, in collectione monumentorum Marteniana nactus, assignandam illam censuit Concilio Moguntino, quod ex vetustis Francorum annalibus anno 857. Octobri mense ineunte celebratum fuisse constat. Verum Moguntinum Concilium ab eo plane diversum, quod anno 857. Octobri mense convenit, in eadem Epistola designari, penes me certum est. Profecto Moguntinum Concilium anni 857. Benedicto Papa adhuc in vivis agente, quique dein ad alios sex menses vitam prorogavit, celebratum est. Cur ergo ejus Synodica ad Nicolaum Papam, & non potius ad eumdem Benedictum directa fuerit? Si vero hanc Synodicam Patres ad Benedictum miserunt; cur Nicolaus in sua illa Epistola nihil quidquam dixerit de Epistola ad Benedictum directa, cujus vice ipse primum responderit? Quin & idem Pontifex Nicolaus non obscure significat, ad se quidem eam Synodicam directam fuisse; cum Patres illos certiores reddat, nequaquam a se scriptam Epistolam quandam, quam Grimoldus quidam Abbas, velut ab ipso Nicolao receptam, Patribus ejusdem Concilii exhibuit. *Epistola vero, quam vobis, quasi a nobis missam Grimoaldus obtulit Abbas, nunquam nostro est scrinio scripta, neque a nobis edita.* Addit insuper in eadem Epistola, probare se eorum studium, *quod secundum nostræ institutionis deliberationem Synodali examinatione inquirere studuistis*, num reipsa Abbo conjugem sibi fœminam quarto necessitudinis gradu conjunctam duxisset? Ex quibus demonstrari arbitror, Nicolaum aliquandiu ante Concilii celebrationem per litteras suas admonuisse Carolum Archi-Episcopum, ut Synodo coacta de nuptiis illis inquireret; ex quo liquido constat, aliquanto post Nicolai assumptionem Concilium illud convenisse. Quid vero in hoc secundo Moguntino Concilio actum sit, ex eadem Nicolai Epistola in collectione Veneto Labbeana Tom. IX. Col. 1. 70. legenda, & ex iis, quæ de incestis Abbonis nuptiis attigi, planum est.

Mansi Supplementi Concilior. Tomo I. pag. 979.

SYNO-

Interfuere huic Concilio, Carolus Archiep. Moguntinus Præses, Altfridus Hildesheimensis, Salomon Constantiensis, Hildigriuus Halberstadensis, Theotricus Mindensis, Gunto Wormatiensis, Gebehardus Spirensis, Arno Wurceburgensis, Wittgarius Augustanus, Egibertus Osnabrugensis Reverendissimi Episcopi. Abbates: Grimaltus, seu Grimoldus S. Galli, Egilbertus Laurishamensis, Thioto Fuldæ, Amale, vel Amalo Campidunensis, Adalgarius Corbeiensis. *Eckhart. Tomo II. Historia Wurceburgensis ad annum 860. hanc Synodum refert.*

Synodus in Germania

incerti loci.

Circa ann. Christi DCCCLXXX. (a) Joannis VIII. PP. IX. Caroli Crassi imp. I.

Adalgarius est constitutus & confirmatus Coadjutor, & Successor Remberti (b) *Archi-Episcopi Hammaburgensis.*

Idem Adalgarius per manus acceptionem factus est homo Regis, & Consiliarius Ludovici II. Regis Germaniæ.

CUm jam senio gravari cœpisset [Rembertus] etiam continuus pedum dolor ad molestiam ei accessit. Unde apud gloriosum primo Regem Hludovicum, quo commendante Episcopatum accepit: & postea apud filios ejus Hludovicum [*Secundum hoc nomine Germaniæ Regem*] & Karolum [*Crassum*] hoc obtinuit, ut insignis vir Adalgarius Monachus, videlicet de monasterio novæ Corbejæ, ut supra retulimus, præstitutus, ita in adjutorium illi confirmaretur, quatenus dum sese quælibet infirmitas præpediret in ipso haberet solatium . . . . [visitandi circumeundo] Episcopatum, placita adeundi, & quando cogeretur, in expeditionem, vel ad Palatium, cum comitatu suo proficiscendi, nec multo post electionem succedendi sibi [Rimberto] in ipso confirmari, & per manus acceptionem hominem Regis, & inter Consiliarios ejus collocari obtinuit: assentientibus Abbate, & Fratribus Monasterii ejus, & SANCTA SYNODO hæc omnia roborante.

Vita S. Rimberti cap. XXII. edita a Cæsare in Triapostolatu Septentrionis.

Adamus Bremensis Histor. Ecclesiastica cap. IXL.

(*a*) Cum Ludovicus II. Germaniæ Rex Francofurti anno 882. 20. Januarii mortuus sit: quo anno Carolus Crassus ex Italia evocatus, frater Regis mortui, hæreditario jure Bajoariam, Saxoniam, Germaniam adivit; debuit hæc Synodus ante 882. celebrata fuisse.

(*b*) S. Rimbertus obiit 888. III. Idus Junii, tum successit Adalgarius. Defuncto Anschario 863. III. Februarii, Ludovicus Rex anno 865. sufficit S. Rembertum.

CONCILIUM INGELENHEIMENSE

Anno Christi CMLXVIII. Joannis XIII. Papæ IV. Ottonis I. imper. VII.

CElebrata est Ingelenheimii XVI. Episcoporum Synodus, in qua suffectus est Heroldo Saltzburgensi Archi-Episcopo, quem oculorum orbitas a sacrorum usu removebat, Fridericus ex Comitum Chiemgedensium stirpe oriundus: vir dignus, qui a Joanne XIII. Romano Pontifice ob singulares virtutes laudaretur. Heroldus nihilominus tametsi sua ex auctoritate non esset refragatus, Pallio Archi-Episcopali postea abusus, promeritus est, ut in Concilio Ravennatensi a summo Pontifice diris devoveretur.

Adlzreiter Annalium Boicæ gentis Part. I. L. XIV. N. XXVIII.

CONVENTUS TULNENSIS

Anno Chrifti CMLXXV. Benedicti VII. Papæ I. Ottonis II. imper. III.

IN Tulnenfi Conventu in Orientalis Boicæ limite, interfuere Luitpaldus Auftriæ, & Henricus Carantanorum Præfecti, cum Epifcopis & minoris notæ Præfulibus Boicæ univerfæ. Interea, quæ iftic acta, Luitpaldus Auftriacus, & Chriftianus, Epifcopus Batavenfis Ecclefiæ, Pilegrini fucceffor, litem funt ingreffi de fuo uterque jure. Luitpaldus quædam Batavenfis Ecclefiæ oppida occupaverat & prædia, quæ Epifcopi Batavenfes jure quo optimo tenuerant. Epifcopus præterea Ebersbergam, quæ eft in Auftria, Fraifenam, D. Hippolyti fanum, Cifomurum oppida, aliaque permulta fuæ ditionis effe, quinque teftibus oftendit. Cognitores fuere Bato, Schyrorum Princeps, idemque Præfectus Bojariæ prætorio, Mænardus, Manchardus, Rogerus ejus frater, & Themo. Secundum Epifcopum lata fententia, atque infuper decretum, ut omnia prædia Batavenfium forent immunia. Deinde ut Silurorum [a] pifcium, quos vulgo Hufones vocant, pifcatio, quam Tullani cives ufurpaverant, Epifcopo vindicaretur . . . . Confirmata eodem CONCILIO, quæ Otto jam ante fanxerat, in gratiam Colonorum, qui in agris Hungariæ vicinis fedes locaverunt, factaque poteftas Boicæ Epifcopis, Monachis, Sacerdotibus, nobilitati, iisdem locis caftella, oppida, arces ad limitis tutelam ædificandi.

Adlzreiter Annal. Boicæ Partis I. L. XIV. N. XLVI.

(a) Siluros, tradit Plinius, Oeno amne propter Visbium graffari. Visbium urbem ad Oeni oftia, hodie Enefum (*Embs*) in Ptolomæo literati interpretantur.

AD SYNODUM DIOECESANAM TULLENSEM pag. 665.

Anno Chrifti CMLXXXII. Benedicti VII. Papæ VIII. Ottonis II. Imp. X.

S. Gerardus, Tullenfis Epifcopus, confirmat Ecclefiam apud Medium vicum, Abbatiæ S. Manfueti, cum fubfcriptione fua & Cleri.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, omnium, quæ fubfiftunt æternaliter creatricis atque moderatricis. Omnibus hujus fanctæ Fidei Tullenfis Ecclefiæ filiis & fratribus tam præfentibus, quam futuris, Gerhardus, Dei mifericordia Epifcopus, Dei gratiam, Pontificalemque benedictionem. Cum multa fint, quæ controverfiam in omni fcripto facere poffunt, & nimis impudens falforum argumentatio vix a fuis interdum poteft erratibus removeri; ad antiquorum authoritatem omnis oratio dirigenda eft. Quoniam ætatis fpatio probata, fuique nobilitate confilii ad fidem rei faciendam crebro exercitata, habet pondus teftimonii, ad confutandas falfitates diffidentis vulgi. Ipfa denique antiquitate commonemur, ut cum aliquid a nobis, feu ab aliis confirmari quæritur, de his, quæ in pofterum fructuario hæredum ufui refervantur, five fanctæ Ecclefiæ dantur, per fummam diligentiam veritatis certitudo requiratur, ne ulla oppofitio a falfariis poftmodum ventiletur, per quam veritatis via obftruatur, & rationis ordo immutetur: fed id legali defendatur

tur descriptione, quod certat adversarius oppositione differenti impugnare. Et quoniam testamento legibus facto nil firmius in controversiis disceptandis esse debet; in hoc faciendo danda est opera, ut legem adjutricem & veritatem habeat testem. Quapropter sapiat omnis conventus fidelium tam futuri temporis, quam præsentis, qualiter ego Dei dispositione ad Pontificium urbis Leuchorum confirmatus Antistes, diverterim orandi gratia ad B. Mansueti oratorium, ibique me totum, & plebis susceptæ pastoralitatem lacrymosæ devotionis Spiritu ejus meritis contradidi, ac devovi, ubicumque se occasio apta præberet, sibi servientium necessitudines pietatis oculo respicere, manuq; consolatoria sustentare. Cumque ad hujus promissi memoriam me charitatis ardor sæpe monefaceret, & interventu Beati Mansueti nostræ Diœcesis status intra, extraque prosperari cœpisset; statui, ut possibile se ingereret, congruentiaque loci eniteret, promissionis me voto absolvere, fratrumque necessitati pio nobis amore conjunctorum, sollicitudine paterna subvenire. Processo namque temporis evoluto, *Goderammum*, qui tum noster erat primicherius, a nostræ familiaritatis participibus segregari contigit pro culpis aliquibus. In adquirendo nempe nostro amore cum diu laboraret, nihilque proficeret, novissime impegit in Domnum Adalbertum, loci Domini mei Mansueti Abbatem, qui ea tempestate & Medii-Monasterii regebat Abbatiam. Is quia moribus erat laudabilis, rector pervigil Monastici ordinis, apud nos locum obtinuit magnæ familiaritatis. Hujus itaque & Monachorum ejus, quos invitus offendebam, precatu consiliive obtentu mediante, Goderamnus in nostram rediit gratiam, factis hujuscemodi conventionibus cum Abbate, suisque fratribus, ut pretii quantitatem, pro Ecclesia, quam apud Medium-vicum tenebat, ex nobis jure beneficii acciperet, nobisque eam redderet, quod & fecit, susceptis ab Abbate X. & VIII. denariorum libris. Igitur cum perspicue cognoscimus, & certa fide tenemus, quod pro cunctis bonæ actionis studiis, spiritualibus animarum curis corona nobis, & merces a Deo præparetur in cœlis, præsertim cum nobis Divina providentia custodiam animarum & regimen contulerit Ecclesiarum, nostrique sit officii, oves Christi ad statum rectitudinis revocare, & alimentis vitalibus pascere. Illam Ecclesiam beato Mansueto donavimus perpetuo habendam, cum omnibus donariis, quæ illi contulit antiquitus Altario pia fidelium devotio, & amodo conferet succedens devotorum religio. Obsecramus autem, ac sub invocatione Divini nominis obtestamur unumquemque Antistitum successorum nostrorum, ne in aliquo hanc nostram donationem violari patiatur, ut dum particeps fit nostræ bonæ voluntatis, sit & remumerationis. Si quis vero, quod non credimus, contra hoc testamentum nostrum venire aut calumniari, seu infringere, aut detruncare tentaverit, judicio feriatur Divinæ ultionis sub vinculo perpetui anathematis; careatque misericordia æterni convivii. Et ut hæc concessio stabilis in dies sæculi permaneat, absque remotione, & contradictione alicujus, hanc notitiam ipsi loco agere decrevimus, manu nostra fideliumque nostrorum infra notandorum stipulatione subnixa.

Ego Gerardus huic testamento faveo, signo crucis roborando subscribo, annuloque nostræ Ecclesiæ consigno.

Signum Goderamni Primicerii. Signum Arinfridi Decani. Signum Volfardi Thesaurarii. Signum Grinbaldi Bibliothecarii. Signum Bovonis Cantoris. Signum Lamberti Archidiaconi. Signum Wagonis. Signum Anstei. Signum Dominici. Signum Albrici. Signum Fredieri. Sign. alterius Anstei. Signum Amelardi. Sign. Azelini Comitis Tullensis, fratris Domni Pontificis. Signum Grimbaldi Advocati. Sign. Harieri villici. Sign. Hayducii. Sign. Johannis. Sign. Fulchrardi. Sign. Walheri. Sign. Fuerici. Sign. Berardi. Sign. Widonis. Actum Tulli publice sub die iduum Octobrium in plenaria Synodo, omni Clero, qui aderat, acclamante: Fiat, fiat. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXII. Indictione X. Anno ordinationis nostræ XIX. regnante secundo Ottone Serenissimo Imperatore, V. Imperii sui anno.

Ego Ruo Zechinus Cancellarius scripsi, & publice relegi.

Calmet. Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingiæ pag. 387. 388. 389.

 DI-

DIGRESSIO
AD SÆCULUM DECIMUM.

ABsolvimus Deo benedicente primum Millenarium æræ Christianæ, & quæ in eo intervallo fuerint celebrata Concilia ab Episcopis Germaniæ in Germania, recensuimus, quatenus humana industria detegere licuit, ita ut & suum nepotibus spicilegium relinquamus.

Digrediamur tantisper ad fructum quendam ex tanto numero sacrarum harum conventionum percipiendum.

§. I. De auctoritate Ecclesiæ Romanæ apud Reges & Episcopos Germaniæ hoc primo Millenario, & præsertim Sæculo X.

§. II. De Canonistis Germanis hoc Sæculo X.

§. III. De Canonizatione Sanctorum, elevatione, & translatione Reliquiarum.

§. IV. De Conciliis Germanicis Sæculi X. nobilioribus.

§. V. De mutationibus Hierarchiæ Episcopalis Germaniæ hoc Sæculo X.

§. I. De auctoritate Ecclesiæ Romanæ apud Reges & Episcopos Germaniæ hoc primo Millenario.

ADoro providentiam Christi in Ecclesia sua, usque ad consummationem sæculi regunda. Nulla hæresis hoc sæculo tenebroso, uti vulgo vocatur, aut nata est, aut dominata ulli provinciæ: nullus Pontifex, etiamsi plures fuerint moribus depravati, hæresin aut docuit, aut probavit.

Omnes Imperatores, & Reges Germaniæ, ac Franciæ a Clodoveo usque ad Arnolfum Imperatorem, omnes Duces & Comites, omnes Archi-Episcopi summam semper venerationem, & obedientiam in rebus Ecclesiasticis professi sunt, & exhibuerunt erga Pontifices Romanos hujus sæculi, non obstante quorundam miserabili vita.

Obedientiam deberi Dominis etiam sæcularibus, etiam dyscolis, articulus fidei Catholicæ est, a S. Paulo, imo ab ipsomet D. N. J. Christo propositus, unde Wicleffi error hæreticus corruit garrientis: Nullum esse Dominum civilem, nullum esse Prælatum, nullum esse Episcopum, dum est in statu peccati mortalis. *Propositio XV. inter damnatas Wicleffi a Concilio Constantiensi anno* 1418. Similis farinæ est XX. Hussi in eodem Concilio damnata: Si Papa est malus, & præsertim, si est præscitus; tunc, ut Judas Apostolus est diaboli, fur & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus. Demum XXX. Hussi est eadem cum XV. Wicleffi supra recitata.

Nos jam non agimus Polemicum scriptorem, sed Historicum, & ex primi millenarii Conciliis docebimus, quid Reges & Episcopi Catholici fecerint erga Romanos Episcopos: unde concludemus, quid Catholici Sæculi XVIII, quod modo vivimus, sentire, & profiteri debeant.

Generatim, quam reverentiam & obedientiam Episcopo Romano, S. Petri successori, Christi Vicario, tum Episcopis omnibus, deferendam, Carolus Magnus decreverit, lege *Tomi I. pag.* 355. 356. ad annum 800. ad annum 803. pag. 370. ad annum 805. pag. 389.

Sed descendamus ad specialia.

Causas majores Ecclesiasticas, Reges & Imperatores semper Episcopis, & Episcopis Romanis dijudicandas censuerunt, & de facto contulerunt: ita ipsimet Reges Carolingi statuerunt in Synodo Aquisgranensi anno 803. *V. Baluz. Tomo I. Capitular. pag.*

De Chor-Episcoporum auctoritate, & potestate sacra, a medio sæculo octavo ad nonum, varia variorum fuit sententia, variis in Conciliis agitata. In Concilio Ratisbonensi *anno* 769. *Tom. I. p.* 125. Et anno 799. in Concilio Aquisgranensi *Tom. I. pag.* 341. ex quo Carolus Romam misit Arnonem Salisburgensem Archi-Episcopum, Leonis III. Papæ sententiam sciscitaturum, quam ad Carolum Magnum retulit. Et forte anno 799. uti nos Tom. I. *pag.* 341. vel, ut Eckhartus putat, anno 801. vel 802. in Synodo Aquisgrani ea causa absoluta est, vel, ut alii demum, in Synodo Wormatiensi anno 803. decisa ex decreto Leonis III. quem Carolus Augustus rogaverat, *ut quidquid super his definiendum esset, Apostolica auctoritate a suis* (hoc est Germanis, Francis, Bajuvariis) *Episcopis regulariter sopiretur. Labbe & Baluze retulerunt decretum Leonis*

PP.

PP. ad annum 799. quos nos secuti sumus. Cointius & Eckhart ad Concilium Ratisboriense anni 803. Eadem recursio canonizatur axiomate antiquo, relato in hac causa in Synodo Aquisgranensi: Si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, ut sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, incunctanter referatur. *Baluze Tom. I. Capitular. pag.* 381. Confer Synodi Sardicensis canonem III. Tomo I. pag. 90.

Altera causa major est de Presbyteris criminosis, non convictis; nec confessis crimina illis imputata, quid statuendum?

Eandem ob causam Arnonem Salisburgensem Archi-Episcopum Romam misit, Apostolicæ Sedis sententiam auditurum. Litterarum commissoriarum eidem datarum fragmentum vide *Tom. I. pag.* 341. responsum vero Apostolicum lege eodem *Tom. p.* 370. & Eckhartus hanc fecit reflexionem: Ex quibus elucet, Carolum in rebus sacris nihil propria authoritate constituisse, sed summum Pontificem, Episcoposque consuluisse: iis vero, quæ ab his conclusa essent, exequendis supremam manum præstasse. *Tomo II. histor. Franc. Oriental. pag.* 34.

Tertia causa major est Conciliorum in Germania celebratorum per summum Pontificem approbatio, vel reprobatio.

Et hæc merito censetur inter causas majores. Hujus habemus praxin, & usum inde a sæculi IV. Concilio Arelatensi primo, ex Germaniæ, Galliæ, Britanniæ, Italiæ, Africæ, Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ Episcopis XXIII. qui Synodo absoluta Canones, & acta miserunt ad Sylvestrum Romanum Pontificem anno 814. *Extat apud Binium, &c. Synodographos, & nostro Tom. I. pag.* 7.

Sæculo nono Francofordensis Synodus celeberrima habita fuit, Legatis Pontificiis præsentibus, quos Carolus M. expetierat, explorata Pontificis Romani mente de Elipandi errore. Dein in libello sacro-syllabo omnium Episcoporum, Francofurti præsentium nomine, in Hispaniam misso, scribunt: *Sancti Spiritus afflatu, saluberrima definitione Concilii, falsissimam Elipandi hæresin terminatam fuisse, reservato omni juris privilegio summi Pontificis, Domini, & Patris nostri Hadriani, primæ Sedis Beatissimi Papæ V. Tom. I. pag.* 351. Rursum sæculo VIII. anno 809. finito Concilio Aquisgranensi de processione Spiritus Sancti, & de additamento: *Filioque* ad Symbolum Constantinopolitanum, Decreta ejus Synodi per Bernarium & Jesse, Episcopos, & Adelhardum Abbatem, Romam perlata fuerunt. Responsum Sapientissimi Pontificis, Synodo Aquisgranensi contrarium, lege *Tom. I. pag.* 391.

Episcopi depositi adpellatio ad Romanum Pontificem admittenda, & hujus judicio causa terminanda.

Si quis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur; & proclamaverit, agendum sibi negotium in urbe Roma; alter Episcopus in ejus Cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit judicio Romani Episcopi determinata.

Ex Concilio Sardicensi relatus fuit hic canon. IV. *inter Capitularia Regum Francorum L. VII. n. CIII.* & eodem *L. VII. Capitular. CLXXIII. Rursum additione IV. n. XXIX. & n. XXX. relatis a Burchardo L. I. cap.* 144. *Baluz. Tom.* 1. *Capitular.*

Primatus Sedis Apostolicæ specialiter commendatur cap. III. in Capitulis Angelramo datis, quod refertur *additione quarta ad Capitularia Francorum n. XXIV. Baluze Tom. I. Capitular. pag.* 1197.

Matrimonii Regii valor demum judicio Pontificio determinatus.

Duo exempla suppetit sæculum nonum. Primum, JUDITHÆ conjugis secundæ Ludovici Pii Imperatoris legitimæ nuptiæ, quas filius ex primo thoro Lotharius, ejusque scelerati adjutores, ex confictis strophis nullas esse contendebant, interventu Pontificis, & Episcoporum, veritati faventium, legitimæ, uti erant, declaratæ fuerunt, & Augusta Augusto restituta in regni & thalami Regii consortium. *Tom. II. pag.* 56. 37. in conventibus Neomagensi & Aquisgranensi.

Secundum exemplum dat infame divortium Theutbergæ Reginæ, a Lothario tentatum, & assentatorum Episcoporum ope impetratum, cui scandaloso divortio abolendo immensos labores subiit Nicolaus PP. I. a Theutberga imploratus: cujus indefessam curam pro reconciliatione, dum coram Hadriano II. Lotharius perjurio fallit, scelus morte luit: *Vide acta Tom. II. ab anno* 860. *ad* 868.

Institutio novorum Episcopatuum, vel eorum mutatio ad Sedem Apostolicam spectat.

Agnoverunt id Carolomannus & Pippinus, qui per Bonifacium Archiepiscopum, & vicarium Apostolicum ad id speciali mandato instructum, dicuntur instituisse novos Episcopatus: cum reapse Bonifacius quatuor Episcopatus in Bajoaria instituit

ſtituit, & diviſit quatuor in Germania, tres Archi-Epiſcopatus in Gallia, quæ *Tom. I. pag.* 40. 42. *pag.* 57. leges.

Carolus magnus quatuor Epiſcopatus fundavit, & inſtituit: Oſnabrugæ, Padersbornæ, Mindæ, Bremæ, non immemor Apoſtolicæ Sedis, cujus legatum apud ſe in palatio perennem alebat ANGILRAMUM, Metenſis Eccleſiæ vocatum Archiepiſcopum, & eo defuncto, Hildebaldum Colonienſem, quod *leges in Concilii Francofordienſis anni* 794. *canone LV. pag.* 329. *quem tranſcribo.* " Dixit enim Dominus REX " in eadem Synodo, ſe a Sede Apoſtolica, " id eſt, ab Hadriano Pontifice licentiam " habuiſſe, ut Angilramnum Archiepiſco- " pum, in ſuo palatio aſſidue haberet prop- " ter utilitates Eccleſiaſticas. Deprecatus eſt " eandem Synodum, ut eo modo, ſicut " Angilramnum habuerat, ita etiam Hil- " debaldum Epiſcopum habere debuiſſet, " quia ut de eodem, ſicut & de Angil- " ramno Apoſtolicam licentiam habeat, om- " nis Synodus conſenſit.

Sæculo nono Epiſcopatus a Carolo magno cœpti, per Ludovicum perfecti fuere de Sedis Apoſtolicæ aſſenſu, puta Hildeſienſis, & Hamburgenſis.

Demum ſæculo X. Otto I. Rex factis magnus Romam adiit, ut Pontificis conſenſum eliceret ad perficiendam Magdeburgi Archiepiſcopalem, Merſeburgi Epiſcopalem ſedem: Deinde ut plures ſuffraganeos Magdeburgenſi ſubjiceret, & duos a provincia moguntina abſtraheret. Hæc omnia leges hoc *Tom.* 2. *ad annum* 861. 866. 867. 868.

Conjunctio duarum Cathedrarum in una perſona S. Anſgarii non ſine Epiſcoporum, & Romana authoritate perfici potuit.

Vide *Tomi II. Concilium Moguntinum anni* 847. & 848. *Wormatienſe anni* 857. ac demum Nicolai I. Papæ, a Ludovico Rege & Synodo rogati, ſententiam decretoriam, cui ſoli conſenſit Guntharius Metropolita Colonienſis.

Ex his primo millenario geſtis in Eccleſia Catholica Germaniæ a Regibus & Imperatoribus, magnis bellica, & politica ſcientia, victoriarum felicitate, provinciarum ſubjectarum vaſtitate: ab Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, non tantum vita & moribus ſanctiſſimis, ſed canonum & juris ſacri Eccleſiaſtici peritiſſimis, in Conciliis publicis, in legationibus publicis ad ſedem Apoſtolicam, ad Imperatores Orientis ac Duces, Principes Germaniæ & Galliæ confines; videat lector prudens, cordatus, certus de exiſtentia revelationis, & Eccleſiæ a Chriſto inſtitutæ, per Apoſtolos, & horum ſucceſſores, duraturæ uſque ad conſummationem ſæculi: quanta reverentia & obedientia ab his omnibus ſit per mille annos delata Epiſcopis, & Epiſcoporum Principi, Romano Pontifici: Quam libenti animo jurisdictionem in ſacras res, doctrinam fidei, ejus præcones, in ſacrificia, in Sacramenta adminiſtranda, aut indignis deneganda, iisdem attribuerint? Teſtor omnes Principes a Conſtantino magno, Theodoſio, Carolo, ad Ottonem III. Imp. primi millenarii ultimum.

Nemo illorum jus ſacrorum ſibi arrogavit: nemo eorum, ex jure naturæ, dixit, jurisdictionem ſacram pertinere ad ſummam Regis, vel Imperatoris majeſtatem: nemo a plebe, vel fidelium communione originem poteſtatis Eccleſiaſticæ derivavit. Nemo jus Majeſtaticum populo, & Principi commune ſomniavit. Omnes poteſtatem in ſacra a Chriſto ſoli Petro, & Apoſtolis datam crediderunt, nec eam cum Apoſtolis mortuam, ſed perſeverare in Eccleſia Chriſtiana ad conſummationem ſæculi. Quidquid ſcribant Conringius & Puffendorfius, Grotius, & Böhmerus Marſilii Patavini deſcriptores. Nec per pacem Weſtphalicam quidem jus Sacrorum, & in Sacra ad ſtatum ſæcularem rediit; apud quem jurisdictio Sacra nullo momento fuit, uti non fuit apud Tiberium, ſub quo, nec apud populum, in quo Chriſtus D. N. vixit, Eccleſiam inſtituit: Doctores, Paſtores, Præpoſitos Eccleſiæ ſolus ipſe dedit. Verbo: talia monſtra audimus circa jurisdictionem ſacram hoc ſæculo XVIII. a Dominis noſtris adverſariis: quorum nullum veſtigium vel umbram Chriſtiani Reges primi millenarii viderunt, aut ſomniarunt.

Magno ſolatio debet eſſe Catholico Germano hæc lectio Conciliorum, & Canoniſtarum primi millenarii, qui omnia hæc dogmata, omnes hos Canones peræque æſtimari, & honorari nunc videt, ac majores noſtri ea viderunt, ſenſerunt, ſcripſerunt, profeſſi ſunt coram toto orbe rationali & erudito, Regio & Imperatorio.

Quod ſi jam his totius Germaniæ Conciliis addantur Concilia Gallicanæ, Hiſpanicæ, & Italicæ Eccleſiarum: quid ſi addas Concilia Carthaginenſia, & Africæ totius: quid ſi totius Orientis Concilia primo millenario celebrata; Quanta nubes teſtium? Quanta concordia in dogmate, in Hierarchia ſacerdotum, in ſacrificio novæ legis, in uſu Sacramentorum: in anathematis hæreticorum? *Certa igitur, & de jure Divino eſt Jurisdictio Epiſcoporum circa ſacra.* Hæc ſunt verba confeſſionis Auguſtanæ.

§. II.

§. II. De Canoniſtis Sæculi decimi.

1. PRimus non hujus ſæculi tantum ſed multorum eſt *Regino* Prumienſis Abbas, qui uſque ad initium ſæculi X. ad annum nempe DCCCCVIII. chronica perduxit ſeipſo teſte, & fors poſt vivere deſiit. Hunc Trithemius inter cæteras laudes honorat titulo *Juriſtæ inſignis*; eo quod unus omnium Pontificum, & Sanctorum Doctorum Eccleſiæ Catholicæ libros, tum vero Conciliorum, per novem prima ſæcula æræ Chriſtianæ Canones in libros duos collegerit & digeſſerit; citatis ſemper fontibus, ex quibus eos Canones hauſit: unde, qui perierant, plurimi a *Reginone* ſervati, integrandis Conciliorum actis & ſtatutis, apud Synodographos ſervierunt & ſerviunt.

Præmiſit *Regino* formam *viſitandæ ab Epiſcopo Diœceſeos* Sæculo IX. & X. uſitatam, qua meliorem & accuratiorem poſterorum ſæculorum Epiſcopi non ediderunt. Poſt viſitatam Diœceſin ſequebatur Synodus Diœceſana; qua Epiſcopus deprehenſos errores & defectus corrigebat, & vel nova decreta condidit, vel antiqua renovavit, & in uſum deduxit.

Nos hanc *Reginonis* Collectionem, velut Illuſtriſſimum juris Canonici Germanici ſpeculum, corpori Conciliorum Germaniæ Jure inſerundum duximus.

II. Dupinio ignotus Canoniſta ſæculi X. eſt *Rutgerus* Treverorum Archi-Epiſcopus, qui in Synodo Provinciali anno DCCCCXXII. edidit ſanctionum Eccleſiaſticarum a ſe ſcriptum librum, ſummo patrum aſſenſu promulgatum, & a clero receptum. Periit equidem hic theſaurus negligentia majorum noſtrorum; at non ideo *Rutgerus* ſua laude *fraudandus eſt II. p. 600.*

III. *Ratherius*, ex monacho Lobienſi Epiſcopus Veronenſis in Italia, mox Leodienſis, iterum Veronenſis, a Brunone Metropolita Colonienſi, diſcipulo ſuo, ob doctrinæ variæ præſtantiam creatus fuit. Libris diverſis patefecit orbi Catholico Canonicam ſcientiam, ad quam ſpectant hæc *Ratherii* opera.

Lib. de contemptu Canonum, ad Hubertum Parmenſem Epiſc., quem inſcripſit *Volumen perpendiculorum Ratherii Veronenſis.*

Oratio ad Clerum Veronenſem.

Charta pro inſtitutione canonicorum in locum Monachorum.

Ordinatio, qua prohibetur matrimonii celebratio die Dominico.

Epiſtola Synodica ad Diœceſanos Presbyteros.

Obiit demum in ſuo Monaſterio Lobienſi circa annum 97?. Dacherius *ſpicilegii Tom. 1. pag. 345. Folcuinus in Chronico Lobienſi. Sigebertus Gemblacenſis, teſte Fabritio, in Bibliotheca Eccleſiaſtica.*

IV. Eſt BRUNO Archiepiſc. Colonienſis. Nullum hic quidem opus Canonicum edidit, præter Synodicam Epiſtolam, per Hadamarum, Fuldenſem Abbatem, ad Agapitum II. Romanum Pontificem miſſam, & Commentarios in Evangelia; verum cum idem BRUNO a tribus Epiſcopis Balderico Trajectenſi, Iſaaco Scoto Epiſcopo, Rhaterio Veronenſi, omnibus ſcientiis profanis & ſacris inſtructus fuerit, cum a fratre Ottone I. in Italiam abeunte, Vicarius & Proviſor Imperii conſtitutus, cum Regis Archi-Capellanus, & Scholæ Palatinæ Rector fuerit, & ſæculi X. Princeps in re literaria a Benedictinis Gallis ſtatuatur; non erat ei locus denegandus inter canonicæ ſcientiæ Proceres.

§. III. De Canonizationibus Sanctorum, & translationibus Reliquiarum Sæculo IX. & X. in Germania.

Anno 820. Translatio corporis S. Huberti ab Hatabaldo Archiepiſc. & Walcando Epiſcopo Leodienſi. Tom. II. pag. 34.

860. Synodus Friſingenſis de colendis exuviis Sanctorum in monte S. Stephani quieſcentium. T. II. pag. 254.

860. Synodus Conſtantienſis de elevando corpore S. Othmari Abbatis. Tom. II. pag. 293.

898. Treverica Synodus de elevando corpore ſancti Maximini Archiepiſc. T. II. pag. 411.

920. Canonizatio S. Eugenii Epiſcopi & Martyris. Tom. II. p. 591.

961. Ratiſponæ Conventus de transferendis reliquiis S. Mauritii. Tom. II. p. 626.

979. Synodus Ingelheimenſis, in qua elevatio S. Celſi Epiſcopi & Martyris, decreta fuit judicio Epiſcoporum. T. II. pag. 659.

980. Leodii Synodus. S. Landoaldi miracula judicio Synodi approbantur, horumque approbatio Gandavum mittenda decernitur. Tom. II. pag. 662.

993. Canonizatio prima Pontificia S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani, miſſa ex Concilio Romano Encyclica ad omnes Epiſcopos & Abbates. Tom. II. pag. 671.

§. IV. Sæculi X. Concilia celebriora.

Anno 916. Synodus apud Altheim. Canones XXXVIII. & plures, sed pauci servati a Burchardo. Tom. II. pag. 588.

922. Concilium Confluentinum. Canon. V. ex octo supersunt. Tom. II. pag. 599.

932. Erfordiense Concilium sub Henrico Aucupe, Ruotgero Trevirensi Archiep. & multis Epp. capp. V. servata. (*Burchardus vidit capp. XXVII. Tomo hoc II. pag.* 601.)

948. Ingelheimense Concilium. Canones decem. Tom. II. pag. 610.

952. Augustana Synodus. Capitula XI. sub multis Archi-Episcopis, & Episcopis. *Tomo hoc II. pag.* 622.

§. V. Mutationes Hierarchiæ Ecclesiarum Germaniæ, aliæ attentatæ, aliæ perfectæ.

Anno 900. Theodmarus Archi-Episcopus Salisburgensis, suo & comprovincialium Bavariæ Episcoporum nomine, conqueritur literis datis ad Joannem IX. PP. quod forte ad instigationem Wichingi Pataviensis Episcopi, nuper in Synodo Salisburgensi depositi, miserit Papa tres viros in Moraviam, Joannem Archi-Episcopum, Benedictum, & Danielem Episcopos, in terram Slavorum: qui nomine Papæ, in uno, eodemque Episcopatu Pataviensi, seu Laureacensi, ordinaverunt unum Archi-Episcopum, & tres Suffraganeos, absque scientia nedum consensu Archi-episcopi Salisburgensis, & consensu episcopi Pataviensis, in cujus Diœcesi Moravia, & Slavorum terra continetur. *Hansitz refert hanc Epistolam Tom. I. Germaniæ sacræ pag.* 176.

900. Hatto Archi-episcopus Moguntinus, cum suis Suffraganeis, eandem querelam apud Papam Joannem IX. defert: orat, ne turbet Diœceses, & eorum limites, ne quid innovet citra consensum & voluntatem Episcoporum in eorundem Diœcesibus. Hattonis Moguntini Episcopi epistolam recitat idem *Hansiz. Tom. I. Germaniæ sacræ pag.* 178.

Hæc omnia extra Concilia.

Joann. IX. Pontifex his literis visis, retractavit, & revocavit, quidquid in Moravia fuerat in præjudicium Cathedræ Pataviensis subreptum. *Thomasinus tractat. de veteri & nova disciplina Tom. I. L. I. cap.* 45. Pagi contra Episcopatus Maravenses nec a Joanne IX., nec a Benedicto successore, cognosci suppressos scribit. *Hansiz Tom. I. Germaniæ sacræ p.* 180.

937. Leo VII. Pp. Gerardo Pataviensi Episcopo, qua Laureacensi Archi-Episcopo, pallium confert. Literæ Leonis VII. apud *Hansiz. Tom. I. Germaniæ sacræ pag.* 191.

946. Agapiti V. tentata concordia inter Gerardum II. & Herolfum Salisburgens. *Hansiz. Tom. I. pag.* 197.

968. Diœcesos Misnensis perfectio, Ecclesiæ Cathedralis dedicatio prima T. II. p. 634. Primi Episcopi Burchardi consecratio ab Adalberto Magdeburgensi anno 869. in Natali Domini. Tomo hoc II. pag. 634.

968. Perfecta Divisio & confirmatio Diœcesium in Archi-Diœcesi Magdeburgensi, in Synodo Ravennatensi. Tom. II. pag. 639.

969. Halberstadensis, & Brandeburgensis, & Havelbergensis Episcopatuum avulsio a Moguntina Metropoli, & subjectio ad Metropolim Magdeburgensem. Tom. II. pag. 649.

974. Piligrinus Pataviensis, Archi-Episcopus Laureacensis, a Benedicto VII. Papa orat pallium, & confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Laureacensis: petit ordinari Episcopos in Pannonia. *Hansitz Epistolam totam recenset Tom. I. pag.* 211.

975. Benedicti VII. Pp. Epistola ad Germaniæ Episcopos, ad Ottonem Imp., ad Henricum Ducem Bawariorum, cæteros Episcopos, Abbates, Duces, Comites Galliæ, & Germaniæ qua Piligrimum, Laureacensem Metropolitam, confirmat Archi-Episcopum inferioris Pannoniæ & Mœsiæ: Saltzburgensem vero Archi-Episcopum, superioris Pannoniæ Episcoporum suffraganeorum Metropolitam dicit; & statuit, ut inter hos duos, qui prior fuerit ordinatione, sit & prior in ordine. *Hansitz Tomo I. Germaniæ Sacræ. pag.* 313.

